This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

PA
8523
.G9
E6

MARQUARDI GUDII
ET DOCTORUM VIRORUM AD EUM
EPISTOLÆ.

Quibus accedunt ex Bibliotheca Gudiana CLARISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM VIRORUM, qui ſuperiore & noſtro ſæculo floruerunt;

ET

CLAUDII SARRAVII

(*Senatoris Pariſienſis*)

EPISTOLÆ

Ex eadem Bibliotheca auctiores.

Curante

PETRO BURMANNO.



ULTRAJECTI,

Apud { FRANCISCUM HALMAM. / GULIELMUM vande WATER. } Bibliopol.

M. DC. XCVII.

VIRO EXCELLENTISSIMO
JOANNI GEORGIO GRAEVIO
S. D.
PETRUS BURMANNUS.

QUem hortatu & conſilio tuo, Vir excellentiſſime, has Clariſſimorum & Doctiſſimorum virorum Epiſtolas edendi laborem ſuſcepi, ut tuo potiſſimum nomini inſcriberem, plurimæ & graves me cauſſæ impulere. Nam ſi parentibus à liberis, quibus vitam dederunt, & quos a primis ætatis annis ſumma cura & caritate educarunt, ſummo jure θρεπτήρια debeantur; nefariumque putetur nulla grati animi ſignificatione educatores ſuos proſequi; quid tandem me Tibi, Vir excellentiſſime, debere cenſes? qui me ſemper, ac ſi ex Te natus eſſem, complexus es, tantam in me erudiendo, & teneram ætatem ad humanitatem informando, curam adhibuiſti, tam prolixa denique benevolentia in omnibus rebus adjuviſti, ut ſi de Filii tui commodis agendum fuiſſet, amabilius certe nihil facere potuiſſes. Poſſem initia amicitiæ & neceſſitudinis ex Parente meo, quo nemo, dum fata ſinebant, familiarius & conjunctius Tecum vixit, repetere; ſed id iis faciendum recte cenſuit Romanæ eloquentiæ Princeps, qui paternas amicitias nullis ipſi officiis proſecuti ſunt. Melius vero amici-

amicitiæ cauſſas ex egregia & perſpectiſſima tua voluntate petam, qua me Fratreſque meos, in prima pueritia patre orbatos, liberalibus artibus imbuendos, & tua manu formandos & fingendos ſuſcepiſti, & conjunctionem, quæ olim Tibi cum Parente interceſſit, in liberos propagare voluiſti. Nullum certe unquam benignitatis genus omiſiſti, ſemper conſilio & prudentia tua mollem ac flexibilem ætatem noſtram moderatus es, auctoritate vero tua & inſtitutione ad intima Muſarum ſacraria nos deduxiſti; ita ut vix orbitatem ſentiremus, & nihil nobis præter Patris nomen deeſſe crederemus. Neque ex eo tempore, quo e ludo & diſciplina tua exiimus, ſtudia noſtra fovere deſtiſti, ſed quos ſemel tuendos receperas, ſemper augendos & ornandos cenſuiſti, nihilque quod ad commoda noſtra pertinere putabas, reliquiſti. Inprimis autem me tot ac tantis officiis, quæ in me contuliſti, Tibi devinctum eſſe gratus agnoſco, ut nemini mortalium plus debeam, Teque per omnem ætatem ſicut alterum parentem obſervandum & diligendum propoſuerim. Nam cum a prima pueritia me magna alacritate & contentione ad ea ſtudia, in quibus Tu communi eruditorum ſuffragio principatum tenes, ferri videres, ſingulari quadam animi propenſione & favore me complexus es. Quotidie ad Te accedere, rationemque otii mei Tibi reddere, & ſi in quibuſdam hærebam, ad te referre inſigni humanitate paſſus es. Multis itaque & certiſſimis argumentis ſemper me a Te amari vidi, nullum vero illuſtrius

eximiæ

Librarian
Bocca
7-16-27
15090

eximiæ tuæ erga me voluntatis indicium deprehendi, quam quod poſtquam aliquem me in his literis progreſſum feciſſe judicaſti, in ſocietatem & partem laborum tuorum, quos Tu maximos pro re literaria juvanda & ornanda ſuſtines, vocare volueris; dumque Tu inſignibus ingenii & doctrinæ monumentis, æternum poſt fata tua victuris, orbem literatum demereris, me illis adornandis & recenſendis admoveris, ad quæ non tam conſummata eruditio, ut tua eſt, requiritur; ſicque ſenſim me ac per gradus ad aliquam induſtriæ & diligentiæ famam aſcendere, auſpiciis tuis ac auctoritate jubeas. In quo ſummam meam felicitatem prædico, qui talem Præceptorem & Moderatorem juventutis meæ nactus ſim, in quo merito dubites, majorne doctrina (quæ tamen ſumma eſt) an prolixior humanitas ſit; &, cum rariſſimam cum perfecta eruditione mixturam faciat elegantia & venuſtas morum, qui hoc unum proprium & præcipuum habeat, ut cum omnium judicio doctiſſimus habeatur, idem tamen ab univerſis humaniſſimus ac ſuaviſſimus prædicetur. Nemo unquam ad colloquium tuum admittitur, quin ex ſermonibus tuis, quos egregia eruditione ornas, & mira venuſtate commendas, & voluptatem maximam & uberrimum fructum domum reportet. Neque libentius adoleſcentes, ut ſapientiæ præcepta audiant, ex ore tuo pendent, quam provecti ætate in familiaritate tua avide verſantur, ut exempla vitæ & prudentiæ a Te petant. Illud vero ſingulare ac prope unicum Ti-

bi a natura datum eſt, Vir excellentiſſime, ut cum in ſummo doctrinæ gradu locatus ſis, ingenia adoleſcentium, quæ ad aliquam eruditionis laudem creſcere & ſurgere vides, fovere ac adjuvare omni opera ac ſtudio labores, nec juvenum conatus ad eruditionis tuæ modum exigas, aut acerbo & cenſorio judicio deſperare incipientium animos cogas, ſed ſtudiorum commodum adjutorem & in omnibus amiciſſimum fautorem Te præbeas. His omnibus illud effeciſti, ut totum vitæ tempus ſine ulla contentione & lite traduxeris, & cum nullius ingenio aut dotibus obtrectaveris, Tu viciſſim ab omnibus, ſicut communis quidam literatorum Parens, obſerveris ac diligaris. Faxit Deus Optimus Maximus, ut diu rei literariæ interſis, & non niſi conſummatis præclaris doctrinæ & ſapientiæ monumentis, ſerus in cœlum abeas. Vale Vir Excellentiſſime. Trajecti Batavorum ipſis Idibus Auguſt. CIↃIↃCXCVI.

LECTO-

LECTORI.

S.

EA fere literarum eſt infelicitas, ut ex plurimis, in quibus conficiendis & adornandis Viri docti ætatem conſumſerunt, ingenii & doctrinæ monumentis, pauca admodum, ſi immaturo fato auctores abripiantur, ad poſteros tranſmittantur. Quotus enim quiſque unquam fuit, qui cum pulcherrimis & eruditiſſimis ſcriptis rempublicam literariam adjuverit & ornaverit, omnibus, quæ in mundo habebat, abſolutis, nullius amplius deſiderium reliquerit? Teſtantur id omnia, quotquot hodie eruditorum virorum manibus teruntur, ſcripta. Quis unquam, ut de remotioris ævi viris doctis taceam, Scaligeri, Caſauboni, Salmaſii, Heinſii aliorumque Heroum ſcripta evolvens, & incredibili ex tam immenſis eruditionis & ſapientiæ divitiis voluptate perfuſus, non ingentem animo quoque dolorem capiat, cum tot adfectos, tot jam ad umbilicum pene perductos, tot orbi literato promiſſos labores, cum irreparabili literarum jactura intercidiſſe videat. Evenire autem plerumque videmus, ut Doctiſſimorum Virorum hæreditates ab indoctis & iniquis literarum æſtimatoribus cernantur, qui pecuniæ & hæreditati inhiantes, quicquid in ſcriniis & liturariis defunctorum literis conſignatum offendunt, ut nihili res abjiciunt & lacerant, vel ſi ab aliis eas res aliquid eſſe audierint, eruditos ab iis repellunt, ut ipſi clauſis theſauris incubent. Tulit tamen omnis ætas viros in indagandis his abſtruſis & reconditis theſauris ſolertiſſimos, qui antiqua illa monumenta æternis tenebris damnata in lucem protraxerunt, & orbi literato expoſuerunt, quos ego quidem non minori laude dignos eſſe exiſtimo, quam qui a ſui ingenii monumentis famam poſteris commendarunt. Inter hos principem ſibi locum vindicat ſuo jure Vir Excellentiſſimus & Doctiſſimus Marquardus Gudius, Potentiſſimo Regi Daniæ olim a Conſiliis, qui a puero egregia literis navata opera, adoleſcentiam exemplo ſapientiſſimorum virorum peregrinationibus

impen-

impendit, & mira ſagacitate & ſolertia per celeberrimas Europæ regiones, cum tineis & blattis luctantia Clariſſimorum Virorum ſcripta indagavit, & ereptum iniquis & imperitis poſſeſſoribus theſaurum ſibi vindicavit, & ad ſupellectilem ſuam ornandam & inſtruendam ad lares ſuos devexit. Tantam certe vim & copiam Codicum manuſcriptorum, librorum veterum & rariorum, monumentorum denique antiquitate ſua venerandorum, per Belgium, Galliam, Italiam & Germaniam conquiſivit, ut dubitem num inſtructior libraria ſupellex intra privatos parietes uſquam conſpiciatur. Ex peregrinationibus redux ſperabat Gudius, ſe otium ſuum in his recenſendis, & cum orbe literato communicandis conſumpturum. Sed cum in patriam appuliſſet, & ſe ad eas artes referre vellet, quibus a primis temporibus ſtudium ſuum dederat, curæ ſtatim publicæ rei, primum in Sereniſſimi Ducis Holſatiæ aula, dein ab Auguſto Daniæ & Norvegiæ Rege fuit admotus, quæ optimum ejus vitæ tempus literis eripuit, & ſpem, quam omnes, qui ejus ingenium & doctrinam admirabantur, maximam de illo conceperant, non paſſa eſt explere. Quantis non expoſtulationibus, imo convitiis, Viri per totum Orbem doctrina florentes contenderunt, ne ſuaviſſimum fabellarum ſcriptorem Phædrum, quem ad antiquos Codices recenſuerat, & doctiſſimo commentario illuſtraverat, diutius premeret, ſed ingenti omnium deſiderio eum in lucem emittendo ſatisfaceret. Sed cum horum, tum ipſius votis, uſque ad extremum vitæ ſpiritum adeo obſtitere ardua, quibus ſemper diſtentus fuit Gudius, negotia, ut pene rempublicam literariam inſigni doctrinæ ſuæ fructu fraudaſſet. Neque dubium erat, quin tot labores in auctorem illum ſuſcepti periiſſent, niſi bono fato una cum his epiſtolis ad nos perveniſſent, noſque ingentem moleſtiam, quam in colligendis ſcedis laceris, & a blattis & tineis pene conſumptis habuimus, devoraſſemus. Longo vero doctorum virorum deſiderio brevi, ut ſpero, ſatisfiet. Magnam etiam expectationem commoverant plurimæ & inſignes virorum doctorum Epiſtolæ, quas omnes angulos perreptando ingenti numero collegerat, & ſæpe amicis ſpem eas publico committendi fecerat. Maximo enim in pretio ab omni ævo hæc doctorum virorum monu-

numenta habita fuere, vel quod ex his rectius hominum ingenia, & quid vere ſentiant de rebus pleriſque, quam ex hiſtoriis & annalibus & aliis ingenii lucubrationibus, quibus & ſuæ & aliorum famæ magis ſerviunt, quam vero, perſpiciatur; vel quod in his egregia doctrinæ & ingenii indicia deprehendantur; vel denique quod ſtyli nitore, & dictionis elegantia & gravitate lectores teneant & demulceant. Summa itaque diligentia ſemper poſt fata hominum, aliqua ingenii vel doctrinæ laude florentium, epiſtolæ conquiſitæ fuere, & cum orbe literato communicatæ, & incredibili ſtudio exceptæ fuere, neque doctiſſimi & in literis Principes Viri laborem eas recenſendi & edendi detrectarunt. Statuerat jam Clariſſimus Vir Joannes Georgius Grævius, qui plurimis ac egregiis cum ſui ingenii & immenſæ doctrinæ laboribus editis, tum aliorum doctorum virorum lucubrationibus ab interitu vindicatis, literarum Principatum jure ſuo poſſidet, ex quo ipſi copia hujus theſauri facta fuerat, operam ſuam ipſe illi impendere, & memoriam Gudii, quo, cum in vivis eſſet, familiariter admodum uſus fuerat, quaſi conſecrare; ſed cum tot negotiis & laboribus, quibus in re literaria promovenda quotidie pene obruitur, impediretur, quo minus ex voto harum curationi vacare poſſet, mihi provinciam eam impoſuit, quam ſuſcepi libenter; tum ut otium, quo affluebam, fallerem, tum ut in verſandis doctorum virorum ſcriptis aliqua eruditionis mihi acceſſio fieret. Neque non ſperabam magnam me a viris doctis gratiam initurum, ſi has literarias opes tam diu ſepultas ex tenebris eruerem. Nihil vero formidabam faſtidium hujus ſæculi, quod jam Graviſſimorum Virorum monumentis neglectis, nugis & luxurantium & otioſorum hominum portentoſis commentis otium ſuum oblectare ſolet. Plurimi enim hodie leviter literis aſperſi, nec in ſcriptis doctorum omnis ævi virorum exercitati, pleraque his literis comprehenſa, ut levia neque lectu digna judicant; quæ Viri interioribus literis penitus imbuti ſummo ſtudio legunt & laudant. Nos vero, ſi ea quæ edimus doctiſſimo cuique probata fuerint, facile patimur alios male de hoc noſtro labore ſentire, famamque ingenii abjicimus, dummodo induſtriæ & ſtudii bonas literas pro virili juvandi ratio nobis & aliis conſtet. Nunc pauca quædam

de ratione & conſilio, quod in his Epiſtolis recenſendis ſecuti ſumus, exponemus. Præmiſimus ipſius Gudii ad Viros, quibuſcum ipſi amicitia & uſus interceſſit, Epiſtolas, quibus ſubjunximus, quas ejus amici ad illum dederunt. Paucæ numero ad nos tranſmiſſæ fuere Epiſtolæ, neque nobis licuit eſſe tam beatis, ut a Viris, quibuſcum Gudio literarum commercium olim fuiſſe ſuſpicabamur, alias obtineremus, præter unam ad Ægidium Menagium exaratam, quam V. Cl. Henricus Petrus Simon de Valhebert, Illuſtriſſimo Bignonio Abbati S. Quintini a ſtudiis & Bibliotheca, nuper cum Clariſſimo Grævio peramanter communicavit ex penu Menagiana. Valheberto enim legavit quicquid manuſcriptorum librorum reliquit Menagius Vir ſummus. Hæ literæ cum ad nos pervenerint, cum jam Gudianæ eſſent typis mandatæ, coacti fuimus eas ſubjicere proœmio ad lectorem, ne iis, cum plenæ ſint varia doctrina, careamus, quamvis pleraque Menagius olim excerpſerit & obſervationibus in Diogenem Laërtium inſeruerit. Excipiunt Gudianas aliquot Italorum, qui ſuperiore ſæculo vixerunt, Epiſtolæ, quod fuit illud tempus, quo literæ ex denſiſſimis ignorantiæ tenebris caput exerere cœperant, & eloquentiæ ſtudium ſumma contentione ab omnibus, quaſcumque doctrinas ſectarentur, colebatur. Nemo ea ætate majoribus diſciplinis animum applicabat, qui non prius ſevera lege in hac cultiore literatura profecerat, & animum eadem eloquentiæ præceptis poliverat. Diverſa erat eorum hominum ratio a noſtra, ubi pueri, neglecto omni literarum & humanitatis ſtudio, ſtatim ad graviora ſtudia convolant. Itaque ſi quis ejus temporis ſcripta legerit, non minorem voluptatem ex dictionis munditie, quam fructum ex argumenti dignitate percipiet; cum hodie egregium habeatur barbaro ſermone ſanctiſſimas artes contaminare, nihilque tamen vitio ponatur, quam ſi quis vel veneranda ſanctæ diſciplinæ myſteria, vel abſtruſa naturalis ſcientiæ arcana polito & culto ſermone illuſtret & commendet. Aliter primis illis bonarum artium inſtauratoribus placuit, qui ad omnes artes & diſciplinas animum ingenuis artibus & Græcæ Latinæque linguæ ſcientia non vulgari, ſed exquiſita perpolitum adferre, & id quod ſentirent ornate eloqui, & de maximis quæſtionibus copioſe poſſe dicere ſum-

mam

mam laudem parabant. Nam ut veriſſime Eloquentiæ ſimul & Sapientiæ Parens Cicero inquit, *mandare literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis. Itaque ipſi ſuos libros legunt cum ſuis, nec quiſquam attingit præter eos, qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt.* In ſola tum temporis Italia vigebat ſapientiæ ſtudium & nitor eloquentiæ Latinæ, innumeroſque ea ætas Viros tulit, qui famam ſuam his artibus ad poſteros extenderunt. Deplorandum vero eſt, tot ejus ſeculi illuſtrium virorum, & qui in doctorum virorum monumentis maxima eruditionis fama commendantur, memoriam, imo nomina pene intercidiſſe: quæ hac noſtra ætate plurimi bene de republica meriti viri renovarunt, & eorum ſcripta, quæ ex manibus hominum excuſſa jacebant, reduxerunt. Sic Sannazarii Muſa, ſic Aonii Palearii eloquentia a morte in vitam reducta, & nomina ipſa, quæ oblivione & longa nocte urgebantur, in hominum memoriam revocata. Debebunt & nobis aliquid, imo Gudio, Manes præclarorum virorum, *Alciati*, *Majoragii*, *Bonamici*, *Amaſæi*, *Cicerei*, *Camilli*, *Corradi*, *Merulæ*, *Minturni*, *Nizolii*, *Parrhaſii*, *Thomæ Phædri*, *Theocreni* & aliorum, quos iſta felix ætas aſpexit, quod his Epiſtolis eorum memoriam renovatam viderint. Quotuſquiſque enim horum, non dicam ſcripta & in literas merita, nomina unquam fando audivit; quare non inutilem operam me navaturum putem, ſi breviter quædam de his clariſſimis olim viris delibavero. De *Alciato*, *Majoragio*, *Nizolio*, *Parrhaſio*, aliiſque qui plurimis ſcriptis & doctrinæ monumentis longæ oblivionis nebulas perruperunt, & perpetua doctorum virorum commendatione mentibus ſtudioſorum inſederunt, dicere nil attinet, cum eorum nomina ſatis ab interitu vindicata ſint. Quis vero niſi interioribus Muſarum deliciis perfuſus, & in ſuperioris ævi ſcriptis exercitatus, novit *Lazarum Bonamicum*, qui eloquentiam olim Patavii docuit, virum inſigniter eruditum & communem quendam Italiæ præceptorem, e cujus ludo meri heroes prodiere, & proſa & verſu bonum, ſummaque obſervantia a præcipuis Italiæ viris cultum & dilectum. Teſtantur id plurimæ Bembi & Sadoleti, Latinæ linguæ decorum & ornamentorum, Epiſtolæ, quibus

 illius

illius eruditionem celebrant, & tanquam ad parentem de ſtudiis ſuis referunt, & conſilium ejus expetunt. *Romulus* vero *Amaſæus* (ad quem Bonamici Epiſtolam, de quodam *Baſilio* memoranda quædam narrantem, ſed de quibus nobis non conſtat, hic exhibemus) nihil illo inferior, Bononiæ literas ſumma cum laude quondam docuit, Vir magni nominis & æſtimationis, ut ex eorundem Bembi & Sadoleti literis perſpicitur. Hic multum de Pauſania, quem totum, & Xenophonte, cujus libros ſeptem de expeditione Cyri Minoris Latine vertit, meruit. De *Andrea Camutio* medico inſigni, parum nobis conſtat, niſi quod ſcriptorum ab eo editorum memoriam nobis ſervaverit Geſnerus in Bibliotheca, & Lindanus in libro de ſcriptis medicorum. *Antonius Minturnus* Poetices ſtudioſiſſimus, præclaram ſibi famam peperit doctiſſimo libro *de Poëta* conſcripto, quem ſæpiſſime Voſſius, tum in Poeticis, tum in Oratoriis inſtitutionibus laudat, & Rapinus in libro de Ecloga inſigni elogio ornat. Neque omnino ejus famam apud noſtros, qui poeſim attingunt, eviluiſſe, indicio eſſe poteſt præſtantiſſimus Tragœdiarum ſcriptor, apud Gallos celebratiſſimus *Cornellius*, qui de Tragœdia diſputans ejus honorifice meminit. *Benedicti Theocreni* celeberrima quoque iis temporibus fuere carmina, quæ Pariſiis olim edita fuiſſe Geſnerus in Bibliotheca prodidit. In primis autem clarum erat ea tempeſtate nomen *Thomæ Phædri*, quem Pierius Valerianus in elegantiſſimo libello de literatorum infelicitate, quo & hujus miſer & infelix obitus narratur, vocat *affluentiſſimum eloquentiæ flumen, & quo non alius eo tempore orando clarior neque vehementior fuit, Romanæ cathedræ decus & ornamentum.* Quem etiam Eraſmus, cum in Italia verſaretur, *facundia extemporali incomparabiliter eloquentem, & ludis & comœdiis recenſendis priſcam antiquitatem repræſentantem* vidit, ut de eo ſcribit Beatus Rhenanus in Epiſtola præfixa Eraſmi operibus. Quis non tantorum & tam celebrium virorum, & quorum tam rara memoria eſt, monumenta in lucem protracta exoſculetur, & in beatum illud ſæculum ſe tranſlatum, cum illa legat, non gaudeat. Nobis certe horum virorum memoriam refricantibus mirifica quadam voluptate animus perfunditur. Longum eſſet, ſi omnium harum epiſtolarum utilitatem & præſtantiam lectori commendare, & de ſingulis

quæ

quæ illis comprehenduntur verba facere vellemus. Unum, quod notari meretur prætermittere non poſſumus, *Matthiam* illum *Minoritam*, ad quem Alciatus orationem ſe ſcripſiſſe Epiſtola III. Calvo ſcribit, & de qua valde ſollicitus, ne in vulgus exeat, vehementer cum Calvo expoſtulat, eam in Eraſmi manus & Frobenii deveniſſe, eundem illum fuiſſe videri, ac *Bernardum* illum *Mattium* ad quem Alciati Epiſtolam, qua eum a vita monaſtica revocare ſtudebat, nuper publici juris fecit Vir Clariſſimus Antonius Matthæus, Anteceſſor Lugduno Batavus. Nam & eam orationem Epiſtolam vocat Epiſtola VI. & argumentum idem ex ſollicitudine & animi commotione, quam in Epiſtola V. oſtendit Alciatus, fuiſſe evincitur. Nominis diverſitas ab exſcriptoribus manare potuit: nam non videtur ex autographo Cl. Matthæus eam Epiſtolam edidiſſe, in noſtrarum autem Epiſtolarum autographis, ex quibus hæ expreſſæ ſunt, *Matthiam* exſtare liquido affirmare poſſum. Poſtquam vero ab Italis ad alias gentes literarum ſtudium derivatum eſt, vehementius per totam Europam bonæ artes & diſciplinæ coli & celebrari cœpere, & reliquæ præter Italiam terræ viros produxere in omni ſtudiorum genere celeberrimos, quos jure Italiæ opponerent. Horum plurimæ Epiſtolæ dictionis venuſtate, & rerum pondere & doctrinæ præſtantia inſignes ſubjiciuntur, quorum auctores, cum plerique recentiores, neque tam longe a memoria noſtra remoti, notiores ſunt, quam ut de ſingulis verba facientes, lectorem longa præfatione enecemus, de iis ſilere quam pauca dicere, conſultius judicamus. Unum eſt quod præterire non poſſumus, ne quis in his edendis aut diligentiam noſtram deſideret aut fidem culpet. Omnes hæ, quas edimus, literæ ex Gudiana Bibliotheca ad nos pervenere, neque ullas, quas non publici juris fecimus, reſervavimus, niſi quod paucas quaſdam, quæ vel ab hominibus non admodum celebribus conſcriptæ eſſent, vel quod neque elegantia ſermonis, nec dignitate materiæ commendari mererentur, omiſerimus, in quo non tam noſtrum, quam Clariſſimi Grævii judicium ſecuti ſumus; quas vero typis commiſimus, an jam ante cura doctorum virorum vulgatæ fuerint diligenter, quantum potuimus, indagavimus, & libros omnes, quorum copia nobis ſuppetit, excuſſimus. Si tamen aliquid, ut

forte erit, diligentiam noſtram effugerit, veniam a lectore petimus. Magnus vero nobis inceſſit ſcrupulus, ex quo Cl. Morhofii Polyhiſtorem conſuluimus, qui libro I. cap. 25. a Gudio quondam multis partibus plures Epiſtolas collectas & aſſervatas eſſe narrat. Recenſet ille integras Eraſmianarum, Caſaubonianarum, Caſelianarum, Wouwerianarum & imprimis Lipſianarum centurias, quarum tamen hic paucæ exhibentur. Ne quis vero fidem noſtram ſuſpectam habeat, ſancte affirmare poſſumus, ea religione iſtorum virorum, quos modo memoravimus, Epiſtolas edidiſſe, ut ne unicam quidem ſuppreſſerimus. Quod ſi adhuc in ſcriniis & Bibliotheca M. Gudii tam pretioſæ gazæ aſſervantur, neſcio an major voluptas ex his editis, an vero dolor ex tot, quibus carere cogimur, oboriatur. Spes tamen eſt, & illas tandem clauſtra, quibus coercentur, perrupturas, & hæredes Gudianos, & Viros eximios, quibus rerum Gudianarum cura commiſſa eſt, eas cum orbe erudito communicaturos. Nobis interim de his tabulis ex ingenti naufragio ſervatis gratulamur. His doctorum Epiſtolis paucas quaſdam, appendicis vice, adjecimus, quas nobiſcum communicarunt viri Humaniſſimi & mihi cognatione & affinitate conjunctiſſimi, D. Antonius de Vivien, JCtus, & Hermannus vande Walle ſacrarum literarum ſtudioſus. Quorum hic feliciter quædam ſcripta, in Scipionis Gentilis ſupellectile libraria quondam aſſervata, & plurimas ejuſdem lucubrationes invenit apud homines, qui earum nullam rationem habebant, jam jamque dilacerare conſtituerant. Ille vero inter Epiſtolas quas plurimas, alia negotia quam res literarias ſpectantes, poſſidet, has Ferdinandi, Eraſmi, Joannis Secundi, & Nicolai ejus Fratis repertas mecum, cum huic operi me incumbere intellexerat, publici juris faciendas communicavit. His prælo abſolutis ſtatueram librum hunc e carceribus emittere, niſi impetum retinuiſſent Sarravianæ Epiſtolæ. Editæ ſunt in Gallia ante annos quadraginta, & quod excurrit, Epiſtolæ Claudii Sarravii Senatoris Pariſienſis, Viri inſigniter docti & maximi Eruditorum Mæcenatis, qui ab omnibus ejus temporis doctis viris obſervabatur. Teſtantur hoc tot ejus nomini inſcripti libri, tot ad eum doctiſſimorum virorum Epiſtolæ & carmina. Cum omnibus, quibus vel minima erat

erudi-

eruditionis fama, conſuetudo & familiaritas ipſi erat; imprimis amabat vehementer Magnum Salmaſium, cum quo ſingulis pene hebdomadis literas commutabat, & de rebus literariis conferebat. Ejus Epiſtolæ poſt ejus obitum editæ, magno ſtudio ab eruditis exceptæ, & avide direptæ fuerunt. Qui vero earum editionem procuravit, ejus Filius Iſaacus Sarravius, plurima ex iis ſuſtulit, quibus in offenſionem hominum eo tempore viventium incurrere verebatur. Cum Gudius vero Lutetiæ Pariſiorum verſaretur, opportunitatem nactus eſt ipſa Sarravii ad Salmaſium Epiſtolarum autographa inſpiciendi, deſcribendi, & lacunas, quæ in editis relictæ erant, ſupplendi. Epiſtolæ autem hæ Sarravianæ cum rariſſime in Bibliopoliis repererentur, & inſano pretio, ſi quando in publica ſectione vænum irent, venderentur, conſilium inii Sarravianas recudendi, & ex Gudii autographo inſigni acceſſione augendi, ita ut ſi quis has cum priore editione comparaverit, tertia parte auctiores ſit inventurus. Optaſſem & majori beneficio orbem literatum devincire, ſimul cum his Sarravianis Salmaſii ἀμοιβαίας edendo; quas Amſtelodami ex penu literaria Reverendi Viri μακαρίτου Anſlarii apud Virum Doctiſſimum Schalbruggium, Gymnaſii Moderatorem aſſervari intellexeram. Sed cum iſti labori jam ſe accinxerit doctiſſimus Schalbruggius, de illis exitio ereptis & brevi publico exponendis, harum rerum amatores ſecuros eſſe jubeo. De Sarravianis his, quas iterato edimus, nihil dicere attinet, cum jam ante typis editæ orbi ſatis innotuerint, quidve de iis ſtatuendum ſit, dudum ſit exploratum. Fuit certe Sarravius Vir egregie doctus, ſummus virorum eruditorum amator & cultor, & recta plerunque de eorum operibus & ſcriptis judicia ferebat. Nos tamen, cum has epiſtolas publici juris iterum facimus, minime hanc invidiam ſubire volumus, ut quæcunque ille de doctis viris ſenſerit & ſcripſerit, probemus, neque ut iis quæ de controverſiis, quæ eo tempore inter viros rei literariæ Principes, imo & ſummos rerum divinarum Antiſtites agitabantur, libere nimis effuderit, ſubſcribamus. Hoc certe ex illis colligi poteſt, nimis illum addictum Salmaſio, in ejus verba juraſſe, ejuſque hoſtes ac adverſarios ſuos duxiſſe. Erat Salmaſio ingenium ſublime ac pene divinum, doctrina immenſa, & memo-

ria,

ria, qua cuncta ab omni ævo ſcripta complectebatur, ultra humanam ſortem tenaciſſima; ſed cum paucos ſibi pares duceret, neminem vero ſuperiorem ferret, contumelioſe ac acerbe de omnibus ejus ævi viris ſentiret & loqueretur, & ſimilis Pani Theocriteo, cui

Αἐὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται,

omnium famam laceraret, cum omnibus fere contentiones & lites exercebat. Imprimis vero odio pluſquam Vatiniano Danielem Heinſium inſecutus eſt, qui tamen omnium judicio eruditiſſimus, diſertiſſimus & elegantiſſimi ingenii habebatur, cuique tam ligata quam pedibus ſoluta oratione ſcribendi laude, & quidem in utraque lingua, nemo tum ei par erat & ſecundus, ut Scaligero, Caſaubono aliiſque viris ſummis eſſet admirationi. Itaque non omnibus, quæ Sarravius de Heinſio literis prodidit, fides habenda eſt, ut qui, ut Salmaſio ejus infenſiſſimo adverſario placerent quas ſcribebat Epiſtolæ, multa dixerit ſcripſeritve, quæ a vero ſunt alieniſſima. Cui enim, cui ſanum ſinciput eſt, perſuaderi poterunt, quæ Epiſtol. XI. Sarravius Gronovio ſcribit, Heinſium exiſtimationem ſuam fuſtibus vindicaturum, vel ut Salmaſium ulciſcatur, cogitaſſe de eo mactando, vel in foſſas, cum ſolus deambularet, dejiciendo, ut Epiſtol. XXIII. ad eundem refert. Hæc erant ſomnia ſuſpicioſi Salmaſii, cujus aures ſemper inanibus rumoribus & incertis nuntiis patebant. Erat vero in Heinſio cum eximia eruditione conjuncta ſumma humanitas & morum venuſtas, & ſi a Salmaſio in copia variæ diffuſæque doctrinæ ſuperabatur, eloquentia tamen & poetica facultate, immenſum quantum illum præteribat, & quicquid edebat, cultius & limatius in publicum prodibat, quam quæ a Salmaſio effundebantur. Non erimus hic longiores, ne Epiſtolæ modum, qui epiſtolas edimus, nos ipſi transgrediamur. Lectores, qui his deliciis capiuntur, tantum rogamus, ut benevolo animo laborem noſtrum excipiant, & ſi quæ graviora vitia vel ex autographorum deſcriptione, vel typothetarum & correctorum vitio & culpa irrepſerint, emendent. Non potui ipſe in omnibus eam diligentiam adhibere, quam oportuit, cum varia alio ſæpe me negotia vocaverint. Vale & his fruere.

ÆGI-

ÆGIDIO MÆNAGIO S. D.

Marquardus Gudius.

Dierum aliquot jacturam feci in moleſtioribus officiis. Tandem emergens ad me in memoriam redeo earum rerum, quæ inter nos nuperrime agebantur. Nunquam ſoleo deſerere fidem promiſſionis meæ. Igitur quæ recepi utriuſque noſtri compendio, ut primum menti occurrunt, abſque omni cura exequar ὕστερον πρότερον. Plures περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων tractaſſe obſervo. Præter Timæum laudat Photius Βοηθοῦ λέξεων Πλατωνικῶν συναγωγὴν κατὰ στοιχεῖον &c. Hanc dicit longe præſtantiorem fuiſſe ipſo opere Timæi. Locus illuſtris eſt tmem: CLIV. CLV. Bibl: Harpocration Argivus, Platonicus Philoſophus, Cæſaris convictor, præter ampliſſimos in Platonem commentarios, verborum Platonicorum libros duos conſcripſit. Auctor eſt Suidas. Huc referri debent, qui unius tantum artis aut ſcientiæ vocabula in Platone explicarunt. Clearchus τὰ ἐν τῇ Πλάτωνος πολιτείᾳ μαθηματικῶς εἰρημένα enodavit. Theodori Solenſis librum de Mathematice dictis in Platone citat Plutarchus libello de *anima procreatione*, & libello *de oraculorum defectu*. Philippus Mendæus omnia loca Mathematica, quæ in operibus Platonis præceptoris ſui obſervaverat, ſingulatim excerpſit & expoſuit. Theon Smyrnæus peculiari libro tractavit, quæ Mathematica ad Platonis lectionem utilia ſint. Galenus ea quæ in Timæo Platonis ἰατρικῶς λέγονται explicavit. Meminit lib. VIII. de Scitis Hippocratis & Platonis n. XIII. Ita ipſe Plutarchus vocabula quædam Platonica ſingulari tractatione illuſtraverat. περὶ τοῦ γεγονέναι κατὰ Πλάτωνα τὸν κόσμον. ὑπὲρ τοῦ Πλάτωνος Θεαγένους, τί κατὰ Πλάτωνα τέλος &c. Docemur ex Lampriæ catalogo. Laërtius quatuor tantum recenſet Platoni Philoſopho ὁμωνύμους: fuere autem plures. Sextus ergo Plato eſt, νομικὸς ῥήτωρ Geraſenus. Stephanus περὶ πόλ. γέρασα: ſeptimus Plato Sardianus Epicureus. Cicero. epiſt. ad Quinct. Fratr. Octavus Plato Lycaonis filius Apollod. lib. 3. Biblioth. Nonus in inſcriptione veteri apud Gruterum.

M. ELPIDIUS. PAMPHILUS.
PLATONI TATAE SUO
BENE MERENTI FECIT.

Hi potiſſimum in Hiſtoria occurrunt, qui diligentius obſervari merentur. Notavi aliquando adhuc alios recentioris ævi magno ſtudio, ſed profecto συκίνῃ ἐπικουρίᾳ: nam longe aliter hodie ſentio, & barbarorum iſtiuſmodi hominum nomina tanti non facio. Sed quia non diſplicere tibi opellam meam affirmabas, pertexamus ordine. Decimus eſt Plato martyr ſub Maximiano. Notus ex Martyrologiis. Undecimus Plato Urbi Præfectus, quem victor Tunnunenſis Chronico ſub Conſulatu Probi, qui fuit Anno Chr. IOXIII, Anaſtaſii Imperatoris XIII, memorat. Duodecimus Plato Pater Joannis VII. Pontificis maximi Natione Græci. Platina Vita Joannis

ratione volumina paſſim illa tempeſtate eruditorum omnium manibus verſabantur? Jam vide, quanto Apollodorus ſucceſſu, aliis in numerorum ratione reclamantibus, toti propemodum orbi ſententiam incertam perſuaſit. Huic Cicero, Valerius Maximus, Seneca, Quinctilianus, Cenſorinus & Latini alii ad unum omnes adhæſere, quia, quod poſſum oſtendere, Apollodori χρονικοῖς tanquam ἀξιοπίστοις familiariſſime utebantur. Verum qui quam maxime in hac cauſa advocandi erant, Græci etiam alii, quanquam invicem diſſentiunt, Hermippo certe ejuſque ſuffragatori Apollodoro refragantur uno ore. Dices: Scripturus Platonis vitam Hermippus ætatem ſtudioſiſſime videtur indagaſſe. Sed profecto eandem curam profitetur Neanthes Cyzicenus, quia ipſe etiam illuſtrium virorum vitas non abſque diligentia explicaſſe dicitur. Quare ab Hermippo abiens Neanthes majori patientia audiendus eſt, qui cum Platonem quarto & octogeſimo ætatis anno obiiſſe obſervet, natum eſſe oſtendit, ſecundo anno Olymp. octogeſimæ ſeptimæ. Hoc non abſque fundo & auctore, non abſque argumento affirmari intelligendum erit: namque ipſum annum, quem ille deſignat, ſumma mihi ratione videor alibi deprehendere. Plutarchus & Laërtius Platonem docent natum eſſe ſex annis poſt Iſocratem. Atqui Iſocrates natus eſt Olympiadis ſupra octogeſimam ſextæ primo anno, quod abſque ulla diſputatione demonſtrari poterit ex Plutarcho & Dionyſio. Conſit ergo quod Neanthes voluit, parentem Academiæ ſecundo anno Olympiadis octogeſimæ ſeptimæ tanquam cœlo delapſum in terras, ad ætatis uſque quartum & octogeſimum hominibus interfuiſſe. Hæc eſt, MENAGI Doctiſſime, controverſia fori tui. Niſi indigna eſt eleganti cenſura, oportet ut ſolus arbiter ſedeas. Defert cauſam auctor tuus, quem immortali opera demereris. Cæterum quæ dicta ſunt, non patrocinantur Neanthi, ut Hermippi ſententiam tantis viris probatam explodant: neque enim deſunt Hermippo argumenta ſpecioſiſſima. Ego ſi in tanto graviſſimorum auctorum diſſenſu ampliandum eſſe cenſeas, opinioni meæ ſatisfactum arbitrabor.

P. 188. ἔσχε δ' ἀδελφοὺς Ἀδείμαντον καὶ Γλαύκωνα. Nec plures habet Apuleius nec Suidas. Plutarchus autem l. περὶ φιλαδελφίας tertium addit Antiphontem natu minimum: Πλάτων τοὺς ἀδελφοὺς εἰς τὰ κάλλιστα τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων θέμενος ὀνομαστοὺς ἐποίησε, Γλαύκωνα μὲν καὶ Ἀδείμαντον εἰς τὴν πολιτείαν, Ἀντιφῶντα δὲ τὸν νεώτατον εἰς Παρμενίδην.

Ibid. εἰσὶ δ' οἳ καὶ παλαῖσαι φασὶν αὐτὸν Ἴσθμοι. Operæ pretium eſt audire quid de hoc palæſtrico Platonis exercitio ſentiat Cyrillus lib. VI. contr. Jul. φασὶ δὲ καὶ ἰσθμιά τινες καὶ Πύθια παλαῖσαι αὐτόν. εἶτα τί τοῦ τοιοῦδε τὸ βαναυσικώτερον; ἀνέχοιντο γὰρ, ὡς γε οἶμαι, τῶν εὖ φρονούντων οὐδεὶς ἀπημφιεσμένῳ σώματι γυμνῶς καὶ ἀκρύπτως ἀσχημονεῖν ἐπὶ πλήθους, οὕτω πολλῆς καὶ ἐπὶ σμικρῷ πυ τάχα μισθῷ. Vide etiam Helladium apud Photium.

P. 189. ἀγωνίσασθαι τραγῳδίᾳ πρὸ τοῦ Διονυσιακοῦ θεάτρου. Quare ante Dionyſiacum theathrum? Viri docti fruſtra offendunt, male mutant. Locus profecto debebat reſpondere tempori. Certabant enim poetæ veteris Comœ-

diæ

diæ, feſto die Dionyſii. Scholiaſtes Ariſtoph. Equit. ἐν τῇ Διονύσου ἑορτῇ, τοῦτ᾽ ἐστι, Διονυσίοις ἠγωνίζοντο οἱ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. In hoc illuſtrium ingeniorum certamine, inter iſtiusmodi ſolennitatem publicam Socrates recitatione ſua Platonem adeo deterruit, ut etiam quæ recitaturus erat, carmina Vulcano offerret. Ita intelligo Laertium: neque enim ab omni prorſus amœnitate Camœnarum adeo abhorrebant Philoſophi veteres, viri graviſſimi. Xenocrates totam vitam in ſapientiæ ſtudio conterebat inter exigua Academiæ ſpatia: una autem die annis ſingulis ad ſolennia. Dionyſii ſacra egreſſus dicitur, ut Tragicorum feſtivitati intereſſet. Plutarchus περὶ φυγῆς: ἡ δ᾽ Ἀκαδημία —— οἰκητήριον ἦν Πλάτωνος καὶ Ξενοκράτους καὶ Πολέμωνος, αὐτόθι σχολαζόντων καὶ καταβιούντων τὸν ἅπαντα χρόνον. πλὴν μίαν ἡμέραν ἐν ᾗ Ξενοκράτης καθ᾽ ἕκαστον ἔτος εἰς ἄστυ κατῄει Διονυσίων καινοῖς τραγῳδοῖς ἐπικοσμῶν, ὥς ἔφασαν, τὴν ἑορτήν.

Ibid. προσεῖχε Κρατύλῳ τε τῷ Ἡρακλειτείῳ Platonem adhuc adoleſcentem uſu ex conſuetudine Cratyli imbibiſſe Heracliti opiniones non abſque aculeo notavit Ariſtoteles l. I. Metaph. c. VI.

--- Ἑρμογένει τῷ τὰ Παρμενίδου φιλοσοφοῦντι. Videtur non tantum Hermogeni ſed Zenoni etiam ex ſchola Parmenidis operam dediſſe. Photius inter excerpta ex vita Pythag. τῆς δὲ λογικῆς σπέρματα καταβαλεῖν αὐτῷ Ζήνωνα καὶ Παρμενίδην τοὺς Ἐλεάτας: καὶ οὗτοι δὲ τῆς Πυθαγόρου ἦσαν διατριβῆς. Plato ipſum Parmenidem non audivit: demonſtratum eſt Athen. lib. II. c. 15. neque officiunt verba Photii. Parmenidem Zenoni addit tantum, ut conſtaret unde Zeno hauſerat quæ Platoni tradidit. Videatur Apuleius & Laert. Zenon.

P. 190. ἔνθεν τε εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας. *Plato Ægyptum peragravit ut a ſacerdotibus barbaris numeros & cæleſtia acciperet.* Piſo apud Cic. l. v. de fin. *Ægyptum peragravit, dum a Sacerdotibus ejus gentis Geometriæ multiplices numeros atque cæleſtium obſervationum rationem perciperet.* Valerius Max. l. VIII. c. VII. ubi vulgo perperam: *percipit*: Sed repono leviter ex Harlemenſi codice, quod ſenſus, quod ipſa Latinitas requirit *perciperet*.. Apuleius: *Aſtrologiam aduſque Ægyptum ivit petitum, ut inde Prophetarum etiam ritus addiſceret.* Philoſtratus l. I. Apoll. c. I, Πλάτων βαδίσας εἰς Αἴγυπτον, καὶ πολλὰ τῶν ἐκεῖ προφητῶν τε καὶ ἱερέων ἐγκαταμίξας τοῖς ἑαυτοῦ λόγοις. Eum ex Italia in Ægyptum trajeciſſe auctor eſt Laertius. Repugnat Cicero de Rep. *Sed audiſſe te credo, tum vero Platonem, Socrate mortuo, in Ægyptum diſcendi cauſa, poſt in Italiam contendiſſe.* apud Non. *Contendere.* Apuleius videtur diſcrepantem hiſtoriam in ordinem redigere: notavit enim diſceſſum ex Italia in Ægyptum & ex Ægypto reditum in Italiam. Itineri Ægyptio alia adhuc Orientalia ſubjungit Lactantius lib. IV. Inſtit. c. 2. *Soleo*, inquit, *mirari quod cum Pythagoras, & poſtea Plato, amore indagandæ veritatis accenſi ad Ægyptios & Magos & Perſas uſque penetraſſent, ut earum gentium ritus & ſacra cognoſcerent (ſuſpicabantur enim ſapientiam in religione verſari) ad Judæos tantum non acceſſerint, penes quos tunc ſolos erat, & quo facilius ire potuiſſent.* Videtur Lactantius errori proximus, excuſari tamen

 pote-

poterit, ſi profectionem ad Magos & Perſas de Pythagora intelligamus: nam bella & motus Aſiæ Platonem aditu prohibebant: teſtis Laërtius & Apuleius. Cæterum etiamſi quod Lactantius miratur, Judæos Plato nunquam acceſſerit, partem tamen ſapientiæ ſuæ præſtantiorem alii primarii Eccleſiæ doctores eum ab Hebræis hauſiſſe contendunt. Ipſe Origines l. VI. conſ. Celſ. quæ divine in Phædro ſcripta ſunt, ab Hebræis eſſe opinatur, & hujus generis plura ex Moſaicis voluminibus tranſlata eſſe, alibi arguit. Noſti, Menagi venerande, hanc receptam inter Scriptores ſacros ſententiam eſſe. Ita Joſephus l. 2. περὶ ἀρχαιολ. c. IV. Irenæus l. III. contra Hær. c. 45. Euſebius ſæpe ſed imprimis l. IX. πρεπ. c. 3. & l. XIII. c. 7. Theodoretus l. 2. Θεραπ. Cyrillus l. I. cont. Jul. Ambroſius ſerm. 18. pſalm 118. quibus adde Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Joh. Philoponum in Hexaem aliosque. Hinc eſt quod Plato apud Clementem ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος dicitur primo Stromateωn: Hinc exclamaſſe fertur Numenius Pythagoricus τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων; ut poſt doctiſſimum illum στρωματέων auctorem Heſychius Mileſius & Suidas notarunt Νουμήνιος. De ratione autem qua Moſen intellexerit, alii ſatis incauti parum diſpiciunt, alii diſſentiunt. Euſebius l. c. lectam fuiſſe putat Græcam verſionem aliquam, quæ videtur ipſi ante LXX Interpp. imo ante Alexandri & Perſarum imperia extitiſſe. Huic ſe opponit Auguſtinus l. VIII. de C. Dei c. XI. nam verſionem LXX. primam ducit neque admittit vetuſtiorem, ſed Platonem uti Ægyptias, ita etiam Hebræas literas per interpretem didiciſſe exiſtimat. Ambroſius videtur voluiſſe interpretem deſignare. Credit enim Jeremiam Platoni peregrinanti notum, imo familiarem fuiſſe, deceptus puto quia forte legerat de Platonis itinere ad Prophetas Ægyptios. Eandem opinionem Ambroſii ſui gratia fovebat aliquandiu Auguſtinus. l. 2. de Doctr. Chriſt. c. XXVIII. Sed huic magna tandem ratione renunciavit, ut diximus. Ipſa tempora errorem detegunt facile condonandum viro ſancto & profecto leviſſimum, ſi inter minorum gentium turbam ſtuporem hominum aliquot novitiorum advertas, Hieronymum Donzellinum intelligo ejuſque ſuffragatores, qui opera etiam & ſtudio Philonis Judæi Platonem noſtrum profeciſſe contendunt. λῆροι λήρων. Si diis placet, gaudent ratione: nituntur priori membro jactati inter Græculos proverbii: ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. Quid ineptius? tamen vera eſt in hac ῥήσει pars poſterior. Fuit enim Philo Platonicæ doctrinæ ſtudioſiſſimus. Ut ſecundus Plato diceretur. Hieron. Epiſt. ad Magnum: *Quid loquar de Philone, quem vel alterum vel ſecundum Judæum Platonem Critici pronunciant.* Vide etiam Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 2. c. IV. Sed hoc eſt extra oleas. Iſtius modi fabellis Hiſtoria inprimis Platonica varie contaminata eſt vitio quorundam Chriſtianorum, qui ex Academia profecti tantum ſibi indulſere, ut Platonem ingratiis ſuis Chriſto addicerent. Confictum eſt anile ſomnium, ut ſummo eum pretio Chriſtianiſmi donarent, quod refert Nicetas in orat. Nazianzeni: & Anaſtaſius Sinaita in ὁδηγῷ quæſt. III.

Pag.

Pag. 191. μίξιν τε ἐποιήσατο τῶν τε Ἡρακλειτείων &c. Similiter Apuleius & Heſychius, qui totum locum iiſdem verbis tranſcripſit ut pleraque alia. Huc conferri poterunt Ariſtoteles l. 1. Metaph. c. VI. Tatianus πρὸς Ἑλλ. §. v. Proclus in Tim. & imprimis Photius inter Excerpt. Pythag. Notum eſt Epigramma elegans ex Anthol. Σωκρατικῷ Σάμιον κέρασαι &c. quod Latine olim expreſſi:

Socratico Samios miſcens cratere ſapores,
Optima laudandi teſſera diſſidii:

P. 193. ὅ γε Ἐπίχαρμος περὶ τῶν αἰσθητῶν καὶ νοητῶν ἐναργῶς εἴρηκεν. Epicharmi elegantiſſimis verſibus diligentiam inſignem adhibuere Scaliger & Caſaubonus. Non autem diſſentiendi libidine a viris omni laude mea majoribus, ſed unius veritatis ſtudio expungendas eſſe cenſeo correctiones, quæ videntur ipſam Epicharmi ſententiam evertere. Primis quinque verſibus de rerum naturalium principiis agit. Eorum ſecundo obtruſa eſt negatio contra ſenſum, contra libros veteres. Legunt enim:

Τάδε δ' ἀεὶ παρεσθ' ὅμοια. οὐ διὰ δ' τῶν αὐτῶν ἀεί.

Vulgo abeſt οὐ. nec dubitandum eſt quin abeſſe debeat. Loquitur Epicharmus de Diis ſuis. Noſti autem Deos Epicharmi ex Menandri verſiculis:

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς Θεοὺς εἶναι λέγει.
Ἀνέμους, ἥλιον, γῆν, ὕδωρ, πῦρ, ἀστέρας.

Hæc æterna rerum elementa, hos Deos, hæc principia abſque principio affirmabat. Eandem Empedocles opinionem profitebatur], ſed plura iſte non advocabat niſi illa pervulgata & nota quatuor: Δία μὲν τὸ πῦρ λέγων, Ἥρην δὲ τὴν γῆν, Ἀϊδωνέα δὲ τὸν ἀέρα, Νῆστιν δὲ τὸ ὕδωρ καὶ ταῦτα, φησιν, ἀλλάττόμενα διαμπερὲς οὐδαμοῦ λήγειν, ὡς ἂν ἀϊδίου τῆς τοιαύτης διακοσμήσεως οὔσης. Laert. Emp. & Cic. 1. de Nat. Deor. *Empedocles autem multa alia peccans in deorum opinione turpiſſime labitur. Quatuor enim naturas, ex quibus omnia conſtare vult, divinas eſſe cenſet.* Vides Empedoclem & Epicharmum, ipſius Pythagoræ auditores ſententiam ab omni Pythagorica ſchola alieniſſimam uno propemodum ore docuiſſe, nam certe conveniunt, & parum abeſt quin inducar ut ipſum etiam Epicharmum inter deos primarios non plura, quam eadem recepta quatuor principia agnoviſſe exiſtimem, quamvis ἀντὶ τοῦ ἀέρος circumlocutione poetica Menander ἀνέμους, ἥλιον, ἀστέρας nominaſſe videatur. Uterque conſentit de naturarum, quas immane quantum extollunt, æternitate; eas ſemper ſimiles fore: abſque ortu, abſque interitu omnis penitus mutationis expertes eſſe. Hoc eſt quod primo alteroque verſu intelligit Epicharmus.

Ἀλλ' ἀεὶ τοὶ Θεοὶ παρῆσαν, ὑπέλιπον δ' οὐ πώποκα.
Τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια: διὰ δ' τῶν αὐτῶν ἀεί.

Si cum negatione accipias membrum poſterius, ut viri docti contendunt, Epicharmo invito tota extinguetur ſublimium naturarum æternitas. ô miſelli! ô impotentes Dii! ſi dependeant aliunde! quod enim non per ſe, ſed virtute

 aliena,

alienæ, exiſtit, obnoxium eſt mutationibus, neque ſibi ſemper ſimile eſſe poterit. Fontem fruſtrationis videre mihi videor ſequentem verſum fuiſſe: neque enim alium poterunt viri ſummi fundum habere correctionis ſuæ quam quod poeta ſubjiciat, Chaos primum fuiſſe Deorum omnium. Hoc intelligebant dixiſſe, tantum ut Deorum ſuorum originem ex rudiori illa inertiſſimaque materia petendam eſſe oſtenderet. Quod ſi verum eſt, nequaquam ex ſeipſo prodiere, ideoque legendum erit, potius, ὄυ διὰ τῶν αὐτῶν ἀεί. Sed omnino falſa eſt ὑπόθεσις: totam explicationem ab ipſo ſenſu Epicharmi quam longiſſime remotam eſſe deprehendo. Dixerat de æternitate & præſtantia Deorum ſuorum. Supereſt ut eludat amoveatque obſtacula quæ videbantur officere. Hinc magna ratione in examen vocatur:

Ἀλλὰ λέγεται μὰν καὶ χάος πρῶτον γενέσθαι τῶν θεῶν.

Non doctrinam ſuam, ſed quæ hanc deſtruebat, objectionem aliorum proponit ut nimirum explodat. Quod videtur egregie præſtitiſſe verſu quarto, quem audacia adhuc longe infeliciori tractatum eſſe doleo. Ita plerunque homines ex uno errore delabimur in alium nunquam meliorem. Invenio apud Caſaubonum:

Πῶς δέ; κ' ἀμάχανον γ' ἀπὸ μηδενὸς ὥστε τι πρῶτον μόλοι.

Nemo eſt qui non videat agi adhuc de Chao: Hoc eſt illud ἀμάχανον quod Ovidius Latine dixit *indigeſtam molem*. Vellem autem explicaſſet ὁ πάνυ rationem emendationis ſuæ. Scilicet quia putabat ex ipſa mente Epicharmi eſſe, quod verſu antecedenti dictum erat, Chaos primum fuiſſe Deorum aliorum; hinc lectionem ſuam confecit κ' ἀμάχανον γ' ἀπὸ μηδενός. Nam ſi primum eſt Chaos, certe non poteſt eſſe κ' ἀμάχανον ἀπό τινος, quod in vulgatis impreſſum eſt. Sed qua nobis ratione perſuadebit, Epicharmum exiſtimaſſe, ante Deos omnes, ante omnes naturas primum extitiſſe Chaos? Ipſe Epicharmus hæret: quærit, miratur qui primum eſſe queat. Non ergo conceſſit. Dicam audacter, ſomniavit ſi conceſſerit. Quid enim hoc eſſet aliud quam cucurbitas pingere? Tanto affectu Deorum ſuorum æternitatem commendamat, eamque confeſtim eodem impetu evertit funditus! Cras credam, hodie nihil! Terram, ignem alioſque Deos ſuos ſemper extitiſſe profitetur: an ergo ex animi ſententia dictum putabo, primum fuiſſe Chaos? Abſurdum eſt! nam neque terra neque ignis erat, quando immenſum ineffigiatumque illud occuparat omnia. Quare cum Epicharmus non admittit eorum doctrinam, qui primum eſſe Chaos contendebant, nullo argumento nituntur emendationes viri doctiſſimi. Interea ſuo quemque ſenſu abundare facile patior: religio mihi eſt ad libidinem diſpungere aut mutare vulgatam lectionem, quæ ſana & perſpicua eſt. Lego itaque meliori tantum ordine.

Πῶς δέ; κ' ἀμάχανον ἀπό τινος. Μηδὲν γ' ἔ τι πρῶτον μόλοι.

Reſpondet ad objectionem quæ naturæ æternitatem negabat. Qua, inquit, ratione primum eſſe poterit Chaos veſtrum? Ipſum Chaos ab aliquo ortum eſſe oportet. Nihil poterat reponi accuratius. Rationes facile in

promptu

promptu erunt cogitanti. Fatentur omnes ab æterno extitiſſe quod non ortum eſt ab alio. Sed Chaos nunquam æternum fuit: quia quod ab æterno eſt, mutari non poteſt, tantum abeſt ut deleatur. Chaos autem ſi non extinctum, omnino mutatum eſſe deprehendimus. Ergo aliquando ab aliquo ortum eſſe oportet. Cæterum ipſi etiam qui naturalium rerum primam eſſe Chaos materiam opinantur, niſi ludunt verbis, aliquid admittunt, quod antiquius, quod majus & præſtantius eſt ipſo Chao. Anaxagoras primus videtur fuiſſe auctor ſententiæ de confuſa iſta materia: nam ipſius ὕλην nihil eſſe aliud cenſeo quam Chaos Poetarum phyſicorum. Cicero l. 2. Acad. Quæſt. recenſet Philoſophorum diſſenſionem in rerum principiis: *Anaxagoras*, inquit, *materiam infinitam ſed ejus particulas, ſimiles inter ſe; minutas eas, primum confuſas, poſtea in ordinem adductas mente divina.* Ita lego & diſtinguo: vulgo inepte, ut oſtendam alibi Ἀναξαγόρας πρῶτος τῇ ὕλῃ Νοῦν ἐπέστησεν ἀρξάμενος οὕτω καὶ συγγράμματος. --- Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ. εἶτα Νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε. Laert. Ἀναξ. Νοῦς Anaxagoræ Deus efficiens aut *mens divina* eſt, ut Cicero interpretatur. Vides ergo ex ſententia Anaxagoræ Deum potius quam ipſum Choas ab initio fuiſſe. Neque aliter Ovidius:

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Quare quia credunt vim & cauſſam efficiendi priorem & meliorem eſſe inerti materia, neceſſario falſum eſt χάος πρῶτον γενέσθαι τῶν Θεῶν: contra ea verum erit ἀμήχανον εἶναι ἀπὸ τίνος. Ut tanta ſententiæ adverſæ abſurditas facilius appareat, quia contraria juxta ſe poſita magis magiſque eluceſcunt, ad doctrinam ſuam Epicharmus revertitur, eamque comprehendit totam verbis pauciſſimis: Μηδὲν γ' ὅ, τι πρῶτον μόλοι: quæ pari pondere reſpondent ſuperioribus: ἀλλ' αἰεὶ τοὶ Θεοὶ παρῆσαν. Si enim naturæ ſunt divinæ, ſi principia æterna ſunt, ſi fuere ſemper, negari non poterit quod adjungit: nihil primum eſt ortu: nulla res eſt quæ primum prodiit. Sed hæc ῥῆσις laborat inſigni ambiguitate: poterat aliquis argutari: ſi nihil primum eſt quod extitit, facta eſſe omnia ex nihilo. Hanc animo prævideràt cavillationem Epicharmus noſter, *vafer ille Siculus*, ut eum appellat Cicero lib. 1. Epiſt. XIV. ad Attic. erat enim *homo acutus nec inſulſus* ut laudatur lib. 1. Tuſc. Quæſt. Ergo ab hac etiam parte ſtudioſius cavit & plane omnem eripuit aculeum hominibus nihili. Ecce verſum:

Οὐκ ἄρ' ἔμολε πρῶτον οὐδὲν, οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον.

Prioris membri ſententiam intelligo: quia in rerum natura nihil primum fuiſſe ambigue dixerat, verborum ſuorum ſenſum exponit, ſe omnino improbare opinionem eorum, qui nihil tanquam principium aliquod conſtituunt, ex quo omnia exiere. Sed quid eſt poſterius, οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον? Friget niſi me animus fallit. Si enim primum non eſt a nihilo, multo minus ſecundum erit. Quis ignorare illud potuit? Non videtur tradidiſſe adeo otioſa. Legendum eſſe arbitror: καὶ μετὰ Δία δεύτερον. Lapſu facili librariis οὐδὲ μὰ natum eſt ex καὶ μετὰ. Epicharmum aliter non ſcripſiſſe ipſe ſenſus convincit. Non tantum in noſtris ſacris docemur omnia a Deo creata eſſe ex nihi-

lo. Fuere etiam ἐν τοῖς ἔξω inter Philoſophos veteres, qui plane idem exiſtimabant. Sed prolixè hanc doctrinam poſt multos alios oppugnavit Lucretius initio doctiſſimi operis. Conferemus caput diſputationis cum Epicharmo:

Principium hinc cujus nobis exordia ſumet,
Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.

Unum idemque intelligo quod verbis tantum aliis Epicharmus dixit: οὐκ ἔμολεν οὐδὲν μετὰ Δία δεύτερον. Si aliquid ex nihilo divinitus creatum eſt, Deus primus erit; illud autem quod nihil eſt, ſecundum exiſtet poſt Deum: id eſt μετὰ Δία δεύτερον, quod negavit Poeta phyſicus, quia *nihil turpius phyſico eſt, quam fieri ſine materia quicquam dicere.* Hæc ſunt quæ ad locum non obſcurum adeo quam depravatum ipſe non abſque faſtidio notavi. Odiſſe ſoleo omne genus σπερμολόγων, tamen neſcio qua fortuna invito mihi plura exciderint quam animo conceperam. Eodem ſucceſſu, dum Græcos quinque verſiculos paulo diligentius expendo, totidem, ſeſe Latini obtulere ἐμοῦ γε μᾶλλον ἢ ἀκριβῶς. Non diffitebor, ægre iſtiusmodi aliquid ad te tranſmitto ſummum poetam, qui veterum & venuſtiorum poetarum lectione tritas aures habes, tamen tanti non ſunt infelices & leviſſimi Jambi ut excuſari mereantur. Accipe ſed primum ipſos Græcos:

Ἀλλ' ἀεὶ τοὶ Θεοὶ παρῆσαν; ὑπέλιπον δ' οὐ πώποκα.
Τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.
Ἀλλὰ λέγεται μὰν καὶ χάος πρῶτον γενέσθαι τῶν Θεῶν.
Πῶς δέ; κ' ἀμάχανον ἀπό τινος. Μηδέν γ' ὅ τι πρῶτον μόλοι.
Οὐκ ἄρ' ἔμολέ γα πρῶτον οὐδὲν, οὐ μετὰ Δία δεύτερον.

Erantque ſemper Dii: neque ullo defuere tempore:
Similesque ſunt ſemper: ſua virtute ſe ſemper fovent.
Sed primus extitiſſe dicitur deûm deus, CHAOS.
Hem qui? Chaoſque ipſum eſt ab altero. Nihil primum fuit.
Neque hinc NIHIL *primum eſt quod ortum; neque ſecundum eſt a Jove.*

Plura non addo ut patientiæ tuæ rationem habeam. Neque enim potero niſi ingrata maximeque trita & vulgaria conſignare omni deſtitutus meliorum librorum contubernio, negotiis accuratiorem diligentiam interpellantibus. Omnia humaniori cenſuræ tuæ ſubmittere conſtitui. Deleas, damnes ex arbitrio, non intercedam. Leviſſima jactura eſt tantillæ operæ. Quod ſi vero juſſeris ut conficiam quæ cœpta ſunt, enitar ut ſaltem breviora quamprimum habeas: te volente, non ſubterfugiam laborem inglorium & periclitari malo opinionem eruditionis quam fidem obſervantiæ erga te meæ: Vale. Lutetiæ Pariſior. XVIII. KL. Majas CIↃ IↃC LX.

ÆGI-

ÆGIDIO MENAGIO S. D.

Marquardus Gudius.

QUæ de Conno Socratis præceptore Muſico accuratiſſime notaſti, ſingulari animum meum voluptate excitatum ad memoriam revocavere Draconis Athenienſis & Metelli Agrigentini. Neque enim obſcura nocte involvi debent viri artis ſuæ præſtantiſſimi, qui Platoni fuerunt, quod Connus Socrati. Deſiderabas fundum & auctorem aſſertionis meæ. Didici ex Plutarcho l. de Muſ. πάνυ γὰρ προσέσχε τῇ μουσικῇ ἐπιστήμῃ Πλάτων, ἀκουστὴς γενόμενος Δράκοντος τοῦ Ἀθηναίου, καὶ Μετέλλου τοῦ Ἀκραγαντίνου.

Biantis præcepta, quæ imprimis arridebant, Laertius notavit: Ἀστοῖσιν ἀρέσκεπᾶσιν ἐν πόλει αἴκε μένης. Extrema verba corrupta eſſe omnes animadvertimus. Vir Doctiſſimus ſcribendum arbitratur ἐν πόλει ἅ κε μένης. Quaſi vero οἱ ἀστοὶ alii eſſent, quam οἱ ἐκ τῆς πόλεως ἅ κε μένης! Dixerat ἄρεσκε ἀστοῖσιν. jamque facile intelligimus iis quam maxime ſtudendum eſſe, quibuſcum in eadem civitate habitamus. quid hac ergo ταυτολογίᾳ opus eſt, præſertim in iſtiusmodi γνώμαις, quæ quam breviſſime formari ſolent? Duæ diverſæ non inelegantes ſententiæ in unam coaluere librariorum incuria. Diſtinguendum & mutandum eſt leviter: Ἀστοῖσιν ἄρεσκε πᾶσιν. ἐν πόλει ἀεικεῖ μένης. *Civibus omnibus placere ſtudeas: In civitate deformata & afflicta maneas:* Πόλις ἀεικὴς eſt quæ fortunæ ſuæ diſſimilis aliquando incommodis laborat ſeſe ex tranſverſo offerentibus. Hanc in fortuita calamitate non deſerendam eſſe, ſapienter admonuit. Ita enim eſt ut *adverſa res acrioribus ſtimulis animum boni civis explorent.*

Ipſa amicos res opimæ pariunt; adverſa probant,

inquit P. Syrus. Egregie Cicero: *facile dijudicatur amor verus & fictus, ſi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit.* Quare ratio maxime apposita, eſt quam adjunxit Bias huic præcepto: πλεῖσταν γὰρ ἔχει χάριν. Verba admodum inertia ſunt, ſi referantur ad iſtud comma vulgatum: ἀστοῖσιν ἄρεσκε πᾶσιν. namque ἀρέσκειν nihil aliud eſt niſi ἔχειν χάριν. Sed præſto eſſe afflictis aut ſaltem quorum in ſocietate fortunate viximus, eorum non ſubterfugere infortunia, non ſe ſubducere communi ſorti, magnam apud omnes gratiam auctoritatemque conciliat. Plenam prudentiſſimo inſtituto ſententiam ipſe Bias exemplo ſuo illuſtravit: Deſtitutam undique oppugnatamque ab Alyatte patriam ſuam Prienen non deſeruit, ſed affuit laboranti, imo induſtria, conſilio, ſapientia magno applauſu medicinam fecit. Hæc omnia veritatem lectionis noſtræ facile oſtendunt.

Piſiſtrati ſapientiſſima & tanto viro digna epiſtola eſt ad Solonem. Expoſita tyrannidis & imperii ratione quantum ex occupato imperio lucrifaciat adjungit: καὶ ὁ τύραννος ἐγὼ οὐ πλέον τι φέρομαι τοῦ ἀξιώματος καὶ τῆς τιμῆς, ὁποῖα δὲ καὶ τοῖς πρὶν βασιλεῦσιν ἦν, τὰ ῥητὰ γέρα. Duo ſunt quæ acquirit.

Piſi-

Piſiſtratus, Honor & ſtipendium. Sed videtur claudicare membrum poſterius. Caſaubonus ἴσα χαίρω aut tale quid deeſſe exiſtimat. Fruſtra! nam leve mendum eſt in priori. Exigua mutatione juvabimus. Non enim φέρομαι, ſed legendum eſt φέρω μοι, *obtineo*, *confero mihi.* Hoc ipſum verbum commodiſſime ducit ſequentia, quæ cæteroqui manca & defecta ſunt. Ergo totam ῥῆσιν ita verto : *Et tyrannus ego non ſumo mihi amplius aliquid quam dignitatem & honorem ; dicta autem & rata ſtipendia , quanta etiam alii olim reges habuere.*

Hæc iterum ex tenacibus latibulis ad cenſuram tuam abire patior majori voluntate quam accuratione, quia præter omnem expectationem meam intelligo non ingrata fuiſſe, quæ ſuperioribus diebus a me miſſa ſunt. Excitaſti ſuffragio tuo igniculos langueſcentis ingenii. Non diſidero applauſum orbis literarii, ſi opellam meam probare tibi potero acerrimo ingeniorum æſtimatori, quem omnium , quotquot vivunt hodie , virtute & doctrina longe politiſſimum eſſe vere mihi videor poſſe contendere. Salve Vir Maxime & inter admiratores virtutum tuarum me admitte. Lutetiæ Pariſ. EID. MAI. CIↃ IↃC LX.

LECTORI. S.

ABſolutis jam omnibus , imo quibuſdam jam diſtractis exemplaribus , hæ literæ ab eodem humaniſſimo Valheberto transmiſſæ ad nos pervenerunt : ne autem tam elegantes & inſigni doctrina referta interirent , eas typis deſcribere & cum orbe literato communicare placuit.

MARQUARDI GUDII
ET
DOCTORUM VIRORUM
AD EUNDEM
EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

AEGIDIO MENAGIO

Marquardus Gudius S. D.

DE Theophraſti libellis quæ privatim notavimus, valde tenuia & tanti non ſunt, ut poſt uberrimam aliorum meſſem in tabulas referri mereantur. Alterutrum τὸν Ἐρωτικὸν, ſive τὸν περὶ Ἔρωτος intelligebat Scholiaſtes Theocriti ad Eid. IV. ubi ex Theophraſto infandum ſcelus Glaucæ Chiæ refert: ἣν φησι Θεόφραστος ἐρασθῆναι κριοῦ. Sed ne quid te celem quod eſt ex ſententia animi mei, mihi valde videtur veriſimile unum eundemque fuiſſe τὸν Ἐρωτικὸν ἢ τὸν περὶ Ἔρωτος. Nam quemadmodum opus περὶ μετάλλων (Harpocrationi κεγχρεῶν ita citatur: Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ Μετάλλων, quod noſti Meurſium non obſervaſſe) alii vocarunt τὸ μεταλλικὸν: & hac tamen ratione minime diverſum eſt: quemadmodum libri μεταρσιολογικοὶ & περὶ μεταρσίων, libri φυτικοὶ & περὶ φυτῶν promiſcue citantur, nihil vero differunt: ita quem Theophraſtus περὶ Ἔρωτος libellum conſcripſerat, alii ἐρωτικὸν appellare maluerunt, nullo rei ipſius diſcrimine. Diverſitas citationis non cautum ſatis Laertium potuit inducere, ut duos diverſos nobis libellos recitaret, quod alias ei accidiſſe jam viris doctis obſervatum eſt. Idem Scholiaſtes ad I. Theocr. v. 115. laudat Theophraſti & Sopatri librum περὶ ἄρκτων φωλεοῖς, quem non puto alium fuiſſe ab illo περὶ τῶν φωλευόντων. Librum περὶ ἡδονῆς tradit Athenæus lib. VIII. etiam Chamæleonti adſcribi: ejuſdem prætérea meminit lib. VI. Egregium opus νόμων ἐπιτομῆς, ut aliquid adjiciam, quod viris doctiſſimis neglectum eſt, meretur. Νόμοι ſæpius ἁπλῶς citantur: ita Joſepho l. I. contr. App. Harpocrationi & Phavorino Ἀρδηττός, Athenæo l. VIII. c. 16. Sed ſimiliter poſt Harpocrationem Phavorinus *tertium* ejus operis citavit

in θεσμοθέται & Ἐφορία, uti *quartum* in κατάχεις. *Decimum* præter Pollucem laudant Athenæus l. x. c. 2. & Harpocration σκαφηφόροι. *Undecimum* Harpocration ἰσοτέλης. *Tertium decimum* idem ὅτι οἱ ἀλόντες. *Sextum decimum.* Idem ἐν Φρεάττοι & ὑποφονία. *Octavum decimum* idem οὐσίας δίκη. Duplex opus φυλικὸν, quod perperam librarii veteres in unum cogebant, generali nomine Apollonius Hiſt. Mir. 16, 29. τὴν περὶ φυλῶν πραγματείαν vocavit. Poſſent ex Apollonio, Harpocratione & aliis argumenta produci, quæ opinionem Meurſii, & in Nicandri Scholiaſte lectionem vulgatam confirmarent. Sed hoc diſputare, leve & ludicrum eſt. Quæ reſtant in hoc catalogo, abſolvam alias. Hæc ſcribebam moleſtis quibuſdam impeditus negotiis, quibus manum nulla ratione poteram ſubducere. Et profecto minutiarum ſatis eſt, quas viris doctis potius neglectas, quam non obſervatas eſſe cenſeo. Salve Vir Clariſſime. Lutetiæ Pariſ. Prid. Eid. Jan. M. IↃC. LXI.

EPISTOLA II.

ÆGIDIO MENAGIO

Marquardus Gudius. S. D.

POllux & Eunapius ad te revertuntur: quicquid ex illis lucrificerim, beneficio tuo acceptum refero: Sed inprimis Eunapii cauſa mirifica eſt. Non ſperabam, quod præſtitiſti propemodum maturius quam promiſeras. O incomparabilem bonitatem tuam, quæ ſtudiorum noſtrorum vota maximo conatu prævertit, ut me beares ex improviſo. Expectas quem fructum ceperim ex diligentia viri doctiſſimi, amici noſtri. Debebam fortaſſe ἐπιχειρεῖν, ne viderer elevare operam admodum præſtabilem. Sed culpa non eſt in labore, quem ſingulari accuratione atque induſtria ſuſcepit Galliæ veſtræ decus illud certiſſimum. Narro tibi, credebam fore, ut ex illo Medicæo codice, cujus vetuſtatem maximam Lucas Holſtenius V. CL. magnopere commendaverat, quicquid in Eunapio deſiderarem, aut emendari, aut utcunque ſuppleri poſſet. Vide nunc, quam me ſpes fruſtretur. Nihil reperio, quod non aut nobis aut aliis obſervatum ſit. Nam Hieronymus Commelinus ex Mſſ. Palatinis meliorem partem illarum emendationum textui iam dudum reddidit. Ea editio in luce atque aſpectu omnium verſatur, & longe integrior eſt primis illis turbidis curis Hadr. Junii: tamen poſt Commelinum adhuc multa, & fortaſſe potiora revocavi ex recentioribus quibuſdam manu exaratis codicibus. Unus eſt in Bibliotheca Regia: alter olim fuit Card. Lotharingii, quem Remis excuſſimus in Abbatia St. Remigii. Ex tertio Eminentiſſimi Card. Barberini variantes lectiones manu L. Holſtenii deſcriptas habeo. Omnia, quæ Florentinus codex ſive bona, ſive mala ſuppeditat, jam notaveram ex iis tribus libris, ut propemodum ex eodem fonte promanaſſe videantur. Interea, Menagi præſtantiſſime, tuæ me multum debere benevolentiæ profiteor: etiamſi nihil aut parum profuerit, nihil detrahetur pretio pulcherrimi laboris; ita vivam, non peribit vobis illa ſingularis προθυμία honeſtiſſimis conatibus meis favendi. Utinam Emericus Bigotius intelligeret, quam ardenti ſtudio memoriam

ſer-

ſervem virtutum ejus maximarum, quibus nos in Germania mirum in modum capiebat. Ex eo tempore ſemper animæ tam ſublimis amicitiam in felicitatis meæ maxima parte poſui. Sed ornatiſſimo viro propediem illuſtrius pietatis meæ teſtimonium dabo. Salve, Menagi ſapientiſſime, & me ama. Lutetiæ Pariſ. a. d. VIII. Kal. Mart. CIƆ IƆ CLXI.

EPISTOLA III.
NICOLAO HEINSIO,
Marquardus Gudius. S. D.

ACcipis libellum, cujus mentionem feci. Unum exemplum ad te defero, amicum primarium & incomparabilem, mearum grande decus columenque rerum. Rogo autem te, velis curam ſuſcipere, ut amicis noſtris, quorum nomina adſcripſi, cætera exemplaria quamprimum tradantur. Nihil mihi gratius facere poteris. Si tenuitatem operis averſamini, pietatem meam intelligite, qua benevolentiam veſtram demereri ſtudeo. Una eſt vitæ meæ voluptas meritorum veſtrorum memoria: in amicitiis tam illuſtribus vivere & mori cupio. Vale, vir ſapientiſſime, & me ama. Lutetiæ Pariſior. prid. Kal. Martius CIƆ CLXI.

EPISTOLA IV.
MARQUARDUS GUDIUS
Camillo Peregrinio. V. CL. S. D.

NOn commodo ſatis tabellarius, tamen longe jucundiſſimum eſt, quod utramque epiſtolam tuam uno eodemque tempore reddiderit: nam prioris magno meo cum dolore jacturam videbat feciſſe: alterius nulla expectatio fuit. Noli quærere, quam mihi probaveris tam ſingulare officium tuum. Non vivam, ſi quidquam eſt rerum mortalium, quod majori me voluptate perfuderit. Munus tuum pretioſius eſt, quam vulgus credat, & profecto egregio conſilio in conſervandis ejuſmodi monumentorum reliquiis operam feliciter collocaſti: accurationem laude mea majorem admiror, tuamque de literis bene merendi immenſam alacritatem in cœlum extollo. Utinam Italia ex meo ſenſu pretium poneret ingenio tuo! nunc quod omni deſtituta patrocinio virtus & doctrina injuriis petulantiſſimorum hominum exponatur, quod immortalium in patriam meritorum tuorum ratio non habeatur, ea vero ætatis infamia parum abeſt, quin mœrore & cruciatu me conficiat. Cæterum quia rebus tuis ex hac animi mei ægritudine parum afferri video ſolatii, ſi quid putas a nobis in minuendæ ſpem moleſtiæ proficiſci poſſe, rogo te atque obteſtor, aliquam velis viam detegere, ut re potius quam verbis incommodo tuo medeamur. Oſtendebas Capuæ inter alios urbis veſtræ vetuſtos lapides, Inſcriptionem ſatis prolixam, in poſte ædium privatarum, quam, quia nobis e veſtigio liberaliter pollicebare, non deſcripſimus; quare a te peto, hominibus

minibus amiciſſimis hanc pergas operam præſtare, ut quidquid eſt illius monumenti ad nos, quod commodo tuo fiat, quamprimum tranſmittatur. Gratiſſimum foret, ſi quædam alia ejuſdem argumenti ἀνέκδοτα accederent, ſed comitate & patientia tua abuti non debeo. Nos ex hac urbe proficiſci Florentiam conſtituimus initio menſis ſequentis. Romanum Amphitheatrum magna cum cura inſpeximus, ſed in eo paſſim manifeſta & certiſſima veſtigia reperiuntur lapideorum graduum, quos fama eſt olim marmore coopertos fuiſſe. Si quid ergo ſuſpicari liceat, in veſtra illa marmorea & magnificentiſſima mole gradus potius marmorei quam lignei fuere: Sed id quicquid fuit marmoris, quia minori labore a tanto corpore amoveri poterat, ingruente barbarie & ſpectaculorum contemtu, confeſtim in alios uſus translatum fuiſſe exiſtimo. Non ſatis perſpicio quædam verba in collectione illa inſcriptionum tuarum, neſcio an oculi me fallant. Lapis eſt poſitus M. CAMPANIO cuius extremas lineas apponam:

TRIB. COH. PR. HEMESEN
PRAEF. COH. III. BREVCOP
. . . . . . NCIA CYPRO

Si bene legi, non capio quid rei ſit: HEMESEN, quid alterum illud BREVCOP. quibus de verbis ſententiam tuam intelligere aveo. Obſcurum eſt in inſcriptione L. COMINII, fueritne ſcriptum A. F. LICI OSTORI, an AELICI OSTORI. quid, amo te, monſtroſi nominis eſt *Ælici Oſtori*. Fortaſſe non magis notum aut uſitatum, quam illud alterum, ALFIVS IVDA ARGON ARCOSINAGOGVS, de quo ſi quid obſervaveris, velim libenter, ut ad me perſcribas. Alia inſcriptio variis nominibus libertorum in margine exhibet ab una parte: IOVI SACR. ab altera: HANC ARM ——. hæreo primum in illo DEALBI, dubius NEQUIS DEALBI an ſit, *dealbet*. deinde aliquid ſuavitatis habet cognoſcere, quo in loco voces illæ poſitæ fuerint: num in anteriori facie cum ipſis libertorum nominibus, an vero in utroque latere lapidis. Sed hæc minuta ſunt, quæ tamen niſi moleſtum eſt, ut me doceas, vehementer a te contendo. Vale, Vir clariſſime & me ama. Romæ. Prid. Non. Majas. CIↃ IↃC LXII. Contubernalis meus te perquam officioſe ſalvere jubet.

EPISTOLA V.

D^{no}. BENEDICTO MELLINO

Marquardus Gudius. S. D.

Libros tuos magna cum voluptate legi, incredibili curioſitate, variaque ac ſingulari eruditione conſcriptos. Sed eos hac conditione reſtituo, ne diutius premas: nam ſi tu velis, quæ tua modeſtia eſt, laboris induſtriæque præmium negligere, nobis amicis tuis cavendum erit, ne gloriæ tuæ injuriam facias; quare ſi videam te nolle, ego quem plurimis iiſque non vulgaribus officiis in amicorum tuorum numerum allexiſti, operam dabo ut propediem, quæ

tuis

tuis in ſcriniis detines, publice legantur. Hæc candide & libenter enuncio, ut terrorem tibi incutiam, niſi matures editionem. Adjungo catalogum librorum quorundam, quos vellem Florentiam mittere. Ipſe nobis in hoc negotio operam tuam pollicebare, ideoque etiam atque etiam a te peto, velis, quamprimum fieri poterit, libertatem libris noſtris impetrare. Sed prius quam ad inquiſitorem deferatur, opus eſt, quod abſque incommodo tuo fiat, ut indicem ipſe perlegas, & ſi quid occurrat, quod forte poſſet offendere, audacter deleas. Nihil nobis gratius facere poteris. Vale, vir doctiſſime & me ama. Romæ. prid. KAL. Julias CIↃ IↃC LXII.

EPISTOLA VI.

EZECHIELI SPANHEMIO

Marquardus Gudius. S. D.

NOn credas quam mihi moleſtum acciderit, quod paullo tardius in manus meas pervenerint tuæ litteræ, quibus videris voluntatis erga te meæ voluiſſe periculum facere. Ego vero gaudio exultarem: diuque nihil velim libentius quam tuæ in ſpem gratiæ quidquam præſtare, quod egregiæ tuæ benevolentiæ reſpondeat. Doleo tamen, quod eam quam oſtendis officii mei declarandi occaſionem, ingratis cogar e manibus dimittere. Ea eſt anguſtia temporis, ut circumſpicienti mihi non occurrat, qua potiſſimum via, quod petis, queam tuto curare, jamque ad vos tabellarius diſceſſum parat, & vix tres horæ ſunt, quod tuas mihi reddiderint ὁι ἐκ τῶν βερδέως σπουδαίων. Interea temporis mercatorem domi non offendo. Quicquid nobis rationum cum illo homine intercedebat, ſubductis calculis nuperrime confecimus; itaque diſſolutis, quas debebat, pecuniis nihil tenetur ulterius; tamen credo, ſi nobis quærentibus fuiſſet obvius, non denegaſſet operam. Neapoli neminem novimus, qui mei contubernalis ſponſioni fidem tribueret. Sed ſpero nihil neceſſe eſſe amplius laborare de reſarciendo damno tuo, quod Deo Opt. Max. curæ fuerit avertiſſe; credo potius incolumem ſuperaſſe te difficultates minaſque infeſtorum itinerum. Dii viarum præſides, quibus pro ſalute tua votum feci, a perditiſſimorum hominum petulantia tutum te præſtabunt. Ἔρημος ὢν ὁ ξένος ἑταίρων τε καὶ ξυγγενῶν, ἐλεεινότερος ἀνθρώποις καὶ Θεοῖς. Sed quorſum hæc φιλοσοφήματα? Ego omnia de te ſatis fauſta & proſpera auguror: tamen ſi quid in itinere præter omnem opinionem ex tranſverſo evenerit, quod ope noſtra putes corrigi aut emendari poſſe, quicquid in manu mea eſt auxilii, quod perexiguum eſſe ſentio, tuis commodis conferre non detrectabo, ut intelligas minime periiſſe tibi fiduciam, quam de mea ſingulari in te pietate concepiſti. Vale, Doctiſſime Spanhemi. Contubernalis meus te officioſiſſime ſalutat. Scribebam pede ſtans in uno, Romæ CIↃ IↃC LXII. IV. EID. SEPT.

Epistola VII.

Nicolao Heinſio

Marquardus Gudius. S. P. D.

SPerabam propediem itinerum noſtrorum, aliarumque ex locorum oportunitate naſcentium occupationum æſtu compoſito, aliqua cum tranquillitate in quandam veluti ἀπραγόπολιν incidere, ut omnibus de rebus, quas ex hac mea profectione tibi potiſſimum arbitrarer aut uſu, aut voluptati fore, animo ſoluto integram fabulam copioſius diligentiuſque in ſinum tuum effunderem. Hac vero in urbe an ex voto vacare tam jucundo officio poſſim, libenter tuo ſenſui & judicio permittam: plurimis enim circumſeptus anguſtiis in mira quadam diſceſſus maturandi neceſſitate, quicquid temporis ex itinere decedere patior, quod pace tua dictum velim, non exiſtimo rectius, quam aut urbis genio, aut quod primo loco ponere debueram, Optimi Maximique Ducis nunquam ſatis laudato ἀμαλθείῳ impendi. Hoc te non fugit, Heinſi ampliſſime, quem novimus loci ſanctioribus illecebris longiſſimo tempore pertinaciter inhæſiſſe, & propterea qui conatibus meis faves, præſentiumque rerum occaſionem optime omnium intelligis, adhuc differendæ paululum ſcriptionis veniam non opinor negares: tamen, quod mei agnoſco officii pridem fuiſſe, poſteaquam mearum quarundam rerum expectatione trahi te atque impediri, ſummo cum dolore animi monerer, temperare mihi non potui, quin ſi minus, quemadmodum volebam, prolixe, tuo ſaltem deſiderio aliqua ex parte ſatisfacerem. Bituricenſis itineris noli magnos ſucceſſus expectare; neſcio quid omni mea contentione præſtiterim, & fortaſſe nimis ſingulari ſpe proficiſcebar: tamen tuum eſt decernere, an, quod mihi quidem videtur, ὁ πολλῶν γραμμάτων πνέων κάπνους, bonus ille Biturix fumos nobis vendiderit: nam cum maximam adhibere me diligentiam videret, ut quas penes ſe aut alios latere tibi adfirmarat, Cujacianas collationes quocunque modo conſulerem; ibi ille confundi ſtatim, aliaque omnia proferre, & de quibus quærebam maxime, ille maxime ſubterfugere. Gellii Cujaciani ne meminiſſe quidem ſe ajebat: Valerium Maximum manu Cujacii ad fidem antiqui libri caſtigatum Lutetiæ adſervari: Claudianum cum quibuſdam aliis Cujacii libris Aurelias migraſſe: in toto oppido nullum ejus poetæ calamo exaratum codicem extare. De ceteris nihil mihi videre contigit, niſi vulgata quædam aut admodum tenuia: tamen tuæ expectationi mirum in modum geſtiebam aliqua ratione operam meam probare. Itaque, quem præcipue quæſitum acceſſeram, Claudianum fugientem perſequi & ſuſpenſo itinerum noſtrorum curſu retro pedem referre tædio non fuit; quid putas, Amice magne? Aurelias reverſus quem magnæ felicitatis duxiſſem potuiſſe inſpicere, libellum illum editionis Iſingrinianæ pretio precibuſque homini extorquebam; velim tamen parce gaudeas. Superum voluntas favit, ſed fato invido; non dubium quidem eſt, quin liber olim fuerit Cujacii, tamen quæ margini ſunt additæ lectiones, ex litterarum ductu & forma negant,

negant, eas τὸν πάνυ ſcripſiſſe: mihi quidem non videntur talis viri ἀκρίβειαν præ ſe ferre: neque enim omnes, quod fieri intererat, ſed paucas ſcripti alicujus, & fortaſſe Cujaciani, codicis diverſitates exiguo dilectu ὁ δεῖνα excerpſit; quid de iis ſtatuendum ſit, primo intuitu videbis: in quibus, quanquam propemodum nihil diligentiæ tuæ ſupereſſe intelligam, quod aut ſuaviſſimo Poetæ queat prodeſſe, aut curas tuas ornatiores efficere, tamen ne propterea ſecundæ editioni manum diutius ſubtrahas, mittto omnia & fidem meam libero: tuus eſt ipſe liber, tibique ſervabitur & oblata occaſione, quocunque juſſeris, ad te deferetur; interea ne judicio tuo importunus intercederem, curæ mihi fuit in notulis tranſcribendis nihil aut mutare aut omittere. Optarim meliora conferre propoſito tuo, & jam diu tuis ſuccurrendi laudatiſſimis laboribus incredibili cupiditate ardeo. Sed nihil neceſſe eſt meorum conatuum rationem explicare: quid enim ego me oſtentem, qui ſi vitam tuis commodis impendam, nullam partem confitear meritorum tuorum diſſolvi. Non tardabo ſtatim atque ex his fluctibus aliquem me in portum recepero, alia nonnulla ſubmittere, quæ meam in mandatis tuis perficiendis fidem atque induſtriam teſtentur, ut fructus aliquis peregrinationis meæ in te præcipuum auctorem redundet. Naſoni tuo inprimis mirifice faveo & omnia cupio præſtare; quis autem non cupiat ingenioſiſſimo poetarum? tui præſertim cauſa ne minimam quidem aliquid in eum conferendi occaſionem prætermiſerim: tamen me ab omni conatu propemodum deterruiſti ſecundis curis, quas tuo nomine mihi reddidit Carolus Datus Vir inluſtris tuique amantiſſimus. Niſi nobis divina quadam virgula moneri contingat, vehementer dubitem, an hodie membranæ queant reperiri præſtantiores iis, quibus te oſtendis uſum fuiſſe. Debeo interim comitati tuæ, & gratiſſimum munus quotidie in oculis fero: non credas quam ſingulari me voluptate adficiat: ubique nitent in laboribus tuis intermixtæ puriſſimo auro gemmæ pretioſiſſimæ. Sed nimis liberali manu theſauros diſpenſas: non contentus Naſoni admirabilem medicinam feciſſe, innumeros omnis generis optimorum auctorum, aut intactos aliis, aut deſperatos locos pari ſolertia reſtituis. Dicas mihi, quo tandem artificio tot κειμήλια potuerint tam parvo libello comprehendi. Ex tribus paginis tuarum notarum Salmurienſis magiſter ſexcentas epiſtolas conſueret. Noſti hominis φλυαρίαν. parum abfuit ſuperiori anno, quin nimia ſua loquacitate me funditus perdidiſſet; & jam mei me pudebat; quid enim? Semper ego, inquam, auditor tantum? ilico repoſui verſiculos lepidiſſimi poetæ:

Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi?

Hinc plenis velis in malignæ ſuſpicionis temeritatem invectus, quibus potui, verbis durioribus rationem cæpi exigere atrocis & barbari facinoris, quo venerandi Parentis tui ſanctiſſimos manes petulanter violavit. Ille ſe excuſare & tandem pœnitentiam erroris fingere; quid interea conſtituerit, neſcio. Si pergat moleſtus eſſe, rogo te ſilentio dignitatem tuam vindices, & obtrectatorem inter cathedras puero-

puerorum plorare jubeas. Satis habet domi, quibuſcam pugnet, homo cetero-quin eruditus, ſed intemperans & ſui confidentior, quam ferri poteſt: quam ſunt inanes ad Phædrum conjecturæ, in quibus nihil ſani reperio; miſere omnem operam luſit ibi ὁ κεράκλης. Si quis mihi fidem non habeat, loquatur Phædrus ipſe:

---- Materia tanta abundat copia,
Labori Faber ut deſit, non Fabro labor.

Inſpice locum, & ridebis præſagientis ſibi ſuaviſſimi Fabulatoris venuſtum oraculum; non indigna eſt ἐπιγραφὴ quæ curis Salmurienſibus præfigatur. Hoc inprimis non poſſum exputare, quo judicio Rigaltianam tertiam editionem typis repeti curaverit. nulla eſt minoris fidei & probitatis. Rigaltius ibi contra veterum librorum auctoritatem locis paulo corruptioribus, aut plane deletis aut frivole mutatis, ſuo arbitratu textum turpiter deformavit peſſimo exemplo, ut lectori ne minimam quidem rationem audaciæ ſuæ redderet. Hujusmodi locus eſt, ut mittam ceteros, initio libri quinti: de quo quæris quid in vetuſtis membranis habeatur. Remenſis codex omnia retinet, quemadmodum Pithœus & alii edidere. Rigaltio nihil hinc ſubſidii, & propterea viſum eſt ei, quod ſanare non poterat, perdito conſilio recidere. Salmaſius ad Lampridium irrito conatu hunc in ſcopulum ruit; tutius fuiſſet ἐπέχειν, & non recordor an in Solinianis exercitationibus meliora adferat. Ejus loci diu eſt quod veterem & veram lectionem inveniſſe me putem, eamque propediem paulo majori otio non verebor ſagaciſſimo tuo judicio ſubjicere. Sed ceteras meas ad elegantiſſimum auctorem tumultuarias obſervationes, quia belliſſima occaſio eſt, quidni libenter te ſuadente cupiam in lucem proferre? Si me rogas, injuriam mihi facis, an neſcis quid in meas res juris habeas? CL. Scheffero quidquid juſſeris, animo libens præſtabo, tamen quod meam voluptatem malo fato impediri ſentiam, auctor non ero Viro doctiſſimo, ut longa expectatione paucarum emendationum optimi ſcriptoris ſalutem trahat; tanti non ſunt, ut melioribus beneficiis bonum publicum fraudare debeant. Remenſium membranarum excerpta nihil propemodum differunt a vulgatis Pithæani libri lectionibus: quare fruſtra ad vos mitterentur. Remis tamen fateor animavit me haud parum præſens codex, viamque ingenio fecit. Scilicet ex diligenti vetuſtiorum litterarum inſpectione ſupra ſpem & vota accendebar; ex eo tempore conjecturas meas tantum abeſt ut augere, ut ne relegere quidem licuerit, quarum aliæ tribus verbis intelliguntur, aliæ paulo majorem curam & lucem exigunt, ne maligno aut parum exercitato lectori negotium faceſſant. Hoc non inficior paucis diebus præſtari poſſe, ſed conſcientiam tuam appello, an probes, ut his in locis notarum leviorum ſcriptioni vacem, & interea temporis breviſſimam optimarum rerum occaſionem e manibus elabi ſinam. Soles occidere & redire poſſunt: Sed hæc meſſis propediem finienda quando nobis redibit? Igitur omnium horarum momentis invigilo, operam poſtea daturus, ut quem laboris fructum feecerim litterarum bono appareat. Ut taceam, quid operæ in tranſcribendis aut conferendis auctoribus quibuſdam poſuerim, non apud te gaudium meum ſimulare debeo, quod veteres ſatis multos bonæ fidei codices liberalibus re-

redemtos impenſis partim Roma & Neapoli, partim Urbino adducamus. Nunc quod ſiti ſemper majori exardeſcam in annoſis ejuſmodi διφθέραις aut eruendis, aut liberandis, nec labori parco nec ſumtui, & ut meam audaciam rideas, in hac emtione Cræſos quoſcunque provoco. Ex iis mittam ad te libros Amorum, opus Metamorphoſeon antiquæ manus, & Faſtorum codices duos, quorum alterum egregia vetuſtas commendat. Duo præterea offero exemplaria Metamorphoſeos Apuleji, quem gaudeo poſt multorum correctorum tormenta in tuas tam ſanctas & ſalutares manus incidiſſe. Hoc ſtatim atque intellexi, quia Spanhemium videbam alia omnia agere, Vaticanum, quem deſiderabas, vetuſtum codicem cæpi admodum diligenter indagare, ſed magno cum dolore meo, nuſpiam occurrebat. Gronovii noſtri & Livium, & Statium & Senecas pari beneficio meorum librorum demereri potero. Livium præcipue non uno nomine, cujus tertiam decadem integram, & primæ majorem partem manu bona & antiqua exaratam non potui ferre malleis χρυσοπαιόντων conſumi. Si paulo maturius eum in locum fortuna me duxiſſet, graviſſimi ſcriptoris multo plures membranas conſervaſſem. Sed ad totum opus in collegio Romano & optimas emendationes tranſcripſi, & quicquid præterea Muretus ad oram prioris Sigonianæ editionis ſua manu ex præſtantiſſimis codicibus notaverat. Hac in urbe cum vetuſtioribus Mediceis exemplaribus primæ decadis a Langermanno inchoatæ octo ſuperſtites libros, & ex decade tertia partem aliquam commiſimus, ne quid dicam de coniecturis quibuſdam Curtii Pichenæ aliiſque ſimilibus Livianis collectionibus. Quæ quidem omnia quæcunque fuerint, acerrimo talium rerum æſtimatori, cujus immortalibus beneficiis multo plura debeo, jure meritoque deſtinantur. Velim autem libenter, quod ſuo ſe compendio feciſſe deprehendet, novam quam dicitur cogitare recenſionem paululum ſuſtineat, donec quæ parata ſunt ſubſidia, præſenti præſens de manu in manum exhibeam. Hoc celerius fortaſſe continget quam crediderit: nam nobis conſtitutum eſt abſque omni ambage portum, ex quo ſolvimus, velis, quod dicitur, remiſque expedito curſu repetere. Igitur hinc cis paucos dies pedem moturis placet, quod reliquum eſt hiemis, inter ceteras urbes ita dividere, ut Venetiis & Mediolani majorem partem literariis voluptatibus conſervemus. Si propoſitum noſtrum Di locorum atque itinerum præſides fortunaverint, primo vere Lutetiam ſpero reviſere, & ne nomen aliquod eruditionis fama commendatum tranſeam, Divionem ex una atque ex altera parte, poſtea Cadomum diverti tentabo. Bataviæ deſiderium me tenet, non ambitionis ulla ſpe aut ſiti, ſed ut ſpiritus variis diſtractos moleſtiis in jucundiſſimo orbis terrarum ſeceſſu ex longis erroribus colligam parumper, atque eruditiſſima virorum optimorum conſuetudine recreem. Hæc voluptas ſine te non erit perfecta: niſi te nobis reddideris, in medio deliciarum omnium gremio vitam mihi fore acerbam ſentio. Qui relictis gravioribus negotiis me ſolebas ingenii tui ſuavitatibus paſcere, qui meis conatibus dextram porrigens, tuo judicio pondus atque auctoritatem addidiſti, quando tuos dulciſſimos oculos diſſuaviabor? quando vivas voces commutabimus? ſatis multa ſunt, de qui-

bus certior cupias fieri, quæ remoto velo tuis auribus committerem. Sed jam ſcribendi tœdium me capit, & ex ingenti ne tactæ quidem materiæ copia non invenio τί πρῶτον τί δ᾽ ἔπειτα. De rebus urbanis non epiſtolam, ſed commentarios animo volvo, quorum ne moram moleſte feras, pollicebatur Falconerius noſter novarum quarundam rerum enarrationem curæ ſibi fore: ejuſque litteras Pleumero miſi ut ad te curaret. Holſtenii poſthumis operibus manum admoverunt, ſed quod doleas, a regulis Monachorum cœptum eſt, quas duobus tomis collegerat, iiſque nuper admodum novem Romanas συνόδους & ejus generis prolixam collectionem adjecere. Utinam ceteros potius egregii Viri labores eruditos nobiſcum communicarent! jubent nos poſthac Frontinum expectare. Regina nihil hactenus de Stephano conſtituit. Allatius novo libro Hottingerum oppugnat de octava Conſtantinopolitana Synodo. Ceteros quos in urbe cognovi aut ingenii cultu atque elegantia, aut antiquitatis uſu quodam præſtantes viros, aliquando inter privatos parietes maturiori & liberiori narratione perſequemur. Non ignoras quidem veterum temporum Romanam eruditionem Romæ ex lapidibus majorem, quam ex Quiritibus parari; mihi quidem rudera & ruinas æternæ Urbis curioſis oculis pervaganti hoc ſaxum imprimis volvere, vetuſtos literatorum lapidum titulos omni cura circumſpicere placuit. Credidi ſemper nihil ex tota antiquariorum ſupellectile majorem Romanis ſcriptoribus lucem inferre. Neque hactenus ſententiæ neque operæ meæ me pœnitet, quod toto itinere in ſimilium monumentorum curam paulo diligentius incubuerim. Scilicet ἐν παρόδῳ veterum inſcriptionum ἀνεκδότων aliquot millia non abſque delectu congeſſi, eodemque tempore Gruteri volumen infinitis locis aut mutilis, aut fœdiſſime corruptis αὐτόπτης emendabam. Neapolitana commoratio hac in parte meis collectionibus non param profuit: aliquæ etiam ex natali ſolo Poëtæ tui, aliquid ex aliis angulis inſatiabili cupiditate contraximus, Capuæ pluſculos dies eo nomine commorabar humanitate adiutus Camilli Peregrini amici tui, viri optimi & patriæ antiquitatis peritiſſimi; ſed rerum mearum commemorationibus non debeo diutius te fatigare. Novi enim quam vacuus nunquam ſis, non tam ab inſigni munere, in quo dignitas præſtantiſſimæ patriæ tuæ ſita eſt, quam a melioribus literariis occupationibus, quibus ut diu & feliciter vaces, Deum Opt. Max. ſupplex rogo. Vale, Vir Doctiſſime & me ama. Florentiæ XVI. Dec. CIↃ IↃ CLXII. Litteras tuas, quarum miro deſiderio teneor amicis Pariſienſibus tuto committes.

EPISTOLA VIII.

WILELMO. GOESIO

Senatori graviſſimo Marquardus Gudius S. D.

MItto ad te, quos ex auctione Vorſtiana libellos nanciſci potui, pauci ſunt, & minoris exiſtimationis, quos emtorum pudenda & pene pue-

rilis

rilis contentio nobis eripuit. Furor fuit & ἀπειθεία adoleſcentium, quorum inſaniam inſanire non debebam. Quos enim manibus noſtris elabi patiebar, non ignoro minori conatu propediem poſſe redimi. Videbis tuam me expectationem non feſelliſſe; enitar ſane pro ſingulari in te obſervantia mea, ne quid in me officiorum deſideres. Ea mihi non hodie nata, ſed vetus eſt erga domum veſtram religio, qui a multis annis divini atque incomparabilis viri Soceri tui ſanctiſſimos manes incredibili pietate veneror. Dicæarchi geographica cis paucos dies habebis: neſcio quo caſu in librorum meorum turba ſe abdiderunt: heri quidem, cum Leida feſtinanter diſcederem, omnes forulos fugitivis oculis excutienti non occurrebant. De ceteris coram. Si commodo tuo fieri poterit, velim momentum horæ deſignes, quo te conveniam. Vale, vir ſapientiſſime, & ſi meremur, ab injuriis & iniquitate indigniſſimorum hominum nos, quantum in te eſt, ſalvos præſta. Hagæ-Com. CIƆ IƆ C LXIV.

EPISTOLA IX.

ALBERTO RUSIO JCto.

Marquardus Gudius S. D.

Sciaſſius noſter, quam ſemel ſibi omnium maxime profuiſſe gloriatur, auctoritate tua iterum juvari cupit. Itaque ut jus ſuum adverſus iniquas petulantiſſimi hominis contentiones tueatur, ſpei & fiduciæ plenus ad te redit; quid multis verbis tuam operam flagitem? qui vitæ integritatem amas, quæ in te eſt, qui de bonarum artium ſtudiis rectiſſime ſentis, in quibus plane nihil te fugit, quomodo officium poſſes negare probæ mentis homini, & tui non minus quam optimarum literarum amantiſſimo? Sciaſſius eſt talis, tanto tui ſimilior, quanto diſſimillimus videtur ſuorum: cujus mei judicii nunquam me ut ſpero pænitebit; tuum erit, Ruſi ampliſſime, omnia ejus cauſa velle, quæ a te expectari poterunt. Monſius tuus gravis idemque integerrimus Senator, belle habet & negociis publicis vacat; delata eſt ei auctoritate publica cauſæ noſtræ cognitio, quam magni noſtra intereſt ne a ſe ad forum rejiciat: id enim inter moleſtiſſimas ambages plurimorum annorum mora fieri ſolet: tu qua vales gratia, facillime a viro optimo impetrabis, ut cauſam diligenter cognoſcere, & cognitam celeriter referre ad Senatum velit. Non levis eſt jactura in cunctatione, trico Gallias petit ut conatus noſtros abſentia eludat, quo nihil ei eſt facilius, nihil amico noſtro pernicioſius: quid enim tutore abſente, ineundis ſubducendiſque rationibus malæ fidei proficere poſſumus? hæc & alia ejus generis Sciaſſius noſter prolixius narrabit, quem literarum cauſa, quas raro exemplo mirifice amat, quantum in te eſt, fove & tuere. Vale & nos ama; brevi me videbis, & penes me veterum membranarum excerpta, quæ tibi in purgandis juris noſtri ſanctiſſimis incunabilis magno uſui fore judico. Hagæ-Comitis. Kal. Decemb. CIƆ IƆ C LXIV.

EPISTOLA X.

MICHAELI ERMINIO

Marquardus Gudius. S. D.

OMnis humanitas tua ex omnibus partibus ſe oſtendit iis in Litteris, quas a te ſuperioribus diebus accepi, non illa quidem mihi ignota, tamen ſingularis & mirifica; diſperеam, niſi tanta eſt, ut ſtuporem nobis incutiat. Quid enim neceſſe fuit, qui nihil peccaveras, ut ea te contentione purgares? ad te quidem tuarum virtutum fama accenſi libenter acceſſimus, quod utinam ſæpius a nobis factum fuiſſet, ut obſervantiæ erga te meæ rationem conſtitiſſe gloriari poſſem! Nunc cum meo ſim officio defunctus admodum leviter, ut id, quodcunque fuerit, confeſtim tanquam æs mutuum redderes, non expetere; ſed ne ſperare quidem debebam. Satis magnum prolixæ comitatis argumentum videbatur, domi tuæ familiariter in ſanctiores ſtudiorum tuorum ſeceſſus admitti potuiſſe, nemo expectabat, ut in publico diverſorio ignotis viatoribus privatæ gratiam ſalutationis perſolveres. Quod ſi vero, quemadmodum fieri video, tuarum id partium fuiſſe multum contendas, nihil eſt tamen, quod eo nomine aut nos parum benigne dimiſſos, aut minoris virtutes tuas a me fieri putes. Ego, tametſi quibus debeo haut difficulter omnibus omnia tribuam, mihi largior & ſanctioris amicitiæ jure quodam hoc mihi ſumo, ne quem colam ambitioſius: eandemque libertatem libenter in omnibus familiaribus meis fero. Quare nunquam perſuadebor, ut moroſos exactores probem, qui aut in vitæ conſuetudine, ſi quid fortaſſe vulgaris officii prætermittatur, aut in litterarum commercio, ſi paululum expectatione longius reſpondendi partibus defueris, repente ſtomacho atque indignatione exardeſcunt, ſibique ægre videntur temperare, quin conjunctioni, nulla cæteroquin interpoſita ſimultate, teſſeram frangant, ſanctiſſimoque fœderi nuncium remittant. Faceſſant hæc a nobis, Ermini præſtantiſſime: crede mihi ſupervacaneum eſt, fide & volutate ſpectata, cæteras actiones ad calculos vocare. Hoc unum te rogo, ut erga me quam primo congreſſu declarabas, animi benevolentiam conſtanter tueare: reliquo cultu parum moveor homo ἄτυφος, paucorum amicorum, quos majori fide quam pompa demereri ſtudeo. Cæterum qui tanti facis, quod ſemel te convenerim, cave ne quid ex humanitate tua ſentias incommodi: nam propediem ad vos revertemur. Sed quia belliſſima occaſio eſt, quidni denunciem quæ velim? tuo juſſu, tuo inſtinctu verecundiæ fines tranſgrediar, fores exhauſto rubore tuas obſidebo, te captabo, tuis laboribus intercedam, neque me, quicquid agas aut imperes, ullo modo patiar a jucundiſſima conſuetudine tua divelli. Vale, vir eruditiſſime & me ama.

EPI-

EPISTOLA XI.

D. CHRISTIANO CASSIO.

Marquardus Gudius. S. D.

DEbeo multum officio tuo, quod talis cum vir ſis & tantus, inter graviſſimarum occupationum pondera, iis, quas pridem miſi, literis Gottorpium curandis ſingularem te diligentiam adhibuiſſe intellexerim. Ex ea enim re ilico magna cum voluptate conjecturam cepi de conſtantia tuæ erga me toties ſpectatæ benevolentiæ, qua in hac vita nihil mihi unquam erit carius; nunc, quod etiam magis lætor, ſentio votis meis pulcherrime reſpondere quam animo meo opinionem literæ tuæ antea confirmarant, omnia te mea cauſa velle, cupere etiam mihi vehementer, & nihil earum rerum intermittere, quæ augendis meis commodis quam maxime expediant. Hinc quid mihi pollicear, te non fugit, in eo præſertim æquiſſimo negotio, cujus ſucceſſum a nemine niſi a te potiſſimum & tua benignitate expectamus, id quicquid eſt rei, obſecro te, Vir maxime, explica, confice, & me non patere diutius ambigua ſpe jactari; noſti gratiæ plurimum ex celeritate muneribus accedere; ego certe magnam ob cauſam incredibili expectatione liberalitatis veſtræ angor: intereſt enim honoris mei ne inter aſſeclas & ſectatores ſplendidiſſimi illius itineris, veluti otioſum nomen, unus ego præterear. Quare cum tui clientis fama non minori tibi curæ eſſe, debeat, quam ſalus, perge ut cæpiſti, & ſapientiſſimorum tuique ſimilium virorum exemplo tuere beneficia illa, quæ in me tot & tanta olim contuliſti. Cogites etiam, honori tibi & gloriæ fore, ut quod auctore te onus in me libenter ſuſcepi, ejus te adjutore præmium haut difficulter adſequar. Quid autem dico præmium? quicquid mihi tribueris, omne id in beneficii potius quam præmii loco lubens meritoque numerabo. Hoc velim tibi perſuadeas, ſtatim atque hac in re a te mihi proſpectum eſſe intellexero, magnam te ex eo & perpetuam voluptatem eſſe capturum. Vale Mæcenas optime, atque huic meæ audaciæ ignoſce, quod cum antea te accurate rogaverim, idem iterum atque iterum aſſiduis precibus flagitem.

EPISTOLA XII.

JOHANNI DE SCRIECK JCto.

Conſuli Reip. Daventrienſis Marquardus Gudius S. P. D.

PErquam eleganter atque officioſe factum eſſe haud negarim, quod cum in me ad vos adducendo omnibus modis ſtudium, laborem, operam, ut qui maxime, ſumma cum voluntate tua, ſed fato meo ſucceſſu prorſus irrito poſuiſſes, ceteris tamen Viris optimis graviſſimiſque Collegis tuis auctorem magnopere te acceperim fuiſſe, ut aureis an poſſem catenis conſtringi literis illis, quas

quas ad me dederunt, humaniſſimis ipſi tandem experirentur. Erubui vero & non invidia minus, quam laude & gloria modeſtiam meam onerari putavi: nam qui tot ac tantis auctoribus negare quicquam auſit, etiamſi detur a viris bonis neceſſitati venia, nunquam effugiet, quin plurimis ſe malevolorum hominum voculis objiciat. Ego tamen quid iis aliud de me reſpondere poſſim, quam quod ad te perſcripſeram, prorſus non video. Tu qui gratia atque auctoritate domi foriſque admodum flores, quæ mea eſt benignitatis tuæ mirifica fiducia, me licet tacente, nullo negotio conficies, ut civitas omni laude præſtantiſſima meam excuſationem æqui bonique conſulat. Id mihi de tua benevolentia: tibi vero pro maximis tuis officiis de me, ceteris in rebus omnibus, omne genus obſequii, aut potius obſervantiæ & pietatis diligentiſſime ſanctiſſimeque polliceor. Amſtelod. Idib. Maj.

EPISTOLA XIII.

PETRO BLOK

Marguardus Gudius S. P. D.

EA demum firma & minus corrupta amicitia eſt, quæ inter ipſa adoleſcentiæ tyrocinia coaluit, ex ſola conſiliorum & voluntatum ſimilitudine. Fucus plerumque, nihil tuti eſt in aliis amoribus: latent ſub quovis pene lapide ſcorpii, qui externa fallaci ſpecie blandiuntur. Sæpe iraſcor iſtis malitioſis temporibus: eoque libentius memoriam innocentiſſimæ amicitiæ noſtræ repeto, quæ ab honeſtis & liberalibus initiis profecta nullis apud me rationibus convelli poterit. Igitur nomen tuum & ſanctitatem antiquæ noſtræ conſuetudinis etiam nunc ſollicite foveo. Vide, quæſo, quanto tui deſiderio quamque facile accendar! Forte fortuna hodie intelligo te propius abeſſe, & Ultrajecti incolumen agere. Elatus inopinato gaudio facere non potui, quin e veſtigio aliquid ad te conſcriberem & in amplexus invitarem. Profecto τϰτϰ διαγγελίϰ ἕνεκα ſingulariter amo Judæum noſtrum de Lara, hominem literis variis eruditum. Quicquid enim ille caſu indicavit, diu multumque deſideravi, jamque ſextus annus agitur quod nihil plane rerum tuarum cognovi. Ex eo tempore ipſe patria procul, inter ancipites fortunæ luſus literas, adoleſcentiæ meæ elegantiores nutrices, pari ſemper affectu, ſed ſucceſſu vario proſecutus, de te & Muſis tuis quam ſæpiſſime cogitavi. Superiori præſertim anno, cum Francofurti hærerem in comitiis Imperatoriis, frequenter amorem erga te meum expoſui apud Joannem Jonſium, communem amicum noſtrum, qui in ea urbe inter ludi literarii magiſtros ſecundum locum obtinebat: Sed heu! ad memoriam iſtorum temporum, ad nomen amiciſſimi hominis vehementius commoveor, quam ut dolorem tanti motus ferre paſſim. Ille nuper admodum inter magnas operas & expeditiones, inſigni literarum damno, τὰ χροϊκὰ reliquit. Impedior luctu ne plura de acerbiſſimo caſu queam explicare. Hæc enim ad te ſcribo in ipſo recentis & crudi

di adhuc mæroris æſtu, inter ſuſpiria & lacrymas, quibus facile chartam hanc totam irrigare potero. Afflictus cariſſimi capitis domeſtico funere, neque dum ex ſqualore me colligo; & ecce! nova clade penitus confundor. Ita viſum Superis, quorum fulmina & iniurias ſilentio adorabimus. Hæc puto, invitus leges quemadmodum a me ſcribuntur, vereorque idcirco ne te in eundem turpiſſimum fletum adducam, ſed omnino debemus ſub naturæ legibus graviter & animoſe agere. Si quid hodie lugendum eſt, paſſim erit & horror & luctus & lacrymarum materia: ipſa tempora, in quæ incidimus, ſatis ſunt miſera & luctuoſa. Quid enim patria noſtra niſi cadaver ruinis & incendiis deformatum? cives concuſſi, ſpoliati, perditi & in extrema fortunarum omnium linea conſtituti. Sed hæc damna ſunt proprie noſtra & noſtratium: poſſunt refici: in uno autem iſto funere totus literatus orbis jacturam certe ſingularem fecit. Magna ubique ſolitudo eorum eſt, qui literis cupiunt, quas ille egregia voluntate a multis annis fovit. Neque dubito quin majora ſemper præſtitiſſet, ſed obiit non quidem ἀκλειῶς & inglorius;

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Scripſit enim libros IV. de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ, eoſque jam ἐν προθύροις θανάτοιο prælo abſolvit. Ades & vide: Ades, quæſo te, ades ſine mora & vetuſti amoris noſtri igniculos iterum iterumque excita. Ego libenter ad te excurrerem, ſed multis variiſque negotiis detineor. Igitur ſi tibi commodum eſt, ſi amicitia noſtra tanti videbitur, oportet in hac urbe me convenias, ſed omnino ante diem Solis. Ita te ex tanto intervallo ambitioſius amplectar & oculos jucundiſſimos diſſuaviabor; jucundum erit ſuper ſtudiis noſtris capita conferre. Dabo operam ne tui te itineris pœniteat. Quod ſi dicto die præſto nobis eſſe non poteris, fac me confeſtim certiorem, ne incerta tui expectatione, ſumptuoſum tempus fallam: namque Hagam-Comitum, hoc eſt, ad Muſas meas redire propero. Vale, Amſtelodami.

EPISTOLA XIV.

D. FERDINANDO D. G.

Epiſcopo Paderbornenſi, Coadjutori Monaſterienſi, S. R. *Imp. Principi, Comiti Pyrmontano*, &c. *Domino ſuo Clementiſſimo,*

Marquardus Gudius S. D.

DIu flagrantem perpetua quadam in te obſervantia incredibilis me cupiditas tenuit, Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps, meum nomen profitendi inter tuos, neque ambitionis tam ſanctæ deprecanda homini privato eſt invidia, qui quod vehementer te maximaque pietate veluti in Deorum numero colam, cultiſſimarum orbis terræ nationum conſtanti ſermone & judicio facio, divina multa, omnia de te ſumma prædicantium. Et mihi quidem in plurium annorum

annorum perpetua peregrinatione, nihil tuis ejuſmodi laudibus aut frequentius aut majori cum voluptate cognitum fuit. Nunquam excidet memoria, Lutetiam cum eſſet rumor allatus tradita tibi fore, quæ ſingulari non auctoritate magis quam ſapientia nunc tenes,. teneaſque voveo diutiſſime, Eccleſiæ & principatus Paderbornenſis gubernacula, talem doctiſſimorum hominum, quibus urbs ea multum abundat, lætitiam fuiſſe, ut in ſolemnibus circulis & cœtibus, non minus infelicibus literis omni prope deſtitutis patrocinio, quam præſtantiſſimæ patriæ tuæ, qualem Plato Principem in prima publicæ felicitatis parte ponebat, in te omnes una voce gratulari, maximo coronæ totius applauſu ſæpiſſime audirentur. Italiam poſtea cum attigiſſem, campos videbar mihi laudum tuarum ingreſſus, mirifico omnium, per quas incedebam, civitatum in tuam gloriam conſenſu. Recens &multo acerrimum erat in Urbe virtutis tuæ conſuetudiniſque deſiderium, memoria populo Rom. jucundiſſima, quam nulla unquam delebit oblivio; alii narrabant divini ingenii ſuavitates & ornamenta: continentiam alii, alii comitatem, qui quum in Pontificis optimi maximi oculis habitares, gratiaque valeres plurimum, bonis omnibus patens & obvius, nihil tibi præter omnium horarum admiſſionem domeſtico intimæ fidei munere ſumſiſſes, Pontifice te ad ſumma quæque provocante. Atque hæc mihi tempora revolventi occurrit vetus quidam dolor meus; quem fato invido, quum pauculis poſt tuam auſpicatiſſimam profectionem diebus in Urbem veniſſem, eo graviorem capiebam, quod ex Holſtenii morte ſuſceptam ægritudinem ſpe quadam benignitatis tuæ ſolarer: quo in dolore ſic animo fui affectus, ut nullas unquam a fortuna mihi injurias putarim factas eſſe majores. Cetera quæque viſa ſunt prorſus languere, meminique tum temporis optimum ſenem Pollinum tuum integros dies in luctu & ſilentio deprehendiſſe, tui deſiderio propemodum tabeſcere. Reverſus ad Batavos, quo propiori, eo majori & lætiori fama accepi, quibus me mirum in modum oblectabam: unum eſſe ex Furſtenbergiorum antiqua domo Ferdinandum Principem, qui veterum ſanctiſſimorum Antiſtitum exemplo literas reconditas omne genus ad ſtuporem ipſe doctus, in aliis ornaret præmiis ampliſſimis, omneſque liberales diſciplinas pudendo contemtu & faſtidio Principum aulis exulantes, exciperet, amplecteretur, foveret: quique juſtitiæ, pietatis, ſapientiæ fama id eſſet conſecutus, quod nullis artibus æmuli potuere, ut æquiſſimis & ſua ſponte fluentibus ſuffragiis optio datus Principi magno fortiſſimoque, jus futuræ ſucceſſionis ampliſſimæ, populo omni lætante & plaudente, veluti manibus teneret. Hæc ego cum ſæpius audirem, totus exardeſcebam illa cupiditate meæ tibi ſingularis erga te obſervantiæ declarandæ, ſed obſtrepere literis inanibus inter tot tantarumque rerum pondera ſapientiſſimo graviſſimoque Principi, hominis eſſe impudentis atque inſigniter importuni exiſtimabam; nunc autem cum in tuis ad Nicolaum Heinſium omni laude conſpicuum virum, literis te non ſemel perbenevolam mei mentionem feciſſe intelligam, fregit verecundiam meam pene ſubruſticam incredibilis humanitas tua, qua tu Deus mihi quidam potes videri. Itaque gratias quas poſſum quidem

quidem ago habeoque tibi maximas atque immortales, tum quod ornatum me voluerit teſtimonio benevolentiæ tuæ, tum vero quod iſta tam longe egreſſa principem humanitate quaſi fores mihi aperueris, ad te frequentius diligentiuſque colendum: qua in re etiamſi laudis & gloriæ tuæ longa & perpetua quadam fama me teneri dixi, obſecro te, FERDINANDE Princeps, multo magis meo ſenſu & judicio id a me fieri exiſtimes, præcipua admiratione divinorum ingenii tui monumentorum. Nihil profecto eſt carminibus tuis, omnem victuris ætatem, ſublimius, nihil mundius nec majori judicio compoſitum quicquam, quibus quoties legendis animum paſco, Muſarum immortalium colloquio intereſſe mihi videor. Epigrammata duo, quæ nuper Heinſius noſter ſingulari, ut omnia tua ſolet, ſuavitate recitabat, digniſſima quæ vel aureis columnis inſcribantur, adeo me nativa venuſtate ceperunt, ut ſemel atque iterum audita nunquam ex animo meo poſſe videantur effluere. Itaque illa loca, quæ propemodum oblivione ſepulta divinis verſibus ſempiternæ hominum memoriæ conſecraſti, magis multo vis & decus ingenii tui nobilitant, quam clades & facinora bellicoſiſſimarum gentium. Mihi quod tuis tam eruditis & venuſtis oculis exhibeam, nihil unquam auſim polliceri. Libellum quem vides favore tuo dignaberis ſanctiſſimi martyris Hippolyti nomine, olim repertum a me loco obſcuro in hominum imperitorum manibus, quem cum Lutetiæ, Toloſano tum temporis, & Pariſienſi poſt ſummæ doctrinæ & ſapientiæ Archiepiſcopo Petro de Marca, ut talium erat mire curioſus, oſtenderem, non ante vir omnium ſeculorum memoria digniſſimus, inſtigante plurimum Henrico Valeſio, ex ea urbe me eſt paſſus diſcedere, quam libellum iſtum, ut itineri eram accinctus, opera tumultuaria caſtigatum, typographo tradidiſſem. Opuſculum eſt tenue, ἐν ᾧ τὸ τῶν νοημάτων, ἁπλούστερον τι καὶ ἀρχαιότροπον, ut optime judicabat Photius γνήσιον, & refertum gemmulis Eccleſiaſticæ vetuſtatis, qualis eſt illuſtris locus alibi fruſtra quærendus Prophetæ neſcio cujus ἀποκρύφου, quem recitat verbis magnificis & prophetici ſpiritus. Id genus teſtimoniorum, quanquam' eſt multo rariſſimum, eſſe tamen non abſque omni exemplo obſervavi in aliis S. Patribus ejuſdem ætatis, neque dum ſatis conſtituto canone, S. Juſtino, Tertulliano, Clemente & tanti præceptoris ſucceſſore digniſſimo Origene: ſed his quid tuas ſanctiores horas diutius morer? Deum Opt. Max. ſupplex rogo, Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps ut te bono publico quam diutiſſime ſoſpitem, & gloriæ tuæ cumulum omnibus votis noſtris cumulatiorem præſtet. XIII. Kal. Mart. CIↃ IↃC LXVIII.

EPISTOLA XV.

FERDINANDUS EPISCOPUS.

Ac Princeps Paderbornenſis S. P. D. *Marquardo Gudio.*

Oportuiſſet quidem citius redditum reſponſum literis tuis, mi Gudi, XIII. Kal. Martias datis, & tanta elegantia, humanitate & amore erga me tam

ſingulari plenis, ut nihil ſupra. Sed adverſa valetudo ex Eryſipelate orta, qua in ſextam hebdomadam ſum conflictatus, invito mihi neceſſitatem impoſuit debitum reſponſionis officium in hoc tempus differendi. Interim venuſta & diſerta illa epiſtola tua cum adjuncto libello Sanctiſſimi Martyris Hippolyti, cujus ſtatua & faſti chronologici de Paſchate, ni fallor, in Bibliotheca Vaticana conſpiciuntur, in ipſo morbo reddita incredibili me voluptate perfudit, & ægrotum propemodum relevavit. Quare humanitati tuæ debitas propterea gratias habeo, teque majorem in modum rogatum volo, ut aliquam mihi occaſionem præbeas meam erga te voluntatem peculiarem, & de tua doctrina opinionem reapſe declarandi. In præſentia epigramma Lucæ Holſtenii conterranei tui memoriæ jam olim conſecratum judicii tui facio. Heinſio vero noſtro de tui notitia nobis data plurimum debeo, cujus in Sueciam reverſuri & hac, niſi me fallit, tranſituri comes futurus luculentius noſtram erga te benevolentiam experieris. Vale & me ama. Paderbornæ. III. Non. April. CIↃ IↃC LXVIII.

EPISTOLA XVI.

ALBERTO NIROPIO.

Marquardus Gudius. S. D.

ETiamſi nulla cauſſa eſt, quæ graviſſimis tuis negotiis me cogat intercedere, tamen ut magis magiſque obſervantiam erga te meam probarem, non debebat ſola ad te proficiſci Samuelis noſtri epiſtola. Hujus enim inſignis ad optimarum literarum ſtudia propenſio ita profecto meretur, ut vobis abſque fuco diligentiam juvenis laudem, quam ſi non dimiſerit, me facilius conſecuturum polliceor, ut votis veſtris abunde ſatisfaciat. Tuum erit, Ampliſſime Domine, iſtiuſmodi igniculos bonæ mentis ſumma diligentia a me excitatos auctoritate tua fovere, currenti calcar addere, adhortari juvenem, ut per ſtudiorum optimorum gradus, omiſſis inanibus, ſumma contentione ad ſapientiam, & quæ ſapientiæ fructus eſt, ad honores mecum enitatur. Nihil mihi gratius, nihil affini tuo utilius facere poteris. Ignoſces ſolicitudini meæ, qua quantum potero, cavere ſtudeo, ne Muſis ereptus corruptiſſimorum hominum gregi ſe immiſceat. Totum ipſi defero, quicquid ab arte mea poſſum promittere curæ. Id debebo ſemper fidei meæ, quam nolim apud vos laborare. Vale, vir Nobiliſſime, & ſtudiis noſtris fave. Lutet. Paris.

EPISTOLA XVII.

JOHANNI DE SCHRIECK JUto.

Marquardus Gudius. S. D.

Daventriam,

NUdius quartus cum quæ Senatus veſter honorifice de me præter omnem expectationem meam judicaſſet, humaniſſimis verbis tuis ſupra quam credi poteſt ἑλληνικοῖς & gravi ſapientique viro dignis intellexiſſem, cæpi ex

eo

eo die rerum mearum pondera, quemadmodum receperam, mecum experiri paulo diligentius, atque illa præſertim, quæ voluntati meæ dixeram intercedere, magna cum cura diu multumque ambiguus in utramque partem excuſſi. Flagrabam mea ſponte, uti facile potuiſti perſpicere, neſcio quo, certe magno & miro vobiſcum vivendi deſiderio, poſtquam vero acceſſiſſet auctoritas Ordinis ampliſſimi, de meis ſtudiis tam benigne ſentientis; non credas, quam me ſollicitum habuerit rerum mearum deliberatio. Nihil quidem intentatum omiſi, quod ab homine civitatis veſtræ cupidiſſimo præſtari potuiſſet. Sed omnis ille conatus, quod doleo, contra cadit atque ego velim. Rationes meæ, ut nunc jacent, non ſinunt in re tam gravi quicquam ſtatuere, & me licet diſſentientem tenent. Itaque beatiſſimo ſeceſſu veſtro me fraudo propemodum invitus, & quod ſupereſt, ampliſſimo Senatus, & Curatorum collegio gratias quas poſſum quidem maximas ago atque immortales, quod ornatum me voluerint teſtimonio judicii ſui. Deum Opt. Max. ſupplex rogo, ut nobiliſſimæ vetuſtiſſimæque civitati tales viros conſervet, ſub quibus nunquam non eſſe poſſit laudata foris, domi tranquilla, bonis omnibus florentiſſima. Hæc publico: tibi privatim vix minora debeo, Schriecki prudentiſſime, qui mandatis publicis graviter & mirifice functus, omnibus cumulatum me officiis, protinus in amicitiam tuam recipere voluiſti; quam ſingularem tuam benevolentiam nunquam ex animo meo effluere patiar, operamque dabo, ut apud memorem te virum beneficium poſuiſſe, poſthac ipſe ſentias. Vale vir Ampliſſime.

EPISTOLA XVIII.

AMPLISSIMIS CURATORIBUS

GYMNASII DAVENTRIENSIS.

Marquardus Gudius. S. D.

UT egregio de me judicio veſtro plurimum lætor, eoque nomine maxime ad vos velis remiſque contendiſſem, ita multum indolui neceſſitati, per quam mihi tam eſſe fortunato non licet: illa tamen, quæcunque ſit, cum ſit τῶν οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν, vobis ſapientibus viris me, ut confido, omnibus modis excuſabit. Ego quidem quod amplius deliberandum putem, non reperio: & cum plane nihil videam ſpei ſupereſſe, qua id de me poſſim polliceri, nefas ſit mihi commoda juventutis veſtræ morari. Cujus conſilii ne deprecari cogar invidiam, vos mihi veniam, quæ veſtra eſt benignitas, ultro facietis. Hoc autem vos etiam atque etiam rogatum volo, ut quod haud temere, nec levicula ratione ſtatuiſſe mihi videor, optimam in partem cognoſcatis, & quem benevolentia veſtra dignum cenſuiſtis, auctoritate, qua multum valetis, conſtanter tueamini; id ne pluribus aut diligentioribus verbis vos rogem, ſingulari facio fiducia, cum ſit hoc civitati veſtræ prope fataliter datum, ut ametis literas, hominibuſque bonarum artium ſtudioſis optime cupiatis, quo pulcherrimo conſilio Muſarum atque immortalitatis illam multis nominibus florentem

officinam præſtabitis profecto beatiſſimam, ceteriſque omnibus quotquot ſunt, invidendam Academiis. Ego licet hoc tempore χερσὶ μὲν καὶ ποσὶ veſter eſſe non poſſim, animum tamen meum vobis devoveo, ex quo gratiſſimam memoriam tam inſignis veſtræ voluntatis & benevolentiæ nulla unquam oblivio delebit. Valete & ut facitis, bono reip. feliciter rem gerite. Amſtelodami Idib. Maj. CIↃ IↃC LXVIII.

EPISTOLA XIX.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO.

Marquardus Gudius. S. P. D.

Duisburgum,

POſteaquam ex hac urbe diſceſſeras, quia reditum profitebaris, dies profectionis tuæ ſollicitis articulis computabam: aliquando moroſe, ut ſolent, qui quod amant, inſolentius deſiderant. Tu vero qualicunque domum reditionis oportunitate captus, rationem itineris præter opinionem noſtram mutaſti; quod quia commodo tuo factum eſſe ſuſpicor, fero facile, niſi quod hoc conſilio te mihi elapſum imprudenti eſſe, & nihil tibi officiorum meorum conſtitiſſe doleam, quibus te debebam ad te tuoſque demittere. Et certe ita volui, ut intelligeres, Grævi Clariſſime, te homini neque impudenti cupere neque ingrato, cujus erga te inſignis propenſio quævis ſibi officia imperare poterat. Nam qui a prima noſtra Erffurtenſi conſuetudine te diligentiſſime obſervo, facioque ſemper magni, literarum duntaxat optimarum nomine, quibus exquiſitiſſimum ingenium tuum exornaſti, jam ſi pateris, etiam mirifice diligo, quod ſingularem tuam erga me benevolentiam multis modis nuper declarabas. Ex eo tempore me ſuſtinui, ne ad te prius ipſe quid ſcriberem, quam referre poſſem de negotio, cujus tu mentionem injeceras; ſed quia tanto intervallo ne prima quidem iſtarum rerum initia cognoſco, nolo ſcriptionem meam levi lentaque earum expectatione ultra morari. Videntur quod in diem abiere, prorſus cecidiſſe contra atque optabantur: tametſi non ſtudium operamque tuam ſed fortunam conjecturæ noſtræ accuſo, quæ quam leviſſime in ipſo ortu diſperiit. Quod ſi ita eſt, fac ſaltem ut ſciam; neque enim ullum ex infecta re dolorem capio, neque eo ſecius egregiam tuam voluntatem amo. Aſpernamur ſine moleſtia, ſine dolore, quæ haberi non poſſunt. Quare fruſtra mihi caves, ne homini præſertim faſtidioſo nimis videar appetere. Conſilium boni animi prudentiæque tuæ rationem agnoſco, parum abes ab illuſtri Hiſtorico, qui Auguſtum ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiiſſe indicat. Sed ſi ne imprudenter me obtrudam, metuis, plane tibi ſum ignotus. Ego vero, niſi ſponte & natura mea ab iſtiuſmodi ambitionibus abhorrerem, quas profecto fugio, licet omnia hodie virtutis præmia poſſideant, ex ea tamen, quam inter homines vivo atque agito, communi vita moneri poteram, ne aut inſcite, quod ſolent errones ſine fronte καὶ τοῦ παιδαγωγείου περιτρίμματα, aut arroganter homo novus me ignotiſſimo cuique objicerem, ſtudia officiaque mea

fortaſſe

fortaſſe non deſideranti. Nunquam fracto ita atque abjecto animo fui, ut quaſi mancipium de cataſta propter unius alteriuſve anni ſaginam tantis precibus & lenociniis ſupplicarem, meque illiberali conatu in moleſtiſſimam ſervitutem traderem. Tamen quod de profutura ſtudiis meis provincia diligenter circumſpiciam, me adeo cogunt calamitoſiſſima hæc tempora, in quæ ego incidi, quæque innumeris me difficultatibus afficiunt. Non diffitebor, induſtriam debilitant & igniculos animi pene extinguunt. *Fracta navi*, inquit vetus auctor ad Herennium, *multi incolumes evaſere, ex naufragio patria nemo ſalvus enatabit.* Sed niſi ego jactura, quam feci, rerum mearum, tamen uti debeo, maxime commoveor internecione patriæ, cujus deformatam ruinis incendiiſque profecto cadaveroſam faciem nunquam ſine dolore & lacrymis intuebimur. Ita infelix Cimbria perverſiſſimis eorum conſiliis periit, quorum leviſſimis arbitriis tenetur! Noſti quos dicam. Qui niſi concuſſi, victi, perditi, jamque in extrema fortunarum omnium linea conſtituti flagitioſam vitam tueri non poterant: namque omnis antiqua virtus, quæ aliquando in hac natione regnabat, a multis annis luxu conſumta eſt. Cæterum ſi quis hujus ſocordiæ in unum regem cauſam transferet, næ illum ego aut iniquum aut plane harum rerum inſcium eſſe arbitror. Nullo per orbem terræ regno primariorum quorundam virorum aſtuta ſuique commodi diligentiſſima factio iniquioribus cum principe conditionibus transigit: quem ad pacta turpiſſima eo ſacramento aſtringit, ut ne, ſi velit quidem, poſſit bene omnia & ex uſu publico facere. Quod utinam ipſa Reſp. tantas injurias hominibus narrare poſſet, minus dubito, quin viros quoſque optimos in commiſerationem Regis optimi adduceret. Vides quam ægre, quæ domeſticis ſuorum petulantiis non ſufficit, tantos fortiſſimæ gentis impetus ſuſtineat: ſuſtinuit tamen hactenus non adeo ſua virtute, quam Dei beneficio. Ille tandem noſtri miſereatur, & reliquias facultatum noſtrarum in tutum collocet. ψυχρὸν γὰρ βοήθημα ἀνθρώπινον, niſi ille manum admoverit. Quorſum iſta? *quid me querelis exanimas tuis?* inquies. Nimirum quæ ipſe non ſcribo abſque moleſtia & motu animi, ſcribenda erant, ut acerbitatem fortunæ meæ cognoſceres. Σοφοὶ μὲν συγκρύπτουσι τὰς οἰκείας βλάβας, quod eſt apud Euripidem. Sed ego in ſinum tuum meas ſolicitudines volui exponere, quia te ſalutis meæ curam ſuſcepiſſe animadvertebam. Ea omnino apud me eſt integritatis tuæ fiducia, ut te ſine ſuſpicione ad animi mei penetralia admittam. Potero quidem egomet ipſe levi negotio rationibus meis proſpicere, ſi meorum voluntati obſequor, quibus id conſilii, ea cura eſt, ut ab iſtis, quod ajunt, inaniſſimorum ſtudiorum oblectamentis in aulam me quoquo modo extrudant. Sed parum me movent: ita enim conſtitutum eſt mihi, nunquam haſce qualeſcunque literulas, altrices adoleſcentiæ meæ, niſi cum ipſa vita, deponere. Malo cujuſmodicunque ἐνιαυσίῳ μισθῷ Muſas mihi meas illibatas adhuc atque integras eſſe, quam immaturas arbitriis & libidini corruptiſſimorum hominum locare. Quod igitur ſupereſt, niſi plane omni ſpe excidimus, rogo te ut quod cepiſti, conficias,

&, ubi opus erit, negotio fidem diligentiamque tuam adhibeas. Id te quidem ultro facturum eſſe confido, non tam mea quam literarum cauſa, quas uterque colimus, tu vero etiam ornas atque illuminas. Sed hanc operam te præſertim rogo, ſi honeſtis, non ſordidis, non iniquis me conditionibus invitatum iri cenſes: ſin, quod me negligat, minus dolebo. Quoquo ſe modo res habeant, velim me quamprimum facias certiorem. Ubi tuas accepero, Leidam revertar. Ex ea urbe in Brabantiam ire conſtitui, & ad viros doctos inviſere: quibus ſi quid velis, quod quidem diligenter curatum velis, mihi manda. De rebus literariis multa erant, quæ ad te perſcriberem: ſed patientiæ tuæ rationem habeo. Satis jam moleſtiæ devoraſti: namque epiſtolam accipis incompoſitam, verbis & rebus futiliſſimis affluentem. Sed hanc culpam deprecor, quam alias brevitate emendabo. Holſtenii Inſcriptiones libenter in aliud tempus differo: quia niſi plures accedant, non operæ pretium eruditis, ſed viro ſummo injuriam facere videor, quem cognovi in divulgandis ſuis ſuperſtitioſiſſimum eſſe. Quæ in literis ipſe commentor, leviora ſunt; ſenſim matureſcunt: non parturio; tamen naſcuntur mihi quotidie in evolvendis veterum ſcriptis conjecturæ, quibus, quod præfiſcini ſcriptum eſto, multa loca & obſcura & corrupta illuſtrabo. Plymerus, beneficio tuo, non videtur deeſſe meis conſiliis. Tu vero quid agas, quid mediteris, quidve primum abſolvas, ſcire admodum cupio. Nihil niſi magnum perfectumque ab ingenio tuo expectamus. Quando Daventriam te tranſiturum putas, quæſo, indica: quippe frequentioribus te literis conveniam, & ſi tibi commodum eſt, ſuper aliquot doctiſſimorum veterum locis capita conferemus. Morus in quibuslibet locis morat ut lepus in ſaxo, crebras ſui expectationes commovet jam ab ipſo tui diſceſſu: diu hæſit Antverpiæ: hodie fertur Hagæ-Comitum ſubſiſtere. Fore tamen, ut cis paucos dies ad nos accedat, omnes ſuſpicantur. Quod ſi tuis literis poſſem utcunque in opinionem viri irrepere, novo me beneficio tibi obſtringes. Vale, Vir Doctiſſime, meque ama. Hæc obſignaturus, inopinato gaudio perfundimur: conſtanti enim fama ad nos ex Dania perfertur, Suedos furibundum, ſed inanem ſibique exitioſum impetum feciſſe in Hafniam. Urbs magno animo irruentes excepit, ſumma ſtrage confecit. ſed iſta vobis jam nota eſſe conjicio. Amſtelodami. VI. Eid. Mart. CIↃ IↃC LIX.

EPISTOLA XX.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO.

Marquardus Gudius S. D.

Dusburgum,

Mira literarum tuarum expectatione teneor. Amſtelodami diem ex die duxi, ut iis reſponderes, quæ verboſius ad te perſcripſeram. Quin enim tuto tibi reddita ſint, non dubito. Nullam potui cauſam fingere tui ſilentii: jamque ſolicitudinis aliquid habebam de valetudine. Morus te ſibi eandem operam

ram debere querebatur. Tandem vero in hac urbe ex Gronovio noſtro te domo abeſſe intellexi, & inter novas tuas affinitates cauſam familiæ herciſcundæ agere. Ea negotia, ſi ab iis patrocinium ſilentio petes, te mihi facile excuſabunt. Libenter enim mea deſideria tantis tuis commodis poſthabebo. Nolim tamen omnino ex animo tuo effluere. Tu quidem non debebas negligere hominem tui ſtudioſiſſimum. Age ſodes, eam mihi ſuſpicionem eripe, & nulla interpoſita mora gratiſſimum officium tuum redde. Scire aveo, quo in loco ſe habeat negotium, cujus tractationi ſtudium tuum profitebaris. Quod ſi plane frigeat, per me quidem perire poterit. Nullam niſi voti noſtri jacturam fecimus: nihil me iſta movent: modo reſpondeas, noſtramque diligenter amicitiam foveas. Hoc unum hiſce literis te moneo, hoc impenſe rogo. Moro valde acceptus nullo negotio fui in familiaribus. Feliciſſimi ingenii dotes etiam nunc in eo viro ſuſpicio, quidquid alii ſentiant. Superioribus diebus diſceſſit, impetrata Amſtelodami non invita quidem, tamen honeſta miſſione. Nuper in eam urbem reverſus jam ſua prius convaſaverat, quam quid de adventu innoteſceret. Igitur cum ego eum ſalutarem, multis ſibi modis dolere ſimulabat, quod libros, quæque aut deſcripta aut ſuis curis confecta haberet, non pervidiſſem. Hiſce rationibus natum mihi eſt ἰμῦνλ μᾶλλον ἢ ἀχειρῶνλ qualecunque Elegidion, quod ad te mitto, GRAEVI emendatiſſime, non ut elegantiſſimos oculos tuos morari debeat, ſed quia ad communem noſtrum amicum conſcriptum eſt. Tu, quem tritas habere aures cenſeo legendis veterum venuſtiſſimorumque poëtarum carminibus, quæſo te, meas mihi ſtribiligines audacter indica. Plura ad te volebam, ſed jamjam excurro Hagam. ideoque hæc propere. Gronovius ὁ πάνυ te amiciſſimis verbis ſalutat. Vale, Vir Clariſſime, & de rebus noſtris me quamprimum fac certiorem. Migrationem tibi feliciter evenire volo. Lugduni Batavorum. a. d. XII. Kal. Majas CIↃ IↃC LIX.

Literas tuas ſive ad Playmerum, ſive potius in diverſorium meum Amſtelodamenſe mittes.

EPISTOLA XXI.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO.

Marquardus Gudius S. D.

Daventriam,

NUper videre memini penes Voſſium binos libellos Caſauboni, qui ut tuto ad te perferrentur, rogaverat: namque eorum alteri præfixum erat nomen tuum, æterno apud poſteros teſtimonio, quam te virtutemque & doctrinam tuam intellexerint pene extra orbem noſtrum optimates literarum elegantium. Quin utrumque acceperis, minus dubito, præſertim quod pro ſingulari & nunquam ſatis laudanda humanitate ſua Ampliſſimus Heinſius ſeſe confeſtim curaturum pollicebatur. Sin adhuc præter opinionem meam dono amici

ci tui cares, faciam libentiſſime, ubi reſcivero, ut ne diutius deſiderium tuum
ſufflaminetur. Fidem operamque meam quavis occaſione meritis tuis probare
aveo. Quam velim ad promiſſionis meæ diligentiam, quæ deſiderabas, ex Voſſia-
no libro transſcripſiſſe! Sed ſubterfugienti nihil debebam rerum ſuarum eri-
pere. Noſti varietatem tanti viri. Luget matris ſuæ funus, quod impedimen-
to fuit, ne ſæpe atque iterum de minutis notationibus interpellarem. Rever-
tar autem Hagam die craſtini, & quoad potero, ſumma ope enitar, ut voto
noſtro ſatisfaciam. Prolixiora voluntati erga me tuæ debeo, quam ſatis ſuper-
que in negotio Duysburgenſi perſpectam etiam nunc mirifice exoſculor. Quod
enim opinioni eventus non reſponderit, τῷ Ἱπποκλείδῃ οὐδὲν μέλει. Propenſio-
nem tuam pluris facio, atque omnem fructum etiamſi uberrimum. Solam
triumvirorum noſtrorum ſententiam auro omni atque ſtipendio contra æſtimo.
Inſignia virtutis multi etiam ſine virtute conſecuti ſunt: talium virorum tanta
ſtudia aſſequi ſola virtus poteſt. Equidem arrogantiam omnem maximopere
faſtidio, tamen blandimenta iſta, quæ ex amore virtutum proficiſcuntur, aut
mihi aut Ciceroni ignoſcas velim. Cæterum Dei immortalis beneficio & ſin-
gulari viri incomparabilis Gronovii noſtri diligentia ſaluti ſtudiorum meo-
rum egregia iſtiuſmodi ratione proſpectum eſt, quæ multis paraſangis ſuperat
inertem ſeceſſum iſtum in Rheni litore. Nuper tradebatur Hagæ curis meis
adoleſcens, aut juvenis potius nobilis & locupletiſſimus, quem regere obno-
xium, & per Galliam Italiam atque alias Europæ regiones vitæ ſtudiorumque
præfectus comitarer. Præter liberum omnem ſumptum promiſſum eſt liberale
& lautum congiarium, adjuncto etiam ſervulo juſſis meis parituro. Initio men-
ſis proximi bonis avibus iter ingreſſuri Galliam terram petere conſtituimus.
Ecce autem quam dierum aliquot ſpatio in ſalutem meam conſpirent fata, quæ
tandem videntur acerbitatem exuiſſe: undique ne cogitanti quidem ſeſe jam
offerunt opimæ & ſtudiis liberalibus ſatis commodæ occaſiones. Conſules opu-
lentiſſimæ urbis diu multumque hæſitantes tandem me ultro evocaverant ſum-
ptu ſatis ſplendido, ut egregio publico animadverſiones Blondellianas curarem:
jamque domi habebam volumina Baronii, cum literæ τοῦ πάνυ Gronovii red-
derentur, quæ provinciam laudatam offerebant, cujus pacta confeſtim Hagam
excurrens confeci: ideoque Amſtelodamenſibus, quorum arbitrio conditioni-
bus adhuc ſuſpenſis, ſumptu nondum conſignato, minime teneor, quam pro-
xime, quanquam, ut ſolent, prolixis verbis ex iſta occaſione ſpem profeſſio-
nis fecerant, commendatum opus reſtituam. Redeuntem ante aliquot dies,
facta jam Hagæ ſtipulatione, me excepit in hac urbe Mori noſtri epiſtola, &
quam humaniſſime ſingulari verborum lenocinio ad honeſtam æque optimam-
que ſtationem invitavit, ut Salmurii in Amyraldi celeberrimi Theologi ædi-
bus viri nobiliſſimi, inter regni primarios, filiis duobus ad Hiſtoriam veterem
docendam præeſſem. Oſtendit præter ſtipendium ſexcentarum librarum an-
nuum, e veſtigio, dummodo adeſſe pollicerer, pro itinere centum libras in
hiſce regionibus peti poſſe. Hæc, Gravi Doctiſſime, quæ præfiſcini narro,

pro

pro eximia naturæ tuæ bonitate; equidem abſque invidia accipies, ſed non abſque faſtidio: tamen quia te ſine colore, ſine fuco impenſius ſaluti meæ cupere intellexi, non reticenda erant, quæ evenere. Etiam in patriam nuperrime accitus bella & dudum expectata peregrinandi occaſione. Sed jam fruſtra ſunt. Relictis enim aliis omnibus pacta Hagenſia ſervare conſtitui; ecquid miraris? quæſo te, rideamus hujuſcemodi ludibria, quæ nunquam opinionis meæ conſtantiam movebunt. Ita hominum communis vita vivitur!

Fortuna ſævo læta negotio
Ludum inſolentem ludere pertinax
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Sero aut errorem ſuum aut innocentiam meam leviſſima iſta meretricula agnoſcit. Multa habeo quæ de ſtudiis noſtris communibus ad te libentiſſime perſcriberem; ſed excludor tempore. Occupationes aliæ diem conſumunt: ideoque nocte concubia ſcribebam iſta quæ accipis. Exiguum hoc officium in declaranda obſervantia aut potius pietate erga te mea libenter conſumo: ſed præter illam duæ potiſſimum cauſſæ aliæ ad ſcribendum me impulerunt. Primum oro te atque obteſtor ut quantum poteris celerrime remittas catalogum meum Erffürtenſem. Nihil hoc tempore gratius mihi facere poteris. Non tanti quidem ſunt chartulæ, quæ magnam partem oſtendunt futilium librorum latibula: tamen ut amicorum meorum accurationi ſatisfiat, multa ratione a me deſiderantur. Amo te multum; cura ne ſuper leviſſimis ſchediis humanitatem tuam bis conveniam. Noſti profectionem meam quam proxime inſtantem. Alterum eſt quod ſcire cupio, an Hardervici quidquam inveneris Valerio meo proficuum. Ita opto & voveo. Expecto autem ut hac de re quamprimum certiorem me facias: quod etiam atque etiam te rogo. Literas tuas cum catalogo mittes in diverſorium meum quod eſt, ut noſti, ſub ſigno *Principis Daniæ*: namque ante initium Novembris, hoc eſt ante abitum meum in hanc urbem redibo. Vale & me ama. Amſtelodami XIV. Octob. CIϽ IϽC LIX.

Catalogi eam partem, quam a te accepi, Pluymero tradam: a quo petes etiam fragmenta Ciceronis, quæ promiſi. Lectiſſ. uxorem tuam ſaluto.

EPISTOLA XXII.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO.

Marquardus Gudius S. D.

Ultrajectum,

ÆGra manu hæc ad te. Ingratum hoſpitem, cum quo nulla unquam mihi conſuetudo intercesſit, magno meo incommodo alo, quem quidem veluti humanæ ſortis monitorem non iniquo animo ferrem, niſi omni exuta humanitate permanaſſet in venas, & in delicatiſſimis viſceribus ſedem fixiſſet. Quis novus hic? inquies, carnifex, informe monſtrum, nihil habens communis ſenſus, uno verbo, lapis eſt. Sed ne me putes jocari in re ſeria,

 dira

dira hæc invaſio νεφρίτιδος pluſculos dies magnis me cruciatibus diſtulit & propemodum diſſolvit. Ea cauſſa eſt, quæ ſi paulo tardius reſpondeam, tibi me, qui nobis non ſolebas eſſe iniquior, nullo, ut reor, negotio excuſabit; tu quidem fulminas, & neſcio quid præfatiunculæ a me exigis, de qua ne cogitare quidem integrum mihi fuit; redeuntem me ab amplexu tuo variæ eæque graves curæ excepere, quibus non poteram manum ſubducere. Fatebor etiam, fortaſſe nolui; mihi certe nunquam in mentem venit in ejuſmodi opuſculum ambitioſius præfari. Sciaſſio, ut literarum omnium eſt amantiſſimus, placebat Heinſii noſtri nomen præfigere; non improbavi, immo hortabar ſedulo, ſed optimi viri voluntatem forenſes tricæ retardarunt; nunc quoniam Dei Opt. Max. beneficio fortunas ſuas magnam partem in tuto collocavit, de cetero moleſtiorem triconibus quam ſibi litem habebit. Utinam ſuperioribus diebus adfuiſſes! præfiſcini dixerim, videtur nobis belle rem & pulchre egiſſe, non afflictis, ſed magna cum eorum infamia & turpitudine plane fractis adverſariis: quid enim turpius, quam in re omnium æquiſſima, quam natura imperabat, ampliſſimi ordinis auctoritate compelli? hinc novæ iræ & lacrymæ, non credas quos nobis dolos & laqueos ſtruxerint, ſed eos divina providentia detectos conſilio atque induſtria eluſimus; nunc quæ pari, aut etiam vehementiori contentione diſputantur, ad ingentes quidem pecunias excurrunt, ſed nos ut dixi minus torquent. Igitur amico noſtro aurem vellam, ut, ſi quem velit, in limine iſtius opuſculi compellare, id quam citiſſime faciat, neque amplius typographi commoda moretur. Quod ſi ſex aut ſeptem dierum intervallo diutius moram interpoſuerit, auctor tibi ero, ut libellum illum tuo arbitratu divulges, dummodo caveas, ne quam mei mentionem faciant. Hoc ſerio te ex animi ſententia obteſtor, velis proſpicere ne graviſſime in re tam levi me lædant. Satis me pungunt aculeatæ literæ tuæ, in quibus non unus eſt locus, de quo vehementius tecum expoſtulem. Intempeſtiva ſunt κελεύσματα, quibus me ad publicandos itinerum noſtrorum fructus non abſque ſtomacho provocas; parce tibi aut mihi potius, & ſinas, obſecro te, exiles conatus meos matureſcere. Næ tu homo es ſane quam lepidus, qui nihil de te ſollicitus, alienæ ſummam diligentiæ mirifica accuratione ad calculos revocas: amo tamen lepores iſtos ingenii tui, ſed quem mihi campum aperis effuſis quadrigis in te excurrendi? tempero mihi & ſaluti eſt tibi morbus meus: ajunt medicorum filii non expedire ἐν τοῖς δυσεντερικοῖς declamandi intemperiem. Hæc quidem ad te per jocum ſcribo: noſti minas amantium, quibus non credo animum tuum vehementer perturbari: tamen ne impune me videaris vellicaſſe, liceat mihi in te paululum inquirere. Numeremus pace tua annos, quibus magno noſtro damno Polyænum premis, detines. Quid eſt, quod diutius obſervationum tuarum libros nobis invideas, quos non ignoro tibi in mundo eſſe? Aſcræo vati beneficium promiſiſti; quid ergo differs? De Theocrito ſi quid probe memini, aliquando ſpem nobis faciebas: age, expedi te, & nos non patere vana ſpe lactari. Cetera quæ erudito orbi tua ad unguem omnibus elegantiis

gantiis

gantiis polita indoles pollicetur, quando erit ut comere & limare queas deſinere? nihil te purgas, qui muneris publici labores nobis opponis. Ego vero omnes ejuſmodi tam publicas, quam privatas exercitationes ſoleo literatorum hominum jucundiſſimum otium interpretari: quid enim in ſcholis tuis tractas, niſi merum mel atticum & urbanos ſales, quibus alios paſcis, te autem oblectas, & omnem ſcriptionem tuam animas? occuparis in otio operamque tuam, veluti per ludum, locas in iis ſtudiis, quæ maxime cupimus a te illuſtrari. Ego non magnis quidem negotiis, tamen, quæ inſignis eſt infelicitas, meam erga optimas literas conſtantiſſimam voluntatem moleſtis curis frequenter ſufflaminari atque impediri animadverto. Vita tibi quieta eſt, jucunda & quod potiſſimum gaudemus, oportuna tuis cogitationibus: mihi deſultoria, vaga, ingrata, morbis fracta & a prima adoleſcentia innumeris huc atque illuc exercita tempeſtatibus. Non ignoras ante hos ſex menſes cum me conſtituiſſem omnibus ſolutum moleſtiis in literatum ſeceſſum abdere, ut concepta ex longis erroribus mearum rerum tædia innocentiſſimis Muſarum voluptatibus ex animo delerem, plane atque optabam contra accidiſſe, non alia mea culpa, quam quod ab indigniſſimarum ſordium iniquitate & malitia defenſam amiciſſimi hominis ſalutem cupiebam. Vide nunc & arbitrare, quam mihi ſuaviter inſultes pauculos menſes in hujuſcemodi turbis occupatos ſilentio tranſigenti. Expecto tempora poſthac magis tranquilla: quæ ſi Dii immortales conceſſerint, ut tuis admonitionibus locum dare, iiſque ſtudiis, in quibus omnem ſpem delectationis noſtræ poſuimus, vacare ex animo poſſim, ſupero Craſſum divitiis, atque omnium ſcenas & theatra libenter aliis relinquo. Duisburgum non quidem contemno, ſed neſcio quam ſortem fors mihi objecit: adeo multa ſunt, quæ me revocant; totus rerum mearum converſus eſt orbis, ne me credas exiguo momento huc illuc impelli. Mutare ex fatorum arbitrio ſententiam, & in melius conſilia referre, an hoc eſt Principibus illudere? quanti ergo libertatem meam vendidi? aut quo pretio operam meam addixi? injuriam mihi facis duriuſculis exprobrationibus tuis, & conſcientiam tuam interrogo, quid in hac ſalutis meæ cura peccem. Quare etiam te atque etiam rogo, ſi res meæ tibi ſunt curæ, advola & rationem opinionis noſtræ maturiori judicio præſens excute; non injucunde feriabimur: tu fac, ut ferias nobiſcum auſpiceris. Cimbricam profectionem morbus moratur: tamen ſi, quam nunc iratam habeo, Hygeiam paulo benigniorem experiar, iter noſtrum maturabimus, & ne quid te celem, neceſſitate quadam compellimur ante Eidus hujus menſis diſcedere; ſed alia & breviori via: ideoque niſi in reditu, Francofurto deſcendens ſecundo Rheno, Academicos tuos ſalutare non potero, quibus ſi me amas, ut fidem meam bonam præſtes, tuæ erit pietatis & benevolentiæ; dabo operam ut te metu liberem ne viris bonis malum nomen videar. Kriwizio omnia præſtabo, quæ ſumma ejus & modeſtia & eruditio meretur, ſed diem diſceſſui conſtitutum, niſi moleſtum eſt, accuratius indica. De ancilla ſero mones: res integra eſt villico, de quo ſi potes, confice.

D 2 Vale

Vale & ſi hæc epiſtola videatur tibi paulo moroſior, cogites morbi hoc vitium eſſe, non animi. Hagæ-Comit. a. d. IV. Non. Jun. CIↃ IↃ C LXIV.

Sciaſſius noſter te & lectiſſimam feminam, uxorem tuam, amantiſſime ſalutat.

EPISTOLA XXIII.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO.

Marquardus Gudius S. D.

Ultrajectum,

DIi male faciant iſti perditiſſimo nebuloni, cujus caſtigandis fraudibus inter rabularum σκήψεις atque ἀναβολὰς tantum nobis perit pretioſi temporis, ut omnium pene neceſſitudinum noſtrarum obliviſci videamur. Nudius quartus, cum redditæ mihi pridie ejus diei eſſent literæ tuæ, plenæ amoris & benevolentiæ, eoque nomine maxime vellem celeriter, uti rogaveras, ad vos venire, ex eo genere, neſcio quid forenſium tricarum interceſſit, in quo optimi amici noſtri commodis præſto me eſſe oportere animadvertebam. Hoc tibi ſignificandum duxi, ne quid hac in cunctatione mihi vitio vertas, qui profecto incredibili deſiderio tui angor: tuæ erit æquitatis & ſapientiæ, quia te in eodem πάθει video, paucorum dierum moram tranquillo animo ferre. De filiola tibi gratulor, mihi gaudeo, quod ejus nomine me quoque in partem ſanctioris curæ, judicio amicitia noſtra digniſſimo, amanter voces; non credas, quam me oblectem honore veſtræ hujus ſententiæ, quæ cum mihi ſit gratiſſima, ſequitur illud ut te exiſtimare velim, mihi magnæ curæ fore atque eſſe jam, ut ipſe tu, tuique omnes, deinde etiam ut reliqui intelligant, me tibi ſingulari quadam & perpetua, præ ceteris omnibus, fide & voluntate longe eſſe conjunctiſſimum. Vale. uxori tuæ, lectiſſimæ feminæ, plurimam noſtro nomine ſalutem dicito. raptim Hagæ-Comit. CIↃ IↃC LXV. a. d. VII Kal. Sextiles Gregorianas: nos ante Idus expecta.

EPISTOLA XXIV.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO.

Marquardus Gudius. S. D.

Ultrajectum,

IDus ſextiles ſunt elapſæ, & memini optime, ſpem vobis feciſſe me adventus noſtri ante illum diem; non dubito quin mirere, quod irritis pollicitationibus tuum noſtri deſiderium moremur; quæ cum res ſit meo quoque judicio moleſtiſſima, vererer ne ſtomachum tibi faceret, niſi cognita mihi & plane perſpecta eſſet eximia illa naturæ tuæ bonitas; mihi etiam quid putas animi eſſe, jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ fruſtra ſitienti? dum quotidie ad te venire cupio, omni delectatione, literiſque omnibus careo, quas, mihi crede, ante

attingere

attingere non poſſum, quam te videro. Sed ab acceſſu urbis veſtræ deterremur adverſis rumoribus: ajunt ejus partem magnam vicinoſque agros totos gravi peſtilentia conflictari; nos magna ſumus ſolicitudine tui cauſſa; ſi me amas, hoc nos metu libera & te ſerva nobis & tuis. Vides nunc quid te rogatum velim, ut quanta maxime poteris celeritate cum optima uxore tua huc advoles, ut præſentes vos omnibus lætitiis lætos & hoſpites videamus. Hoc mecum te flagitat ὃς ἡμῖν φίλος ἐπιδέξιος, cui non poſſum abhorrenti auctor eſſe periculoſæ profectionis: non diſputo an talis tibi videatur: ſufficit mihi a te impetraſſe, quod omnium maxime hoc tempore deſidero. Habeo quam multa quæ te ſcire, tua non minus quam mea intereſt. Veni ergo celeriter, & cave hoc neges amicis de ſalute tua anxiis. Vale. Hagæ-Comit. VII. Kal. Sept. Gregor. CIↃ IↃC LXV.

EPISTOLA XXV.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO.

Marquardus Gudius. S. D.

Lipſiam,

DE itineris tui felici ſucceſſu mihi jucundiſſima fuere, quæ oportune, ut volebam, ex literis tuis accepi: ſpero ejus quod reliquum eſt brevi ex voto noſtro haud minus popitiis diis confectum iri; tu quæſo matura reditum, atque his oris quamprimum redditus, pro veteri, quod mihi tecum eſt, hoſpitio e navi recta, ſi me amas, in amplexus noſtros propera; nos certe mirifico tui deſiderio tenemur, cujus igniculos non alit modo, ſed etiam accendit animorum ille tacitus conſenſus, eadem voluntas, idem de ſtudiis noſtris judicium. Sed licet te ſemper eo nomine tantum dilexerim, quantum olim tu intelligere potuiſti, tamen, crede mihi, poſtquam nuper ex intervallo ſingulares illas ingenii tui ſuavitates reguſtare cœpi, ad meum erga te amorem ſentio tantum acceſſiſſe, ut eo nihil jam poſſit eſſe ardentius. Viri docti quid agant, quid moliantur in illa Germaniæ noſtræ politiſſima parte aveo ex te audire, inprimis autem quid ſperare debeamus de Pauſaniæ reſtitutione ex MSStis illis ἀποκρύφοις. Inſcriptio hæc Puteolana, cujus Reineſianam explicationem ex ejus inſcriptionum ſyntagmate deſidero, petita eſt ex Capivacii hiſtoria Neapolitana:

D. M.
M. VALERIVS. DEXTER. LIB
NEPTVNO. MANIPVLARIS
C. CALBISIVS. CEREALIS. IIII
DACI. COHERES

Sed velim præterea libenter intelligere, an eo in ſyntagmate præter illas e ſchedis Piccartinis & libris editis collectas multæ ſint Inſcriptiones antea nunquam editæ, ex quibus ſi nobiliores aliquas in Germania præſertim repertas tibi va-

caret excerpere, qualicunque etiam ſucceſſu magnam a me gratiam inires, dummodo ne id incommodo tuo feceris. Batavi tui tandem invitis licet ringentibuſque malis diis pacem habebunt, cui tamen vix natæ exemplo in omni memoria prorſus inaudito nequicquam litatum fuit aliquot mille hominum ſanguine. De puella noli laborare; res ea eſt indigna curis tuis: alia via atque opera curabitur. Vale, virorum amiciſſime & plurimum ſalve a me meiſque. Hamburgi. a. d. XIV. Kal. Septemb. Jul. CIↃ IↃC LVIII.

EPISTOLA XXVI.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO

Marquardus Gudius. S. D.

Ultrajectum,

INcredibili me voluptate perfudit epiſtola tua plena pulcherrimarum rerum, venuſta, gravis, atque ut omnia tua, omni ex parte papavere & ſeſamo ſparſa: utinam animum quotidie tam lauto victu atque eleganti paſcere, aut inter multarum rerum inſolentium faſtidia ſaltem reficere ſæpius nobis liceret! tu, cujus tantum eſt flumen ſuaviſſimorum & optimorum verborum, cui rerum ſcitu digniſſimarum ſive veterum, ſive recentium tanta domi copia, quem loco ſtudiis noſtris oportuniſſimo vitam degentem nihil eorum fugit, quæ paſſim a literatis hominibus per totam Europam geri aut tentari ſolent, amicum talium fabularum cupidiſſimum frequentius honeſtiſſimi voti facere compotem, tuarumque literarum deliciis fovere liberalius nullo negocio poſſes: noſtram in ſcribendis literis indiligentiam te imitari nolim: amicitias animo conſtanti potius quam tenui quadam papyro colimus. Sed præſertim in ſeptentrionali hac ſolitudine, ubi nihil niſi merum rus, meras ineptias videmus atque audimus, humaniter ignoſci fas eſt circa hæc amicitiæ officia ἡμετέρῃ βραδυτῆτί τε νωχελίῃ τε. Labbæi gloſſaria, quæ olim in Gallia vidi, quam vellem publice jam extarent: ſunt enim bonæ frugis & multæ variæque eruditionis. Hiſtoriam ἀνέκδοτον Byzantinorum Impp. quamprimum apud vos habere licuerit, fac ſciam. Caſſiodori operum novæ editioni conferre multa potuiſſem. Quis ille eſt Oratorii collegii ſacerdos, cujus hiſtoriam Bibliorum Criticam Lutetiæ ſtatim atque lucem aſpexit, auctoritate publica Vulcano conſecratam ſcribis? P. Simonem Pariſienſem Gallice nuper edidiſſe de verſionibus ac commentariis Biblicis librum plenum invidiæ ſed utilem ex Anglia nobis ſcribunt; an ejuſdem auctoris idem ſit opus a Bigotio & Juſtello adeo vobis laudatum ſcire velim. Narrant præterea Angli, prodiiſſe nuper ibi Alfredi vitam cum egregio commentario & ectypis Saxonicorum numiſmatum: Outramum etiam de Sacrificiis cum applauſu publice jam legi: Moriſoni grande opus de Plantis pulchre procedere & typis ſuis & ſchematiſmis: Cyprianum ſudare ſub prælo theatri Scheldoniani: extare etiam & laudari novam editionem Herodoti, Ornithologiam Willoughbæi, Robinſoni Annales & Cudwothi

wothi doctum & ſpiſſum opus adverſus Atheos anglice ſcriptum. Herodotum ſi vidiſti, certiorem quæſo me facias quid in ea editione præſtiterint & quibus ſubſidiis. Lutetia dudum expectamus Huetii noſtri pro religione Chriſtiana doctiſſimam, ut reor, Apologiam; nihil niſi doctum omnibuſque numeris abſolutum ab illo viro proficiſci poteſt. Accipis indiculum librorum Holſtenianorum, qui ſuperiori anno poſt longam expectationem Roma tandem in publicam civitatis hujus Bibliothecam ſunt advecti: ſi quatuor aut quinque exceperis, reliqui ſunt vulgares. Sed aliquanto plures ille melioreſque civibus ſuis deſtinaverat, quamvis, ut verum fatear, ob ſtupendam talium ſtudiorum imperitiam indigniſſimumque contentum, nimis multos jam accepiſſe videri poſſint. De curis Vlitii ſecundis multum te amo. Inſcriptiones tam eleganter a te conſervatæ valde mihi placuerunt: ſed quando reliquas habebimus? Flori tui ingens nos deſiderium tenet: epiſtolas Ciceronis ad Familiares, munus te dignum, nondum accepimus, acceptas, quoniam ita vis, æque tuo atque illius nomine, auro contra cariores habebimus. Illuſtri viro τῷ πάνυ Heinſio, cujus nomen ſemper mihi in honore & pretio fuit, veterem meam obſervantiam, ut præſentem præſens te rogabam, ore tuo teſtatam eſſe cupio. utinam nobis aliquando hiſce in locis, te comite ac duce, jucundum ejus os oculoſque ſuaviari contigeret! Si me amas, operam dabis ut brevi nobis tam beatis eſſe liceat. mihi quidem utriuſque veſtrum ſtudioſiſſimo nihil gratius facere poteris. Vale, vir amiciſſime. Hamburgi xv. Kal. Martias anni CIↃ IↃC LXXIX.

EPISTOLA XXVI.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO

Marquardus Gudius. S. D.

Ultrajectum,

HAbeo multa, amicorum ocelle, quæ animus geſtiebat familiariter in ſinum tuum amoris & fidei plenum effundere, coacervata tractu temporis, dum ad ſuperioris epiſtolæ meæ capita nonnulla certiorem, ut ſpem feceras, reſponſionem expecto: ſed earum rerum poſtquam aliquid alia via cognoſſe datum eſt, tecum hodie de reliquis multis per literas collocuturus, interpellantibus ſub tabellarii diſceſſum amicis, præter opinionem anguſtia temporis excludor, ut pleraque ſcriptionis argumenta neceſſe habeam in aliud tempus differre. Scio id tibi permoleſtum accidere, cui literæ noſtræ, ut mihi tuæ ſolent, quo longiores, eo videntur gratiores: mihi ſane & incommodum eſt, & vitio verti poteſt, poſt tantam ſcribendi intercapedinem officio meo tam leviter defungi. Sed aliorum hæc culpa eſt, non mea: itaque de ceteris, ut dixi, propediem: nunc tantum unum atque alterum e multis, id vero præcipue delibabo. Proximis ſuperioribus diebus redditum eſſe mihi, quemadmodum voluiſti, Tullianarum ad Familiares epiſtolarum incomparabile opus, poſt varias ſummorum virorum curas nunc tandem felix te adjutore: tui certe peracris judicii magnum atque

atque æternum monumentum, quod more calculoque Catulliano baſiis propemodum infinitis excepi; quid illi tuo rependam pulcherrimo muneri? nihil nunc quidem in mundo eſt mihi, quod ejus dignitati atque elegantiæ reſpondeat. Liceat mihi pace tua referre id tantiſper in tabulis accepti: brevi, ut ſpero, bonum nomen ero. Inſcriptiones quatuor, quas poſtremis tuis addidiſti, voluptati mihi fuiſſe, grato animo libenter agnoſco, ſed omnino nova eſt earum prima, Luſciniæ dicata, ab erudito homine, noſtro aut ſuperiori ſeculo, ludicre confičta, nihil vetuſtæ habens gravitatis, nihil ſuavitatis nativæ, putidis verborum alluſiunculis ad nauſeam laſciviens, immo voculis quibuſdam & locutionibus ex antiquitate nimis imprudenter affectatis ſtatim turpiter ſe prodens, quales in Italia recenti manti marmoribus inciſas plures vidimus. Hoc quamvis ita ſe habere te rerum antiquarum acerrimum cognitorem minime fugiat, plene tamen conſtat officii tui ratio, eoque nomine nihilo minus tibi debeo; atque utinam reliquas omnes, quas domi habes aut aliunde nullo negotio potens eruere, illam inprimis, quam magnopere deſideramus, Herodis Attici Latinam, nobiſcum velles primo quoque tempore communicare! Sed de his rebus alias accuratius. Nos adhuc inter pacis ſpem & belli metum pendemus: vulgus certe bellum difficillimum timet: aliter ſentiunt, qui externis rerum ſimulacris nihil moventur; quis enim ignorat eventum congreſſus Diomedis cum Glauco? qui vero ſciunt, quid aliis acciderit, facile ex aliotum eventibus ſuis rationibus poſſunt providere; itaque ſpes prope certa eſt, brevi fore quod dudum vovit Mariangelus Pantagathi, cujus epigramma in pacem utrique Belgio ad extremos uſque Indos a rege datam pridem vidiſſe te puto. Ampliſſimi Trelſchii noſtri egregiam erga me voluntatem maximi ſemper feci: favi certe faveoque ex animo conſtanter, ſi quiſquam alius, optimi viri virtutibus, iiſque ſumma quæque deberi jure meritoque palam profiteor; nihil eſt quod ejus cauſſa, ſi quid juſſerit, intentatum relinquam: *facta putet, quæcunque velit*. Nec profecto minus amicis ejus cupio quam ipſi; ſolet enim optimum quemque in amore & deliciis habere: odiſſe vero homines nequam, ingratos, perfidos, perjuros ejuſque farinæ ſimiles alios. De talium κερκώπων ἀγορᾷ quid ille ſerio ſentiat, mihi fuit longe gratiſſimum ex literis tuis cognoſcere, eaque ratione plenius confirmari, quæ aliunde de ejus præclara voluntate ſub idem ferme tempus acceperam. Quanquam autem de viri tam prudentis excellenti judicio, immo dudum perſpecta cognitaque juſtitia & pietate aliter ut crederem, mihi nunquam perſuaderi potuit, tamen poſtquam etiam te interprete priſtinam ejus erga me fidem & benevolentiam, flagrans ſtudium, mirificum amorem recognoſcere mihi licuit, triumphare gaudio, boniſque omnibus adverſus malorum quorumvis inſidias magnum talis viri pulcherrimumque & præſidium in rebus adverſis & adjumentum in ſecundis merito gratulari cœpi. Vides, quantam quamque certam de eo ſpem habeamus: tueatur eam omnibus modis, quo nihil erit glorioſius: præſtet ſuo tempore, ut ſemper religioſe ſolet, fidem per te atque alios datam, quo nihil eſſe poteſt ho-

honeſtius; occupet, arripiat, teneat rei fortiter juvandæ brevem, ſed Θεοῦ διδόντος certam, quæ propediem ſperatur, occaſionem, quo nihil meo judicio ejus rationibus expediet magis. De me autem velim ſic exiſtimet, amico veteri probæ vitæ & fidei, qui nihil æque ac bonum nomen tueri cupit, omnia quæ velit, & credi rectiſſime & committi tuto poſſe, quod meo nomine ſancte ut pollicearis, etiam atque etiam te rogo. Nihil mihi gratius facere poteris homini tui tuorumque commodorum ſtudioſiſſimo. Utinam hac æſtate te iterum videre atque amplecti, aut potius tua jucundiſſima conſuetudine hiſce in terris perpetuo frui nobis liceret: nam nobiſcum te eſſe, ita mihi omnia, quæ opto, contingant, ut vehementer velim, quod certe ut conſequar, ſi vivam, quantum in me erit, omni ope atque opera enitar. Vale cum tuis & me ama. Raptim Ampliſſ. Goeſio quantum debeam, ſcribam proxime. Hamburgi. 21. Maj. 1679.

EPISTOLA XXVII.

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO

Marquardus Gudius. S. D.

Ultrajectum,

TArdius reſpondeo, primum exemplo tuo, quod velim pro ea, quæ in te eſt, humanitate æquo animo feras: deinde neſcio quo fato meo, plerumque a ſuaviſſimo hoc officii reddendi commercio, contra atque oporteret, aliis moleſtiſſimis occupationibus tanquam turbine aliquo dejectus; hac præſertim æſtate, dum tuis reſponſum debeo ſuavitate, officio, amore refertiſſimis literis, negotiorum domeſticorum oppreſſus immani mole, quæ etiam nunc mei me juris eſſe non ſinit. Sed moram qualemcunque neque ambitioſe multum apud te excuſare, neque quod tu facis, anxie nimis deprecari conſtitui; amicitia quæ olim inter nos pulchre nata, innocue una cum ætatibus adolevit, tibicine hoc non indiget: non eſt certe ex earum numero, quas ἀπροσηγορία diſſolvit. Nam ſi, ut ſapienter cenſet Tullius tuus, omnis vis amicitiæ eſt in voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum conſenſione, fieri profecto haud poteſt, ut amicitiæ noſtræ ſtabilitas unquam vacillet, tantum abeſt, ut ullo ſive temporum ſive locorum intervallo convelli atque everti funditus queat. Quin omnino ab hac parte ſecurum te eſſe jubeo: amo te mirifice, amo conſtanter, neque ullo modo, quantum in me erit, voluntates noſtras divelli aut diſtrahi patiar. Tu quin idem ſis facturus, dubitare me non ſinunt tum ea, quæ dixi, ſummæ conjunctionis arctiſſima vincula, atque adeo ipſæ illæ interiores literæ noſtræ, in quibus ego libenter verſari me haud inficior, tu autem admirabile quantum excellis, tum maxime tot egregia non tantum privatis, ſed publicis etiam monumentis a te conſignata ſingularis amoris erga me tui teſtimonia. Mitto cetera, quæ in manu ſunt. Illud quod nuper ad Florum de me glorioſius quam decebat prædicaſti, ex amore nimio profectum eſſe

quis non videt? ego quanquam id in me haud eſſe ſentio, quod eſſe dicis, diffiteri tamen non poſſum, voluptatem animo non mediocrem cepiſſe me ex amore hoc tuo, cujus ne unquam te pœniteat, omni ope atque opera enitar. De cetero nemo jam erit venuſtiorum hominum, cui Flori ipſius tua cura novum ſibi ingenium induentis multo nunc amœnior facies non arrideat: eoque nomine & Floro vehementer gratulor, & tibi gratias ago maximas, tum quod auctorem optimum a contemtu defenſum, atque integritati ſuæ miro cum nitore reſtitutum, tum etiam quod ejus tam pulchre comti atque omni ex parte ad novam laudem effloreſcentis exemplari me quoque inter primos donatum volueris. Hippolyti commentariorum in Danielem aurea, quam nobiſcum communicaſti, particula tuam etiam de nobis bene merendi præclaram voluntatem prolixe teſtatur; integri, quod ſciam, nuſquam hodie reperiuntur. Fragmenta ex iis varia variis Italiæ locis ſupereſſe memini: quædam olim e bibliotheca Medicea transſcripſimus, ſed veſtra hæc cum auctiora ſint, per mihi gratum feceris, ſi quamprimum reliqua aut potius qualiacunque etiam fuerint, omnia cum ipſa ἐπιγραφῇ a capite ad calcem meis ſumtibus deſcribenda curaveris, ut lacera hæc & disjecta tanti Viri merito veneranda λείψανα utcunque ſervata cum reliquis ejus opuſculis quamprimum conjungi queant. De duabus, quibus me haud minus beaſti, in agro veſtro quondam repertis inſcriptionibus plurimum te amo: vix credas quam mihi gratæ atque acceptæ fuerint, cum meam quandam annis abhinc quatuordecim, quod præfiſcine dixerim, diligenter & caute excogitatam interpretationem obſcuriſſimarum aliquot inſcriptionum luculenter tueantur & confirment. Mihi curæ erit, ut eo nomine quantum tibi debeamus, propediem omnes intelligant, qui aliquo reconditarum antiquitatum ſtudio tenentur. Sponii novam ejuſmodi monumentorum συλλογὴν nondum hic locorum vidimus. Reineſiani Syntagmatis prima claſſis Deorum Dearumque exhibens titulos, ſingulari beneficio Cl. Carpzovii, ſuperioribus diebus tandem ad nos pervenit. Hanc dum anno amplius expecto, quod eam ſub prælo eſſe ſcirem, Gruteri corpus Reineſianum tantiſper magno cum dolore meo detinui: cupiebam enim ne actum agerem, antea experiri, num inſcriptiones, quas paſſim ad Gruteri marginem Reineſius adſcripſerat, in ejus Syntagmate Lipſienſi fideliter omnes exhiberentur: nunc poſtquam earum in prima hac claſſe ne minimam quidem omiſſam video, de ceteris inde conjecturam capiens, mihi nihil æque in votis eſſe ſcito, quam ut primo quoque tempore, optima fide, de qua non eſt quod ambigas, tuto ad locum ſuum referatur. Interea dum ejus rei in dies occaſionem certam captamus, Illuſtri Seckendorffio moram hanc omnem perquam officioſis & diligentibus verbis excuſandam curavimus. Venio nunc ad ultimam epiſtolæ tuæ partem, in qua ὡς ἐν ἐπιτομῇ pulcherrime ſeſe tuus ille ſæpe ſpectatus in me amor oſtendit. Quod enim rerum mearum Batavicarum ſalutem tibi maximæ curæ fore, immo mea cauſſa velle te omnia, identidem benigne polliceris, dici vix poteſt, quam oratio hæc benevolentiæ atque amoris plena indignis me affectum incom-

modis

modis ad certam ſpem erexerit; tui quod ſupereſt jam erit & conſilii & judicii, diligenter diſpicere, qua potiſſimum ratione illis rebus noſtris tua tuorumque amicorum gratia atque auctoritate quam celerrime ſuccurras, ne diutius in his tricis moremur, quæ omnem de te tuique ſimilibus egregiis viris ultro bene merendi viam nobis præcludunt. Quæ poſtremum amœnæ coronidis loco de Illuſtris Heinſii noſtri perpetua atque conſtanti in me voluntate tam ſuaviter nuncias, ex plurimis, quas habet epiſtola tua, jucunditatibus & omnium primæ & maximæ mihi voluptati fuere; ego ſane priſtinæ obſervantiæ, qua virum tantum ſemper colui, nihil unquam patiar decedere. Virgilium & Vellejum Paterculum, quos ab eo mihi miſſos dicis, ſancte teſtari poſſum me non vidiſſe, idque eo tantum ſcribo ne intermiſſi, quod eo nomine perſolvere debebam, officii coarguar; nihil mihi gratius facere poteris, quam ſi inſignium ejuſmodi virorum amicitias mihi tum novas concilies, tum inprimis veteres noſtras, ea qua multum vales, gratia tuearis & conſerves. Vale. Hamburgi. Prid. Eid. Sextil. CIↃ IↃC LXXX.

DOCTORUM VIRORUM AD MARQUARD. GUDIUM EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

MARQ. GUDIO. S. D.

Th. Reineſius.

Jenam,

SUper tuis ad me epiſtolis, & Scazonte, quem publice quoque legi curaſti, quomodo animo adfectus fuerim, e moribus meis, quos paucis aliunde mutuatus verba delineabo, promtum fuerit tibi divinare. Ὀυδὲ ἄλλως μὲν χαίρω τοῖς κολακικοῖς τὸν τρόπον, quibus adfines maxime ſunt οἱ ἐν τοῖς ἐπαίνοις ἄσωτοι, ἀλλά μοι δοκοῦσιν οἱ τοιοῦτοι γόητες εἶναι, καὶ ἥκιστα ἐλεύθεροι τὴν φύσιν; ἔτι δὲ τοῖς ἐπαίνοις μάλιστα ὅταν τις ἐπαινῇ με, φορτικοὺς καὶ ὑπερμέτρους ποιούμενος τὰς ὑπερβολάς, ἐρυθριῶ τε, καὶ ὀλίγου δεῖν ἐπιφράττομαι τὰ ὦτα, καὶ τὸ πρᾶγμα χλεύῃ μᾶλλον ἢ ἐπαίνῳ ἐοικέναι μοί δοκεῖ. Μέχρι γὰρ τοῦδε οἱ ἔπαινοι ἀνεκτοί εἰσιν, εἰς ὅσον ἂν ὁ ἐπαινούμενος γνωρίζῃ ἕκαστον τῶν λεγομένων προσὸν ἑαυτῷ. Τὸ δὲ ὑπὲρ τοῦτο ἀλλότριον ἤδη καὶ κολακεία σαφής. Nimirum, cum plerorumque, que de me magnifice prædicaſti, καὶ ὑπερεπῄνεσας, nihil in me agnoſcam, ſenties quo tuus tibi Panegyricus curioſe comtus ſtructuſque evadat: in quo ſi fuiſſes moderatior continentiorque, ἀνεπίφθονον μέντοι πεποιήκεις ἂν τὸν ἔπαινον: quod nunc evenit ſecius. Unus audaciam tuam excuſaverit amor, qui modum tenere nequit; ut non opus habeas, quod poſſes tamen, prætexere, ἐλευθερόν τι ἔπαινον, οὐδ' εἶναι αὐτῷ μέτρον, οἷς μέγεθος ἢ βραχύτητι νενομοθετημένον. Eum amorem tuum inhumanus ſim ſi refutem, etſi, quod feciſti, gratum accidiſſe mihi fateri erubeſcam; faciamque porro ut intelligas, me bonis literarumque cupidis mentibus favere ex animo, delectarique, & levem ſenectutem videri eorum, qui a juventute, ſenum præceptis, quibus ad virtutis ſtudia ducuntur, gaudente, intelliguntur & coluntur. In lapide Auguſtano ſive DUILLIUS, ſive BELLIUS recipiatur, habendum eſt in promiſcuo.

Eſt

Eſt enim ejuſdem Gentis nomen utrumque: tertium ſimiliter VILLIUS: & fortaſſe quartum quoque BELLIUS; & quintum PELLIUS (niſi hic eſt Opellius) ſic enim variant lapides. Mihi placuit Duillium reponere, quod cognomen Silani in libris & Faſtis toties huic impoſitum legam, nuſquam Billio; eoque exiſtimo, præſente urſa non eſſe quærenda ejus veſtigia, relinquamus hoc παρέργοις. Τὸ BILLIUS autem facilius ex appoſita pictura deduci, ut ſcribis, ego quidem non intelligo; unde τὸ B exſculpi poſſit, viderint oculatiores. Et meorum igitur nihil dum muto. Neque adcredo Merulæ ad Enn. p. 60. qui in Ciceronis Cluentiana Binnium reformat in Billium, *quod Binnii apud Rom. nuſquam noti.* Imo vero ſunt; audimus enim Bennios, Pinnios, Vennios, Venios, eandem familiam. Quod de inſcriptione Albæ Juliæ, in Dacicas puto, reperta ſcribis, obſcurum eſt; ſignifica quænam ea ſit, & de quo. Dacias e ſchedis Monavianis habeo quam plures. In carmine tuo, antequam Lipſiam mitterem Boſio, emendavi voculam, quam volebas; expunxi & ſibilum in *holocauſtomia*. Eſt enim verbale ὁλοκαύτωμα; ab ὁλόκαυςον verbali adjectivo ſubſtantivum formari non concedam. Ad Cl. Jönſeni Spartos, quam primum chartas pellegere vacaverit, fortaſſis notanda quædam venient; ea aliquando candide communicata habebitis amanter. Bene Vale, mi Gudene & ſalve. Ἐκ τῦ παραχρῆμα. Altenb. 23. Nov. a. 1655.

Diatribes de lingua L. Punica ne unicum quidem penes me reſtat exemplar.

EPISTOLA II.

MARQ. GUDIO. S. D.

Th. Reineſius.

Jenam,

COmmodum ante dies octo reſponderam Boſio & Helmio, cum me tibi idem officii debere & Jönſenio recordor; ad id explendum dum adcingor, ecce morbus me prehendit, & nexum detinet ſic, ut de exitu, quem nos ſalutarem vocamus & optare ſolemus γνῶτοὶ ἠδ χοϊνοὶ, res anceps ſit. Differendum igitur eſt iſtud; ἢ πλέον ὅπη ὁ Θεὸς θέλῃ. Ut autem intelligas de amore in te meo, etiam deſiderio tuo de ſuggerendis propoſito tuo, de reliquiis quas vocant SS. quibuſdam indulgeo ἀχνύμενος περ. Indico autem verius quos conſulere ſuper negotio poſſis, quam quid ipſe ſentiam: quanquam in iis, quæ de talibus docent noſtrates plane adquieſcam; in hiſtoria nonnunquam diſſentiam. Non enim omnia, quæ in iſtam rem citari ſolent a gregariis, ſibi conſtant; quod in brevi epiſtolio oſtendere non licet. Inter propugnatores autem λειψανομαπτιολατρείας nomino tibi, præter quos fortaſſe jam excuſſiſti, Carolum Scribanum S. I. qui hoc vehementer agit l. 3. controverſorum orthodoxæ fidei l. 3. per capp. 5. Julium Cæſarem Coturium ejuſdem ſectæ hominem in Epit. controv. demonſtr. Didac. Covarruv. l. 1. Var. reſolut. c. 10. n. 13. & ſeqq. Contradicentes hiſce Vigilantii diſcipulis, qui primus pro ſuperſtitione

circa reliquias ſcripſit, præter quos non ignotos tibi eſſe duco, nomino tibi Calvini Inventarium reliquiarum, uti adpellat Rivetus: Ejus libelli meminiſſe noveris Sleid. l. 15: quomodo eum taxet ὁ λογολέσχης Surius videbis apud Rainold. prælect. de ll. Apocryph. p. 2. 139. Confer etiam ſi lubet Riveti Cathol. orth. Tract. 2. qu. 54: ejuſdem caſtigat. notarum Silv. Petra-Sancta in epiſtolam P. Molinæi ad Hier. Balzacum cap. 19. n. 3. & ſeqq. Item ſcripta ἀμοιβαῖα Grotii & Riveti ad Conſultat. Caſſandri. Mornæum l. 3. de ſacra Euchar. c. 14. & ſeqq. Notabile eſt, quod Julianus Imp. ep. ad Boſtranos, etiam ideo reprehendat Galilæos, tanquam eſſent, ἀπὸ Θεῶν ἐπὶ τοὺς νεκροὺς, ἢ τὰ λείψανα μεταπετραμμένοι. Conſit enim hinc λειψανολατρείας origines ulterius, quam in Gregorii M. temporibus, quod quidam putarunt, quærendas eſſe. Hæc hac vice potui. Tu vero mi cariſſime Gudene bene Vale, & Salve a Reineſio tuo Altenb. XXI. Jun. a. CIↃ IↃ CLVI.

EPISTOLA III.

MARQ. GUDIO. S. D.

Th. Reineſius.

Jenam,

QUod breves accipis & caſſas, curſoris veſtri ſcævitate factum eſt, qui cum tuas heſterno deberet, hodierni medio, & quidem publice inter ſtrepitus fori & latratus cauſidicorum defixo tradidit. Unde vix tempus mihi ſuppetiit legendis tuis, nedum pagellis Boſianis ſerio perluſtrandis. Earum cap. 1. §. 9. ubi de Hymno Prudentii in Romanum XIV. nihil ibi de ritu ſummorum Pontificum inaugurandi doceri recte dicitur; ſed non ſufficit, quod de ſacris Terentinis ex interpretibus adfertur: & cui rei fuere illa? Nemo Antiquariorum hoc expoſuit. Mihi iſta de perceptione taurobolii crioboliive, & tauroboliatis, cujus rei mentio apud Firmicum eſt & Inſcriptiones, interpretari placuit, ut intelliges e commentariolo ad inſcriptionem de Attide Menotyranno, qui Mithras eſt: tu poſtquam legeris ad me redire facias. Cap. 2. §. 9. refert Vir. Cl. inſcriptionem Fanenſem ſeu Arim. p. CLXV. 2. ad Conſtantini M. tempora. Scio ſic adnotaſſe Editores in margine circa Conſtantini M. tempora vixiſſe iſtum L. Turcium Sec. Aſterium; ſed falſi ſunt. Apronianus enim Præfectus Urbi fuit poſt obitum Conſtantini M. Aº. Chr. 339. Filius autem L. Turcius Sec. Aſter: Valente V. & Valentiniano. AA. Coſſ. fuit, teſte inſcriptione 3 pag. CXCII. Circa iſtos Turcios multi ſcrupi ſunt, in quos incidiſſe Viros doctos video, Panvinium inprimis; conſtititque mihi multarum horarum meditatu, dum iſtos ex hiſtoricis & ſaxis conquiſitos digerere & exacte quemque agnoſcere poſſem. Tu ſaltem in hanc rem adi Inſcr. CCCCLXXVI. 7. DCXLVII. 6 & 7. MLXXIX. 1. Ammianum & Cod. Theod. Errant etiam in Aproniano. Quod eod. cap. §. 14. lego *Elogium* DIVI *mortuis tantum dari ſolebat*, e Tacito 15. ann. 44. depromptum eſt. Contra autem venire videtur inſcriptio apud Grute-

Gruterum. p. CXIII. 4. quæ Titum Veſpaſ. etiamnum vivum ſic appellat. Oppoſiturus etiam nonam. p. CLIII. & 9. p. CCXXVI, ecquid σοφῦ φαρμάκου elicies? Argumentum autem a Juliani ῥύσει, & ad oſtendendas origines vel ætatem λειψανολατρείας petitum, non eſſe ſatis firmum tibi οὐ διαφέρομαι. Mihi autem videtur ſatis firmum eſſe, & tuto credi teſti de re, quam videre, audire, cognoviſſe per ætatem aliaſque circumſtantias ipſus potuit, deponenti. Quid vero putas cauſſæ habuit Auguſtus, ut adfingeret Boſtranis eos a Diis verſos ad reliquias Martyrum? Vidit a Boſtranis reliquias coli eorum, quas pro fide tot tormenta & ſupplicia pertuliſſe noverant, & narravit igitur, & objecit vere, non per calumniam. Cyrillus omnia diluit, quæ Galilæis objecerat Julianus, inquis: non diluit autem hoc tanquam per calumniam ab eo dictum eſſet. Ergo reſtat verum quod fuerit, & tale quod negare nec poterat, nec volebat Cyrillus. Φορτικώτερον iſta & inclementius dicuntur in Imperatorem, (quamvis merito deplorandum omnino eum nullius rei fidem mereri) mentitum eſſe omnia. Et qui negabimus nos poſt XII ſeculum quod Theodoretus Cyzic. non tam faſſus eſt, quam plenis buccis deprædicarit ſerm. περὶ τῆς τῶν μαρτύρων τιμῆς, quam contra gentiles acerrime propugnat? Conſilium tuum de editione epiſtolarum mearum, quas habere te a Majore b. m. donatas miror doleoque, plane crudum eſt; eoque me graviter perculiſti. Per omnia ſacra te rogo abſtineas, dum quas, quomodo, ubi vulgaturus ſis, reſcivero. Scribimus ad amicos interdum nulla cum cura; an æquum eſt, ut quiſque, & quidem hoc maligno ſæculo, in publico iſta legat, præſertim non reviſa, & autore ignorante. Recordare turbarum, quas ſive imprudentia ſua ſive malitia, (certe non egerunt ut boni viri) conciverunt in Helmſtadienſes Pruſſi. Super eo negotio rogatus tum & ego quædam ad amicos perſcripſeram de ſenſu meo: quæ cum adverſæ parti per rumigerulos garrulos innotuiſſent, parum abfuit, quin colaphum ideo mihi impingeret τῶν Ἀρχιερέων τις. Vivimus in viperina ſocietate, latetque ſub quovis pene lapide ſcorpius. Φρουρεῖν δεῖ καὶ μεμνῆσθαι. Incepi ante paucos dies digerere amœbæas meas ad Hofmannum & Rupertum Profeſſores Noricos, pro iis ſi typographum reperire poſſes, gratum id foret. Sunt in iis præterquam argumenti medici, pleraque Hiſtoriam & Inſcriptiones illuſtrantia; propria, ſi voles, videre poteris. Paratum etiam habeo ſupplementum Hiſtoricorum Græcorum, ſed ſparſim in chartis; velimque antequam in ordinem coïverint omnia, prius ſpecilegium Ber. a Mallinerot, quod nundinæ nuperæ promiſere, excutere, ne actum agam. Ejus e veſtris bibliopoliis copiam ære meo mihi facito, quæſo, & mittito proxime. Dn. Jönſenium, ſi quando ſcribes peramanter ſaluta, ſimiliter Helmium Hamburgenſem, eidemque ſignifica, libros quos e Belgio pro me miſſos novit, me nondum accepiſſe. Commentariolum ad Inſcriptionem, quem promiſi Var. lect. 1. p. 87. & quem a Jönſenio requiſitum memini, habebis prima occaſione. Cl. Boſio πλεῖν ὑγείαν, & ejus quod molitur, imo vero omnium lætabilem ſucceſſum ex animo opto; tibique mi Gudi, optime valere. Altenb. γενομένης λυχναψίας. a. d. 24. Octob. 1656.

EPI-

EPISTOLA IV.

MARQ. GUDIO. S. D.

Th. Reineſius.

Jenam,

IN miſere diſtractum curis, quas totos dies, μικρόν γε δεῖ, & noctes (mulus nimirum ille Marianus) præſtare publico obnoxius ſum, incidiſti nunc: & hoc frandi tibi erit, ne accipias ad omnia, quæ velles, reſponſum. Ad Nepotem nihil a me exſpectare poteſtis; cauſas novit Cl. Boſius. Reliquiarum ſeu λειψανολογίας gratia non licet hodie mihi excutere θεολογούμενα mea: dixi de iis quantum tum potui. In centuriis Hiſtor. Eccleſ. Hiſp. autore Laur. de Codilla D. Epiſcopo Pampelonenſe lingua Caſtellana ſcriptis, reperire talia, ὅσα κόνις, fortaſſe potero; ſed otium vel quærendo inter alios abdito libro deficit. Tomos illuſtratæ Hiſpaniæ editore Schotto Soc. Jeſ. e bibliothecis veſtratibus requirere huic negotio non ſine fructu licebit. Accipis hac vice particulam Epiſtolarum mearum, de quibus dicebam, & dein alias Rupertinas, itemque reliqua commentarii ad inſcriptionem de Probinis. Obſervabis in iſtis pagellis ea, quibus litera a. & b. prænotata eſt, pertinere ad præcedentem de Clodiis; ſi quod in iis occurrat παρέγγραμμα, vapulet ideo librarius: neque enim contuli ad meum ἰδιόγραφον. Expecto autem ut ad me redeant. Ad inſcriptionem Dacicam mittam omnia, quamprimum deſcripta habuero: ſin id minus, indicabo tamen breviter quid de ea habendum ſit; pro quo labore Scaligerum mihi acturum gratias eſſe ſcio, ſi viveret, homini Germano, quod genus non æſtimant adeo; ut exteri, ita Belgæ nonnulli φορτικώτεροι. Expedivi enim Virum illuſtrem negotio minimo maximo æſtu. Cl. Boſium peramanter ſaluto, & ſecurum tam de nomine, quod apud me contraxiſſe fingit, quam de epiſtola Rhodii eſſe jubeo. Spicilegium de Hiſtor. Græcis B. a Malincrot avide videre aveo. Bene Vale mi Gudi, & ſalve. Altenb. a. d. 20. Decemb. 1656.

EPISTOLA V.

MARQ. GUDIO. S. D.

J. A. Boſius.

Amſtelodamum,

DIu multumque requirenti mihi, Eruditiſſime atque amiciſſime Gudi, ubi terrarum tu & Helmius, primi pariter & optimi Jenenſium amicorum, degeretis; accidit peropportune, ut ferme ſub idem tempus, de utroque certior fierem. Nam Geneva, quo paullo ante excurrerat frater meus, nuntiavit, Helmium ſe Tubingæ ſuperiori æſtate offendiſſe; nudius vero tertius, Thomas Götzius bibliopola Francofurtenſis, hac tranſiens te Amſtelodami vivere narravit, ſimul pollicitus ſe literas ad te curaturum. Quam ego occaſionem non una cauſa minime mihi prætermittendam eſſe arbitratus ſum.

Primo

Primo namque, quod Francofurto diſcedens, promiſeras Te multa ad rem literariam facientia ad me relaturum, ea res dici non poteſt, quantopere in me auxerit deſiderium literas a te accipiendi; quem noram & curioſum, & magnis viris familiarem, denique ſubacto in dijudicandis, quæ ad literas ſpectant, judicio eſſe. Deinde qua vivas conditione, qua fortuna, & quæ a te expectare res literaria habeat (ut in cognoſcendis eorum rebus, quos ſincere diligimus, ſemper ſolliciti ſumus) mire cupiebam recognoſcere. Poſtremo, quid eruditiſſimi quique Belgarum, inter quos vivis, aut nuper ediderint, aut etiamnum moliantur, per te optime omnium me cogniturum ſperabam. Age igitur, mi Optime Gudi, inſtaura commercium literarium, & ſi non omnino veteris inter nos amicitiæ oblitus es, ſi quid vacat, aliquanto explicatius ad me perſcribe, primum quæ ad fortunam & ſtudia tua pertinent; dein cætera, quæ non injucunda nobis futura exiſtimas: inprimis quid Gronovius, Voſſius, Heinſius magna nomina moliantur. Gronovium Vinnio ſucceſſiſſe nuper mihi narratum, ſed incerta fide. Voſſii de vera mundi ætate diatribam una cum apologiis adverſus Hornium legi hiſce diebus, & obſtupui. Multa ſunt ab eo ſubtiliter diſputata, fateor; ſed & multa ſuppoſita, ut certa, quæ neſcio an unquam piis & eruditis lectoribus, probaturus ſit. Quantum enim eſt, bone Deus, quod adfirmat, non minus vere nos habere τῶν ο verſionem, quam habemus Virgilii aut Ciceronis ſcripta? quod negat ullibi Hebraica male ab illis expreſſa? Taceo alia & in his quædam aperte falſa. Pridem ingenium hominis & egregiam eruditionem veneror; credoque adeo multo majorem, non Patre ſolum, ut augurabatur, dum amicus erat, Salmaſius, ſed etiam Salmaſio ipſo futurum fuiſſe, ſi voluiſſet; ſed ut ingenue fateor, ſubaudaculum eſſe & confidentiorem, quam par, erat in aſſerendis, de quibus plerumque cordatiores dubitant, poſtrema ejus ſcripta, meo quidem judicio fidem abunde faciunt. Hornii diatribæ ei oppoſitæ neque ad nos, neque Francofurtum delatæ ſunt; & tamen impenſe eas videre cupio. Tu ſi hac in parte nos juvare potes, fac quæſo, quandocyus; & ut ad Götzium eæ perferantur effice. Quid vero ab Heinſio exſpectandum? An tandem aliquando prodibunt Notæ ejus in Ovidium? quarum deſiderium nuper mihi renovarunt quædam conjecturæ ad eum Poetam Guil. Capoferrei amici nobis hominis, & in conjectando non parum alioqui felicis, ſed libris melioribus fere deſtituti; quas te vidiſſe non dubito: provenerunt enim Lipſiæ ante menſes quaſi decem. Grævium novum humaniorum literarum lumen (ut a Gronovio eum laudari heri in ejus præfatione ad novam editionem Senecæ vidi) Daventriam vocatum, fama eadem tulit, quæ Gronovium Leidam conceſſiſſe nuntiabat. Id an ita ſit, tu facile ſciveris. Ad eum ſcripſi jam ante biennium, literaſque, una cum reliquis Nepotis noſtri, miſi ad Beckenſteinium. Sed dubito an recte curatæ ſint, immo an perierint. Polyæni novam editionem eum pollicitum noſti. Hanc dudum avide expectamus. Niſi proditura eſt brevi, faxo ut Caſauboniana recudatur: neque enim ferendum eſt ejus generis ſcriptore tam diu plures bibliothecas

carere cogi. Ego enim nondum tam fortunatus fui, ut adipiſcerer; niſi quod ab amico Helmſtadienſi mutuum accepi. Quando autem tua de Clinicis prodibunt? Partis ejus, quæ apud nos excuſa eſt, dudum diſtracta ſunt exemplaria, jamque permiſi typographo, ut denuo excudat, aut noſtris de Pontifice brevi recudendis (ita enim volunt amici & typographus) ſubnectat. Quod ſi tacita ſpes eſt, integram prodituram, faxo ut omittat. Scioppii Grammaticam & Paradoxa, tua opera recuſa eſſe ajebat Götzius, id ſi ita eſt, gratiæ tibi non exiguæ debentur: fac autem quæſo ut etiam Minerva ejus Sanctiana & animadverſiones in Voſſium, aliaque pariter prodeant apud vos. Ut de noſtris aliquid addam, poſt abſolutam Chronologiam Boxhornianam, manum adjiciam editioni Joſephi περὶ λογισμοῦ αὐτοκράτορος & fortaſſe Cleomedis quoque de Meteoris. Eum nuper contuli cum MSS. membranis, ſed media ſui parte mutilis: quæ multas Balforei conjecturas confirmant, plures vero ab eo mendas relictas plane ſancire poſſunt. Etiam his ipſis diebus contuli Ariſtotelis libellos de Ilaone, Xenophane & Gorgia, admodum, ut noſti, in omnibus editionibus corruptos, cum membranis veteribus, e quibus pariter multa reſtitui. Incidit & liber de Mundo in manus meas, quam proxime conferam cum editione Vulcanii. Hunc dum nomino, ſimul indignor, neminem animum adjicere ad novam editionem Arriani de rebus Alexandri, quem nitidiоſius ab eo olim publicatum noſti. Vix enim ullus, credo, rarior inventu eſt liber. A typographis obtineri poſſet, uti unum alterumque ſcriptorem Græcum denuo prælo ſubmittant. Polybio id fieri dudum fama eſt: ſperarique futurum ut proximo mercatu Francofurtenſi prodiret. Nec plura charta, ut video, ſed & tempus veſtat. Bene vale mi amiciſſime Gudi, & ſi fieri poteſt, unum alterumque ex eruditioribus Belgis nobis concilia; ante omnes vero magnum Gronovium, cujus virtutem & eruditionem ſic veneror & colo, ut nullum alterum magis. Scribebam raptim medio Octob. A. CIƆ IƆC LIX.

EPISTOLA VI.

MARQ. GUDIO. S.D.

J. A. Boſius.

Getterpium,

JAmdudum aliquid ad te literarum mittere conſtitui, poſtquam magna cum eruditionis fama rediiſſe in patriam, & Aulæ Ducali admotum Te intellexi. Sed deerat occaſio, & verebar ne veteris amici oblivio Te cepiſſet. Nunc poſtquam in iis curandis Reinbothus noſter operam mihi ſuam pollicitus eſt, rem non amplius differendam cenſui: præſertim cum Tuo nuper nomine ſalvere me juſſerit Clariſſimus Dn. Tribbechovius. Gratulor autem ante omnia Tibi de ampliſſimo, quod adeptus es, munere, & magis etiam (nec enim fortunæ heic ullæ ſunt partes) de egregia raraque cum eruditione, tum ſuppellectile literaria domum ex peregrinatione reportata. Deum toto pectore vene-

veneratus, ut utroque diu frui te, & bono publico reique literariæ plurimum prodeſſe ſinat. Ceterum & mihi fortaſſe poteris, ſi voles; idque duabus in rebus, quas breviter commemorabo; Paro editionem epiſtolarum Reineſii τῦ μακαρίτυ; ſcio autem non paucas Eum ad te quoque miſiſſe. Eas ut mecum communices, brevi remittendas, cum exſignatæ fuerint, oro. Fecere id Helmius, Gronovius, plures alii, & commendabo cujuſque beneficium ſuo loco. Noſti & Joſephi me dudum novam editionem moliri; vix dubito, Te aliquos illius codices in peregrinatione inſpexiſſe, forſan & contuliſſe; aut ſaltem emendationes in eum haud paucas habere. Rogo igitur, quicquid apud Te eſt, quod huic Scriptori ornando eſſe poteſt, mecum haud gravate communices. Commemorabo & hoc grato animo publice. Imprimis deſidero codicem integrum decem poſteriorum τῆς Ἀρχολογίας: nam adhuc non niſi manco & recenti admodum, cum epitome Viennenſi, uſus ſum. Nec meliorem vidit Bigotius. Habet tamen, ut ex Chronologia ejus video, Iſ. Voſſius ὁ πάνυ; cujus utinam tua opera, ſi non uſum, ſaltem varietates ſcripturæ impetrare poſſem! Abſque eo fuerit, vix erit ut in iis libris emendandis aliquid præſtare queam, niſi juverit vetus codex Latinus, ante hos annos IↃL Monaſterio Fordenſi in vicinia noſtra a Fundatore illius donatus, quem nuper indagatum brevi me accepturum ſpero. Sed nolo te nunc diutius morari. Plura alias, ubi non ingratas tibi noſtras fore cognovero. Interea vale, Vir Ampliſſime atque eruditiſſime, & me quo ſolebas olim amore complectere. Jenæ ὡς τάχιστα. IX. April. An. MDCLXXIII.

EPISTOLA VII.

MARQ. GUDIO. S. D.

Franciſcus Maria Ceſſinus.

Florentiam,

QUod Nicolaus Heinſius, nobile noſtri ſæculi decus inter graviſſimas legationis, ac ſtudiorum curas mei aliquando meminerit; magnum eſt amoris indicium; majus tamen quod tuis modo valere verbis voluerit. Tam præclarum ejus affectionis præconem, nec meum expoſcebat obſequium, neque mea merebatur fortuna. Ex corde nihilominus gratulor in officioſiſſimo eo, licet nimis brevi congreſſu, quo prætervolans Piſas me convenit; quod & Nicolai amando, & tuas obſequendo abſolute partes expleveris. Ac quod me inviſeris illi, quod me amaveris tibi multum debere me ſentio, niſi hoc quoque malim ejus officiis, quam tuæ benevolentiæ tribui. Ingens eruditio, ac doctrina, qua literatorum allicis animos, nec minor ea humanitas, qua cunctorum corda obſtringis; aureis me devinxere catenis, cum in aureo vere Hippolyti libello de Antichriſto tuo ſtudio nunc primum in lucem edito, aureum tuum ingenium, aureum munus exoſculor. Optarem grates referre, verum cum eas nec tua expetat liberalitas, neque mea referre potuit tenuitas; earum vice mitto ad te inſcriptiones,

 quas

quas cupiebas, mutilas quidem, & obſcuratas, at qua potui majori diligentia pluribus in locis a me expletas. Meum eſt, quod purpureis caracteribus eſt inſcriptum; Tu temeritatem excuſa, & boni conſule hunc qualemcumque laborem. Fac ut Dominus Schas meo nomine valeat; & me, ut Heinſium facis, ama. Datum Piſis Kal. Februar. anno CIↃ IↃC LXII.

EPISTOLA VIII.

MARQ. GUDIO. S. D.

E. Spanhemius.

Romam,

Ita obſeſſas hic nobis narrant graſſatoribus vias, ut vix elabendi ſpem relinquant. Eo ſaltem adigunt, ut omiſſo hac vice Eminentiſſimi Barbarini conſilio, de repetenda Velitrenſi & Tarracinenſi via nobis ſit cogitandum. Hanc inde opportunitatem ſpero, ut Caſſinenſis Monaſterii in reditu uberiori & ſecuriori conſpectu me beatum iri confidam. Alias aut imminentis feſti Neapolitani ſpectaculo, aut litterariis loci illius celeberrimi deliciis fuiſſet nobis carendum. Interim conſilium cepi in arena, ſi forte vacuos nos dimitterent parum officioſi homines, qui has vias infeſtant. Ut nempe Mercatoris veſtri opera refundi mihi poſſent Neapoli viginti circiter piſtolæ, quas vocant, ſi præpoſterum aliquid fatum iniquam hanc mihi injiceret neceſſitatem. Eas primo tempore & bona fide aut vobis præſentabo, aut ſi per repentinam abſentiam non licet, juſſu veſtro, aut Mercatori veſtro Romæ, data ſyngrapha, me perſoluturum ſpondeo. Videtis quæ mea ſit de vobis & affectu in me veſtro fiducia, qui ejuſmodi beneficii, ſi uſus ſe ejuſdem offerat, efflagitator accedo. Si vobis nomen non malum videbor, datis die Sabbathi proxima veredario Neapolitano litteris, aut mandatis mihi inſcriptis conſtare mihi poterit officii veſtri ratio. Interim vide & ſtatue, Gudi Chariſſime, qua ratione rebus tuis iter meum aut Neapolitanum, aut etiam Siculum vel Melitenſe poſſet conſulere, ſi ad hæc poſtrema ſecurus mihi pateat aditus. Nihil in me deſiderabis curæ & officii, quem primo doctrina tua & ingenio, dein luculentis obviæ & paratæ comitatis argumentis demeruiſti. Dabam ὡς τάχιστα Præneſte XIIII Sept. CIↃ IↃCLXII.

EPISTOLA IX.

MARQ. GUDIO. S. D.

E. Spanhemius.

Romam,

Quam conceperam de optima tui erga me voluntate fiduciam, abunde præſtarunt litteræ tuæ, quas hac demum die accepi. Gaudeo tamen ita felicibus auſpiciis inſtitutum hactenus iter, ut votis & exſpectationi tuæ reſponderit

derit eventus. Ita carere poſſum præcipiti, quod a Te exegeram, beneficio, & frui interim explorato obviæ tuæ comitatis ſenſu. Condonabis nimis confidentem forte, quam creare tibi volueram, moleſtiam, quam de tuo in me animo ſecurus, ex nimia tantum cautela, impegeram. Ne tu vero nimium aut amicitiæ leges, aut humanorum caſuum incerta edoctus, quam ut me exinde αὐθάδην & perfrictæ frontis hominem metiaris. De Siculo aut Melitenſi itinere nondum ſpem abjeci, & aliquos itineris comites mihi adjungi ſolum optarem, quales aliquot eſſe ex nova advenarum turba intelligo. Prolixam hic Procerum aliquot, & inter alios Ducis cujuſdam della Torra litterati, ac libris optimis inſtructi comitatem experior. Nihil dicam de loci illecebris, & Puteolenſium ac Bajanarum gratiſſimis & admirandis antiquitatum veſtigiis. Die craſtina in Pauſilypo a Nuncio Apoſtolico, viro optimo & humaniſſimo, ſolenni convivio ſum excipiendus. Sed hæc quid ad Te; quaſi aut non alias & meliores dapes præferres, aut Tibi magna rerum mearum cura deberet incumbere Vale cum ornatiſſimo tuo contubernali, & me, ſi tanti videor, veſtri amantiſſimum redamato. Dabam raptim Neapoli xxv Septemb. CIↃ IↃ CLXII. Florentiæ totam amicorum turbam ſalutare meo nomine non detrectabis. Iterum Vale, Gudi πολυμαθέστατε.

EPISTOLA X.

MARQ. GUDIO. S. D.

Stephanus le Moyne.

Angebar, Gudi doctiſſime, nec leviter angebar, ob diuturnum ſilentium tuum, verebarque ne caſus aliquis inexſpectatus iter tuum interturbaſſet, Scatziuſque tuus, qui non bene recuperatis viribus hinc diſceſſerat, iterum cum morbo luctaretur, adverſaque iterum frueretur valetudine. Tandem vero tandem te ad tuas oras appuliſſe, feliciterque reducem tibi gratulor, mihique gaudeo. Utinam ſuavi lætoque otio frui Tibi concedatur, quo poſſis tuis ſtudiis conſulere, ſpoliiſque tam opimis ditiſſima anathemata parare, aræ temploque Muſarum æternum appendenda. Ea quippe ſpes eſt, quam de te conceperunt, qui te norunt, norunt autem quamplurimi, te tuis temporibus reipublicæque literariæ maximo futurum ornamento, nec a quoquam majora cultioraque, quam a te, nunc eſſe exſpectanda; perge modo quo pede tam feliciter cœpiſti. Sic itur ad aſtra, jamque æternitatis candidatus, ἀληθῶς nomen tuum immortalitati conſecrabis.

Quem referent Muſæ, vivet dum robora tellus,
Dum cœlum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

Utinam Schatzius, Schatzius quidem

Maxima cura tibi, maxima cura mihi,

fovere te porro pergat, & in partem laboris venire velit! ex ſumtibus, ani-

moque ad juvandas bonas literas certe nato, non parvam nomini ſuo conciliaret gloriam; Illum vero vivere, valereque noſque in poſterum, uti facit, diligere jubeo. In Gallia nihil novum. Bochartus adhuc uno ex Collegis orbatus, negotiis Eccleſiaſticis adeo obruitur, ut recurrentes ſingulis ſeptimanis concionandi vices, aliis illum ſtudiis incumbere minime patiantur. Menagius ſemper de Dialectis, Mediciſque ſerio cogitat. Nondum ad umbilicum perductus eſt Diogenes ſuus tanto promiſſus hiatu. Ode Huetianâ hujus faſciculi pondus augere non piget, talibus quippe deliciis te vehementer affici, ſatis ſcio. Vidiſti forſan de Manna & Saccharo tractatum Salmaſii. Neſcio an ſapiat erudito Voſſii palato, ſuper hac quippe materia non bene inter ſe conveniunt duo illa eruditionis portenta. Huic a me ſalutem plurimam dicas, iterum te atque iterum rogo, certioremque illum facias, ſe a nemine pluris fieri, quam a me, qui maximas ſuas virtutes, diffuſamque eruditionem eo, quo par eſt, affectu colo ſemper ac ſuſpicio. Gaudeo illum de omnibus inimicis triumphos tandem ducere,

Et quod jam vacua regnet plaudendus arena.

Et revera Gudi præſtantiſſime.

—— Quis huic viro
Compararier auſit.

Te beatum cui tam jucundi doctique uſura conceditur; utinam & hujus copia mihi fieret, vel tuis leporibus, veneribus, deliciis, ut olim, & nunc affici fata non negaſſent!

O niveam, quæ te mihi poſſet reddere lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!

In dies animadverto, quantis præſentia tua me cumularet commodis, teque hinc non diſceſſiſſe, quæ maxima hic eſt eruditorum penuria, niſi maximo rei meæ literariæ diſpendio, ſtudiorumque meorum lugenda mihi certa jactura. Non omne tamen animi ſolatum evaneſcit, modo noſtri memor vivas, benevolentiaque tua proſequi ſemper non dedigneris tuum Stephanum Monachium. Poſtridie Id. Novemb. An. CIↃ IↃC LXIII.

EPISTOLA XI.

MARQ. GUDIO. S. D.

Johannes Georgius Graevius.

Hagam Comitum,

Vide quanta in vobis ſit ſuavitas. Memoria tot jucunditatum, quibus nos impleſtis, tantopere etiam nunc afficior, ut illæ ipſæ literulæ noſtræ, in quibus ſoleo alias libenter acquieſcere, deſiderio veſtri langueſcant. Ita enim nos accepiſtis, ut horum dierum, quos vobiſcum ſumma cum voluptate exegimus, oblivionem nullum unquam tempus ſit allaturum. Paria vobiſcum facere, non ſinunt rerum mearum anguſtiæ. Sed qui vobis forſan ſatisfacere videor,

videor, mihi ipſe non ante ſatisfaciam, quam hunc animum officiis probavero. Cujus rei facultatem Deos quæſo ut nobis faciant. Vos bene ire, & brevi redire ſalvos & incolumes optamus. Si quid interea, dum abeſtis, gratum vobis jucundumque potero efficere, ſumma contentione operam dabo, ne meam fidem, ſingulareque & eximium ſtudium in omni officiorum genere deſideretis. Nihil enim antiquius habeo, quam vobis teſtatum facere, me amicitiam, quam pridem inſtituimus, ſanctiſſime colere & tueri. Utinam vos ante diſceſſum veſtrum hic liceat complecti! Amſtelodamum dicitur indies a peſtilente lue infeſtius vexari. Vos etiam atque etiam videte, ne iſta Muſis mihique cariſſima capita præſentiſſimo diſcrimini objiciatis. Kriwizius proxima hebdomada viæ ſe dabit. Tuis literis ſi aditum ei ad Bochartum aperueris, optimum & tui ſtudioſiſſimum adoleſcentem ſummopere tibi obſtringes. In itinere Germanico ſi incideris in Palearii Orationes, & Scholiaſtem Homeri, quem edidit Hornejus, fac quæſo mihi iſtos libros compares. Pretium ubi cognovero illico renumerabo. Prioribus beneficiis magnus accedet cumulus, ſi me hujus voti reddideris compotem. Expecto quo literas ad te curari velis. Vale, & ſplendidiſſimum ac humaniſſimum Virorum Sciaſſium amantiſſimis verbis meo meæque Uxoris nomine ſaluta. Trajecti ad Rhenum a. d. IV. Jun. An. CIϽ IϽC LXIV.

EPISTOLA XII.

MARQ. GUDIO. S. D.

Johannes Georgius Graevius.

Hagam Comitum,

QUas Trelſio commiſi recte ſpero tibi eſſe traditas. Qui has feret eſt noſter Stolzenbergius, quem nuper Amſterodami vidiſti. Is reditum adornat in patriam. Sed religioni duxit te inſalutato hinc diſcedere. Magni enim te facit, nihilque habet antiquius tua amicitia, quam dudum omnibus modis ſibi expetendam exiſtimavit. Vir eſt inſignis, antiquæ virtutis & fidei, dignuſque qui ab omnibus bonis ametur. Suetonius noſter teſtudineo gradu procedit. In Tiberio cap. 52. de Piſone narrat: *putant quidam mandata prolaturum, niſi ea ſecreta obſtarent. Per quæ multifariam increpitum, & per noctes creberrime acclamatum eſt, &c.* Locum eſſe corruptum facile per te vides. Nihil enim de ſecretis antea dictum eſt. In manuſcripto Salmaſiano eſt. *Niſi ea ſecreto oſtentant, quæ multifariam inſcriptum. Secreto* & *inſcriptum* habent etiam alii libri. Et de τῷ *inſcriptum* nullus dubito quin recipiendum ſit. Sed ex aliis quid fingas? Succurrunt mihi quidem conjecturæ; ſed quæ mihi nullo modo ſatisfaciunt. Tuum igitur imploro ingenium, cujus ſollertiam dudum habeo exploratam. Vidiſtine vitam Alexandri III a Franciſco Loredano ſcriptam? Fertur is ex actis ſuæ patriæ accurate proſecutus eſſe faſtum illius Pontificis in conculcando collo Friderici Ahenobarbi. Quam ego fabulam dudum credidi

ex-

exploſam eſſe. Sed hujus viri auctoritate dicitur reviruiſſe. Si vidiſti, fac, quæſo, ex te cognoſcam, quibusnam teſtibus huic narrationi fidem faciat, & num ſint fide digni, tuque de iis quid exiſtimes. Vale, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. III. Non. Maj. CIↃ IↃC LXVIII Nobiliſſimo Schatzio & Heinſio ſalutem dico, quos propediem tecum hic me viſurum ſpero.

EPISTOLA XIII.

MARQ. GUDIO. S. D.

Johannes Georgius Graevius.

Amſtelodamum,

DOleo hercle vehementer per tricas neſcio quas, occupationeſque ac ſalutationes amicorum tum maxime intempeſtivas me non potuiſſe, cum ante hos paucos dies nobis adeſſes, frui ſuavitatibus tui ingenii & conſuetudinis, ut cupiebam. Si quicquam mihi potuit acerbius accidere, peream. Unum congreſſum tuum & dulces de litteris noſtris fabulas pluris facio, quam omnes noſtrorum hominum ſermones, conventus, & delicias. Si me amas, & tuo commodo facere poteris, da mihi quæſo hanc veniam, & ad nos reviſe, ut, quam tum feci jacturam, reſarcire queam ante tuam in Germaniam profectionem. Excurrerem ego ad vos, ſi per ſcholas domeſticas, quarum finis inſtat, domo poſſem cum maxime abeſſe. Mirum me tenet deſiderium cognoſcendi, num negotium Amſterodamenſe ſuccedat ex ſententia & voto utriuſque noſtrum. Spero ſane, & neſcio quo læto præſagio mea mens exultet. Si hunc diem videro, quæ te huic, ut ita dicam, affiget glebæ, magnæ dudumque deſideratæ felicitatis me compotem eſſe factum exiſtimabo. Manu ſcriptos codices Epiſtolarum Ciceronis ad familiares, & Atticum, aut excerpta priſcorum librorum, quos cum editis contuliſti, utinam mihi ante diſceſſum tuum præſtare poſſes. Iis enim interea manus admovebo; nec tamen Homerum deponam, ſed & huic navabo operam quantum potero. Si quid in Germania inveneris, quod huic inſtituto meo ſerviat, magnam inibis a me gratiam, certiſſimumque cognoſces laudum & meritorum tuorum præconem, ſi ejus mihi copiam feceris. Vale lux & deſiderium meum, & fac brevi te videam. Præſtantiſſimo Sciaſſio ſalutem dico plurimam verbis amantiſſimis. De quo quoties cogito, cogito autem quotidie, non erubeſco, ſed exhorreſco; ſed ſpero etiam hac ſollicitudine, & moleſtia me brevi benignum Numen levaturum. Vale iterum iterumque. Trajecti ad Rhenum præcipiti calamo a. d. VII Decemb. CIↃ IↃC LXVIII.

EPISTOLA XIV.

MARQ. GUDIO. S. D.

Joannes Georgius Graevius.

QUam inibo rationem expiandi culpam, quam longiſſimo hoc ſilentio tantam contraxi, ut illa me nec Dii nec homines exſolvere, nec graviſſimi hujus criminis veniam impetrare poſſe videantur. Nec cauſſæ nec conſilii quicquam reperio, quod te mihi mitiget, ac placabilem reddat. Juſtiſſimas habes indignandi cauſſas. Nec tu tamen tantopere mihi potes iraſci, quantum mihi ipſe iraſcor, quantumque mihi ipſe inviſus execror hanc procraſtinationem, per quam tanto intervallo nihil ego ad te, cum nullum tempus minus debuerit mutum eſſe a meis litteris, qui tam prolixe, tam amanter a te ſum acceptus, cum ante biennium vos inviſerem, ac poſtea non unis epiſtolis plenis amoris ac benevolentiæ ſum a te compellatus. Nunquam videor gravius ſcribendi munus ſuſtinuiſſe, quam in hac epiſtola ad te exaranda. Angor hercle & crucior miſerum in modum, nec quid dicam habeo, niſi Deos mihi fuiſſe iratos, cum paſſus ſum me toties totieſque ab hoc ſcribendi officio avocari. Pœnas quidem jamdudum mihi ipſe dedi ſatis acerbas, cum me defraudavi fructu ſuaviſſimi tui alloquii litterarii, quod ego rebus omnibus antepono: ſed hoc ſupplicii genere tibi ſatisfacere nequeo. Quocunque me verto nuſquam mihi quicquam præſidii video, niſi in tua tot luculentis argumentis, & mihi aliiſque ſpectata bonitate & benignitate. Hæc unica, ad quam confugio, ara mihi eſt relicta. Non ſoli patri, ſed & amico pro peccato magno paullum ſupplicii ſatis eſt. Unam hanc noxiam, ut Comici verbis utar, omitte; ſi aliam admiſero unquam, occidito. Occides autem, ſi amicitiam mihi renuntiaveris. Cauſſam vero non dicam, quin eam renunties, ſi ſcribendo te in poſterum non explero, teſtatumque tibi fecero rem, quamvis minimam, tuam mihi magis cordi eſſe, quam meas res omnes. Quem diem ne unquam videam Di avertant. Nihil enim mihi accidere poſſet acerbius. Forte ad leniendum te & placandum nonnihil faciet præfatio mea, & notæ in Florum, quem Elzevirio ad te curandum nunc commiſi, cum ex iis cognoris, me, licet in litteris dandis fuerim ſummus ceſſator, non tamen in amando ceſſaſſe ac frigidum fuiſſe. In Floro recognoſcendo ſi tantum temporis abs re tua poteris ponere, ut tuis miniatulis ceris παροράματα mea notare dignatus fueris, plane te mecum in gratiam rediiſſe putabo. Tullianarum epiſtolarum a me recenſitarum volumen cum tibi non improbatur, ut ſcribis, ſatis magnum pretium operæ illis impenſæ fero. Videbis poſt paucos menſes epiſtolas ad Atticum, quæ nunc exercent operas Amſterodamenſes ſtrenue. Accipis jam ſpecimen variarum lectionum in tuo Hippolyto, quas mecum communicavit Ewaldus Rulæus Harlemenſis, doctus juvenis. Eas ex Italia ſecum tulerat frater ejus Philippus Rulæus, vir pereruditus, qui Pactſio

hujus Reipublicæ legato in Hiſpaniam fuerat a ſacris, & poſtea perluſtrarat Italiam; & non pauca patrum ἀνέκδοτα ſcripta ex Vaticana & Florentina bibliotheca deſcripſerat. Sed is jam fatis functus eſt. Frater tamen ejus promittit ſe miſcellaneorum faſciculum collecturum & emiſſurum in lucem. Hæ variæ lectiones non erant Rulæi manu exaratæ, ſed alicujus Græci, ut puto, hominis. Mitto tantum guſtum. Nam fragmentum illud, ubi a tua cœpit editione diſcrepare, prolixius eſt, & plurium paginarum. Nolui autem nunc plura excerpere, quia non erat ad manum illa ſuppoſititii Hippolyti editio. Verebar enim ne forte hæc in illa reperirentur. Si tamen aliter ſe rem habere, & cetera te deſiderare intellexero, faxo ne & iis diutius careas. Habes hic etiam duas inſcriptiones, quas Smetius Noviomagenſis mecum communicavit, quaſque in agro noſtro ſuburbano Wiltenburgenſi inventas olim eſſe narravit. Illas, quæ Neomagi in curia viſuntur, credo te jamdudum in tua conjeciſſe adverſaria. Sin minus, & eas videbis quamprimum. Latinam de Herode Attico nondum mihi Rulæus, ut pollicitus olim erat, miſit, teſtatus ſe Fratris ſcedas excuſſiſſe fruſtra, & multum temporis in illa quærenda perdidiſſe, fide data, ſimul ac in manus inciderit, ſe nobis eam miſſurum. Nec eſt ut de fide & candore probi hominis dubitemus. Hiſce diebus me hic ſalutavit Norimbergenſis doctoris Arnoldi filius, qui narrabat erutum fuiſſe nuperius Auguſtæ Vindelicorum ſepulchralem titulum, in quo commemoretur *Mercurius Cenſualis*, qui valde ingenia Germaniæ ſuperioris exercuerit. Recepit ſe curaturum ut iſtam inſcriptionem brevi habeam. Reineſiana σύνταξις jam fervet ſub prœlis Lipſienſibus. Gruterianum corpus, cujus uſuram nobis indulſit Seckendorffius, fac quæſo ut quamprimum referatur Lipſiam ad fratrem meum. Nam plurimis litteris jam id a me flagitarunt, fidem meam accuſantes. Sponius Lugduni in Galliis, cujus itinerarium pulcherrimum credo te vidiſſe dudum, magnum quoque inſcriptionum volumen prœlis commiſit, ut nuper ex Huetii litteris intellexi. Tuarum deſiderio quam diu torquebimur? Vide ne multas tibi præripiat Sponius. Si corpus ipſum nondum emittere decreſti, vel guſtum illum, quem ante biennium promittebas, ac Phædrum tuum ubi ad nos miſeris, ut nitidis Amſterodamenſium typis mandentur, illico in nos recipimus. Ammianus Henrici Valleſii, plurimis acceſſionibus auctus Pariſienſibus typis deſcribitur, edente fratre Hadriano Valleſio, qui mihi ſignificavit ſe cum vetuſtis codicibus Colbertianæ bibliothecæ hunc ſcriptorem commiſiſſe, & ſuas quoque fraternis animadverſionibus interſerere. Lindenbrogii notas, quæ in bibliotheca Hamburgenſi auctiores habentur, ceteris ſubnectere promiſit, ſi tempore ad ſe curentur. Compellatus fuit hoc nomine Langermannus. Tam pulchram occaſionem editioni tam luculentæ civis ſui notas inſerendi non amittent, credo, Hamburgenſes. Editionem Lutetianam grandiorem minore, ut loquuntur, forma hic recudet Amſterodami Elzevirius. Is publicabit etiam Henrici Valleſii notas in Harpocrationem. In noſtris manibus jam eſt editio Mauſſaci, (quæ Leidæ cum Latina verſione Blancardi vulgatur) cujus marginibus plurimas ὁ μακαρίτης animadver-

madverſiones adlevit; eæ deſcriptæ ſeparatim edentur. Patris Simonis Hiſtoria Critica fœderis antiqui ex tenebris, ad quas Lutetiæ damnata erat, brevi in his terris emerget in dias luminis auras, tam Gallice, quam Latine. Contra illam diatriben publicavit ante menſes aliquot Ezechiel Spanhemius, qui nunc Lutetiæ oratorem agit Electoris Brandeburgici, cui ſoli nunc ſuam addixit operam. Modo ad nos perlatus eſt Iſaaci Voſſii de Sibyllis libellus, in quo contendit quicquid genuinorum Sibyllinorum vaticiniorum extiterit unquam, aut etiam nunc extet, hauſtum eſſe ex vatum Hebræorum fontibus, & a Judæis conditum. De LXX interpretibus ſententiam ſuam acriter tuetur, eamque a Patris Simonis aliorumque criminationibus vindicat. Jacobi Perizonii tres diatribæ, de conſtitutione divina ſuper ducenda defuncti fratris uxore, de lege Voconia, de variis antiquorum nummis in manibus doctorum verſantur. Sæpe refellit Reineſium. Nunc alias decem diſſertationes paratas habet, & animadverſiones in Valerium Maximum. Molitur quoque grandem commentarium de Romanorum nominibus, cujus aliquot ſpecimina & in his, quæ jam edidit, & quæ prodibunt hac æſtate, dedit. Vita Chryſoſtomi a Palladio memoriæ prodita cum aliquot homiliis ἀνεκδότοις cura Bigotii tandem lucem adſpexit. Anno ſuperiori defuncti erant hoc opere librarii, ſed quia Bigotius adjecerat epiſtolam Chryſoſtomi ad Cæſarium monachum περὶ εὐχαριστίας, quæ Romanenſium adverſatur ſententiæ, quæque avorum noſtrorum tempore Latine publicata fuerat a Petro Martyre, quem propterea tanquam impoſtorem, & ſuam pro Chryſoſtomi epiſtola ſupponentem exagitarunt diverſa ſentientes, τῶν ἐν τέλει juſſu hæc editio fuit repreſſa, nec potuit publici juris fieri, niſi hac epiſtola reciſa. Lutetiæ prodierunt Anaſtaſii vitæ Pontificum cum notis Altaſerræ. Pater Garnerius emiſit diurnum Pontificium, in quo habentur formulæ, quibus Papæ olim utebantur, eaſque notis illuſtravit Mabillonus, qui varia Patrum opuſcula hinc inde collecta protulit in lucem, diſſertationem quoque adornavit, quæ, puto, jam lucem adſpexit, de varia ſcribendi ratione ex antiquis diplomatibus ſecundum temporum ſeriem, in qua & de ſigillis agit. Indices inſignis illius bibliothecæ Thuaneæ, quæ vendita eſt, credo te vidiſſe. Digni ſane ſunt qui videantur a te. Manu ſcriptos codices ſibi vindicavit Colbertus, ut & pleroſque editos. Sic ad alios dominos tranſiit tam pretioſa bibliotheca, quæ longe vilius fuit vendita, quam involucra voluminum fuerunt olim a Thuano parata. Nicolaus Heinſius ſalutem tibi plurimam jubet perſcribi. Anno præterito Virgilium ſuum tibi dono miſit, quem te accepiſſe ſperat. Jam ab aliquot menſibus debilitas pedum eum affixum lecto tenet. Animus tamen viget. Trelſchius communis noſter amicus nuperius prolixa epiſtola mihi teſtatam fecit voluptatem, quam ex tuo congreſſu ceperit maximam. Nullus dubitat quin Polyphemo afflicto brevi ſit futurum, ut

Faciem ad ſerenam ſubito mutetur dies.

De Amſterodamenſi negotio paucas ante hebdomades egi cum Elzevirio, cum me inviſeret. Ait ſe dudum nullas a te litteras habere. Si tamen juſſeris, urgebimus

hujus Reipublicæ legato in Hiſpaniam fuerat a ſacris, & poſtea perluſtrarat Italiam; & non pauca patrum ἀνέκδοτα ſcripta ex Vaticana & Florentina bibliotheca deſcripſerat. Sed is jam fatis functus eſt. Frater tamen ejus promittit ſe miſcellaneorum faſciculum collecturum & emiſſurum in lucem. Hæ variæ lectiones non erant Rulæi manu exaratæ, ſed alicujus Græci, ut puto, hominis. Mitto tantum guſtum. Nam fragmentum illud, ubi a tua cœpit editione diſcrepare, prolixius eſt, & plurium paginarum. Nolui autem nunc plura excerpere, quia non erat ad manum illa ſuppoſititii Hippolyti editio. Verebar enim ne forte hæc in illa reperirentur. Si tamen aliter ſe rem habere, & cetera te deſiderare intellexero, faxo ne & iis diutius careas. Habes hic etiam duas inſcriptiones, quas Smetius Noviomagenſis mecum communicavit, quaſque in agro noſtro ſuburbano Wiltenburgenſi inventas olim eſſe narravit. Illas, quæ Neomagi in curia viſuntur, credo te jamdudum in tua conjeciſſe adverſaria. Sin minus, & eas videbis quamprimum. Latinam de Herode Attico nondum mihi Rulæus, ut pollicitus olim erat, miſit, teſtatus ſe Fratris ſcedas excuſſiſſe fruſtra, & multum temporis in illa quærenda perdidiſſe, fide data, ſimul ac in manus inciderit, ſe nobis eam miſſurum. Nec eſt ut de fide & candore probi hominis dubitemus. Hiſce diebus me hic ſalutavit Norimbergenſis doctoris Arnoldi filius, qui narrabat erutum fuiſſe nuperius Auguſtæ Vindelicorum ſepulchralem titulum, in quo commemoretur *Mercurius Cenſualis*, qui valde ingenia Germaniæ ſuperioris exercuerit. Recepit ſe curaturum ut iſtam inſcriptionem brevi habeam. Reineſiana σύνταξις jam fervet ſub prœlis Lipſienſibus. Gruterianum corpus, cujus uſuram nobis indulſit Seckendorffius, fac quæſo ut quamprimum referatur Lipſiam ad fratrem meum. Nam plurimis litteris jam id a me flagitarunt, fidem meam accuſantes. Sponius Lugduni in Galliis, cujus itinerarium pulcherrimum credo te vidiſſe dudum, magnum quoque inſcriptionum volumen prœlis commiſit, ut nuper ex Huetii litteris intellexi. Tuarum deſiderio quam diu torquebimur? Vide ne multas tibi præripiat Sponius. Si corpus ipſum nondum emittere decreſti, vel guſtum illum, quem ante biennium promittebas, ac Phædrum tuum ubi ad nos miſeris, ut nitidis Amſterodamenſium typis mandentur, illico in nos recipimus. Ammianus Henrici Valeſii, plurimis acceſſionibus auctus Pariſienſibus typis deſcribitur, edente fratre Hadriano Valeſio, qui mihi ſignificavit ſe cum vetuſtis codicibus Colbertianæ bibliothecæ hunc ſcriptorem commiſiſſe, & ſuas quoque fraternis animadverſionibus interſerere. Lindenbrogii notas, quæ in bibliotheca Hamburgenſi auctiores habentur, ceteris ſubnectere promiſit, ſi tempore ad ſe curentur. Compellatus fuit hoc nomine Langermannus. Tam pulchram occaſionem editioni tam luculentæ civis ſui notas inſerendi non amittent, credo, Hamburgenſes. Editionem Lutetianam grandiorem minore, ut loquuntur, forma hic recudet Amſterodami Elzevirius. Is publicabit etiam Henrici Valeſii notas in Harpocrationem. In noſtris manibus jam eſt editio Mauſſaci, (quæ Leidæ cum Latina verſione Blancardi vulgatur) cujus marginibus plurimas ὁ μακαρίτης animadver-

animadverſiones adlevit; eæ deſcriptæ ſeparatim edentur. Patris Simonis Hiſtoria Critica fœderis antiqui ex tenebris, ad quas Lutetiæ damnata erat, brevi in his terris emerget in dias luminis auras, tam Gallice, quam Latine. Contra illam diatriben publicavit ante menſes aliquot Ezechiel Spanhemius, qui nunc Lutetiæ oratorem agit Electoris Brandeburgici, cui ſoli nunc ſuam addixit operam. Modo ad nos perlatus eſt Iſaaci Voſſii de Sibyllis libellus, in quo contendit quicquid genuinorum Sibyllinorum vaticiniorum extiterit unquam, aut etiam nunc extet, hauſtum eſſe ex vatum Hebræorum fontibus, & a Judæis conditum. De LXX interpretibus ſententiam ſuam acriter tuetur, eamque a Patris Simonis aliorumque criminationibus vindicat. Jacobi Perizonii tres diatribæ, de conſtitutione divina ſuper ducenda defuncti fratris uxore, de lege Voconia, de variis antiquorum nummis in manibus doctorum verſantur. Sæpe refellit Reineſium. Nunc alias decem diſſertationes paratas habet, & animadverſiones in Valerium Maximum. Molitur quoque grandem commentarium de Romanorum nominibus, cujus aliquot ſpecimina & in his, quæ jam edidit, & quæ prodibunt hac æſtate, dedit. Vita Chryſoſtomi a Palladio memoriæ prodita cum aliquot homiliis ἀνεκδότοις cura Bigotii tandem lucem adſpexit. Anno ſuperiori defuncti erant hoc opere librarii, ſed quia Bigotius adjecerat epiſtolam Chryſoſtomi ad Cæſarium monachum περὶ εὐχαριστίας, quæ Romanenſium adverſatur ſententiæ, quæque avorum noſtrorum tempore Latine publicata fuerat a Petro Martyre, quem propterea tanquam impoſtorem, & ſuam pro Chryſoſtomi epiſtola ſupponentem exagitarunt diverſa ſentientes, τῶν ἐν τέλει juſſu hæc editio fuit repreſſa, nec potuit publici juris fieri, niſi hac epiſtola reciſa. Lutetiæ prodierunt Anaſtaſii vitæ Pontificum cum notis Altaſerræ. Pater Garnerius emiſit diurnum Pontificium, in quo habentur formulæ, quibus Papæ olim utebantur, eaſque notis illuſtravit Mabillonus, qui varia Patrum opuſcula hinc inde collecta protulit in lucem, diſſertationem quoque adornavit, quæ, puto, jam lucem adſpexit, de varia ſcribendi ratione ex antiquis diplomatibus ſecundum temporum ſeriem, in qua & de ſigillis agit. Indices inſignis illius bibliothecæ Thuanææ, quæ vendita eſt, credo te vidiſſe. Digni ſane ſunt qui videantur a te. Manu ſcriptos codices ſibi vindicavit Colbertus, ut & pleroſque editos. Sic ad alios dominos tranſiit tam pretioſa bibliotheca, quæ longe vilius fuit vendita, quam involucra voluminum fuerunt olim a Thuano parata. Nicolaus Heinſius ſalutem tibi plurimam jubet perſcribi. Anno præterito Virgilium ſuum tibi dono miſit, quem te accepiſſe ſperat. Jam ab aliquot menſibus debilitas pedum eum affixum lecto tenet. Animus tamen viget. Trelſchius communis noſter amicus nuperius prolixa epiſtola mihi teſtatam fecit voluptatem, quam ex tuo congreſſu ceperit maximam. Nullus dubitat quin Polyphemo afflicto brevi ſit futurum, ut

Faciem ad ſerenam ſubito mutetur dies.

De Amſterodamenſi negotio paucas ante hebdomades egi cum Elzevirio, cum me inviſeret. Ait ſe dudum nullas a te litteras habere. Si tamen juſſeris, urgebimus

bimus negotium, ut tandem optatum exitum habeat. Hagenſis res nunc friget, quia Goeſius pater ab aliquot menſibus graviſſima febre conflictatur. Cum noviſſime eum vidi, nullam ſe ad ſuas ultimas reſponſionem accepiſſe ſignificavit. Velim itaque mihi ſignifices quo loco nunc res ſint. Num de ducenteſima ſit cum proceribus deciſum. Quid fiat nominibus Pelſianis. Si e re tua duxeris, feriis Pentecoſtalibus ipſe Hagam contendam ad Goeſium, & tuam cauſſam ibi agam. Fac modo de tuo conſilio, quid nunc fieri velis, mihi conſtet. Niſi rebus declararo, me tuis commodis ſummo ſtudio & cura invigilare, non impedio, quin hominum ſacerrimus apud te audiam. Vale dulce decus meum. Salveat lectiſſima uxor tua, & filiola jucundiſſima, Trajecti Batavorum, D. VII Maji CIↃ IↃC XXC. Julian.

I.

DIS AVIBVS
LVSCINIAE PHILVMENAE EX AVIARIO DOMITIOR.
SELECTAE. VERSICOLORI. PVLCERRIMAE. CANTRICI.
SVAVISS. OMNIBVS. GRATIIS. AD. DIGITVM. PIPILANTI.
IN. POCVLO. MYRRHINO. CAPVT. ABLVENTI.
INFELICITER. SVMMERSAE. HEV. MISELLA.
AVICVLA. HINC. INDE. VOLITABAS. TOTA.
GARRVLA. TOTA. FESTIVA. LATITAS. MODO.
INTER. PVLLA. LEPTYNIS. LOCULAMENTA..
IMPLVMIS. FRIGIDVLA. DELICIAE. SVAE.
QVAM. IN. SINV. PASTILLIS. ALEBAT.
IN. PROPRIO. CVBICVLO. ALVMNAE. KARISS.
LACRVMANS. POS.
HAVE. AVIS. IOCVNDISSIMA. QVAE. MIHI. VOLANS.
OBVIA. BLANDA. PERSONANS. ROSTELLO. SALVE.
TOTIES. CECINISTI. CAVE. AVIS. AVIA. AVERNA.
VALE. ET. VOLA. PER. ELISIVM.
IN. CAVEA. PICTA. SALTANS. QVAE. DVLCE. CANEBAT.
MVTA. TENEBROSA. NVNC. IACET. IN. CAVEA.

2.

SYLVANE SACRA SEMICLVSE FRAXINO
ET HVIVS ALTI SVMME CVSTOS HORTVLI
TIBI HASCE GRATES DEDICAMVS MVSICAS
QVOD NOS PER ARVA PERQVE MONTES ALPICOS
TVIQVE LVCI SVAVEOLENTIS HOSPITES
DVM IVS GVBERNO REMQVE FVNGOR CAESARVM
TVO FAVORE PROPERANI SOSPITAS. *f. Proſperante.*
TV ME MEOSQVE REDVCES ROMAM SISTITO
DAQVE ITALA RVRA TE COLAMVS PRAESIDE
EGO IAM DICABO MILLE MAGNAS ARBORES

T. POM-

T. POMPONII VICTORIS PROC.
AVGVSTO T.

3.

LVCIVS LVCILIVS
DEO PENINO
OPTIMO
MAXIMO
DONVM DEDIT.

4.

IOVI O. M.
GENIO LOCI
FORTVNAE
REDVCI
TERENTIVS VARRO
DEDIC.

Has tres inſcriptiones in Pedemontano agro inventas mecum communicavit amicus ex Italia ante annos aliquot redux.

EPISTOLA XV.

MARQ. GUDIO. S. D.

Johannes Georgius Graevius.

Hamburgum,

REdditas tibi litteras eſſe, quas nuperius ad te dedi, ex communi amico noſtro Trelſchio intellexi. Nunc accinctus itineri ad illuſtriſſimum Antiſtitem Monaſterienſem, a quo ſæpius amantiſſimis verbis ſum invitatus, vix hæc tria verba expedio. Si tu meum punire ſilentium longiore ſilentio decreſti, facis id tuo jure. Velim tamen tibi perſuaſiſſimum ſit, me culpam iſtam deteſtari, & omne ſupplicium, quod de me ſumes, patienter laturum, quia merito plector, modo tuus mihi conſtet amor. Ante tres hebdomades me inviſit Pelſius Hagenſis. Quærebat ex me ubi locorum degeres, & qui fiat, quod tanto tempore nullas a te, cui toties ſcripſerit, litteras acceperit. Reſpondebam biennio me te cum Duce Holſatiæ vidiſſe Hamburgi, cetera me ignorare. Ad Trelſchium ſe propediem non nihil exaraturum litterarum ſignificabat. Duxit uxorem Conſulis Hagenſis, cujus nomen, niſi me fallit memoria, eſt van der Duſſen. Si redux tuis potero ſervire ſtudiis & commodis, cognoſces rerum tuarum curam mihi omnium eſſe antiquiſſimam; utinam in animum poſſis inducere, ut ad nos in Paderbornenſem aulam excurreres. Cras viæ me dabo. Heinſium cupidiſſimum me comitandi retinet debilitas pedum, & infirmitas valetudinis. XII Auguſti Gregoriano ſpero me Paderbornæ futurum. Si te quoque complecti ibi me liceret, mirum in modum cumularetur voluptas, quam ex comitate magni

Principis me capturum ſpero. Multa ſunt quæ in ſinum tuum fidei & benevolentiæ plenum effundere geſtio. Nunc in anteceſſum tibi ſignifico prodiiſſe Sponii, cujus egregium, credo, vidiſti itinerarium, ſpecimen ſelectarum inſcriptionum, quod nondum vidi. Sed vidi hiſce diebus Genevam ejus, in qua & ipſa nonnullæ ineditæ habentur inſcriptiones, ſed plures in commentariolo, quem inſcripſit aras ignotorum Deorum, qui modo ad nos pervenit, in quo narrat ſe ter mille inſcriptiones collegiſſe, quas ſit publicaturus. Vereor ne multas tibi præripiat. Velim tuarum editionem maturari. Fac ut de his otioſius poſſimus fabulari in eruditiſſimi Principis aula. Frater meus ſcribit ſæpiſſime ſibi a Seckendorffio aurem velli de Reineſiano volumine. Nullus dubito quin jam id a te Lipſiam remiſſum ſit, ne utriuſque noſtrum officium accuſetur. Vale decus noſtrum & me ama. Uxori tuæ ſuaviſſimæ & lectiſſimæ ſalutem dico plurimam, ut & tuis liberis. Trajecti Poſtrid. Kal. Sextiles CIƆ IƆC XXC.

EPISTOLA XVI.

MARQ. GUDIO. S. D.

Johannes Georgius Graevius.

Monaſterium,

QUas proximo Veneris die tuis repoſui, ſpero Tibi redditas eſſe ſequente Saturni. Montanum Amſterodami compellavi, & traditis Langmakeri litteris petii, ut mihi facultatem faceret inſpiciendi dolia illa tria, eique declaravi, ſi tibi teſtatum eſſet dolia ſalva ſervari, te cis tres hebdomades miſſurum, qui pactam pecuniam numeraret, & ſibi creditam ſuppellectilem murrinam auferret. Regerebat ſe viſis Langmakeri litteris dolia cum vaſis ſartis tectis traditurum, qui pecuniam eſſet allaturus, nec nummum ante acceptu- rum, quam ei, cui partes has tua repetendi fuiſſes mandaturus, ſatisfeciſſet. Dolia vero ſe propter rationes certas mihi oſtendere ſe nolle: nec mihi exploratum eſſe, licet dolia quædam viderem, eſſentne tua nec ne. Urgebam ut rationes, quibus deterreretur, mihi ſignificaret. Nihil verius, nihil ad omnes ſequiores ſuſpiciones amoliendas præſentius, quam ſi tibi de doliis ſartis tectis conſtaret. Sed nec preces, nec rationes, nec minæ quicquam proficiebant. Lavabam laterem. Nihil reponebat, quam ſibi firmum eſſe, non ante ſe quicquam cuiquam oſtenſurum, quam illi, qui repræſentaturus eſſet nummos. Tum ſe rebus declaraturum ſe tua ſervaſſe diligentiſſime, & traditurum cui velles. Nec video alia ratione aquam exprimi ex hoc pumice poſſe, quam ſi mittas certum hominem cum pecunia, hac lege, ne nummum ante pendat, quam ei fuerint omnia, quæ commiſſa fidei Montani ſunt, ſalva tradita. Si tum tergiverſabitur, jure agendum erit. Meum ſtudium tuis commodis ſerviendi ſemper a me promtum tibi erit & paratum. Quæ tibi ſententia ſtet velim quamprimum reſciſcam. Nam ſi diu cunctabimur, vereor ne nova calumniandi feneſtra

neſtra triconi aperiatur. Quis Furſtenbergio ſuffectus ſit avidiſſime cognoſcemus. Vale decus & præſidium meum. Trajecti Prid. Kal. Septemb. CIↃ IↃC XXCIII.

EPISTOLA XVII.

MARQ. GUDIO. S. D.

Alb. Ruſius.

Hagam Comitum,

EX Patria reverſus, Amſtelædami in Cl. Grævium noſtrum incidi, qui mihi, de Tuis & Spectatiſſimi Sciaſſii rebus & valetudine ſciſcitanti, expoſuit non auditu duntaxat jucunda, quibuſque perennitatem voveam, ſed præterea etiam, Te mihi præſtitiſſe, quod benigne receperas, officium in deſcribendis variis Inſtitutionum lectionibus, quas in Holſatia excerpſeras. Enixe itaque rogo, ut eas, & illas Pandectarum, quas ex Florentino codice M. S. Te tranſcripſiſſe mihi narraſti, & mecum communicaturum ſpopondiſti recuperatas, ſi nunc in promtu ſint, quamprimum mihi mittere ne graveris. Si quid viciſſim, Tibi aut Sciaſſio noſtro gratum, a me proficiſci poterit, id haud fruſtra Vos deſideraturos credite Viri Amiciſſimi, & pugilice valete. Raptim Leidæ x. Cal. Octobr. CIↃ IↃC LXV.

EPISTOLA XVIII.

MARQ. GUDIO. S. D.

Iſaacus Gruterus.

Hagam Com.

EX Germania te rediiſſe, perluſtratis ſollicite, atque ut ſoles, feliciter, quos illa celebriores habet, bibliothecis publice ac privatim, lætus accepi; ſimul & quam hactenus delegiſſes vitæ ſtationem, otio ſcilicet literariæ pleniſſime affluentem. Gratulor tibi ſeceſſum tranquillitate florentem, quam non interpellat ambitioſa ſeculi operoſe ineptientis importunitas, aut aliæ turbant heroicorum ingeniorum cruces: & auctos in ultima peregrinatiuncula (quid enim dubitem, qui fervidam curioſitatis tuæ vim cognoſco?) eruditæ ſupellectilis theſauros: quam ex Gallia Italiaque, nutricibus exquiſitioris elegantiæ, comportaſſe diceris luculentam. Itaque qui nuper mea converti vota ad Samuelem Sciaſſium, juvenem multis nominibus nobilem, nunc recta te peto, profeſſus religioſum doctrinæ cultorem, atque ex auditis admiratorem, quæ locum tibi aſſignat ſplendidum inter prima temporis noſtri ornamenta. Hippolyti autem tui, & ſi quod de Clinicis te authore exſtat, ut obſcura fert fama, opuſculi exemplar monſtra, unde haberi meis queat impenſis: cum vane Batava ſollicitarim bibliopolia. Adde, ſi neque hic temeritatis reus teneor, quaſi familiarius aut licentius agens quam pro ignoto, quid tua nos brevi ſperare jubeat induſtria in donandis luce publica libris nobilium ſcriptorum, quos ſuum

ſuum hactenus fatum damnaſſe videbatur ad bibliothecarum noctem, putida ſqualentem ignoratione. Vale, & nominis tui veneratione flagrantiſſima ſi mereor, reſponſi alicujus me compotem redde, nihil beneficii apud ſuos ignavo tranſmiſſurum ſilentio. Roterodami ex Eraſmiano. XIII. Aprilis ipſis Id. CIↃ IↃC LXV.

EPISTOLA XIX.

MARQ. GUDIO. S. D.

M. Meibomius.

DE felici tuo ex Italia reditu docti Viri, qui antiquæ eruditionis monumenta æſtimare norunt, merito tibi gratulantur. Certe nihil mihi gratius fuit, quam quod nuper Ampliſſ. Vir Nicolaus Heinſius, inter varios de literis, illarumque noſtro hoc tempore vindicibus, ſermones narravit, te & eruditionis nomine clarum eſſe, & allato ex Italia ingenti ſcriptorum librorum theſauro eruditos viros tibi devinxiſſe. Nec poſſum quin magno me gaudio ex eruditiſſimi Olai Borrichii literis intellexiſſe ſignificem, te inter alios amicos tuos me quoque ad theſauri illius uſum invitare. Tres autem illos antiquæ Muſicæ auctores, quorum mentionem facit Borrichius, jam ante ſexdecim annos habeo ex liberalitate celeberrimi olim amici Joannis Seldeni, qui non ſolum curavit, ut ex Oxonienſis bibliothecæ codicibus deſcriberentur, ſed & cum aliis libris conferrentur a præſtantiſſimo viro Gerardo Langbainio, Theol. D. & Præpoſito collegii reginalis Oxonii. Ex illis Manuel Bryennius, facilis ſcriptor, & pene totus in variis tonorum rationibus demonſtrandis, levi interpretis induſtria contentus eſt. Ptolemæus non minus abſtruſiori Muſicæ eruditione, quam reliquis ſcriptis clarus, ob ſtyli obſcuritatem, utpote Ægyptius, explicatorem hactenus non invenit, & interpretem Harmonica literatura non inſtructum, cujuſmodi fuit Gogavinus, qui futilem verſionem Venetiis edidit, merito deterrere potuiſſet. Illum jam ab eo tempore, quo Muſicorum veterum utrumque volumen prodiit, explicatum difficilibus locis, & ſexcentis reſtitutum, adſervo. Porphyrii in Ptolemæi Harmonica commentarium habeo uſque ad ſecundi libri caput octavum. Ultima Ptolemæi verba in quæ Porphyrius commentatur, ſunt, πλὴν καθόσον τοῦτ᾽ μὲν τῶν ὅρων ἕκαστος ἴδιον ἔχει τὸ αἴτιον; ἐπὶ δὲ τῶν τόνων ἔπεστί πως. Porphyrii ultima ſunt; ὥστε τὸ ἀρχῆθεν ἐφαρμόζον τῇ διαστάσει μέλος, πῇ μὲν ἀπολείπειν, πῇ δὲ ἐπιλαμβάνον, ἑτερότητα τοῦ ἤθους ποιεῖν. Scire velim num codex tuus ſit magis integer, & an manu aliquanto antiquiore Muſici illi ſint exarati. De Aſclepii Tralliani in Nicomachi Arithmeticam commentario, quem ſcriptum habeo, jam monui ante hos duodecim annos, præfatione in dialogum de proportionibus, codicem meum eo loci mutilum eſſe, quo de magni in Mathematicis momenti doctrina, περὶ συνθέσεως λόγων, agitur. Tua, tuique ſimilium induſtria, lacunam illam integri minimum folii expletam videre aliquando poſſem. De Apollonio Pergæo,

Pappo,

Pappo, Euclide Archimede, Vettio Valente, qui Ἀνθολογικὰ ſcripſit, aliiſque Mathematicis Græcis, libenter intelligerem, theſauri tui non minimam illos partem efficere. Porro illud te, eruditiſſime Gudi, rogo, ut ſi commodo tuo fieri poſſit, & tecum catalogum M S.S. tuorum habeas, illum deſcriptum (quod Borrichius ſpero cauſſa mea faciendum curaret) meum communicare velis. Nullam ego viciſſim tibi inſerviendi occaſionem, ſi qua offeretur, mihi elabi patiar, ſed omni potius ratione oſtendere conabor, nihil mihi eximiorum virorum, inter quos nomen habes, amicitia antiquius unquam fuiſſe. Vale & me ama. Helſingoeræ XIV Cal. Aprilis Anno 1667.

EPISTOLA XX.

MARQ. GUDIO. S. D.

Joh. Henricus Herbius.

TRibus Te verbis adveniens ſaluto. Plura addere vetat laſſitudo, quam nunc e longioribus profectionibus primum experior. Anglia maxime profuit. Amicitia mihi intercedit cum Theologis, Philologis atque Hiſtoricis, quorum intimiora quæque penetravi. Ita Jehovah providet, ut admirandam ejus miſericordiam nunquam ſatis laudare poſſim. Erudita ſunt Magnæ Britanniæ ingenia, & alto fruuntur otio, ſub Rege ſcientiarum omnium amantiſſimo. Propediem egregia nobis dabunt, Irenæum ſcil. Fl. Joſephum, Canones Apoſtolorum & Conciliorum, Etymologicum Anglicanum, antiquitates Oxonienſes, Seldeniana omnia, & in his, quem nondum vidimus, de Decimis Tractatum, & Syntagma de Diis Syris ex Authoris autographo dimidia ſui parte auctum. Ni Monckhuſium mihi commendaſſent, qui liberaliter nunc ſuppeditant, quæ vel victui vel ſtudiis neceſſaria ſunt, meis hic ſumptibus ad tempus ſubſtitiſſem; ſed cum opima ſint valde nec diuturna ejuſmodi auxilia, Lutetias properavi, ubi πολυμαθεστάτους audio præceptores. Præ omnibus Ill. Chapelain mihi favet & Juſtellus, qui ab hæreſiων hiſtoria me abducere tentat, quod difficillimam credat, quæ paucis ac erroneis Patrum ſcriptis nulla ἀγχινοία erui poſſet. Magno me mactares beneficio, ubi hæreſiologum, quem in M S S. poſſides, communicares, forte clariora nobis dabit, & melioris fidei argumenta; tot enim in Epiphanio dubia mihi ſunt, tot in Irenæo & Origenianis abſtruſa, ut abſque Te ſi eſſem, de ſolutione deſperarem. Mittam proxime quas e Simonis M. erroribus conjecturas habeo, cum hæreſium characteriſticon ei applico de principiis Deo coæternis. Forte non diſplicebunt. Nunc in Neſtorianis occupatus ſum, Lutheri de conſiliis Tractatum defendendo, quo Cyrillum hæreticum ominatus, Neſtorium orthodoxum. Non faciam publici juris, quoniam promotioni obeſſe poſſet, noſti hominum genium, ſed communicabo Tecum, ubi colophonem opellæ impoſuero. Nihil addo niſi vota pro perpetua ſalute tua. Vale Patrone optime. Deus Te ſervet ad gloriam, ſicut & Reip. literariæ incrementum. Addidiſſem iſti epiſtolam ad M. Rottlinum, ni Col-

mariæ jam promotum crederem. Dabo ubi experiar quibus in terris degat. Nobiliſſ. Contubernali officioſiſſ. fero ſalutem. Si me dignum judicas reſponſo, ad Fridericum Richelium quæſo mitte, mercatorem Amſtelodamenſem. Dabam Lutet. Pariſ. Idib. Jun. CIↃ IↃC LXX.

EPISTOLA XXI.

MARQ. GUDIO. S. D.

Jacobus Holſtius.

ADitum ad Te, Vir Excellentiſſime, literis meis communivit humanitatis tuæ commendatio, a communi noſtro Amico Dn. Axenio nuper facta. Utraque in tantam me excitavit fiduciam, ut audeam ſperare, non tantum audiri me, cum tecum nunc loquor, ſed & exaudiri, cum ea peto, quæ nuſquam inveniam, niſi a ſolius Gudii humanitate impetraro. Eſt autem precum mearum in eo ſumma, ut quicquid ad emendandum illuſtrandumve Cornel. Celſum aliquo modo facere poteſt, eo me juvare velis, ſive commodes exemplar aliquod bonæ notæ, ſive varias lectiones nonnullas mittas, ſive MSC. codicem aliquem ſaltem inſpiciendum mihi promittas. De cæteris, quas non adeo deſidero, editiones ſunt, Joh. Cæſarii de anno 1538; Joh. Tornæſii de anno 1549; Guil. Pantini in folio; Balduini Ronſſei in quarta forma; & noviſſima Joh. vander Linden in duodecima. Quamcunque aliam poteris dare, gratiſſima ea mihi erit, ut & ſi quid de tuis vel aliorum in propoſito Auctore emendationibus addere volueris: Quicquid lucis undecunque a tua humanitate precibus meis fœnerabor, non eorum modo aſſumam, quæ eadem illuſtrari amant, quam alio etiam tranſmittunt; ſed ad fontem ſic refundam, ut ſolent fere denſiora & opaca. Quoniam vero in nonnullis plus opis ab ingenio magno, quod in te eſt, ſperandum videtur, quam a codicum conſtantia & fide, patere, quæſo, ut in præſenti exemplum proponam, in quo vel maxime ab Eruditiſſimo adjuvari exoptem. Legitur id ipſum lib. 6. c. 6. §. de oculis ſcabris: *Nulla autem per ſe materia eſt, quæ pſoricum nominetur, ſed chalcitidis aliquid, & cadmiæ dimidio plus ex aceto ſimul conteruntur, &c.* Sic conſtanter omnia, quæ ego unquam inſpexi exemplaria exhibent, neque in ullis aliqua occurrit varietas. Quid ergo, inquis, requires? Elocutionis formulam: *dimidio plus*; non capio. Videtur autem reddendum eſſe Germanice aut. Mihr als halb ſo viel. aut Kaum noch einmahl ſo viel. In illo ſenſu ablativus rei ſuperatæ, comparativo jungitur; in hoc vero, menſuræ. Utrumlibet enim ejuſmodi nominibus jungi & quandoque etiam utrumque conjungi apud Latinos ſolere, per exempla nos docent Grammatici, quale eſt illud Virgilii 9. Æneid.

At pedibus longe melior Lycus Helenore.

Diverſiſſimo fere ſenſu utrumque redditur Germanice; In propoſito, ſi priori modo, ex: gratia quatuor uncias capiam chalcitidis & duas cadmiæ cum una vel dimidia drachma, rei ſuperatæ ablativus eo explicabitur, quod eſt: plus quam dimi-

dimidium chalcitidis; eaque explicatione compoſitioni novæ propemodum fit ſatis, quatenus conſentit Dioſc. l. 5. c. 115. σκευάζεται δὲ ἐξ αὐτῆς (τῆς χαλκίτιδος) τὸ καλούμενον ψωρικὸν, διπλασίονος χαλκίτεως πρὸς ἁπλῆν καδμείαν μιγνυμένης καὶ σὺν ὄξει λεαινομένης. Ἔνιοι δὲ ἴσα μίξαντες οἴνῳ λεαίνουσι. Similiter Plinius lib. 34. c. 12. *Tunc* (chalcitis macerata) *admiſto cadmiæ pari pondere medicamentum efficit, pſoricon dictum. Quodſi duæ partes chalcitidis, tertia cadmia temperentur, acrius hoc idem fiet, &c.* Si vero altero modo quatuor uncias chalcitidis capiam, & cadmiæ octo uncias addam, ablativus menſuræ explicandus eo erit: cadmiæ (quod ad dimidiam ſui partem) plus, quam chalcitis. Et hanc explicationem omnia exempla ſimilis elocutionis ſive in Celſo ſive in aliis auctoribus ſuadent, licet ea compoſitioni pſorici, quam veteres alii tradunt, multis partibus contraria ſit. Sunt autem illa exempla, ex Scribonio Largo comp. 101. *Dimidio enim celerius ſanantur, qui acceperunt medicamentum, quam prius ſolebant.* Et compoſit. 209. *Sine alligatura enim interdum dimidio celerius ea ſanat, &c.* Hoc eſt. Raum noch einmahl ſo bald. Curtius lib. 4. *Cæterum cum dimidio ferme major eſſet Darii exercitus, quam in Cilicia fuerat, &c.* Raum noch einmahl ſo groſs. Solinus c. 43. *Ultra Meroen ſuper exortum ſolis Macrobii Æthiopes vocantur. Dimidio enim eorum protentior, quam noſtra vita eſt, &c.* Hoc eſt. Liben raum noch einmhal ſo lang als wir. Celſ. l. 6. c. 12. *Inſpergique ulcera debent alumine ſciſſili, cui dimidio plus gallæ immaturæ ſit adjectum.* Hoc eſt. Noch einmahl ſo viel gallappel. In oppoſiti generis exemplo. Celſ. l. 5. c. 28. §. de Phygethlo. *Licet etiam miſcere æquis portionibus Ammoniacum, galbanum, propolim, viſcum, ponduſque* (forte: *omnibuſque*) *adjicere myrrhæ dimidio minus, quam in prioribus ſingulis erit.* Hoc eſt. Raum halb ſo viel. Similiter proximo §. *Aut quod conſtat ex chalcitide & ſaxo calcis, quibus auripigmenti dimidio minus, quam in ſingulis prioribus eſt, adjicitur.* Hoc eſt. Raum halb ſo viel. Lib. 6. c. 8. §. 4. *Hiſque adjicitur hyoſcyami ſucci dimidio minor, quam unius ex ſuperioribus, portio.* Raum halb ſo viel ſaft. In omnibus hiſce exemplis ablativus menſuræ, non rei ſuperatæ intelligendus venit. Ex recentioribns plerique tamen in his & aliis, rei ſuperatæ ablativum explicant, ut Horat. Turſelin de partic. in illo Ciceronis: *Dimidio plus ſcripſit Clodia.* Hat mehr den halb ſo viel geſchrieben. Ego puto. Sie hat mehr den noch einmahl ſo viel geſchrieben. Et paulo poſt. *Tecum anno plus vixit.* Iſt über oder länger als ein jahr bey dir geweſen. Ego. Iſt ein jahr länger als der ander bey dir geweſen. Illud; dimidio: quod ſemper ad poſterius nomen refertur, quidam ex Latinis, habito ad prius reſpectu; *altero tanto*; circumſcribunt, ut Corn. Nepos in Vit. Eumenis. *Illa autem via, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum.* Idem potuiſſet: dimidio longiorem habebat anfractum. War noch einmahl ſo lang. Quod ſi vero illud ſignificandum foret, quod vult Turſelinus. Iſt langer als ein jahr bey dir geweſen. Scribi putem oportere; *plus anno tecum vixit.*. In omnibus enim exemplis, quæ propoſui, ab-

H 2 lativum

lativum menſuræ perpetuò præcedere nomen, plus obſervari meretur, cum rei ſuperatæ ſemper ſequatur. Ut Cic. de amicit. *plus æquo*, id eſt, quam æquum eſt. Celſus lib. 1. c. 1. *Modo plus juſto, modo non amplius aſſumere.* Contra lib. 1. c. 3. *Si quando tamen inſuetus aliquis laboravit, aut multo plus quam ſolet etiam is qui aſſuevit, &c.* Utriuſque generis alia exempla in Turſelino de Partic. §. *Plus pro amplius*, & alias leguntur. Enimvero Latinos rei ſuperatæ ablativum in cæteris modo præponere, modo poſtponere comparativo nomini ſcio. Sed in exemplis, quæ & per menſuræ & per rei ſuperatæ ablativum explicari poſſunt, ne ambigua ſit oratio, illum ſemper præponi ſolere, hunc poſtponi, obſervo. Ut jam ad ſcopum redeam, qui eſt Celſum in conſenſum cum Dioſcoride & Plinio propoſito in loco reducere, neſcio an ſcribam: *& cadmia plus dimidio* (hoc eſt quam dimidium chalcitidis) An? *Et cadmia dimidio minus*, hoc eſt. (Kaum halb ſo viel als kopper-rock.) An? Sed *Cadmia aliquid & Chalcitidis dimidio plus*. H. e. Kaum noch twimall ſo viel kopper-rock. Niſi integer ſervandus Celſi locus fuerit, ut minus diſſenſus autorum attendendus ſit; poſterior correctio ſic placet, ut alias ſæpe tranſpoſitiones ſimiles ab ignaris factas in Celſo paſſim noto. Fortaſſe enim rei ſuperatæ ablativum intellexit, qui menſuræ debuit, adeoque ut Celſus Dioſcoridi conſentiret, chalcitidis & cadmiæ nomina locis propriis permutavit. Sed hæc conjectura eſt. Tu, Vir Excellentiſſime, verum decernas licet, ſive ab ingenio vis, ſive ex MSC. fide. Utroque modo non me tantum, ſed & alios longiſſime ſuperas. Ego enim ut verum tibi, Plautina phraſi, hic fatear, *una litera plus ſum, quam medicus.* Si ſuccurrere jam inopiæ meæ vis, poteris una quoque honoris nomen reddere, quo in perpetuum habebis Tibi me devinctiſſimum. Interea ſi non per Te reſponſum, per Axenium id, etiam cum deſiderio exſpecto, & bene valere Te jubeo. Scribebam Tonningæ Decimo Tert. Calend. Feb. a. 1672.

EPISTOLA XXII.

SAMUELI RACHELIO. S. D.

J. Schefferus.

PRidem & reſponſum tibi, & gratias pro doctiſſimo elegantiſſimoque munere debeo. Neque negligentia quadam diſtuli hoc officium, ſed propter virium imbecillitatem, quas tantum non omnes exhauſit morbus diuturnus, ex quo ægre poſſum reconvaleſcere. Propterea confido fore, ut tam longum ſilentium excuſes, nec ſiniſterius quid ſuſpiceris. Opto autem, quod optavi ſæpius, ut pergas in nobiliſſimo argumento pertractando, nec te hominis unius ſtolidiſſimi & iniquiſſimi furore inde patiaris divelli. Quæ ſcribis de Officiis Ciceronis cum meis quibuſdam annotationibus Francofurti edendis, mihi quidem ſunt ignota. Fateor jam etiam ante annos decem & plures publice interpretatum eſſe, illaque occaſione obſervaſſe nonnulla ad meliorem ejus operis intellectum. Loca quoque ſuſpecta examinaſſe, quæ & ipſa ante biennium emendata

data miſi ad Cl. Grævium hoc a me petentem. Conſtituiſſe quoque illum laborem retractare, idque coram olim indicaſſe No. Dn. Blumio, ex quo fortaſſe typographus hoc accepit. Sed tot curis aliis hactenus fui obrutus, ut ad id negotium non potuerim me accingere. Præterea meum paulo aliud, quam tuum eſt propoſitum, videlicet conferre cum Cicerone ſcriptores alios, Græcos Latinoſque, Chriſtianos & paganos, & ex conſenſu omnium vel diſſenſu veritatem aut falſitatem ſententiarum demonſtrare. Qua occaſione tamen ſi quid aliter acceptum eſt ab interpretibus, quam videntur debuiſſe, indicatur, cum præſertim Wolfius in pleriſque ea affinxerit Ciceroni, de quibus ne per ſomnium quidem cogitavit. Quod ſi vitam Deus dabit, & concedent otium, qui poſſunt, illud a me aliquando conficietur. Dabo operam, ut intelligas, me & virum bonum, & tui amantem & injuriæ ſine cauſſa tibi illatæ memorem eſſe. Quanquam forte hujus nihil quid ſit, cum orbis totus hominis ſtolidiſſimi miſerrime auſus pridem viſerit & damnaverit. Cl. Gudii benignum de mea Re Vehiculari judicium amo & exoſculor, optoque, ut ſic aliis probare poſſim, ſimul peto ut Virum doctiſſimum, ſi potes, mihi facias amicum. Cupio enim propter cauſſas multas ei propius innoteſcere. Sed hucuſque mihi nulla data eſt idonea occaſio. De me non habeo, quæ ſcribam præter ea, quæ ſignificavit Cl. Dn. Morhofio. Is nuntiabit, ſi deſiderabis ſcire. Pagellas haſce addo, tantum ut intelligas, me valde gratum eſſe, licet ob fortunam tenuem non poſſim. Vale. Scr. Upſaliæ. a. d. 6. Septembr. An. 1672.

EPISTOLA XXIII.

MARQ. GUDIO. S. D.

Samuel Rachelius.

Sleſvicum,

QUas incluſi Cl. Dn. Schefferi literas ipſe exhibere conſtitueram, cum ante bimeſtre Sleſvici eſſem. Et quamvis aditum pro Tua humanitate mihi facilem pollicitus fueras, illum tamen aliorum interpellationibus occupatum eſſe ſcio. Idem tamen fieri hic potuiſſet, quod nuper ad nos tranſiiſſes. Hoc vero cum ſerius comperiſſem, & pluribus negotiis diſtrictus præſentiam Tuam diuturniorem fore ſperarem, etiam hæc ſpes decollavit. Ne igitur vel deſiderio Amici, vel publicis commodis deſim, opera mei domeſtici hanc ad rem uti viſum eſt. Noſti, Vir Ampliſſime, Cl. Schefferi ingenium & ſtudium doctiſſimis argumentis occupari, ut Tua amicitia & exquiſitæ eruditionis adminiculo non indignum judices, & quibus ipſe ſtudiis forſan vacare non licet, ea ſaltem per accuratæ diligentiæ hominem adjuves. Domeſticum meum, Cognatum Tuum, ut commendem, nihil erit neceſſum. Ipſe enim talem ſe Tibi probabit, qualem velis eſſe. Bona in illo mens, bonus animus. Ingenium excitatum, firmum judicium, & ad res arduas perſpiciendas comparatum. In Philoſophia practica eximie profecit, ut etiam deinceps in ſtudio juris tanto felicius progredi poſſit. Jam pridem ipſi autor fui, ut aliquod ſpecimen eruditio-

nis exhiberet. Sed perſuadere hoc non potui, impenſas, ni fallor, hoc nomine faciendas, detrectanti. Vitam ejus quod attinet, probam, modeſtam & innoxiam hic egit, ut ejus conſuetudo nunquam mihi gravis, ſemper autem jucunda fuerit. Prodierunt iterum Opuſcula Moralia varia Honorati Fabri. His Colonienſes Jeſuitæ addiderunt nonnulla alia, interque ea unum, quod præ ſe fert nomen Bernhardi Stubrockii, qui ſe objecit antehac Guilielmo Wenerockio. Ille Stubrockius iſto opuſculo Examen meum Probabilitatis Jeſuiticæ, quod Helmeſtadi edidi, refutare inſtituit. Qui cum nervum minime tetigerit, ſed ſolidam defenſionis cauſam mihi reliquerit, reſpondere homini maledico conſtitui quidem, ſed cum terra pugnare nolim. Si itaque, Vir Ampliſſime, Tibi compertum ſit, quis ſub nomine Stubrockii lateat, velim ne clam illud me habeas. Quod ſi iſtius opuſculi virulenti aurorem ipſum Fabrum eſſe ſcirem, non ſane ſub incudem vocarem. Vale. Kiloni. a. d. 2. Febr. 1673.

EPISTOLA XXIV.

MARQ. GUDIO. S. D.

Wilhelmus Goeſius.

TAndem, ecce, prodeunt Agraria veterum, quæ cura noſtra, ut opinor, emendatiora reddidit, illuſtravit, & aliqua etiam acceſſione locupletavit: nam videbitis auctius hic illud caput, quod agit de *Varatione Fluminum*, adjectumque Simplicium, cum fragmentis quarundam legum agrariarum, quæ collegimus ex Halicarnaſſeo, Dione, Plutarcho aliiſque qui veteris Hiſtoriæ nobis monimenta reliquere. Vellem maturius me potuiſſe hæc ad vos tranſmittere, ſed quod liber iſte nunc demum prodit, tribuendum partim torpedini bibliopolæ, cui jam ante biennium hunc excudendum tradidi, partim infelicitati temporum, ex qua Patria noſtra poſt exitiales turbas nunc incipit emergere. Vos vero felices, qui ex tanta calamitate vos in tempore ſubduxiſtis, & velut in ſpecula e longinquo vidiſtis in alto jactari Reipublicæ noſtram cymbam, dum apud vos plane ſint Alcedonia. Quid autem vos tempore tam felici egeritis, atque etiamnum agatis, ſcire unice deſidero; ſpeciatim etiam quo loco ſit Photii Etymologicum, itemque quo inſcriptiones veteres, quo Cæſar, quo alia, quorum editionem, dum hic eratis, moliebamini. Si mihi horum ſimiliumque cognitionem impartiri velitis, beabitis maxime. Hagæ Comitis ult. April. 1674.

EPISTOLA XXV.

Molto Illuſtre Signore Colendiſſimo.

MI giova d'allegrarmi con V. S. Molto Illuſtre del ſuo felice arrivo a Milano, allegrandomi inſieme coll' Illuſtriſſimo ſuo Compagno, dove non prima di hora però non gli hò inviato l'indice de' Manuſcritti Greci da lei deſiderato, per non eſſer ſtato ritrovato a tempo dal Reverendiſſimo Preſidente del Collegio greco,

come

come coſa da eſſo traſcurata l'hà meſſa in non cale; per ilche iſcuſerà V.S. la tardanza ſenza adoſſarmela, havendo per punto di riputazione, di non tralaſciar coſa alcuna che ſia di ſuo ſervizio, quanto ſarà in me. Hò ſcritto al Signor Magliàbecchi a Fierenze, con dargli parte della ſua partenza, e di qualche soddisfazzione, che V.S. habbia moſtro della ſua poca dimora in Padoa, con qualche frutto delli ſuoi eruditi viaggi, havendo però giudicato bene, che non ſapeſſe là queſto fatto da lei de' Manuſcritti greci per molti riſpetti, come, che miglior conſiglio foſſe, non doverſi far paleſe la poca reputatione dell' Italia, di dar coſi il bando alle lettere greche, dove hanno fiorito tanto tempo. l'Eccellentiſſimo Ferrari fà riverenza alle Signorie Voſtre molto affettuoſa, come anco il Signor Sindaco della fazzione Tedeſca, Vezio ſindaco dell' Univerſità, Vezio Conſigliere della nazzione medeſima, ſoſpirando ancora la loro compagnia a Torino, mà io credo che habbia da patire un pezzo di tempo queſto male in corpo. Con che io me le raffermo con ogni affetto augurandole il colmo della contentezze. di Padoa. il di 8. Septemb. 1662.

D. V. S. Molto Illuſtre

Affettionatiſſimo ſervidore

CARLO OFFREDI.

EPISTOLA XXVI.

Illuſtriſſimo Signore, e Padron Colendiſſimo.

MAndo a V.S. il Livio con le note Marginali di Curzio Picchena Fiorentino, già primo Segretario di ſtato del Sereniſſimo Gran Duca di Toſcana, ſcritte di mano propria del medeſimo Picchena. Se ne vaglia, che mi ſarà gratiſſimo, ſe vi ſarà coſa a propoſito per il Signor Gronovio. Incluſe haverà le Lettere del Signor Cintio, mi onori riſpondere a detto Signore, che io al cui ritorno ſpedirò la lettera. Deſidero col ſuo commodo una Copia dell' Iſcrittione di Ruſo Aproniano, deſcritte dal Signor Virgilio Antichiſſimo deſcritto da loro, e la riveriſco. Di Caſa li 25. Ottobre 1662.

Di V. S. Illuſtriſſima.

Servidore Devotiſſimo.

CARLO DATI.

EPISTOLA XXVII.

Illuſtriſſimo Signore, e Padrone Colendiſſimo.

E gran tempo, che io deſidero di raſſegnar a V.S. Illuſtriſſima la mia oſſervanza, mà hò tralaſciato di farlo per non ſapere dove ella habbia fermato ſua ſede, e per conſequenza dove io debba inviare le mie lettere. Veramente non lo ſò, nè anche adeſſo, mà non voglio viver più in queſta contumacia, tanto più

che

che io hò neceſſità di ricorrere alla ſua Erudizione. In primo luogo adunque la ſupplico, a farmi grazia di notare le varie lezzioni di Plinio, ſopra i 4 ultimi libri. 33. 34. 35. 36. *Dove ſi tratta di materie attenenti a Pittura, Scultura & Architettura, dal teſto Manuſcritto antichiſſimo, che V. S. mi diſſe trovarſi nella ſua padria, quand' ella dimorava in Fierenze, e ch' ella inteſe il mio biſogno. Sò che la briga è grande, mà la neceſſità mi fà ardito, ed importuno. In ſecondo luogo V. S. Illuſtriſsima mi onerò d'una varia lezzione, anzi ingegnoſiſſima emendazzione ſopra quei verſi di Fedro lib.* v.

Ut quidam artifices noſtro faciunt ſeculo
Qui pretium operibus majus inveniunt novo
Si Marmori adſcripſerunt Praxitelem ſuo
Detrito Myronem argento. Fabula &c.

Mà io l'hò perduta, e la ripiglierei con tutto l'diſcorſo, ed annotazioni di V. S. ſopra queſti verſi, i quali mi occorre citare in un mio diſcorſo della pittura antica, ed intanto farò memoria della ſtima, che io fò della ſua erudizzione. Si attende, e ſi ſpera preſto da lei l'edizzione del Fedro, mà io hò più preſtezza di queſto luogo, perche penſo di mandar fuori una parte di queſta opera, e dedicarla alla Maeſtà Criſtianiſſima del Rè di Francia, da cui ſono ſtato altamente benificato. Credo, che V. S. havrà inteſo, che in Roma uſci la Roma antica di Famiano Nardini. Giorgio Pachimerio tradotto da P. Poſſino, e le opere di Torquato Taſſo inedite. Il Signor Valerio Chimentelli, Profeſſore delle lettere humane nello ſtudio Piſano, ſtampa un' opera de ſellis veterum. *Il Signor Franceſco Redi, un trattato del naſcimento degli inſetti. Altre nuove letterarie per hora non mi ſovvengono, onde per fine, col ſupplicarla dell' onore de' ſuai comandamenti, obſequioſamente la riveriſco. Di Firli li 15 Giugno.*

Di V. S. Illuſtriſſima.

Servo Divotiſſimo, ed Obligatiſſimo.

CARLO DATI.

EPISTOLA XXVIII.

Illuſtriſſimo Signore, e Padron Colendiſſimo.

I*L Signor Falconieri la riveriſce, e là priega a collazzionargli i Luoghi dell' incluſo foglio. Sono ſtato per riverirla all' albergo, inſieme col Signor Cavalcanti più volte, mà per mia diſgrazzia mai hò havuto fortuna di ritrovarla, onde hò ſtimato bene lo ſcriverle queſti diu verſi, per auviſarle, come il Signor Principe mio Signore ſi duole di me circa alla ſua tardanza, ed jeri in particulare mene diſcorſe a lungo, la ſupplico per tanto con ogni maggior caldezza, mentre habbiano i miei preghi luogò alcuno appreſſo di lei, a favorirmi domane doppo deſinare in tutti i modi di appettarmi in caſa, già che verrò per lei, ed anderemo dal Signor Principe come gli hò vromeſſo. La ſupplico di* que-

queſta, perche, come hò detto doppo di avermene diſcorſo molte volte; jeri finalmente ſi dolſe, nè a parlare ſinceramente, non ſenza qualche raggione. Con che non ſervendo queſta mia per altro, ſupplicandola a riverire in mio nome il ſuo gentiliſſimo Signor Compagno, la riveriſco. Di Caſa li 19. *Dicembre* 1662.

Di V. S. Illuſtriſſima.

Devotiſſimo ſervidore.

ANTONINO MAGLIABECCHI.

EPISTOLA XXIX.

Illuſtriſſimo Signore, e Padrone Colendiſſimo.

In Roma.

Sò quanto a letteratiſſimi ſuoi pari il tempo ſia prezzioſo, e per queſto con mia eſtrema mortificazzione mi ſono indotto a ſcriverle queſti quattro verſi, neceſſitato a ciò fare dalle replicate iſtanze, che di queſto mi vengono continuamente fatte dal Signor Bigot. M' impone egli per tanto, che io la riveriſca nel primo luogo in ſuo nome, e doppo da ſua parte le accenni, comme il Signor Scheffero è in brieve per dar in luce una nuova editione delle Favole di Fedro con ſue annotazzioni, e per queſto, che ella farebbe un grandiſſimo favore non ſolo al detto Signor Scheffero, mà ancora a tutta la Republica letteraria, mentre ella voleſſe onorarlo di mandargli le dottiſſime, ed ingegnoſiſſime annotazzioni, che hà ſopra 'l detto puriſſimo ſcrittore, e l'aſſicura che come è il dovere, il Signor Scheffero, o le farà ſtampare in fine del libro, come di V. S. Illuſtriſſima, o pure le metterà, tra le ſue ſcrivendo però di haverle accette da lei. Io gia hò più volte riſpoſto al Signor Bigot, che l'avrei ſervito, mà che non credevo, che in queſto negozzio poteſſe eſſere concluſione alcuna, mediante il ſapere, che ella non haveva ne meno voluto dare queſte note al Signor Fabro. Mà replicandomi eſſo, che ella al Signor Scheffero forſe le concederà, e che anche il Signor Cinſio gli hà dato tutto quello, che haveva ſopra queſto Autore, hò ſtimato mio debito lo ſcriverle queſti quattro verſi, per avviſarlelo, come ero obligato a fare. L'aria comincia a riſcaldare, ed il Signor Dati, il Signor Cavalcanti ed io l'aſppettiamo quà con grandiſſima impazzienza, per non parlare di molti altri amici, e della noſtra libreria di S. Lorenzo, la quale è infallibilmente per ricevere più fama da lei, che da qualſivoglia altro letterato. Non indugi ella per tanto a conſolarci con la ſua dottiſſima, e gentiliſſima converſazzione, ed io a nome de detti duoi amici, e mio ancora, ne la ſupplico con ogni maggior caldezza poſſibile. Il Signor Dottor Redi quì preſente mi impone di riverirla in ſuo nome, ed inſieme pregarla a ſcuſarlo, mentre ella fù qua, non hebbe campo di riverirla, e ſervirla come ſe deve al ſuo merito. Era egli veramente in quel tempo occupatiſſimo, e particolarmente appreſſo il Gran Duca, il quale fà non poco conto di eſſo, l'aſſicuro, che riſarcirà queſti mancamenti, quando ella ritornerà

quà, eſſendo veramente corteſiſſimo, e gentiliſſimo in ſommo grado. Per non le far perdere il tempo interamente, le avviſerò quì alcune novità letterarie, in confuſo però, e come prima mi verranno alla memoria. In Padova ſi ſtampa la Minerva Sanziana dello Scioppio. Il Seneca Tragico del Signor Gronovio è finito di ſtampare. Il Signor Bigot lavora gagliardamente per quello, che mi ſcrive ſopra la Vita di S. Criſoſtomo di Palladio, ed in brieve la farà ſtampare con alcune ſue annotazzioni, come anche in brieve farà riſtampare il Libretto del Signor Franceſco Bernardino Ferrari de ſacris Concionibus. *Il Signor Tomaſo Bartolini hà dedicato al noſtro Gran Duca un' operetta intitolata* Ciſta Medica &c. *e la manda al Signor Dati perche la preſenti. Il Signor Elzevirio ſi offeriſce di riſtampare il Vocabulario della Cruſca con le giunte, che gli ſaranno mandate, ſuperbiſſimamente e correttiſſimamente, contentandoſi di rifare tutti i fogli ne' quali foſſero ſcorſi errori di qualche conſiderazzione. Si aſpetta che torni il Principe Leopoldo per riſolvere quello, che in queſto particolare ſi dovrà fare. Con che mancandomi il tempo, ed in oltre non volendo maggiormente abuſarmi della ſua corteſia con la lunghezza, farò fine col ſupplicarla dell' onore de' ſuoi comandi, baciarle affettuoſamente le mani, riverirla.*

Di V. S. Illuſtriſſima.

Devotiſſimo ſervidore.
ANTONIO MAGLIABECCHI.

EPISTOLA XXX.

Molto Illuſtre, e Reverendiſſimo Padre Signore, e Padrone Colendiſſimo Stephano Angeli.

In Venezia,

Le ſarà conſegnata queſta mia da letterato di ſomma erudizzione, e di perfettiſſimo giudizzio, al quale deſidero io con ogni maggior affetto di ſervire in ogni, e qualſivoglia coſa, che da me dependa, onde avendomi eſſo detto, che venendo coſtà deſiderava di haver qualche amicizzia con il Cuſtode della celebre libraria di coteſta Città, non havendo io ſeco amicizzia nè ſervitù di alcuna ſorte; non hò per lo meno voluto mancare di accompagnarlo con la preſente, parendomi di haver da lei già ſentito dire, che il detto Signor Cuſtode era ſuo Amico, e perciò avrà ella facilmente campo di favorirlo col raccomandarlo ad eſſo, del che le ne reſterò io eternamente tenuto, aſcrivendo queſto al numero degli altri favori, che dalla ſua ſola gentilezza, ed intieramente contro ogni mio merito mi ſono ſtati conferiti. Circa a nuove letterarie intorno a coſe Matematiche mi viene ſcritto d'Anverſa, che ſi ſtampano alcuni opuſcoli poſtumi del Padre Tacquet, e di Parigi, che il Signor Bullialdo fà ſtampare, non mi ſoviene che opera di Tolomeo, non mai per l'innanzi ſtampata. Corre anche quì fama, che il Signor Ugenio habbia ſtampata una Dioptrica;

pirica; è ben vero che a me non è noto di dove tal nuova habbia origine, giache pochi giorni ſono havendone io domandato il Sereniſſimo Principe Leopoldo, mi riſpoſe non ſaperne niente. Quà viviamo curioſiſſimi di ſapere, che coſa vada meditando il ſuo dottiſſimo, e fertiliſſimo ingegno, non mai auvezzo a ſtar in ozzio, mà benſi incontro all' in continua fatica, come dimoſtrano le ſue tante, e dottiſſime opere in così poco ſpazio di tempo publicate. Con che per non tediarla d'avantaggio, col ſupplicarla dell' onore de' ſuoi da me deſideratiſſimi comandi, e riverirla, mi ſotto ſcrivo.

Di V. Paternità Molto Illuſtre, Reverendiſſima.

Devotiſſimo, ed obligatiſſimo ſervo.

ANTONIO MAGLIABECCHI.

EPISTOLA XXXI.

Signor Padron Mio Oſſervandiſſimo.

R*Iceverà V. S. con queſta mia lettera in un' altro foglio la copia della maggior parte delle antiche iſcrittioni, che io hò in una mia villa raccolte, mentre da fondamenti l'edificai. Manderò appreſſo la copia delle altre; & ſe in queſta, che invio, ella vi hà qualche difficoltà, mene dia avviſo, che la vi farò di nuovo con caratteri più chiari. Io certamente crederò di haver conſeguito il mio fine, communicandole con V. S. che le renderà più famoſe, e più immortali; poſciache non può dubitarſi, che anche i ſaſſi vengon' meno; e paſſando forſe queſta mia villa in poter d'altri, anco ſtudioſamente verranno maltrattati, il che voglia Iddio, che non ſegua anche in mia vita, già che ſarò coſtretto di farne vendita a viliſſimo prezzo, per non haver a perir di fame, o di alltro peggior male, potendomi difendere da molti invidioſi della mia quiete, che non laſcieranno anco di nuovo inſultarmi, e non trovo in chi può cadere la vendetta, o la difeſa. Queſto è l' frutto, che raccoglie delle ſue lodate fatiche huomo da bene; e chi dimoſtra volerlo favorire nol fà con altro aiuto, che con honorevoli, e larghe parole. Mà non m' auveggio, che il mio dolore mi ho traſportato a moleſtar V. S. che non può far altro, che compatirmi in queſta mia infirmità, e d'ogn' altra inciviltà ſeco uſata. Con che mi taccio riverendola; a chi inſieme con il Signor Samuele con ogni ſinceriſſimo affetto bacio le mani: di Capua del di 2 Aprile 1662.*

Di V. S. Illuſtriſſima.

Affettionatiſſimo ſervidore, e devotiſſimo.

CAMILLO PELLEGRINO.

EPISTOLA XXXII.

Molto Illuſtre Signore, e Padrone mio Oſſervandiſſimo.

In Roma,

S*Ento diſpiacere, e maraviglia grande, che ſi ſiano ſmarrite le mie lettere, che ſcriſſi a V. S. per lo ſequente procaccio doppo il ſuo partire, con il quale*

accompagnai un foglio intieramento pieno di molte antiche iſcrittioni, che già raccolzi in una mia villa; Ma forſe ella le haverà ricercate nel luogo volgarmente detto la ſtaffetta; dovendo ricercarle in quello del ſudetto procaccio, del qual ſcambio havendone alcun dubbio, ſcriſſi ad un mio amico, che riſiede in Roma ne le haveſſe dato avviſo; ſiche ſpero, che a queſto punto potrà haverle recuperati. Ingiongo hora la copia del reſto delle altre iſcrittioni, che nella medeſima villa collocai, e di alcune altre, che ſono in Capoa, nè ſin hora divulgate. Gradirà la ſua gentilezza queſto affetto mio verſo il ſuo piacere, e ſarà queſto il mio ſommo preggio frà le acerbiſſime ſuenture mie. Hebbi la honoratiſſima ſua trovandomi in letto, donde hora ſcrivo, & il morbo non ſteſſo, mà per la mia età, e più per i diſpiaceri di animo alquanto grave, non mi permette di poterle dar riſpoſta a guſto mio mentre ho voluto, che pravaglia il ſuo guſto, e conſumar il mio debole vigore nella copia ſudetta più toſto, che in una più proliſſa lettera. La onde più finiſco, ſupplicandola a donarmi poi avviſo del ſuo partire, e le havero a mandarle di nuovo la copia delle prime iſcrittioni. In tanto a V.S. con affetto ſincero bacio le mani, & ſognoſamente al Signor Samuele. Di Capoa del dì 22 de Aprile. 1663.

Di V. S. Illuſtriſſima.

Affettionatiſſimo, e devotiſſimo.
CAMILLO PELLEGRINO

EPISTOLA XXXIII.

MONSIEUR,

Les voſtres du 14 Octobre m'ont eſté renduës ſeulement le 7 du courant, de maniere ſçachant que vous eſtes partys de Florence, & ne ſçachant où addreſſer le miennes, j'avois deliberé de n'y point reſpondre, veu nommément que la meſme ſemaine, que vous partiſtes de Rome, je vous eſcrivis, qu'ayant commencé a vous ſervir, j'avois eſté advertis, que le Signeur Cardinal Barberin avoit deſſein de les faire imprimer, & que s'il venoit a ſa cognoiſſance, qu'elles ayent eſté communiqueés, il en ſeroit offencé. Maintenant je vous donne advis, qu'il y a un certain de Luques, qui fait imprimer le Martyrologe enrichy de rares notes, entre leſquelles ſont celles de feu M. Holſtenio, & dit on qu'il ſortira bien toſt en lumiere, & il y aura moyen de contenter voſtre curioſité. J'eſpere de voſtre bonté, que vous me pardonnerez, ſi je ne vous ay point ſervy en ce point, croyez que ça eſté a mon grand regret; mais pour vous parler avec ma ſincerité ordinaire, on me l'a deffendu ſi expreſſément, que j'ay eu peur d'encourir quelque diſgrace aupres dudit Sig. Card. En toutte autre choſe, qui deſpendra de moy, lors qu'il vous plaira me commander, vous me trouverez touſiours prompt a vous ſervir, & vous teſmoigner par effect qui je ſuis, Monſieur,

Voſtre très-obeiſſant ſerv. D. BENNOIST ARNOULD
de l'eſtroitte obſervance de la Reigle de S. Bennoiſt.

De Rome ce 9.
Xbre. 1662.

EPISTO-

EPISTOLA XXXIV.

MONSIEUR,

JE ne ſçay ſi c'eſt a vous, où a M. Pluymer que je dois faire des reproches de ce que je me trouve tous les jours trompé dans les eſperances, qu'il me donne de voſtre retour en ces quartiers; je vous ſupplie de m'apprendre ce que j'en dois croire, & ſi je puis eſperer de vous voir entre icy & la fin du mois de juin. Le meſme M. Pluymer m'a dit que luy aviéz fait quelque mention d'un voyage allemand imprimè depuis peu en Holſtein, il y a un endroit dedans ſur le quel j'avrois bien des queſtions a faire a celuy, qui en eſt l'Autheur; ſi vous le voyez Monſieur, je vous prie de luy faire bien des queſtions ſur l'hiſtoire de ſon evazion, il ne nous dit rien de la langue & de la police de ces Tartares, chez les quels il a ueçu, il ne dit rien de leurs arts, de la ſituation de leur pays, n'y de ce qui regarde l'hiſtoire naturelle, & dit, ſi je m'en ſouviens bien, qu'en neuf jours de chemin il paſſa d'Arkelau dans le Turkeſtan; j'aymerois mieux, qu'il nous eut donnè les particularités de ce petit voyage, que tout ce qu'il rapporte des Indes & des autres pays ou il a eſtè, qui ſont deja aſſéz connues par les autres nations. Si vous le voyés Monſieur, je vous prie de luy faire bien des queſtions ſur tous ces ſujets, mais ſur tout de me faire l'honneur de m'ecrire, quand je puis eſperer de vous voir icy, ou je vous attends avec grande impatience. On m'a dit qu'il y avoit un livre qui traite des abeilles imprimè en Dannemarck, je vous prie, le mettre entre les livres que vous rapporterés de ce pays-là; ſi vous le trouvez, il eſt écrit en langue Dannoiſe. Je ſerois auſſi bien aiſe de ſavoir, ſi M. Olearius a reçeu le livre, que je luy ay envoyè, & ſi vous voyés ancore le cabinet du Duc de Holſtein, que vous vous fiſſiés montrer ces planches de la Chine, dont M. Olearius parle dans les notes, & qu'il dit avoir ſervy a l'impreſſion de quelque livre.

Voſtre treshumble & tresobeiſſant ſerviteur,

A Amſterdam ce 13. Juin 1669.

THEVENOT.

EPISTOLA XXXV.

MONSIEUR,

J'apprens avec beaucoup de joye, que vous étes de retour en Hollande en bonne ſanté, il y a quelque temps que je l'attendois, pour vous donner avis, que j'ai trouvé enfin un Diophante entier & bien conditionné, que je vous envoyerai, quand j'aurai de vos nouvelles. Preſentement que vous étes dans la ville du plus grand commerce du monde, je vous conjure de vouloir vous communiquer un peu plus, que vous n'avez fait par le paſſé: de mon côté je vous promets, que je vous manderai ce qui ſe faira de plus conſiderable en ces quartiers dans la Litterature. Pour commencer, je vous dirai que Mr. le Febvre de

Saumur a vendu tous ſes Livres, & a reſolu de paſſer le reſte de ſes jours dans une vie douce & paiſible en continuant ſes exercices du College, qui lui apportent du profit, & partant il n'y a plus gueres de choſe à eſperer de lui. Mr. Huët a fait imprimer en François un Livre de l'origine des Romans, *qui eſt fort curieux & docte. Le Pere le Moine Jeſuite a publié une Diſſertation de* l'art de l'Hiſtoire ; *il y reprend en quelques endroits feu Mr. Voſſius, & ce ſous le bon-plaiſir de Mr. Voſſius, qu'il dit eſtimer infiniment, & qui ſçachant la raillerie, ne lui faira pas un procès, comme un galant homme lui en avoit voulu faire un dans la Cour la plus galante du plus ſçavant Prince d'Italie, à l'occaſion de ſon Livre* des Deviſes, *je croi qu'il veut parler de Florence. Le Pere Vavaſſeur auſſi Jeſuite a fait imprimer un Livre* de Epigrammate, *qui eſt fort eſtimé pour être écrit tres-poliment. Si vous allez à Utrecht, (ou quand vous écrirez à Mr. Graevius) je vous prie de voir dans la Bibliotheque* C. in folio Jo. Chryſoſtomi opus imperfectum in Matthæum. Idem in Johannem tranſlatus a Burgundione judice cive Piſano, ut eo rediniteret animam filii ſui Hugolini mortui in itinere Conſtantinopolitano anno 1178. *Ce Livre eſt* MSS. in membran. *Je voudrois bien avoir la Lettre de ce Burgundion là, s'il y en a quelqu'une en tête de cette Traduction, & de plus vingt ou trente lignes de cette Traduction, afin de voir ſi elle eſt bonne ou non. De plus je ſerois bien aiſe, de ſçavoir ſi ce MSS. eſt en parchemin ou papier, & s'il contient toutes les Homelies ſur S. Jean. La Traduction qui eſt imprimée eſt d'Aretin & fort defectueuſe. J'ai lû dans le Catalogue de la Bibliotheque d'Amſterdam, qu'il y avoit un Plutarque Grec, tout noté à la marge par Hadrien Junius avec des obſervations, voyez ce que c'eſt. Pendant mon incommodité je lis cet Auteur, & trouve beaucoup à ajouter à toutes les éditions, qu'on en a faites. Petrus Suffridi en a traduit quelques Traitez avec des Notes, que je voudrois bien avoir; ſi vous les rencontriez ne les laiſſez point aller. Si vous avez beſoin de quelques Livres de ces quartiers-ci, mandez les moi librement, & je tâcherai de les pouvoir rencontrer. Je prendrai à la pareille la même liberté. Par exemple, il me manque Diodorus Siculus Grec-Latin de Francfort, ſi vous le trouviez à bon compte, vous m'obligerez de me l'acheter. J'ai quelques Commentateurs d'Ariſtote doubles, mais je n'ai point les Rheteurs d'Alde; ſçavoir les deux volumes qui contiennent Hermogenes, Menander, &c. avec les Commentateurs. Si vous venez jamais à Rouën, vous trouverez nôtre Bibliotheque augmentée d'un tiers. Le Pere Cambefis Jacobin reformé a fait imprimer vôtre Hippolyte avec une Traduction, & ce dans un volume in folio, pour tenir d'addition à la Bibliotheque des Peres. Ce volume n'eſt pas encore public. Si vous voulez ajouter quelques Notes ſur Hippolyte, il eſt de ma connoiſſance, & j'oſe vous promettre, qu'il imprimeroit tout ce que vous lui envoyerez. Un mien ami, qui fait un Catalogue très-exact des MSS. Grecs de la Bibliotheque du Roi, m'a mandé qu'on avoit envoyé au Roy, de Conſtantinople ſoixante MSS. Grecs très-anciens, qui ne contiennent,*

que

que des Homelies déja imprimées. Quand vous verrez Mr. Voſſius, je vous ſupplie, de l'aſſûrer de mes très-humbles ſervices. Mandez moi, s'il vous plait, ce qu'il fait, & s'il ne fait rien imprimer.

A Rouën ce 4 Janvier 1670. Le tout vôtre BIGOT.

EPISTOLA XXXVI.

MONSIEUR,

D*Epuis que j'ai eu l'honneur de vous voir à Rouën, j'ai toûjours été incommodé d'une fluxion ſur la gencive deux mois en Normandie, & depuis deux mois, que je ſuis à Paris, je ſuis entre les mains des Chirurgiens. A mon arrivée je n'eus, que trois ou quatre jours libres pour me promener. En ce temps-là je vis Mr. Marbre Cramoiſi, à qui je parlai du Diophante, que vous m'avez baillé pour lui échanger, il me dit que les trois ou quatre, qui lui reſtoient, étoient ſemblables, & je ne fis rien avec lui; aujourdhui que je commence à ſortir, je lui ai parlé & donné le Diophante, qu'il vous a vendu, il m'a dit, qu'il chercheroit, s'il n'en avoit point d'entiers, même à ma preſence, il en a trouvé un de grand papier entier, qui dit valoir vingt francs, je n'en voudrois à ce prix. Je vous prie de me mander quel Livre vous deſireriez, que je priſſe pour vous envoyer en cas, qu'il n'en c'eſt point en petit papier d'entiers. Le Livre de Mr. Allatius* de Simeonibus *eſt achevé d'imprimer, le Pere Cambeſis, qui en a le ſoin de l'édition, y a ajouté pluſieurs anciennes pieces Grecques, qui regardent l'Hiſtoire de Conſtantinople. Ce volume eſt aſſès curieux. Ce Pere reprend ſouvent dans ſes Notes Mr. Lambecius. Le Pere Labbe fait imprimer un Catalogue des Catalogues de tous ceux, qui ont écrit des Catalogue de Bibliotheque, d'Imprimerie, de Vies, d'Eloges; un autre de tous ceux, qui ont écrit des Medailles & des Monnoyes; & un troiſieme de ceux, qui ont écrit des choſes antiques. Ce Recueuil ne ſera pas mauvais. On a imprimé & publié à Rome* Paſſio SS. Perpetuæ & Felicitatis cum Notis Lucæ Holſtenii, *je les ai vûs & lûs à Paris; de plus* Vita Bonifacii Romani, & Notæ Lucæ Holſtenii in Martyrologium Romanum Baronii. *Le Petave, doit être achevé d'imprimer à Padouë, depuis qu'on m'a écrit qu'il étoit déja avancé d'être imprimé. Mr. le Febvre de Saumeur fait reimprimer les Notes ſur le Phædrus, du plûtôt que cette édition paroitra, je vous en envoyerai une copie par Mr. Elzevier. Si vous deſirez quelque Livre de ces quartiers, je vous conjure de me le mander familierement, & je vous promets que je vous les envoyerai. J'attens les Catalogues, que vous m'avez promis des MSS. que vous avez apportez d'Italie, des Livres imprimez doubles que vous avez, & de plus je vous prie de me mander, ſi vous ne ſongez point à faire imprimer quelque choſe. Je vous prie d'aſſûrer Mr. Chas de mes très-humbles ſervices, & de vous bien perſuader, que je ſuis de tout mon cœur Monſieur,*

De Paris ce 15 Fevrier 1664. Vôtre très-humble & très-obéïſſant ſerviteur BIGOT.

EPI-

EPISTOLA XXXVII.

MONSIEUR,

J'Ai reçû par Mr. Helmius la lettre, que vous m'avez fait l'honneur de m'écrire, & les varies leçons du Manuſcript Tactique, ſur quoi je voudrois ſçavoir de vous, ſi vous croyez, qu'eſtant ce traité, comme j'en donne, ainſi un mêlange unie de divers Auteurs, & particulierement de Vilicius & de Leon l'Empereur, vaille la peine de s'employer à y travailler. J'attens le reſte des collations que vous me fairez l'honneur de m'envoyer par la voye de Mr. Dati ou Magliabecchi, je n'oublie pas vos commandemens, & en temps & lieu je vous fairai paroitre, par les effets le ſoin que j'en ai. Dès que le Livre des antiquitez de Trivoli ſera achevé, je l'envoyerai à Veniſe ſous l'adreſſe, que vous m'avez donné. Sans le retour de Mr. l'Abbé Gradi, qui eſt à preſent auprès de Monſeigneur Raſponi à Sienne, on ne ſçauroit pas voir le Manuſcrit de Petronius. Mr. Spanheim revient de ſon voyage, il y a quinze jours, comme vous aurez peut-être déja ſçû. Je tâcherai d'apprendre à Mr. Helmius par toute ſorte de ſervices l'eſtime, que je fais de vos recommandations. Je vous prie d'aſſûrer Mr. Samuël de mon très-humble reſpect, & ſuis avec paſſion

Vôtre très-obéïſſant ſerviteur

BALCONINUS.

EPISTOLA XXXVIII.

D. BERNHARDO ROTTENDORFIO. S.D.

J. Fred. Gronovius.

Monaſterium,

QUi tradiderunt has tibi, Cl. VV. Marquardus Gudius Holſatus & Sciaſſius Hagenſis, & boni ſunt bonis prognati, & omni liberali doctrina cultiſſimi. Quicquid eſt tota Gallia & Italia nobilium bibliothecarum, non perluſtrarunt modo, ſed & excuſſerunt: multos antiquiſſimos codices contulerunt aut deſcripſerunt: multos ære ſuo pararunt ac poſſident: in his & in illis obſervata plurima, quæ adhuc ignoravimus, brevi ſunt cum Deo benevolente in lucem daturi, toti in literis & literarum cauſa viventes, opeſque & operas inter ſe communicantes. Et hujus etiam peregrinationis non alia illis cauſa eſt, quam ut Germaniæ pluteos percenſeant. Vides quam rarum & incomparabile par ad te allegarim: quam dignum, ut tuas quoque eo in genere divitias expoſitas videant. Quare te oro atque obſecro, ut humanitatem tuam, cujus mea prædicatio mirificam illis exſpectationem commovit, omnem, ſi cui unquam, illis recludas & exhibeas. Antexegeſin alteram, quam jamdudum ad te miſi, puto te recte accipiſſe. Hi tradent & Plautum, quem quod excerptis Torrentianis juvare

vare voluiſti, multum tibi debeo, ſed ſerius ea accepi, quam ut inſtruere hanc editionem poſſent: & nunc quoque remitto; poſtquam exſignavi, quæ videntur aliquando profutura, ſi repetere licuerit. In Livio pervenimus ad XXXVII librum. Itaque jam incipio de præfatione cogitare. Reverendiſſ. D. Mallingrodii exceſſus, pro ea ac debuit, me commovit: de chartis & reliquiis ſtudiorum ejus quid ſit? Donaverat olim mihi Halloixii defenſionem Origenis; poſtea ejuſdem libri indigus per hominem certum a me commodato eum petivit & dedi. Eſtne aliqua repetitio? Videbis & ſalvebis plurimum cum omni domo, & amabis me. Lugduni in Batavis a. d. VII. id. Quinctil. CIƆ IƆCLXIV.

EPISTOLA LIX.

DANIELI GEORGIO MORHOFIO. J. U. D.

Henr. Oldenburg Sal.

Kilonium,

HAud levi me gaudio affecerunt literæ tuæ, Vir Conſultiſſime, quas poſt aliquot annorum lapſum nuper ad me dare voluiſti. Agnoſco in iis eximiam tuam in me humanitatem, qua cœptæ inter nos amicitiæ nodum, candidiſſimæ illuſtris Langelotti Epiſtolæ dono, ſimul & ſcriptorum Waſmuthianorum promiſſo exſolvendo, aſſtringere dignatus es. Quam liberalitatem quam maxime accumulas, dum Celeberrimi Gudii doctas in Authores Geoponicas Notas, aliorumque ipſius MStorum Medicorum, Phyſicorum & Mathematicorum Catalogum tranſmiſſurum Te ſpondes. Significavi hoc Viris, tum Londini, tum in Academiis noſtris, ſcientiarum & artium augmenta enixe ſpirantibus. Prædicant ad unum omnes, tum tuam, tum laudatiſſimi Gudii in provehenda & ornanda re philoſophica voluntatem, mihique in mandatis dedere, ut gratias quas poſſem maximas utrique veſtrum reſcriberem, oblatamque a vobis generoſitatem amplexarer. Quam primum itaque libuerit, Vir Ampliſſime, perdoctum Dn. Gudium officioſiſſime noſtro nomine ſalutabis, utque notas ſuas Geoponicas, una cum dicto Catalogo occaſione commoda ad me tranſmittat, amiciſſime invitabis, eumque certum omnino facies, nihil plane in eorum, quæ ab ipſo proficiſcentur, impreſſione omiſſum iri, quæ honori ipſi debito litare poſſe cenſebuntur. Sub prælo nunc, tam Græco quam Latino, apud nos verſatur Jamblichus de Myſteriis Ægyptiorum, nec non Pythagoræ Vita, perquam mendoſe hactenus edita: Lucianus inſuper, Græce itidem & Latine brevi hic imprimendus. Scire avemus, ullæne Dn. Gudio ſuppetant Notæ, quæ ad horum Scriptorum vel emendationem vel elucidationem ſpectent. Adhæc, ſi quicquam vobis de Boſii edendi Joſephi conſilio, vel de conditionibus, quibus ſuas circa ipſum collationes aliis concedere cupit, innotuerit, id quoque ut nobis ſignifices, obnixe rogamus. Hiſce ita expeditis, duo mihi tecum agenda ſuperſunt. Prius eſt, ut Clariſſimum

Dn. Langelottum de cultu & officiis meis certiorem reddas, ipſique indices, ſe totum orbem Philoſophicum ſibi devinxiſſe, dum operationes illas Chymicas, Epiſtolâ ſuâ ad naturæ curioſos exaratâ, tanto candore publici juris fecit; multoque eundem ſibi devinctiurum arctius, ſi, ex promiſſo ſuo, Laboratorii Gottorpienſis Acta pari candore, quamprimum poterit, in genuinæ Chymiæ decus & tutamen, quin imo in Almæ Germaniæ noſtræ, ſuamque adeo ipſius gloriam, luci publicæ exponat. Alterum eſt, me cum Jacobſiis mercatoribus de illo debito, quod mihi commendaſti, locutum deprehendere, ipſos nil quicquam argenti impetrare hactenus potuiſſe; nec etiamnum poſſe, quamdiu Fiſci Regii clauſura, omnibus nota, duret. Neceſſe erat, flagrante hoc difficili bello, theſauros Regios in nullum niſi publicum uſum impendere, proindeque privati æris ſolutionem in pacata tempora protelare. Quamprimum illa redierint, ſi quid ego vel ſeorſim, vel junctim, præſtare ea in re potero, nequaquam detrectabo. De hoc ſecurum Te eſſe velim. Vale interea, & me Tui ſtudioſiſſimum crede. Dabam Londini d. 20. Sept. 1672.

EPISTOLA LX.

DANIELI GEORGIO MORHOFIO. J. U. D. & P.

Henr. Oldenburg S. D.

Kilonium,

INviſebam Te, Vir Conſultiſſime, epiſtola mea d. 20. Sept. anni nuper elapſi data, in iiſque gratias Tibi agebam, tum pro munere operis Waſmuthiani, & Epiſtolæ Cl. Langelotti, (quam exinde Anglice verſam Tranſact. Philoſophicis inſerui;) tum pro gratiſſimo promiſſo, quo Celeberrimi Gudii doctas in Geoponicas Authores Notas, aliorumque ipſius MSS. Catalogum Te tranſmiſſurum ſpoponderas. Unum eſt, quod nunc addo; nos ſc. deſtinare prælo Londinenſi Photii Lexicon Græcum, atque intellexiſſe, penes Cl. Gudium eſſe ejus exemplar ſatis nitidum. Rogamus magnopere, ut commodare nobis illud per unum ſaltem menſem, quo cum MSS. noſtrate conferre id poſſimus, non gravetur. Ego vadimonium ſubibo, ſi ad me deferatur, me illud incolume omnino ſervaturum redditurumque, nec non daturum operam, ut generoſus ejuſmodi candor Poſſeſſoris ea, qua par eſt, gratitudine deprædicetur. Vehementer oro, Vir Ampliſſime, ut quamprimum fieri poterit, hæc in doctorum & bonorum virorum gratiam diligenter curare, & ſuper iis reſponſum benevolum deproperare digneris. In eo viciſſim ero, ut mandata tua hic loci pro viribus exequar. Vale & me amare perge. Dab. Londini d. 6. Februar. 1673.

CLA-

CLARISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM VIRORUM

Qui ſuperiore & noſtro ſeculo floruerunt

EPISTOLAE EX BIBLIOTHECA MARQUARDI GUDII.

EPISTOLA I.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

HAs ad te ſcribo ſumma celeritate, quod nuntius nullam moram facere poſſit, inſtructus jam omnibus & clamitante nauta. Scripſi pluries ad Jovium, ut certiorem me faceret, an in humanis eſſes: aguntur enim jam duo vel tres anni, cum nullas a te accepi, nullam ab eo unquam accepi reſponſionem. Opinor vel meas non perlatas, vel in comitatu Pontificio eum non agere. Cum igitur valde animo cruciarer, Agathius vir trilinguis, cum me viſitatum veniſſet, valere te recte nuntiavit: beavit me vir ille optimo hujuſmodi nuntio. Itaque gratulor tibi, gratulor & mihi, qui talem amicum non perdiderim. Supereſt ut me rerum tuarum certiorem facias, quid paſſus, quantum ſpei ſuperſit, quæ denique conſilia ſint tua. Vice verſa & ego te rerum mearum admoneo; multis affectum me ærumnis patria exceſſiſſe, Uxorem vivam & ſoſpitem ibi reliquiſſe; cæteros fato functos, fortunis pleriſque amiſſis, virtuti ſoli innixum non omnino concidiſſe. Libros & Bibliothecam omnem conſervaſſe. In præſentia Jus Civile Avenione profiteor. Si quid igitur erit, quod ipſe poſſim, id in tua manu conſtituetur. Scribe omnino ad me, & qui-

quidem longiſſimas literas, nam & idem ipſe facturus eram, niſi me nuntius jam iterum atque iterum interpellaſſet. Vale. Avenione tertio Kalendas Novembris.

EPISTOLA II.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

Vidi, Calve animo meo gratiſſime, quas ad me literas dediſti, fueruntque tam nobis caræ, ut eas fere centies legerim, oſculatuſque fuerim. Libet ea credere, quæ de nominis noſtri gloria propagationeque ad extremum Oceanum retuliſti. Sed vide ne nimius amor, quo me proſequeris, te decipiat. Non enim te latet, idcirco cæcum fingi Cupidinem, quod ob nimium affectum amantes non videant. Legi & perlibenter Zaſii exemplaria. Vir mihi doctus videtur, ſed qui tamen ſibi nimis tribuat. Poſſem multis medelam illam, quam in juris civilis faſtidio adhibet, improbare: ſed quid hæc ego ad te? illud tuum eſt. Quæ præconia duo Amorbacchii de me meminerunt: cur hic ſubditos tuos non convocas? legiones pedantium non inſtruis? an prima in linea, Archiflamedialem tuum Priſcianum capite percuti ſines? utcumque ſit, laudo inventum, & hominem colo. Cur ad eum ſcriberem, viſa non eſt cauſa, præſertim cum ſuperioribus menſibus ad eum ſcripſerim, motus quibuſdam Germanicis literis, quas frater tuus Mediolani mihi oſtendit, quibus literas ad me dediſſe Zaſium continebatur. Neſcio an tam fideliter meæ ad eum delatæ fuerint, ſicut ad me ſuæ: ipſe certe hactenus nullas vidi. Quod in Hercinios ſaltus venire decreveris, non probo conſilium tuum, dehortarerque admodum, niſi tu fortaſſe jam ingreſſus es. Me certe arbitro æquius fuiſſet ex Rauracis recta in Italiam redire, ſemicremataque Minitii tecta videre, & campos ubi Troja fuit. Opera mea juris civilis, cur allata Baſileam non fuerint haud ſatis ſcio. Frater tibi rogandus fuit, ipſe hac in re nihil poſſum. Nam cum literas tuas accepi, Avenione eram, qua in urbe jus civile ſeptingentis auditoribus profiteor, ſub ſtipendio annuo ſcutorum quingentorum. Et tu alioqui auritus, oculatiſſimuſque vir non ſenſiſti murmura famæ, Alciati nomen ex Avenionenſi urbe, ceu ex arce Palladis per ora hominum dilatantis? Tu quæſo negligentiam hanc tuam excute, & me de maximis minimiſque rebus tuis fac certiorem, & in primis notulam ad me mitte, qua omnium eorum librorum nomenclatura contineatur, quos ad ſtudia mea aliquid facere credis, & quos tu ex Germania attuliſti. Id ut facias quam primum, te etiam atque etiam rogo, & obſecro & obteſtor. Frater mihi tuus ita commendatus eſt, atque tu, quem fratris loco habeo. Vale Calve Vir multorum hominum & morum & urbium ſpectator, & quod Homerus de Uliſſe ait πολύτροπος. Avenione Idibus Decembris M D XVIII.

EPI-

EPISTOLA III.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

ACcepi tandem a te literas longas & plenas rerum novarum, atque earum præſertim, quæ tuum in me amorem oſtenderent, nec minus quantum curæ adhibueris, ut aliquo in Italia profeſſurus conducerer. Ego non tam paſſim operas meas polliceor, ut homines dicant proxenetas me in id conſtituiſſe. Tantum abeſt, ut idcirco quicquam vaniſſimo illi Matæo ſuccenſeam. Si indignationis ejus cauſam tibi vellem recenſere, eamque comœdiam a prologo ad cataſtrophen hic deſcribere, diſrumpereris riſu. Illud mirum eſt, hominem eum alioquin aſtutum, & Faventinum, tam libere tecum egiſſe, ut doloris tibi ſui cauſam expectoraret, meque tanquam aquilam Jovis armigerum inſimularet. Atqui cum is, de quo tecum ille conqueſtus eſt, ad eum divertiſſet, videremque in cloacam & ſentinam vitiorum omnium imprudentem deci-diſſe, cenſui muneris mei eſſe, ne eum deſererem, qui a pueritia domi meæ educatus, tibique aliquo modo affinis eſſet: itaque juſſi, ut quam primum poſſet, ab eo ſtuprorum aliarumque blaſphemiarum conventiculo recederet, quod ille intra tertium diem exequutus eſt. Hinc illæ lacrimæ. Si quæ interim pauciſſimis illis horis acta in ejus ædibus ſint, ediſertare nunc velim, merito dubitaveris, an conſilium meum magis probes, an in hujus impudentiſſimi hominis improbitatem invexeris: nam utrumque exitus oſtendit. Intra paucos dies accuſati impudicitiæ ſunt ex eis duo, qui ne manus ſibi injicerentur, fuga ſaluti conſuluerunt. Unus qui ſolum vertere non potuit, vivus combuſtus eſt, ipſi, propter perſonam quam ſuſtinebat, nihil dictum, ſed cum non ideo tamen multum fideret, quam celerrime tranſacto Ducis negotio receſſit. Vides, niſi ego inſipientem tanquam Soter aliquis vel Alexicacos, de draconis faucibus retraxiſſem, quod ejus capiti exiſtimationique periculum imminebat. Volui hæc tecum agere, ut non mea culpa inimicum mihi eſſe eum cognoſceres. Si forte contigerit, ut in reditu Ferrariam divertas, meo nomine Leonicenum ſalutabis, cui homini tantum ego tribuo, quantum cæteris omnibus medicis, quorum opera ab inclinatione Romani imperii extent: eſtque mihi plane unus inſtar omnium. Cæterum quo illuc conducar, nullum facies verbum. Cognoſcent, ut arbitror, brevi, quantum opis potuiſſem inſtaurando illi Gymnaſio afferre. Nam hoc anno ſuperioribus menſibus, ex eorum Doctoribus unus (familia non ſuccurrit, nomen illi Marco erat) cum in Legationem in Hiſpaniam iret, Avenionem divertit, noſtræque affuit lectioni. Is poterit locupletiſſimus eſſe teſtis, quantum auditorum haberem, qua dignitate & judicio hæc ſtudia attrectem. Poterunt & alii, qui de terra Gallia illuc pertranſeant. Nec enim multi ipſe fecero in Italia magis, quam Avenione eſſe: in qua urbe

ſine aliquo Antiſophiſta ſtipendio ſexcentorum ſcutorum regiorum, aliiſque præterea donariis, octingentis & eo amplius auditoribus profiteor. Per biennium rurſus conductus. Atque in his auditoribus cum Epiſcopi, Abbates, Comites aliique proceres ſunt, tum & de remotiſſimis nationibus quam plurimi, qui illuc non Gymnaſii fama adducti, non Italiæ viſendæ gratia, ſed ob ſolius Alciati nomen confluxerunt. Scribitur ad me undique gentium; ab Anglis, Saxonibus, Belgis, Pannonibus, ut nullo non loco reperiatur, qui vel ex ſcriptis, vel ex doctiſſimorum relatione Alciatum non agnoſcat. Dedit ad me nuper literas Joannes Cuſpinianus, Viennenſis in Auſtria Senatus Præſes, dedit Claudius Metenſis ex Baſilea, dedere cæteri docti: & tu me, qui ceu in omnium gentium theatro profiteor, in aliquam urbem vis recludere; in qua propter invidorum factiones nomen meum ſit ſepultum. Apage, apage id mali, melioraque mihi Deus faxit: neque tu pulcherrime currenti equo injicias manum. Quæ Bononiæ pro nobis egeris, accepi omnia, & quam pecuniam pro exſcribendis illis ex chartabulis impendiſti, fratri tuo hic reſarciam, vel compenſabo potius: quod enim eum mihi plurimis commendaviſti, non dueti irritum, mutuoque illi dedi viginti quinque Scutatos, in eam ſummam computabuntur. Literas Julii Pflug Equitis Germani una cum faſciculo librorum Avenione acceperam, ſed non arbitrabar obligaſſe te fidem tuam, atque recepiſſe, me illi reſponſurum. Quare non eſt nunc, quod dubites, abſolvam te quam primum, & illi reſpondebo: tametſi vix apud me conſtituam, quo eum cognomine appellem: ſuum enim illud Germanicum proferre non poſſum. Reſcribam tamen, ne ſe forte deluſum putet, teque Bononiam iter facientem aggrediatur. Operam tuam non eſt quod impendas in congregandis Scholaſticis Germanis, qui a Republica Veneta petant, ut me in Patavinam Academiam arceſſant: quandoquidem ipſe Avenionenſibus inſerviturum me per bienniuin adhuc promiſi, a qua promiſſione etiam ſi auri montes offerrentur, non ſum receſſurus. Quæ de Antonio Juſtiniano ſcribis, neſcio an ſat vera ſint: illud certo certius ſcio, te nunquam mecum egiſſe, ut aliquid illi dedicarem. Primumque a te hoc accepi in his literis; ſed admonitio hæc tua, ut bono animo proficiſcitur, ita nimis fera eſt. Bibliopolæ Baſileenſes mecum egerunt, ut emendatum rurſuſque correctum opus meum ad eos mitterem redimprimendum; compulſuſque fui a Bonifacio Amorbacchio, qui ſub meis vexillis Avenione militat, id polliceri, dum ſalva gratia tua id mihi liceret. Miſſurus itaque ſum autographum ipſum proximis nundinis Lugdunenſibus, quare tu me interim de ſententia tua fac certiorem. Jovius promiſit ſe ea loca mihi traditurum, in quibus a me diſſentit: Tuos iſtos nihil moror, quandoquidem nemo eſt, cui facillimum, & in ore non ſit profiteri, quibuſdam ſe in rebus a me diſſentire: eſtque ſpecies hæc cujuſdam jactantiæ & ſibi nimium placentis ingenii. Non ita Zaſius; qui ad me ſcripſit, quaque in re diſſentiret: illique ego longiſſimis literis reſpondi, & opinionem meam tutatus ſum, & in ſententiam meam traduxi: quod & cum Pyrrho a me factitatum

eſt.

eſt. Is in nuper impreſſis quibuſdam ſuis commentariis nominatim mecum congreſſus eſt. Reſpondi ſtatim, & cauſam meam integro volumine defendi. Quam ob induſtriam ipſe attonitus & ſibi diffidens, non deſtitit precibus mecum agere, donec autographum a me extorſit. Quippe dubitabat, ne imprimeretur. Conceſſi illi libens pro dignitate, quam ſuſtinet, pollicitusque eſt loca ea emendare, non ſine magna mei commendatione. Non cujuſvis eſt cum Hercule manum conferere. Quare nihil etiam me movent rabulæ iſti, quos in me invehi refers. Ut iſte neſcio quis Jo. Maria Regienſis, quem ego hominem nunquam agnovi: nam quo tempore ego Bononiæ moram traxi, ſolum antiquus quidam Doctor vel Polyſemus potius, una cum Camaro in Inſtitutionibus profitebatur. Dii perdant iſtos glorioſulos, qui quotidie ſeipſos produnt. Authentica Græca libenter legam, & cum vulgatis conferam, ut aliquam opem ſtudioſis afferre poſſim. Quantum ad Salomonium & Claudium attinet, perplacet mihi ingenium ipſorum, & opera laudo: digniſſima lectu ſunt, & non vulgarem eruditionem pollicentur. In Auſonium illas annotationes meas neſcio an tibi tradam. Conſtitueram fere morem tibi non gerere, niſi me minaciis tuis abſterruiſſes: dum rebellem te mihi fore ais. Relinquam itaque penes fratrem tuum: tu quum impreſſioni opuſculum illud tradere volueris, me facias certiorem. Decrevi enim per epiſtolam Crolierio inſcribere & dicare. Privilegium illud pro doctoribus creandis, ſi gratis impetrare poſſim, erit mihi gratiſſimum: nam pecuniam in id prodigere, non puto ſapientis hominis. Quare noli hac in re aliud agere, quam acturum te ſcripſiſti, commendabiſque id negotium J. Mariæ Cataneo, quem ego hominem valde amo, cuique non mediocriter debeo, quod honorificam de me fecerit mentionem, in præfatione Interpretationum ſuarum in C. Cæcilium Plinium: quare me illi commendabis & Arluno. Moviſti mihi riſum, cum me admones de inſtitutione vitæ, jubeſque, ne ita famulis meis familiaris ſim. Quod ad vitam attinet, vixi hactenus abſque nota, tamque procul ab omnibus malorum contagiis, ut nemo forte ex his, qui monaſteriis includuntur: quod ad familiaritatem pertinet, cum Terentiano Sene *Amari me a meis volo*: quapropter hoc mihi contigit, ut cum neminem unquam pro famulis fidejuſſorem acceperim, non tamen aufugerit a me quiſquam, aut meum aliquid interverterit. Conſilium certe hoc meum eventu certiſſimum eſt; tametſi tua ſententia coleatis iſtis & tetricis magis placeat. Nam quod inquis me beatum, ſi nulla mihi lis cum Caſſella fuiſſet; tu videris. Si mille mihi aurei Ferrariæ conſtituerentur, eo non irem: & ſatis non poſſum non mirari, qui tibi in mentem venerit, hanc conventionem cum eo tractare; cum de Patavino, aut Bononienſi Gymnaſio ſolum tibi mandata dederim: quamvis nec mihi diſpliceant tua iſta conſilia: non quod in has Academias venturus ſim, ſed quod Avenionenſes, ſi ſciverint ab aliis quoque me ſollicitari, ne eos deſeram, timebunt, & augebunt ſtipendia. Quare cum eis potiſſimum velim hæc diſſemines, quos conjectabis idoneos eſſe; ut in Avenionenſem Academiam literas harum rerum indices dent. Libri nuper impreſſi,

preſſi ſunt in Gallia. Galeni Methodus per Thomam Linacrum, tralata. In Germanis quidam Dialogi Ulrici Hutteni, & hiſtoria bellorum inter Imperatores & Romanum Pontificem geſtorum: & quædam Lutheri. Baſileæ Eraſmi Roterodami Dialogi, quos Antibarbaros inſcripſit. Hi nunc ſunt ſub incude; Cornelius Tacitus, atque in eo libellus de ſitu Germaniæ, cum interprete neſcio quo. Hic Minutianus Pyrrhiana quædam edidit. Galenus Vicecomes quotidie me novis precibus adit, ut tecum agam, quo libri illi antiqui ſui reſtituantur: quod ut facias te quoque ipſe oro: nec minus ut de unguibus Eraſmi reglutines orationem illam meam ad Matthiam Minoritam, cum id quæſo, ne ſi in cinerariorum iſtorum manus inciderit, parata ſint mihi cum eis æterna bella. Velim Collectanea Epigrammatum Latinorum conficeres, excuteresque recentium iſtorum vatum bibliothecas. Erit, crede mihi opus egregium, ſi in eo curam adhibueris. Vale. Avenione 6 Kalendas Octobris. M. D. XX.

EPISTOLA IV.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

SAtisfeci tandem poſtulatis tuis, ſupereſt ut cures literas ad ipſum dari. Cum me admonueris ut ad Juſtinianum ſcribam, id facturus ſum: tu me certiorem reddes, qui vir, & cujus argumenti ad eum hominem dandæ ſint. Morem in his omnibus tibi geram, dum id ſcias me a nemine petiturum, ut operæ noſtræ conducantur. Tanti non eſt hæc inanis gloriola: nec multum curo quid Itali ſentiant de his, qui extra Terram Italiam profitentur. Annotationes in Auſonium emendaturus ſum, tradamque tibi, cum te operi imprimendo accinxeris. Velim diligenter cures Epigrammatum Latinorum Collectanea. Poſſis ex Phœdri hæredibus aliquid eorum habere, ex Bembo, Beroaldo Juniore, Anſelmo Georgio, Nicolao Archicomite, Andrea Nauclerio, Sannazaro, & ſi quos alios idoneos judicaveris. Ipſe quædam collegi tibi non diſplicitura. Vale. Quarto Nonas Octobris. M. D. XX.

Cras Avenionem fortaſſe ibo. Cataneo me commendabis & Arluno.

EPISTOLA V.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

CUm nuntius mihi improviſo repertus urgeat, ut quam ocyſſime ſcribam, parces mihi Calve ſuaviſſime, ſi paucis tecum egero. Exanimaſti me tuis literis, cum dubitare te refers, Galeacii Vicecomitis antiquos illos libros

Fro-

Frobenius impreſſioni mandet, idque facillimum factu ais, ſi Eraſmus eos miſerit, qui ad te deſtinentur, viderisque eidem aleæ ſubjicere orationem meam, (ita enim interpretor) quamvis amphibologice loquaris. O improbum Calvum! atque Alciato pluſquam capitalem hoſtem, ſi id fiat! Quid enim mihi proderunt tot a te ſparſi rumores, quid meæ vigiliæ, quid tot ſtudia? ſi tu me tali labe, ceu veneno conſperſeris; malim emori. Lutherus, Picardi, Huſſitæ cæteraque hæreticorum nomina, non ita infamia erunt, atque futurum eſt, ſi id ſequatur, meum. Neſcis, an neſcire diſſimulas horum cucullatorum factiones, vim, potentiam, exclamationes in pulpitis, execrationes apud populum, deteſtationes, & id genus infinita mala, quæ in caput meum, (Dî talem avertite peſtem) recaſura ſint? Intendam injuriæ formulam tibi in primis tanquam Vexillifero, mox Eraſmo, tum Frobenio: inclamabo Deos & homines, omnem lapidem movebo, quo me repurgem, vos omnes noxæ reos faciam. An hæc eſt fides tua? confidentiſſime de ſcriniis meis, ſcripta ea ſurripere, quæ ego amicus amico, tametſi futilia & inania, quicquid in buccam veniſſet, clam demandabam; nec id ſatis ea doctis & indoctis oſtendere, deinde in Germania penes eum derelinquere, qui nihil ultra curat, quam ut publicentur, ut videlicet hoſtes ſuos armis alienis ulciſcatur: meque in eas compedes conjicere, de quibus eximere me nunquam poſſim. Edentur ſermones, ſummæ, concluſiones, invectivæ, hujusque argumenti mille genera operum, quibus nomen meum perfidius, deteſtabiliusque in Chriſtiana Religione ſit, quam vel Arrii, vel cujuslibet alterius ſceleratiſſimi hominis. Exime, exime mihi ſcrupulum iſtum: mitte nuntium, qui omnino eam orationem abhortivam & ſpuriam, & ſtudiorum meorum carcinoma deleat, Vulcano tradat, ut nunquam in lucem emergere poſſit. Noli permittere diutius, me in hac moleſtia verſari: neque me coge amicitiæ tuæ renuntiare, vel potius ex amico inimiciſſimum fieri: idque juſta cauſa. Neque enim credo te adeo impudentem fore, ut negare auſis, ſi mala fortuna hoc ferat, quin juſtiſſima omnia in te exempla edi poſſint. Quare te per omnes Deos ſuperos, inferos, medioxumos obſecro & obteſtor, ne hanc tam inſignem in me injuriam fieri ſinas, amicitiamque meam ne contemnas, cujus cauſa omnes operas meas libenter collocaturus ſum, & quotidie colloco; Si enim neſcis, integra Donati commentaria ſuper Vergilium nactus ſum, tibi addicta, dum tu hoc me ſcrupulo leves. Sed nuntius urget; Vale. Avenione x. Decemb. M. D. XX.

EPISTOLA VI.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

AD diem decimum Kalendarum Januarii allatæ ad me ſunt literæ tuæ, quibus protinus reſponſionem dedi, quod in eis quædam continebantur, quæ celeri admonitione indigebant. Nunc animus mihi de concitatiſſimo paulo

quietior factus eſt; quod Amorbacchius animo me bono eſſe juſſerit: ſe enim literas a Frobenio nuper recepiſſe, quibus ipſe certior redditur, nullum de Eraſmo nec librum, nec nuntium habuiſſe: eumque poſtquam Carolo Imperatori a conſilio factus eſt, a ſtudiis ſemotum agere: ut minime dubitandum mihi ſit, ne epiſtola illa mea, vel potius delirium in lucem exeat. Ad hæc a Beato Rhenano accepiſſe, Frobenium in præſentia Tertulliani omnia opera ſolum emiſiſſe; quæ res non mediocri me ſcrupulo levavit, tametſi non plane defæcatus mihi ſit animus. Quid enim ſi aliunde exeat? ſi Eraſmus ipſe alicui commodato tradat? fiantque inde plura exemplaria? quare fac Calvinam hic & fidem & diligentiam non deſiderem, & hac me moleſtia libera. * Julio Arato reſpondi, ſtatim ubi ejus epiſtolam a te mihi miſſam legi, eamque reſponſionem, una cum meis ad te literis miſi: neſcio an ad te perlata ſit. Nuntius fuit cantor quidam, qui Gaſparis noſtri Arluni ſummum ſe amicum prædicabat. Agitur jam fere tertius menſis. Non dimiſi eas literas fratri tuo, quoniam is in Cremenſes nundinas erat profectus. Quod ſcribis te curaturum, ut quam primum cognoſcam, qua diligentia uſus fueris, ut in Italiam profeſſurus conducar, gaudebo ſi operæ pretium aliquod effeceris; præſertim quoniam vereor, ut ſatis duratura ſint hac in urbe ſtudia: ita undique in vicinis urbibus, Monte Peſſulano, Nemauſo, Vienna peſtilitas bacchatur. Ego quam primum dubitari cœperit, vertam ſolum; nam ita mihi cum Decurionibus conventum eſt, ſtipendiaque interim ex pactione debentur. Si quicquam Patavii facturus hac de re es, poterit aliquo tibi adjumento eſſe Leonardus Hiſpanus, qui de Gallia illuc nuper eſt conductus, ut Medicinæ ſtudia profiteatur: is mihi amicus, & Antonio Juſtiniano familiaris, poterit commendatione ſua plurimum, niſi fallor, prodeſſe. Expecto literas ab his eruditis, quos tu mihi prædicas amicos, & quam primum ſe per epiſtolas mecum conciliaturos. Reſpondebo libenter illis, neque me officio aut modeſtia vinci ſinam. Bullas nihil moror tanta mercede, ſi Catanæus impetrare gratis poſſit, non diſplicuerit eo modo palatii Apoſtolici eſſe comitem, alioquin *ſpem pretio non emo*, ut ille inquit. Ad Frobenium miſſurus non ſum paradoxa; ſed Amorbacchius non eum velle hoc negotii aſſumere ait, ſed neſcio quem alium nomine Andream: ejus cognomen non teneo. Is cum de vulgatis eſſet exemplum accepturus, vana ſpe hactenus eluſus eſt; nimirum Amorbacchio ad eum ſcribente, ſe emendatiſſimum codicem miſſurum: ut nunc periculum eſſe non modicum ille aſſerat, quin qualecunque opus, etiam ſi inſtar editi corruptum, nihilominus impreſſoribus mandet, ita eum animatum eſſe: tu me admone, quid conſilii capiendum ſit. Extra ordinem in tractatum Digeſtorum de Verborum ſignificatione Commentarios cudo: ex eis aliqua tibi tradere poſſum, quo cum auctario aliquo alios libros edas, ſi modo editurus es. Celerius pariunt elephanti, quam tu, plane Callipides. Ultra cubitum te promove. Quod ad volumen antiquitatum attinet, illud in præſentia penes me hic

* *Julium Pflug intelligit. Admonitus forte a Calvo Pflug germanica lingua dici aratrum.*

hic eſt. Pollicitus eram Bernardo Caſtellano, qui hujus urbis Archidiaconus, & pro Sadoleto Carpentorate Vicarius, vir doctus, harumque rerum obſervator, & mihi amicus eſt, ejus codicis copiam facere; quæ potiſſimum cauſa fuit, ut eum librum mecum afferrem; quod ſi dum in Italia eſſem, me ſententiæ iſtius tuæ certiorem feciſſes, dum res erat integra, morem tibi gerere potuiſſem: nunc ſero admones, & quod factum eſt, infectum fieri nequit. Quamvis nec conſilium hac in re tuum probem. Non poſſunt ea Elogia imprimi, niſi magno cum impendio, quod omne auferrent teſſellarii, idque genus diatretarii, ligniquie ſculptores propter iconas. Opus vero ipſum non niſi poſt diutinam moram vendibile, ut pote quod non multum utile, & ſolis curioſis placeat: & quæ maxime cauſa eſt, ut a te diſſentiam, melius & majore cum exiſtimatione hujuſmodi opera in ſcriniis latent, quam in librariis tabernis proponantur. Scribis te maximum confeciſſe ex ſcriptoribus recentibus volumen. Vellem accuratius ſcripſiſſes, cujus argumenti ea ſint opera: & non poſſum non parum mirari, cur tu, qui optime curioſitatem meam noſti, tam negligenter hunc locum præterieris. Quare nominatim certiorem me fac, qui auctores, quæ ſcripta, quo argumento, quo docendi genere polleant. Fac aliquid ex Marcello Florentino habeas: is enim ſub finem Dioſcoridis ſe de menſuris, ponderibus, coloribus ſcripſiſſe refert, & quam primum editurum. Ea res apud me magna eſt in expectatione; vel ut videam, quid illi cum Budæo non conveniat. De Equite noſtro Vicecomite, quæ ſcribis, exequi non poſſum: ſi Mediolani adeſſem, de eo quicquid velles, omnia tibi impetrata facerem: quamvis & tu facile, quæ tua eſt ſuadela, hominem lenibis, vel ſola ampulloſi alicujus tituli promiſſione, in qualiſcumque libri Præfationem. Vellem me certiorem feciſſes, cum Venetiis agebas, quo in me animo Egnatium deprehendiſti. Scripſi ad eum primo, quo huc acceſſi, anno: nimirum ut ei in animum inducerem, quo operam ſuam navaret, ut in Patavinum Gymnaſium accirer: is reſcripſit nunquam: ſuſpicor eſſe ſubiratum, quod epiſtolam ad illum meam in prætermiſſis imprimi prætermiſerim. Tu diligentiſſimus artifex hoc vulneris vel linamento explorabis. Cæterum & rem gratiſſimam mihi feceris, ſi vel primum quaternionem Romanarum antiquitatum mittas; ut inde deguſtem, quale illud opus futurum ſit. Mihi perſuaderi nequit, eam mercem bibliopolarum officinis lucroſam fore. Negotium edendi Plinii ſi ea ratione aggreſſus fueris, quam ad te ſcripſi, nihil utilius, nihil tibi honorificentius erit: & ab hujuſmodi opere, æquum eſt Calvum, emunctiſſimæ naris hominem, auſpicari. Jovius Benedictus mecum inhumaniter agit, qui pluries rogatus, ut in libellum ea conferat, quibus ſe a me diſſentire profitetur, ſæpiſſime diem diffidit, & nihil ſcribit, niſi literulas quaſdam trium verborum, & omnino Laconicas. Velim eum tuis literis admoneas & incites, ut tandem unius mihi dieculæ operam præſtet. Habui in principio ſtudiorum orationem longiſſimam, dixique per duas horas, tam frequenti & plauſibus certante auditorio, ut vix tibi perſuadeas. Niſi tæderet tam lon-

gam orationem ſcribere, vel ab amanuenſe meo, homine imperitiſſimo ſcriptam relegere, ejus exemplum ad te mitterem. Cum Mediolani eris, ab Albutio aſſumere poteris: ipſe enim ab autographo meo ſibi deſumpſit. Epigrammatum Latinorum collectanea diſcupio videre, & in eis judicio quocunque meo uti: nec tibi perſuadeas aſymbolum me futurum: habeo enim licet pauca; quæ vel cum antiquis certent. Sed hujus rei omnibus ſtudioſis penuria facienda eſt, nec temere in eo alicujus nomen deſcribendum, præterquam qui vel eruditiſſimus, vel Calvini numinis obſervantiſſimus habeatur. Perlegi, cum Mediolani eſſem, quam plurimos ex recentioribus iſtis poëtis, ut inde aliqua eligerem, quæ in centonem illum infarcirentur. Ita me Deus amet, ut ex quamplurimis nec unum quidem Epigramma reperi judicio tuo dignum. Quapropter iratus malis poëtis, quorum libros dum pervolvo, tantum temporis fruſtra contriviſſem, in id carmen ipſe, quamvis ineptum (ſed cur tibi familiariter; quicquid in buccam venit non ſcribam) prorupi.

Marſi, Camperii, Rubri, Caquini,
Qui tantam hiſtoria luem ſcreaſtis,
Prorſim ſcribere prorſus imperiti,
Saxa, Cantalyci, Plati, Peloti,
Noſtra fex mera dedecuſque lingua,
Qui tot carmina tam cacata fertis:
Quam vobis meritam rogabo pœnam,
Mali ô hiſtorici mali, poëta?
Hanc hanc ſcilicet; invicem legatis
Alter alterius malos libellos:
Nullo & tempore vendicare naſum
De putri hac liceat lue, & latrina.
O pœnam ſtygiis parem piaclis.

Vides quo iræ proruperim ob hujuſcemodi recentium ineptias. Tu tamen epigramma hoc ſupprime, ne crabrones excitem. Agit hic in Dominici Cœnobio prædicatorii ordinis vir quidam Brixienſis, eruditus Theologus & eloquens Profeſſor: is librum compoſuit, in quo Thomæ, recentiumque omnium Theologiam congeſſit, miro ordine, ſumma cum claritate, & tanta ſermonis elegantia, ut quemlibet ex antiquis celeberrimum referat. Excrevit opus in juſtum volumen, quod ut impreſſoribus tradas omnino volo: vel hac cauſa, quod eum nomini meo librum dedicat. Mirareris, quam libenter ineptus ipſe faveo laudibus meis, amoque eum Virum, tum propter ſummam eruditionem, tum quod ipſe viciſſim me amat & colit. Scripſi ad te alias, nactum me integrum Donati Commentarium, quo ille Vergilium interpretatur: is in caſtro quodam ſancti Maximini, quod eſt prope Aquas Sextias in Provincia, habetur: inibi enim bibliotheca eſt a Renato Andegavenſi in gratiam quorundam Monachorum inſtructa; ſuntque plerique libri, quos Marius Philelphus eo congeſſit, ſunt & quos bellorum calamitas, quæ ſub eo rege in Nea-

Neapolitano regno fuit, diſſipavit, donec in eam bibliothecam reponerentur. Non poterit is liber a me haberi, exemplum poterit, cum aliquo tamen æris mei diſpendio. Tu me certiorem facias, an eo libro tibi uſus eſſe poſſit. Non hæc ſcribo, quod neſciam, quantum nominis Maronianus iſte interpres tibi additurus ſit, ſi eum edideris, quamque venalis ea merx futura ſit; ſed quia forte tu aliunde aliud exemplar potuiſti nanciſci. Niſi enim fallor iſtic in Vaticana haberi aliquando accepi. Quicquid erit, me certum ſententiæ tuæ facias. Cæterum nec illud a te prætermittendum eſt, ut ſi in reditu in patriam tuo per Æmiliam Viam iter feceris, Ceſenam divertas, excutiaſque divi Franciſci, quæ ibi extat, bibliothecam. Quædam enim antiqua eo in loco eſſe fama eſt, extareque præſertim Ammianum Marcellinum integrum. Cura quæſo hoc diligenter. In bibliotheca Veneta eſt, neſcio quis, author Græcus, qui de equorum cura conſcripſit, ad hæc quadrupedum, aviumque medicinam complexus eſt: perquam utile opus erit, ſi exemplum deſcribi curaveris, & ab aliquo tranſlatum edideris: nemo eſt ex potentibus, divitibuſque viris, qui non emat, tum propter equos, mulos, armenta, canes, tum propter falcones, accipitres, idque genus curviunguia, quæ ſcis quam enixe illi procurent: quoniam ad me quandoque ſcripſiſti, & Claudium Ptolemæum, & quoſdam alios in profeſſione hac noſtra non parvi nominis, aſſerere, pleraque habere, quibus a me diſſentiant; non parum gratiæ apud me inibis, ſi bonis verbis ab eis extorquere poteris, ut vel unum proferant locum, ſcribantque; promiſeriſque eis vel ſolidam benevolentiam meam, ſi hoc facere in animum inducere poterunt. Julius Calvus, ut accepi, quædam opera Hippocratis transfert: velim tuum de eo judicium ſcire, & librorum elenchum. Quid item Janus Parrhaſius moliatur, an totum eum bonis ſtudiis podagra abſtulerit. Cum Mediolani profiteretur, egoque in prima rudimentorum infantia verſarer, aſſiduamque lectioni ſuæ operam darem, tametſi adhuc puerulus, commodavi illi Juvenalis Satyras manuſcriptas & vetuſtiſſimas, quantum unquam alium librum viderim, is nunquam reſtituit, & tametſi malæ fidei poſſeſſor uſu ſuum feciſſe putet, ſi poſſes ſalva ejus gratia eum librum de unguibus ejus reglutinare, & rem gratam mihi faceres, & ejus nomine condignam, cum bonum virum non deceat alieno contra fidem uti. Paulum Jovium, Jo. Mariam Catanæum, meo nomine ſalutabis, Arulenumque ſalute imparties. Vale. Avenione Decimo quarto Kalendas Januarias M. D. XX.

EPISTOLA VII.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

SCripſi ſuperioribus diebus binas ad te literas, ex quibus alteras ſane quam longiſſimas: eas ſcio adhuc non recepiſti, ſed ubi receperis, quæſo paris prolixitatis tuas redde, ut rerum tuarum non minus ipſe ſim con-

ſcius, quam ſolebam, & quam tu mearum es. Nunc rurſus ad te ſcribere decrevi, appendicemque quandam literarum aliarum facere, ut quæ a me tum vel per incuriam neglecta, vel per oblivionem prætermiſſa erant, poſſis ea quoque in tui cognitionem attrahere. Scribo autem hæc celeriter, & frigens, & quodque verbum in buccam venit, exaratum repono: ne mireris, ſi ineptum aliquid recidat & barbaricum, minimeque docto homini conveniens. Budæus nuper epiſtolarum volumen Badianis typis edidit, in his aliquæ ſunt ſane quam honorificam de me mentionem facientes: ſed inter cæteras una eſt quam ad Longolium miſit, quo tempore is Venetiis agebat: ea & prolixa & fere tota de me eſt. Abrenuntiat omnem annotationum in jure civili amplius provinciam, & in me tanquam aptiorem onus omne delegat, profertque teſtimonium de me ſane quam egregium: tacite tamen conqueritur præreptam eam ſibi palmam. Damnat, & licet modeſte, non tamen, ut ego ſentio, ſine ſtomacho, tanquam aliquid de ſuis libris ſubripuerim, rurſuſque erraſſe me in cujuſdam loci reſtitutione clamitat, & de mille & quingentis, centum & quinquaginta ſeſtertia feciſſe: quæ omnia futilia ſunt nec vera. Nam quod ad errorem attinet, incuria amanuenſis fuit, quam protinus deprehendi, & Prætermiſſorum libro primo, *in verbo mimus* lectorem admonui. Reſcripſi illi nihilominus perquam humaniter, ultroque gratias egi, repurgavique ac delevi: ſcis quæ mihi objiciebat: niſi quod epiſtola longiſſima eſt, eam ad te mitterem. Marius Salomonius in opere ſuo frequenter Bartolomæum Veronenſem in titulo de verborum ſignificatione habet authorem. Hunc ego tractatum ex ordine profiteor ita eleganter & erudite, ut & acheronticos ſenes in ea lectione habeam diſcipulos; opinor ut cum in Eliſios venerint, poſſint Papiniano & Scevolæ oculati eſſe teſtes, degere hac inter homines ætate eum, qui non minori judicio leges tractet, quam ipſi fecerint. Is Bartolomæus (ſeu Cæpollam mavis) non parum mihi uſui eſſet, ſi ejus videndi copiam habere poſſem: quare vide ſi ab eo accipere commodato illud opus queas, & ad me quamprimum mitte. Claudius Cantiuncula Metenſis, qui nunc Baſileæ jura profitetur, Topica elegantiſſime in Jure Civili ſcripſit, in quibus me tot laudibus onerat, cumulumque auget, ut neque plauſtrum Sarmaticum tot ferre poſſit. Experior mihi in dies & horas magis æquos Germanos & Gallos: de Italis niſi naſum & invidiam in me deflecti video, hicque ſe quædam annotaſſe, quibus ego decipiar, alius ſtilum damnare, alius eruditionem, cum tamen de eis nihil exeat, præter vera ſomnia: niſi amici illius paradoxa, orationemque funebrem bilinearem, hujuſmodique minutias macerrimas in numerum ponas, quas ego nihil magis duco, quam fractam alutam. Dî boni faciant doctis illis, ut Cataneo & Ptolemæo tuo, qui aut laudant, aut ſi reprehendunt, cum ratione hoc agunt. Exoriuntur & neſcio qui Celtiberi Alexandrinenſeſque, quos, ſi mihi digitum intenderint, de Valentinenſi Rhodano ultra Tanarum Catulliano lotio ſubmovebo. Dii male perdant invidos, de quibus quamprimum videbis triumphantem Alciatum inter tot legiones & reſponſorum,

&

& Scholiorum, & gloſſematum decumanarumque lecturarum, una cum Ptolomæi tui centurionibus peditibuſque ſubſidiariis, ut nemo ſit, qui non vertat terga. Erunt prorſus res ut Græce loquar σμερδαλέαι. Si Longolium videris, meo nomine eum ſaluta. Vale. Avenione pridie Kalendas Januarii M. D. XXI.

EPISTOLA VII.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

BAβαῖ quam mira ſunt, quæ proxime datis ad me literis ſcripſiſti: qui non contentus de his, quæ in Aquilone gerantur, certiorem me feciſſe, etiam Orientis res perſtrinxiſti, tametſi eas ſcires nihil ad nos pertinere: ſed ea eſt tua diligentia, ut curioſitati meæ undique ſatisfacere conatus fueris, compilatis forte etiam Jovii noſtri annalibus. Sed in eo me plane dubium reddidiſti, quod in Chorographia mea, ſive penicillo delineatam, ſive calamo ab auctoribus deſcriptam reſpexerim, Amanum Caſtrum non reperio; Sed hujus nominis montem in Ciliciæ faucibus. De Caſtro aliquo, quod in eo ſitum ſit, tu, ut opinor, ſenſiſti. Vetera tamen penes me erant iſta omnia, nam Genuenſes hic fœnerant multi mercatores, a quibus fere eadem acceperam: niſi quod tu diligentior, & Imperatorum nomine adſcripto. A Septentrione præter hæc, quæ de te accepi, ſunt & alia mihi explorata: nimirum Alexandrum tandem Lutheri libros Moguntiaci concremaſſe, quod ubi ille audivit * Franciſci neſcio cujus Principis Franconis ope, ſtatim pro ſuggeſtu, cum prius quam plurimis in captivitatem, ut ipſe appellat, Babyloniæ peroraſſet, corpus juris Canonici, Magiſtrum ſententiarum, bullamque Pontificiam flammis tradidiſſe. Vide ridiculum hoſtimentum. Ad hæc Frobenius univerſa Tertulliani opera impreſſioni tradit, miſitque ad me codicem Theodoſianum vetuſtiſſimis caracteribus de Morbaccenſi Monaſterio commodato acceptum. Idem admonuit Eraſmum in reſurrectionis feſtis Baſileæ futurum, ejus nunc Dialogos, quos antibarbaros inſcripſit, ſub prælo habere. Quæ ſcribis de Secretario Veneto gratiſſima ſunt; ſed næ tu homo es, quanquam enixe me rogas, ut ad eum dem literas, extorquereque id de me ſatagere videris, ridiculus, qui nomen non ſcribis; an me vis ſimpliciter inſcribere Secretario Veneto? quaſi unus ſolum ſit, qui hoc munere fungatur. Nil certe libentius ipſe facturus ſim, ſi ejus mihi nomen ſuggeſſeris: tum qui vir ſit, ut ſervire ſcenæ poſſim. Nam & de Ceſano idem fere peccaſti, qui non admonueris ſit doctor, an auditor, an quivis alius. Ex ejus enim ad me ſcriptis, conſtituere non queo, quantum valeat; Niſi tamen fallor, non multum: ſunt enim trichæ & leptologemata, quibus a me diſſentit: tamen gaudeo, quod nihil eum gravius in opere meo offenderit. Scribam ad eum humaniſſime, nam ita meretur, qui tanta fuit bonitate, ut tot foliorum deſcribendorum

* *Frederici voluit dicere* Saxoniæ *Electoris.*

rum cauſa mea onus ſuſceperit: cum etiam ab amicis veteribus nec duos quidem verſus extorquere poſſim, ut a Jovio tuo. Et hæc quidem poſtremis literis; ad alteras venio, (Hyſteron proteron, te Grammaticum nihil veritus, feci.) Quod ais quam primum privilegia expeditum iri ſeu præſtita, ſeu non, pecunia; in illud conferre pecuniam non placet, niſi perquam modicam, ut ſcripturariorum mercedem, qualis eſt aureus unus vel duo. Quare vide ne mandatis non ſtes. Hic enim hujuſmodi diplomate uti non auderem, quia ſubirem humeris meis non ferendam a collegiatis doctorculis invidiam. Quo autem tempore alio uſui ſit, in incerto eſt. Perparce igitur. Claudii Ptolemæi annotationes libentiſſime videbo, eique gratias agam, ſi eo humanitatis genere me demereri voluerit. Paradoxis quæ in præſentia addam non habeo: quæ enim in manibus ſunt, non paradoxorum acceſſiones, ſed ejuſmodi ſunt, ut leviſſima illis acceſſio paradoxa ipſa ſint. Quod ſcribis fore, ut brevi literas a magnis viris accipiam, quorum opera ad Jus Civile in Italia profitendum advocer, gratum erit, ſi fors fuat, & forte conditionem non detrectabo, loca enim vicina undique peſtilentia infeſtantur. Si urbem quoque pervaderet, advolarem protinus in Patriam, promercalemque me exhiberem, etiam ſuſpenſa hedera. Vale. Nonis Februarii M. D. XXI.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

SOlenne tibi eſt quoties ad me das literas, aliquid de Lutherio ſcribere, omnemque lapidem movere, quo in eum animos ſumam. Ipſe imparem me oneri agnoſco, quare hanc ſpem ex corde tuo divelle: nec enim unquam impetrabis, ut Sutor ſupra crepidam aſcendam. Marliani orationem, magis ut tuæ voluntati morem geram, quam quod eam probem, perlegam & emendabo. Forte & ſub ficto nomine epigrammate inſigniam. Non negaverim, ſi cæteris ſcribliginibus, quæ hactenus editæ ſunt, conferatur, eam eſſe aliquid: iſtos enim Magiros Palatii & Iſidoros hujuſque monetæ ſcriptores non pluris facio, quam ſcarabæum. At de Vio, (non videtur mihi omnino devius; ſi rationibus ſuis ſermonis munditiem addidiſſet,) mirum eſt hominem tam arrogantem, eundem & tam infantem eſſe, & non demittere animum, cum ſe ipſum conſpicit, ſi modo aliquando ſe conſpicit, & non ſemper extra habitat: utcunque pluris facio eum, quam quemlibet alium, qui hactenus hujuſmodi argumentum attentarit; nam acutus eſt & brevis & acerrimus diſputator. Vellem aliquid & in hoc genere Egidius attentaſſet, aliquantiſperque Judaiſmum ſineret quieſcere, dum hoc agit. Salomonii literas legi perhumanas, mererentur tam boni mores, & bonas literas: quamvis ipſe non indoctus ſit; ſed certe vir tam magnus natu plura ſcire deberet. Negat ſe quicquam noſtrorum

operum

operum legiſſe, eaque anxie de te expectare aſſerit: quod illi facile crediderim; oſtendit enim in Gallo ſuo, non multam ſe operam navaſſe in bonorum authorum lectione. Scribam ad eum & par pari reddam. Forte & ab eo Pauli illos ſententiarum libros commodato petam; quamvis non dubitem quin ſint iidem, quos ego de Germania accepi. Scarlatinum plurimum diligo & obſervo: leonem ex unguibus exiſtimavi. Epiſtola enim quam ad me dedit, non ſolum Latinitatis eum ſtudioſum eſſe oſtendit, ſed & prudentem. Itaque non dubito quin optimus Juriſconſultus ſit: & tantum illi tribuo, quantum ex his, qui hoc anno ad me ſcripſerunt, nemini. Quapropter meo nomine illi gratias age. Reſpondebo ejus literis, quamprimum otium aliquod nactus ero. Claudio reſcriberem, ſi Avenione ad me relatæ ejus literæ fuiſſent: rari nuntii illinc ad nos commeant. Vix erit ut hoc menſe pervenire ad me poſſint. Ultro ad eum literas darem, ſi modo ſcirem quid ſcriberem, vel ſaltem cujus argumenti ejus epiſtola eſſet. Tu interim me illi facito commendatiſſimum. Quæ ſcribis de naſutiſſimo homine Sanctio, in quam partem accipiam neſcio, nec extricare poſſum, donec certiorem me errorum meorum facias. Tametſi occupatiſſimus ſex verba ſignare poterit; nam mihi hoc erit ſatis. Nec enim ſententiæ ſuæ rationem ab eo ſcire multum laboraturus ſum: ſed ex me ipſo experiar, an eam reperire excogitareque poſſim. Vale. Mediolani. Nonis Aprilis. M. D. XXI.

EPISTOLA IX.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

SCripſiſti nuper diffuſiſſimas literas: in quo non poſſum diligentiam tuam non admirari, quamvis prolixe ſcribere, otii magis mihi videatur, quam curæ. At quæ reipſa egiſti, ſummam procul dubio, forte & immodicam ſedulitatem oſtendunt; qui tantum de me angeris, fereque cruciaris, ut nullius judicium inexploratum ſinas: tamque ægre ſermonem, neſcio cujus Abduatis tuliſti, ut longam mihi iliadam de re diobolari perſcripſeris. Ego hominem non agnoſco, qui etſi blateret me ſibi cognitum, tamen & abſque Chryſippi ſyllogiſmis protinus convinci poteſt. Ait me in convivium ſemel accitum, ut ſecum colloquerer. Atqui nuſquam ego Bononiæ, præterquam in Satili ædes convivio acceptus fui, nemoque fuit mihi συμπότης, quem non agnoſcam: in quorum numero minime ille eſt. Interroga eum, qua facie ſim, protinus mendacem deprehendes. Gloriatur centum errata ſe in meis in tres codicis libros annotationibus inveniſſe, qui forte nec Latine ſcit. Qui enim centum deprehendere potuit in libello centum verſus vix continente? Proferat vel unum, & paratus ſum herbam dare. Tametſi enim me non lateat ſubeſſe aliquas mendas, quæ non ad eruditionem, ſed ad fortunam emendatioris codicis pertinent. Scio tamen ejuſmodi eſſe, ut homines hi glorioſuli deprehendere

noctuinis oculis eas nequeant. Quapropter non poſſum facilitatem tuam non irridere. O Calvinum acumen! quod & obtuſiſſimi viri retundunt! ô oculatiſſimum capitulum, quod & cæcis deprenſu facillima non perſpicit! Et tu perſuaderi mihi poſſe credebas, ut cum literis meis honorarem, vel onerarem potius, niſi Cataneum invocaret, qui illi reſponſionem dictare aut ſubnotare velit. Facerem certe Cataneo docto viro injuriam, ſi hujus moleſtiæ cauſam ei ullam præſtarem. Si tot in Pandectas annotamenta compoſuit, cur vel unum in lucem non emittit, vel ſaltem oſtendit tibi. Subolet certe nobis, quicquid hominis iſte eſt, invidum, indoctum, jactabundum eſſe, omnia ſibi tribuentem, cæteris vero adimentem. Negat quicquam operæ eſſe, in Gallia profiteri: quaſi ibi Galli non ſint, qui & Italorum Academias ſunt pervagati. Quaſi etiam non adſint Itali ex Taurinenſibus, Salaſſis & Genuenſibus; quam gentem ſcis ubique terrarum fœnerari. Atqui cum Jaſon Patavium conductus fuit, ævi jam maturus, duos tantum, qui eum ſecuti fuerint, Scholaſticos habuit: Ego trans montes plus decem adduxi, in prima quoque ſtudiorum infantia. Mitte, mitte, quæſo, nebulones iſtos, & cum invidia ſua ſine vel ad corvos deduci. Scribis ad me Cataneum literas dediſſe, ego eas non accepi, nec præterea quenquam reperi, qui hac de re poſſit me admonere, vel in viam deducere, qua eas inveniam. Ad Sadoletum ſcribam & mandata tua exequar. Quamvis tam longa admonitione non indigerem, eam tamen legere mihi pergratum fuit: niſi quod occidit miſeros crambe. Quid enim toties mihi Lutherium inculcas? quem ego bene vel male faciat, nihil æſtimo: & quoniam id ad me non pertinet, ſuſque deque fero. Et forte publice intereſt eſſe aliquem, qui tantam licentiam coërceat, & qui etiam injuſta defendat, ut ſaltem juſta obtineantur. Morem tibi in eo geſſi, quod exorciſtæ titulo malum epigramma compoſui: ex Platonicorum tamen traditionibus quædam in eo adſunt. Arminii mentionem feci, ut Frobenii temeritati obviam irem, qui in ſecunda Eraſmi editione in Teſtamentum novum liminarem pagellam pictura inſignivit, qua Quintilium Varum Arminius ſuperat, victoque inſultat hoc dicterio; *tandem vipera ſibilare deſiſte:* ut minime dubitem vera eſſe, quæ ſcribis de Germanis. Sed hoc morbo laborant omnes barbari. Quid mirum? cum & inter nos Italos forte gravius agatur. Quid enim ipſe huic tuo Raymondo feci? ut mihi tantas dicas impingat, quem nec vidit unquam, nec intus neque extra agnovit. Dii invidos omnes perdant. Annotationes Claudii hactenus ad me delatæ non ſunt, & non ſatis ſcio ſi afferentur: non enim nuntii ab Avenione commeant, quoniam undique excluduntur propter contagii metum. Nihil eſt, cujus mora me magis torqueat, quam hujus operis deſiderium: mallem diploma Pontificis perdidiſſe: nec audeo quicquam ad eum ſcribere, nondum perlectis annotationibus, ne mea negligentia amiſſas credat. Velim tu curares, ſi aliud exemplum habere ab eo poſſes, quod ad me certius mittas: faceres profecto rem mihi gratiſſimam. Quæ de Jacobo Lopis Stunica ſcribis, accepi omnia. Ejus librum nondum vidi, ſed

ſu-

ſuſpicor Pſeudo-Chriſtianum eſſe: ejus enim familiæ plures Avenione Judæi erant, quorum aliqui ſacro ſe lavacro abluerunt: & ex eis quidam medicus, mediocriter doctus, familiaris meus eſt. Ejus librum libenter legerem, ſi ad Andream fratrem tuum venalem miſeris, forte comparabo, nam ſi malus erit, mittam, ut una cum Alcorano veneat. Diploma tandem accepi cum tuis ſolummodo unicis literis, quibus erat inſertum. Dolui ſummopere cætera quoque allata non fuiſſe, ſed dolorem illum pepulerunt tuæ literæ, quibus me admones, videri quibuſdam ſtili me affecti nimis eſſe, nec Ciceronem ubique & Cæſarem ſequi. Riſi enim iſtos male affectos & ſimios, & nihil ſcientes, quos titivilitio omnes æſtimo. Quibuſdam literis quas ad me hoc menſe dediſti, folium annexum erat cujuſdam annotationis capite imperfecto: velim authoris nomen adſcribas, ut demum ſententiam de ea re meam tibi poſſim exponere. Vale. Mediolani. Octavo Kalendas Majas M. D. XXI.

Hæc ſcripſeram: cum alias omnes literas Avenione huc ad me miſſas accepi, tu alias iſtinc a Claudio Scarlatino: quibus omnibus brevi, cum otium ſuppetet, reſpondebo, nec Sadoletum miſſum faciam. Quare expecta faſciculum, quem propediem habebis. Vale. Tertio Kalendas Majas.

EPISTOLA X.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

SCripſi ad te ſuperioribus diebus, ut ad nos authentica Juſtiniani Græca mitteres, quod a te factum adhuc non eſt: atqui nec ullum verbum ea de re reſpondiſti, ut facile in eam adducar opinionem, penes te ea non eſſe, & pro conſuetudine tua, non veritum te mihi fabellas narrare, cum glorioſulus factus impetraſſe te de Bononienſibus, ſeu Florentinis eum mihi librum perſuadere voluiſti. Si igitur hac me de ſententia decedere vis, aliquid ſcribe, vel potius librum ipſum mitte. Alexandri Juriſconſulti Neapolitani librum, quem ad nos miſiſti, diligenter legi. Vir eſt doctus & diligens, & non parum ſtudioſos adjuvabit: ſuſpicor tamen eum quandoque falli. Id duplici argumento colligo, quod *Parentes* pro conſanguineis apud Lampridium in Alexandri vita reperiri ait, quod verum non arbitror. Rurſuſque quod libro primo capite vigeſimo quinto plurimum ſe cruciat, ut apud Juriſconſultos interpretetur, quid ſit *plumbum in ripa:* cum omnes antiqui codices oſtendant, non *ripam* ſcripſiſſe Juriſconſultos, ſed *hypæthram*, cujus vocis notionem ex Vitruvio accipere debuit. Nec a nobis ni fallor in prætermiſſis omiſſum eſt. Si is aliqua tecum familiaritate junctus eſt, velim ab eo exquiras, ut Alpheni Juriſconſulti vetuſtiſſima ſcripta, commentarioſque Senatuſconſultorum, quæ vidiſſe ſe, emiſſeque Romæ ait, commodato det. Eorum autem mentionem facit capite quarto & ſeptimo primi libri: ſuſpicor enim neſcio quid Parrhaſianum, quem ſcis eos authores plerumque adducere ſolitum, quos nunquam viderat: nam &

Pomp. Lætus non omnino hac nota caruit, ut qui Feneſtellæ nomine commentarios quoſdam ediderit: rurſuſque Beroſi, Catonis, Fabii Pictoris fragmenta; omnia fictis titulis. Quod ſcribis difficulter diploma fuiſſe conceſſum, eam propter clauſulam, qua pari indulgentia habentur, qui a nobis & ab univerſitate aliqua inſignia ſuſceperint, non admodum miror: moris enim iſtic eſt, ut quæ abſurda, indecora, inhoneſta ſunt, facillime Pluti precibus condonentur; quæ vero æquiſſima ſine Pluto vix habeantur. Tametſi ea clauſula non eſſet, idem in jure erat. Adde quod nullum ab Imperatore hujus generis diploma exit, quod has tritiſſimas clauſulas etiam exuberantioribus verbis non contineat. Scarlatini epiſtolam legi, cui reſpondeo. Sed & Claudii omnes annotationes, quas ad me ſcripſit, recepi. Subtilior eſt interpres quam æquum ſit, facileque deprendere hominem poſſis omnia aucupantem, ut a me in aliquo diſſentiat. Reſcribam tamen illi humaniter & boni conſulam, quæ & ipſe potuit boni conſulere. Neque enim libet impræſentiarum aliter interpretari. Sed tu iterum audi, authentica mitte: hoc enim pacto quamplurimum diſpunctiones noſtras locupletare potero. Scribo hæc forenſibus negotiis valde præpeditus: ſed tamen officio tibi cedere non poſſum. Ad Sadoletum ſcripſi, non tam eleganter, ut tu volebas; neſcio enim quomodo affectus hac in re mihi fuerit ſtilus. Non ſatisfacio certe mihi ipſi, ne dum ut naſutiſſimis iſtis veſtris Petreis, Trans-Adduatibus, idque genus ſimiis, poſſim. Literas ſane ab urbe hac veſtra, quas Carlinis penſem, nihil moror. Malo nihil ad me ſcribi, quam tanti exchartabula emere. Quare ſatius eſt ut uterque Angeronam colamus: niſi egregius cum aquariolis & tertiariis ſalutari velis. Quomodo me de Lutherano negotio excuſem, in literis ad Sadoletum leges: ſum enim in gloſſematis illis meis articulum illum excuſſurus. Eorum gloſſematum, ſi neceſſarium tibi videatur, quaternionem ad te mittam, quem illi oſtendere poſſis. Utinam in mentem Pontifici ipſi veniret, penſiunculam honeſtam mihi conferre, ut otium benignius ſuppeteret, quo huic operi vacarem: a magno enim Franciæ Cancellario, nihil præter verba æruſcare poſſum. Vellem mitteres ad me omnia epigrammata, quæ in librum redigenda cenſes, ut opus illud tandem abſolvamus. Ardeo enim hoc deſiderio, nec minus Dardanus. Vale. Mediolani, pridie Nonas Majas. M. D. XXI.

EPISTOLA XI.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

ACcepi binas literas tuas, quarum alteras Julius Aratus ad me detulit, alteras Gubernatus, cum quibuſdam exchartabulis in jure Canonico: quæ ego viperula una noſtra non redimerem. Humaniſſime, quod in me fuit, Aratum excepi,

excepi, collocutique una fuimus per horam, & de omni genere ſtudiorum tractavimus: quædam & de Germaniæ Chorographia. Is demum a me diſceſſit ad Saxones ſuos, in Italiam, ut dicebat, amplius non rediturus. Claudio reſcribam cum mihi otium ſupererit. Sum occupatiſſimus non ſolum in alienis litibus, ſed & in propriis, quas tamen brevi me extricaturum confido. Scripſi ad te ſuperioribus diebus, ut Epigrammata ad me mitteres & authentica Græca: itemque antiquarium nuper impreſſum. Quæſo omnia ad me quamprimum deſtina; privilegium meum cætera recte ſe habent: ſed quod ad legitimationes attinet, frigidum eſt & nimis modicæ facultatis: ea enim quæ ab Imperatore emanant, longe efficaciora ſunt. Mitto ad te eam clauſulam additis his verbis, quæ in eo privilegio inſeri velim. Ea quæ addi volo, linea ſubnotavi. Alloquendus tibi eſt Sadoletus, ut & hoc perficiat; alioquin quod in me contulit beneficium, quod ad hanc partem attinet, nullius eſt utilitatis. Ad Marium etiam literas dabo, cum otium erit, & tibi morem geram. Scripſiſſem jam Claudio, niſi me quibuſdam de rebus conſuluiſſet, quas non niſi ex Authorum lectione extricare poſſum: hujuſmodi autem ſtudia difficulter repeto, præſertim occupatus. Frater tuus, ut ego arbitror, admonitione mea ulla non indiget: nec enim ſcio quid peccet: tu fortaſſe indiges. Vereor enim ne amœnitatibus urbis, deliciiſque & tantorum virorum converſatione captus, deſideas: & dum maxima ſperas, non ſatis præſenti rei tuæ conſulas. Agebam hîc, ſi fratri tuo collocare uxorem poſſem, ſed adhuc in herba eſt ſeges: ubi ſpes aliqua juſta ſubierit, reddet te ille, vel & ipſe ſimul certiorem, ut ea in re tu moderator ſis & author. Ipſe tibi etiam integrum faſcem mendaciorum commodato dabo, vel potius reſtituam. Non enim me præterit, quanta tu de me: qua in re vel nimius amor, ſummaque amicitia te imprudentem decipit: vel quod verius eſt, ſciens ipſe falli te ſinis. Incidi forte in Paganini Vergilium, deprendique nomini meo eum dicatum, gaviſuſque ſum ſupra modum; quod tanto authori, tamque divino libro ego aſcriptus eſſem. Quare cum Venetias appuleris, ſummas illi gratias age, & meo nomine, quicquid ipſe poſſim, ſponde. Vale. Mediolani Idibus Majis. M. D. XXI.

EPISTOLA XII.

FRANCISCO CALVO. S. D

Andreas Alciatus.

Romam,

AD ſeptimum Kalendas Junias attulit ad me frater tuus literas breviſſimas, quas etiam libentiſſime legi, quoniam in bonam partem trahebam pauciloquium id tuum. Suſpicabar enim graviſſimis de rebus occupatum non potuiſſe diutius in ſcribendo commorari. Quare fac ut cum otium nactus fueris, brevitatem hanc emendes. Claudio reſcribo, reſcripſiſſem & Scarlatino Marioque, ſi otium habuiſſem: cum per occupationes licuerit, non ero in mora.

EPISTOLA XV.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

JAm diu eſt, cum nullas a te literas recepi, nec ſatis ſcio, quid in cauſa ſit: an negotiis obrueris, ut amicorum amplius meminiſſe nequeas? an deſes factus otium tuum procuras, aliorum immemor? an id conſtituiſti, neminem ſalutare, niſi qui prius te ſalutaverit? Atqui ſi ita eſt, nulla tibi eſt excuſatio: ſtatim enim, cum Mediolanum ex Gallia appuli (id fuit Nonis Novembribus) nihil prius habui, quam ut certiorem te reditus mei facerem. Quare quæſo demitte tandem ſupercilium iſtud, & mei reminiſcere, certioremque me de rebus tuis omnibus minimis & maximis fac: id enim & ipſe viciſſim erga te facturus ſum. Si cupis ſcire in præſentia quid agam, ſic habeto. Non potuiſſe mecum & Avenionenſibus convenire; cauſæ fuerunt plurimæ, ſed illa maxima, quod Reſpublica illa propter peſtem ſupervenientem ære alieno oppreſſa, non poterat æque celeriter honoraria nobis præſtare, atque conſueverat, petebatque, ſi rurſus eo genere mali infeſtaretur, aliquid remitti, cui conditioni nolui aſſentire: præſertim, cum multis precibus & Mater & Joannes patruus a me peterent, ut tandem in Italiam reverterer, rebuſque meis conſulerem, quæ ob bellica diſcrimina non parum jacturæ fecerant. Morem illis geſſi, & geſſiſſe pœnituit. Nihil enim erat, quod me abſente ipſi conficere non potuiſſent. Patrocinor itaque hic, & ex Lectore Advocatus factus ſum: & ut tempora ſunt, etiam præter ſpem lucrum conficio. Marlianus, qui Senatui præſidet, & Gymnaſii Papienſis tutelam ſuſtinet, ultro operam ſuam mihi obtulit, ut etiam grandi ſtipendio profitear. Sed in præſentia id fieri non poſſe ait, propter ſummam æris penuriam, qua Dux noſter opprimitur. Quapropter videto cum Venetis, Ferrarienſibus, Piſanis, Bononienſibus, ſi occaſio ſe præbuerit, tu quod agere poſſis. Minori ſalario quingentorum aureorum conduci nequeo. Cætera in tua fide ego repono. His Saturnalibus, ut illuſtri Ambroſio Vicecomiti morem gererem, libellum compoſui Epigrammaton, cui titulum feci Emblemata: ſingulis enim epigrammatibus aliquid deſcribo, quod ex hiſtoria, vel ex rebus naturalibus aliquid elegans ſignificet, unde pictores, aurifices, fuſores, id genus conficere poſſint, quæ ſcuta appellamus, & petaſis figimus, vel pro inſignibus geſtamus, qualis anchora Aldi, Columba Frobenii, & Calvi elephas tam diu parturiens, nihil pariens. Ad hæc ſunt mihi in jure civili perfecta quamplurima opuſcula, ut in tractatum de verborum ſignificatione interpretationes, & in primum codicis Juſtiniani librum: hæque elegantes & Latinæ perſtrictæ. Eas edere in animo habeo: verum neſcio an a te exorari poſſim, ut tibi potius tradam, quam barbaris illis Cratandris & Frobeniis. Opus eſt eloquentiæ tuæ fulmina perſtringas, ſi commovere me velis.

Cupio

Cupio mirum in modum Authentica Juſtiniani Græca habere. Velim Jovium Paulum admoneas, & ex eo ſcio procures, an ex Medicæa bibliotheca copiam ejus operis mihi poſſit facere. Si quicquam novi in publicum editur, vel aliquod opus a peritioribus iſtic elaboratur, fac me tuis literis certiorem. Vale. Mediolani Quinto Idus Decembris. M. D. XXII.

EPISTOLA XVI.

FRANCISCO CALVO.

Andreas Alciatus Salutem & Lætitiam.

Romam,

CUr enim eam in te non deſiderem, qui tam malo affectus animo ad me ſcribis? & quæ mera ſunt inſomnia, pro exploratis rebus habes. Genius certe hic tuus parum verax eſt, & nimis credulitate tua abutitur. Frater tuus adhuc trans Alpes nundinatur: res ſalvæ ſunt, nemoque hactenus eſt, qui verbum in eum fecerit. Si fidem publicam Romæ impetrare potueris, qua oſtendatur negotiationes illas ad vos relatas, cum Neapolim propter peſtem deferri non potuiſſent, crede rem omnem in portu fore. Quod ſi adhuc rem dubiam viderimus, exiſtimavéroque parum tutum hic fratri tuo eſſe, certiorem te faciam, ut quo jure, qua gratia reſarciamus, quod demens iſte, me quoque reclamante, præcipitavit. Inter eorum nomina, qui delati ſunt, frater non eſt, ſed ejus ſolum ſocius Jo. Maria. Negabimus ſocium, negabimus conſcium ejus rei eſſe: non dubito, quin aliquo modo eum de naſſa extricemus. Nam & intelligo τὸν Ἀγαμέμνονα ipſum, arceſſitis omnibus opificii ejus Corypheis, conqueſtum humaniter, quod hi potiſſimum, quibus ipſe plurimum tribuebat, interdicta molirentur: errare eos, ſi putarent eorum, quæ geſſerint, quicquam ſe præteriſſe: ſed cum facta infecta fieri non poſſent, ſolum in futurum caverent, alioquin paratam fore ultionem: ſic eos dimiſiſſe. Quapropter non arbitror quicquam ulterius futurum. Quicquid tamen erit, faciam te certiorem. Quod ad priores literas tuas attinet, accepi Decium Piſis fato functum, quod neſcio an verum ſit. Ipſe libentius Patavii profiterer, quam alio locorum. Quamobrem ſi Venetias te contuleris, poteris cum Do. Antonio Juſtiniano verba hac de re facere. Mihi cum eo nulla intervenit cognitio, nedum familiaritas, quod tu ſuſpicare. Sunt in eo Gymnaſio plerique mihi amici, qualis Magiſter Leonardus Hiſpanus medicus: ſunt & quidam Lugdunenſes, qui Avenione mihi operam dederunt. Adhæc & Budæi quidam nepos ex fratre. Sed non arbitror poſſe te, nec unam quidem dieculam, a Roma divelli, ſicque fruſtra de Venetis me tecum commentari. Velim cures, ut Avenionenſes Legati, & ex his maxime Parpalia Doctor, ſciant a quamplurimis Italiæ Gymnaſiarchis me arceſſiri, & maximo ſtipendio, ut poſſint agnoſcere dementiam ſuam, qui me permiſerint abire. Poteris diſſimulare me uſque adeo tibi cognitum, ſed de me ab eis velle inſtrui,

quod hoc in mandatis a Pontifice habeas, qui me conducturus ſit. Orna quæſo hanc fabulam, ut vera eſſe omnia arbitrentur. Eſt is Parpalia Taurinenſis, ſed jus Canonicum Avenione profitetur, mihi ſummo ore amicus, ſed Ripæ aliquanto amicior. Si hæc intellexerit, invidia morietur. Confinges ejus orationem, quam Pontifici dixit, plurimum laudis meritam: velle te exemplum: laudabis ejus eloquentiam: gaudet enim ampullis, tametſi malus & indoctus. Niſi enim eam illi ego compoſuiſſem, actum de eo erat, nec auſus fuiſſet Romam orator venire. Sed hæc hactenus. Cura quæſo diligenter. Quod ad literas attinet, quas Conſentino tuo me ſcribere jubes, curabo ut morem tibi geram, idque quam primum. Commenda me Scarlatino, idque uni ipſi, ut hinc ſcias non vulgariter me illi commendari velle. Vale. Mediolani Decimo tertio Kalendas Februarias. M. D. XXIII.

Scripſeram ad te alias literas, cum in mentem venit poſſe mihi tuam operam iſtic conducibilem eſſe. Quapropter libellum ſupplicem ad SS. Patrem dictavi, quem velim experiaris, ſi expediri poſſit: non ea ſolum forma, qua a me petitur, ſed & ſi qua aderit melior. Conſules igitur hac de re amicos tuos, & certiorem me facies, ſi impetrari poterit, & qua pecunia opus ſit: ne pluris forte conſtent impendia, quam utilitatis ſpes. Vale. Mediolani XII. Kalendas Februarias. M. D. XXIII.

EPISTOLA XVII.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

ONeraſti me aliis atque aliis literis, ut plane non videam, quomodo tecum paria facere poſſim. Reſcribam tamen, ne indignationem tuam in me provocem: indicaſque mihi bellum, vel potius a me deſciſcis, quod te facturum quandoque minatus es. Spondeo autem fore, ut majore in otio etiam longiores ad te dem: interim æquum eſt te paucis contentum eſſe. Quod ad rem tuam attinet, arbitror omnia in tuto fore: nam nihil novi hactenus actum eſt: & facillimum ſe exorabileque id genus hominibus, quod e populo ſint, ὁ ἀρχὸς præſtat. Arrigam tamen aures, ut ſi quid ſubauſcultavero, protinus occurrere poſſim. Eſto itaque bono animo, & ad ſtudia ſaleſque tuos ingenium deflecte. Ad Archiepiſcopum tuum, cum paululum otii ſuffurari potero, ut tibi morem geram, literas dabo. Iſtic opinor, nihil ſuccedet, nam intelligo modica conſtitui ſalaria. Quare Patavii potius vel Bononiæ malim eſſe: nam quod de Papienſi Gymnaſio ſubmones, miror te tantum tibi arrogare, ut plus te poſſe in eo perſuadeas, quam ipſe poſſim, qui cor ipſum & pectus Marliani Præſidis ſum, in cujus manum omnia Dux repoſuit. Sed ego in ea Academia profiteri nolim, quod ſciam in præſentia non eſſe, quod Doctoribus detur: omnia abſumunt milites, nec præter bona verba habet Dux, quod togæ

præ-

præſtet. Malo domi eſſe, & ſtudiis operam dare, mihique ipſi vivere, quam tenues hujuſmodi ſpes ſectari. Nominaverunt me urbis noſtræ proceres in Vicarium Proviſionis, quem ſcis municipalium dignitatum maximum eſſe: deprecatus ſum id munus, non alio prætextu, quam quod ſtudiorum meorum quietem interpellari nolebam. Cum a librario Pontificios libros ad me allatos in manibus haberem, epiſtolamque tuam legerem, advenit forte Luranus, qui perlecto epiſtolæ titulo, quis frater ille Minitius eſſet, interrogavit: cumque tuam epiſtolam eſſe reſpondiſſem, mirum in modum admiratus eſt, quod præter ejus, omniumque expectationem, in cucullionum phrontiſteria te intruſiſſes: interpretabatur enim illud F. quod Minitio præſcripſiſti, ut fratrem ſignificaret: quare imminet tibi periculum. Cum ad nos reverſus fueris, ne apoſtatam credant, & Phratriæ deſertorem. Quod ſcribis orthographiæ in ſcribendo me negligentem eſſe, idque te in literis, quas ad Sadoletum miſi, deprehendiſſe, vide ne quod ego judicio feci, tu erratum putes. Non enim adeo ſtupidus ſum, ut puerilibus hiſce in rebus tam facile labar. Habeo in manibus opuſculum quoddam, cujus argumentum opinor tibi non diſplicebit: ex Dione, Strabone, Suida, aliiſque Græcis & Latinis authoribus, Formulam Imperii ab Auguſto conſtitutam collegi: quod jus Cæſaris, quod Senatorum eſſet: in quas Provincias Præſides, in quas Proconſules deſtinarentur. Omnem denique Romani Imperii formam breviter & erudite doceo: rem a recentioribus omnibus, quorum edita ſint opera, nondum perceptam, & maxime primo Digeſtorum libro intelligendo neceſſariam; quod videlicet uſque ad Auguſtulum ea ſemper formula obſervata fuerit. Quod ſi tu ſuaſeris, progrediar ulterius, & recentium Imperatorum, qui poſt Carolum Magnum rerum potiti ſunt, ad noſtra uſque tempora, jus proſequar, hîcque Pontificiam authoritatem adverſus Germanos ſcriptores tuebor, & egregie defendam; oſtendamque a Lupoldo, Irenico, Lutherio vaniſſima commenta publicari: ſed ut id faciam, volo abs te rogari. Scribe igitur, quæ ſententia ſit tua. Tractatum de verborum ſignificatione, ut ad te mittam, exorari non poſſum: nam amanuenſis meus indoctus eſt, & ſolis Leguleorum allegationibus, ut vocant, ſcribendis aptus: nec alium habeo, cui exſcribendum mandare poſſim. Adde, quod nemo eſt, qui melius impreſſorum errata corrigat, quam ego ipſe in meo opere. Feres itaque æquo animo, ſi tuam ſententiam non ſequar. Nam nec in Pontificio opere te adeo diligentem offendi, quantum tibi videris: miror que quod tunc in mentem tibi venerit, ut tot a malis poëtis accepta epigrammata, in libri ipſius commendationem edita, divulgares: ſatis unum fuiſſet & eruditum; ſed tu illos ut opinor palpo percutis. De Pacæo quæ ſcribis perplacuere, libenſque me illi inſinuarem: ſed tu me certiorem fac, an & ipſe juris pertritus, quid inquam, peritus ſit. Sed ain', verum ne eſt quamplures libros ſuos, priuſquam ederentur, oſtendiſſe Pontifici? Oſtenderem certe & ipſe, ſi bene perſcriptos eos commentarios haberem, ſed divinus es; habeo enim adhuc in ſchediis cancellatis & inductis, quæ præter Sibyllam leget nemo. Cæterum quæſo

quod præmium habuere, qui oſtenderunt? Poſſem forte & ipſe ea ſpe aliquid egregio librario impendere. Quare fac ut ſciam, qua erga doctos liberalitate hi Eccleſiæ principes agant. Scripſi ad te prioribus literis, quid cum Parpalia Avenionenſe Legato agere te velim. Cura quæſo diligenter. Nihil mihi gratius facere poteris. Sed hæc hactenus. Scripſi pluribus quam a principio exiſtimaram. Vale. D. Mario, Salomonio, Claudio Ptolemæo, Julio Scarlatino a me ſalutem dices, eſſeque me eorum dedititium profiteberis: ſed & quid in ſtudiis & Syntaxi agant, cura ut quam primum ſciam. Mediolani Pridie Kalendas Februarias. M. D. XXIII.

EPISTOLA XVIII.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam.

REſcripſiſti tandem literis meis, Calve, ſed poſtquam expectatione diutius me torſeras. Voluiſti opinor literarum mearum faſtidium ulciſci, exemploque hoc me admonere ut in futurum paucis utar, ne tibi bonas horas ſurripiam. Faciam id libens, & poſtquam te ita velle arbitror, Lacones imitabor. Ad Conſentinum non ſcripſi, quia tam oppreſſus ſum Clientelis, vel potius Clitelis, ut vix reſpirem. Mirum in modum tædet me hujus vitæ generis: ſed quid faciam? aliqua ratione Mercurio ſubſerviendum eſt, atque illi quidem κερδῴῳ. Scribam tamen quam primum. Verum ex te ſcire velim, an operæ pretium cenſeas, ut cum xeniolo eum ſalutem, & cujuſmodi, carminene an hiſtoria, an juris Civilis: ſunt enim mihi id genus multi libelli. Fac igitur ut quid ſententiæ habeas, fiam certior. Si Veneti dignum me ſtipendium offerant, nemo eſt cui libentius inſerviam. Cenſeo factu optimum id futurum, ſi expectaveris eorum adventum ad Pontificem. Cum enim in legatione futurum Antonium Juſtinianum exiſtimes, ille ipſe erit dux & auriga totius negotii: longeque magis proderit unicum Conſentini verbum, quam longiſſimæ literæ. Nam quod ad ipſius Pontificis laudatorium diploma attinet, vix ipſe extrico, quomodo tanti culminis ſervato decoro, poſſit mei mentionem hoc in genere ullam facere. Si tu tamen in ea ſententia perſtas, meam mutabo: & qualecunque ad te mittam, ut arbitratu tuo corrigas. Quid ad ſupplicem libellum expediendum egeris, intellexi: ſed eo amplius opus non eſt, conveni enim cum adverſario. De re fraterna tua bene omnia erunt. Dixi Andreæ me aditurum Moronum, & rem omnem, cujus ſe minime inſtructum ſcribit, ordine enarraturum. Negavit id frater, ſed ſe potius iturum: eſſe enim ſe in portu. Supereſt ut curem, ita omnia obliterari, ut in futurum quoque tutus ſit. Faciam itaque illi conſilii mei copiam, ipſique & rebus cavebo. Quæ de Pontifice Hadriano ſperas, mihi perplacuere: ſed ea ſpes non ſatis firma eſt. Nam ut nos te admoneamus, quis ſacerdotum male ſe habeat,

habeat, interim dum Pontificem adis, dum impetras, dum nuntius ad te pervolat, morietur æger: & hi, qui ab eo reſervationes impetraverunt, Sacerdotii poſſeſſionem apprehendent, tu excluderis. Satius itaque eſſet, ſi & tibi reſervationis jure, quæ cæteris derogaret, conſulere dignaretur. Neſcio ubi locorum Paulus Jovius agat: vellem cum eo ageres, ut ad me authentica Græca Juſtiniani mitteret, ſi modo Cardinalis ſui favore eorum exemplum a Florentinis impetrare poſſit. Vale. Mediolani xx. Martii. M. D. XXIII.

EPISTOLA XIX.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

CUperem lætiora ad te ſcribere, ſi ea ſe offerrent, ſed poſtquam aliter eveniunt omnia, quam vellemus, ea qualiacunque ſint, oportet ut ſcias. Andreas tuus parvi, ut opinor, faciens, quos pro eo labores exantlaveras, rurſus in idem delictum incidit: & etiam aliquo notabilius quam prius; fecerat videlicet ei animos indulgentia. Miſit in Gallias ultra quadraginta ingentes ſarcinas armorum: id ad aures Principis ſtatim delatum eſt, cum ex atteſtatione ligatoris, tum ex complicum venditorumque examinatione: quos omnes adhuc in carceribus habent. Ad hæc Abraham Pegius publicanus Vercellenſis paterque ejus, quem in præſentia Capitaneum juſtitiæ habemus, omnibus de rebus certiorem fecit Moronum. Igitur ſub pœna quingentorum aureorum citatus eſt, ut coram & in vinculis jus diceret, ipſe ſolum vertit. Egi cum Vicario capitum, ut diffinderetur dies: reſpondit nihil hac in re poſſe, niſi ex ſententia Moroni. Adivi Moronum: reſpondit Andreæ ulterius diem non dilaturum, quia cum præſens eſſet, nimirum Boſaloræ, admonitus ſolum vertit: tui cauſa nihil facturum, quandoquidem nihil illi tecum negotii eſt, nec enim te diliquiſſe. Habes ſummam rei. Ego cenſeo id neceſſarium eſſe ut tu venias, & reculas tuas tuearis, tecumque afferas donarium Leonis Decimi, & probationes quibus fidem facias, ex ea pecunia negotiationem te hanc exercere. Suaſi Lotoringo ut libros alio deferret, ne Fiſco expoſita eſſent omnia: itemque quicquid de rebus auferre poſſet; reſpondit id ſibi non licere. Nam Turrianos, qui Papiæ ſunt, ubi res aufferri viderent, priores eos ſibi prædam vendicaturos. Zachariam hic ſtupidum eſſe & nihil rerum ſcire, nec paſſurum aliquid tegi. Vide quo devenerimus. Oportet itaque, ut tu properes; cum enim a præcepto pœnali cœperint, ſpero omnia juridice eos facturos, ſupereritque nobis tempus, quo defendamus res tuas. Nec eſt hic, quod aliquem accuſes, præter te ipſum, qui optime fratris tui mores cum agnoſceres, tantum ei credidiſti, ut dum tu interim ſpe mera attraheris, & aularum fumos ſequeris, hic rem perderet. Accurras igitur, ut ſaltem intra menſem adſis: ipſe interim manibus & pedibus omnia faciam, ut tuis re-

 bus

bus proſim: tametſi ſciam, me hac de cauſa non mediocrem Moroni offenſam incurriſſe, quod pro Andrea intercedere auſus fuerim. Vale. Mediolani 9 Aprilis. M. D. XXIII.

EPISTOLA XX.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

QUod ad rem fratris tui attinet, quid futurum ſit ignoro: arbitror tamen nihil boni futurum. Nam acriter impellimur, præſertim ſollicitante Armigero quodam, cui Dux confiſcationem hanc, qualiſcunque futura ſit, dono dedit. Differemus tamen & procraſtinabimus quantum in nobis erit. Sed longe tibi utilius eſſet, ſi te huc conferres, nam & præſenti rerum ſtatui conſuleres & futuro: videor enim videre, utinam mentiar, magnam rerum, quas hic reliquiſti, calamitatem: ita omnia frater tuus peſſundedit, mandavitque ſui ſimillimis. Solet Fiſcus ſtatim res, quæ adminiſtrationi delinquentium ſubjectæ erant, apprehendere, & poſtquam earum poſſeſſionem nactus eſt, tum demum audit contradicentes: ſive de jure dominii probare velint, ſive de hypotheca. Id ego ut evitarem (fit enim non modica impenſa, dum apprehendunt bona: fit rurſus non modica jactura rerum mobilium, nam & Notarii & Apparitores, & ipſi Judices multa furantur & abſportant; Accedit his, quod oportet petere ab ipſis, quod apud nos erat, itemque ſolvere ſportulas magnas judicibus) ut igitur haſce harpyas evitaremus, mandaveram Verrio, ut abſportaret omnia & clam deponeret, vel apud Andream Conradum, vel ubicunque. Cum id præpararet, ecce ancilla, quæ domi eſt & filiolam ex fratre tuo habet, vetuit quicquam auferri, quod diceret ſe ſcire nihil periculi eſſe, non auſi ſunt indicare dominæ, nec opus fuit jurgio; cum ſi id vicini ſciviſſent, accuſaſſent protinus, ita amatur a vicinis frater tuus. Defecti hoc remedio, aliam ſpem non habuimus, quam in tergiverſatione, donec tu venias & rem tuam familiarem conſtituas, quæ alioquin quamprimum dilapſura eſt, ita ſunt omnia in præcipiti. Si velis nos tuo nomine litigare, oportet procuratores aliquos hic conſtituas, ut Verrium (etenim ille gnaviter ſe gerit) Jo. Georgium Caſtenum, Julianum Piſcinam, me, & ſi quos alios probas. Mitte quamprimum publicum inſtrumentum mandati confectum ſolertiſſime. Ego non ſecus quam in re mea, & aliquanto etiam plus, omnia experiar, omnem movebo lapidem, ut rei tuæ conſulam. Quod ad Juſtinianum attinet, age cum eo, ut pinguiuſculum mihi honorarium inſtituatur, ita tamen, ut antequam hinc diſcedam, aliquid mihi pecuniarum curet numerari, quibus inſtruam viaticum, puta ducentos aureos. Poteris, quæ edita ſunt, opera mea illi oſtendere; in præſentia enim cum plurima habeam, mittere nihil poſſum: ſunt enim in autoſchediis adhuc plenis liturarum: nec ſcri-

ſcriptorem habeo ad manus, qui eis in exſcribendis mihi ſatisfaciat, præter unum, quem habui. Non omnino male deſcriptum mitto ad te librum ſecundum de conſtitutione Romani Imperii, nam priorem adhuc exſcribi non curavi, quod ille ad Juriſconſultos potius pertineat, iſte ad hiſtoricos. Legas tu eum prius: & ſi in eo quicquam offendes, quod diſpliciturum exiſtimaveris, ſupprimes; ne inde odium mihi comparem, unde gratiam acquirere ſperabam. Ad Conſentinum abſque aliquo libelli xeniolo ſcribere non audeo: & ex tot meis ſcribliginibus in præſentia nihil habeo pulchre deſcriptum, excepto hoc libello, quem ad te mitto. Si dignum exiſtimaveris qui ei detur, me certiorem facias. Tum enim ſcribam, ut una cum literis meis libellum des. Sunt autem apud me editioni præparata hæc opera; *Interpretationes in tractatum ff. de verborum ſignificatione. Interpretationes in titulum de ſumma Trinitate, & fide Catholica. Itemque de Sacramentis Eccleſiæ. De conſtitutione Romani Imperii libri duo. Ex poëtices ſtudiis epigrammatum libri quatuor. Comœdia antiqua, Nubes, ex Ariſtophane tranſlata.* Cætera autem, quæ multa in manibus habeo, adhuc imperfecta ſunt: qualia ſunt *Præſumptionum, quas parturio, libri ſeptem.* Item *reſponſorum longe plures.* Si quid igitur ex eis, quæ editioni parata eſſe dixi, ad te tranſmitti velis, me per literas commonefacias, ut ſtatim librario alicui tradam, qui deſcribat. Inter volvendum reperi penes me eſſe principium interpretationis in librum primum C. de ſumma Trinitate: mittere placuit tanquam prægustamentum operis. Sed tu, ut dixi, quicquid conſtitueris, reddes me certiorem, ut ad Conſentinum ſcribere poſſim. Vale. Sexto Kal. Majas. M. D. XXIII.

EPISTOLA XXI.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

SCripſi ad te ante iſtos tumultus pluries: tu tamen nihil interim ad me: opinor, iratus eras, quod tibi morem non geſſiſſem, & ideo te dignas iras conceperas. Decreveram ipſe viciſſim parem tibi gratiam reddere, & amplius non ſcribere. Sed obſtinationem hanc meam vicit utilitatis tuæ ratio. Andreas frater tuus, priuſquam hinc diſcederet, a quamplurimis argentariis mutuas pecunias ſumpſit ſub uſuris. Ei terminus præſtitutus fuerat ad reſtituendum proximis tum nundinalibus Lugduni. Is terminus elapſus eſt, ſubſecutæ ſunt & aliæ nundinæ, nec his quidem ſolvit. Verrius hactenus diem de die duxit: ſed in præſentia conſumpſit fidem quoque. Sciunt creditores ſibi verba dari, expectantque ut ſolvatur juſtitium. Statim enim ſub mercatorum Duumviris rem ſuam proſequentur: nec adverſus Andream tantum, ſed in te etiam. Habent enim municipali lege cautum, ob æs alienum, cum mercatore conſcripto contractum, fratres quoque, qui adhuc indiviſam familiam

teneant,

teneant, itemque ſocios, famulos, inſtitores, in ſolidum conveniri poſſe. Vide in quod te periculum ille conjecerit. Unicum eſt remedium, ſi in foro Eccleſiaſtico rem deduxerimus: nec enim tum conſtitutio illa obſervabitur. Formandus igitur tibi erit ſupplex libellus ad Pontificem, qui tibi judicem det, ne in foro Laïcorum litigare compellaris: tum perſcrutandum erit diploma, quo in Clericorum albo deſcriptus ſis. Deligere poteris in delegatum, præpoſitum Eccleſiæ Caterinæ Caſellarum dioceſis Laudenſis. Luranus noſter eſt, vel ſi quem alium, cui fidas, habes. Id unicum eſt remedium, quod lapſis rebus tibi ſciam invenire: tametſi conſultius eſſet, ſi pauliſper intermiſſis ſyrenibus his & Romanis, tu venires, & rem tuam ageres, memor Gellianæ Caſſitæ. Ne prædictum tibi non dicas, id admoneo, niſi tu coram adſis, omnis hæc recula tua dilabetur. Petunt Publicani, petit Franciſcinus Abduas, petunt alii plerique: tu autem bellus negotiator interim deſides, rem tuam ſinens per alienos adminiſtrari: & arbitraris ſufficere, quas ab urbe ſcribis literas, quas Moroniani, non dicam Cancellarii, ſed nec ſubadjuvæ niſi curſim lectitant, & ad eas etiam inconſulto Domino, ex generali mandato reſpondent, verba nimirum pro verbis. Oportet ipſe adſis, & rem tuam tractes: alioquin omnia erunt irrita. Ego, quod ad me pertinet, poſſum & conſilio & advocatione tibi præſto eſſe: ſed litiganti alia quoque neceſſaria ſunt, quæ ipſe præſtare nequeo: & is ſolum præſtat, cujus intereſt. Scio me in Toronæo portu verba facere: ſed id mihi ſatis eſt, quod minus prædictum id a me cauſari non poteris. Mirum certe eſt te prudentem hominem, duobus menſibus non poſſe ab hac curia abeſſe. Non exigo ut eam derelinquas, ſed ut breviſſimo hoc termino ſecedas, ſtatim reverſurus, ſi ita videbitur. Sed hæc hactenus. De publicis rebus nihil eſt quod ſcribam, niſi nos meliora in dies ſperare. Quod privatim ad me attinet, valeo corpore, mente vero non æque. Combuſſerunt mihi Galli villam, deſtruxerunt omnia: nihil eſt reliquum præter ſolum. A Curia abhorreo, quod in ea nemo eſt, qui ſciat literas. Velim cures ad me deferri lexicon illud decumanum Varini Epiſcopi: numerabo enim præſentem pecuniâm ei qui attulerit. Opinor te maxime gaudere ob novum Pontificem, vel Jovii noſtri cauſa, quem ſpero brevi Epiſcopizandum. Si tu cenſueris, ad eum gratulatorias literas dabo, hortaborque tandem edat hiſtoriam, videt enim in ſummo rerum humanarum faſtigio, eum, cui tantum opus merito dedicet. Vale. Mediolani Quarto Kalendas Decembris. M. D. XXIII.

EPISTOLA XXII.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

ACcepi tandem literas tuas, & id intellexi, quod potiſſimum ſcire avebam, an videlicet hujuſmodi ſacerdotia commendationis titulo concedi ſoleant:

ſoleant: ſupereſt ut certiorem me facias, cum eo modo conceduntur, an multum compoſitionis ſportulam augeant, longeque, vel id minus excedunt, quod alioqui ſolveretur, ſi juſto titulo tribuerentur. Tradidi nuper amanuenſi commentarios quoſdam noſtros in jure, ut eos, poſtquam exſcripti fuerint, ad te mittam typis tuis informandos. Poteris characteribus, quorum exemplum ad me miſiſti, uti pro contextu ipſo, ſunt enim ut ita dicam decumani, & qui ex omni Academia noſtra ſoli Lurano placeant, quem noſti non ſatis pollere viſu. Velim igitur aliud exemplum ad me des paulo minutiorum notarum, unde meas haſce gloſſulas in publicum edas. Operum quæ ad te miſſurus ſum, hæc eſt nomenclatura; *Commentaria in Tractatum ff. de verborum ſignificatione. Commentaria in titulum C. de ſumma Trinitate & fide Catholica. Commentaria in quamplures leges C. de Sacroſancta Eccleſia. Tractatus in l. Si prius ff. de op. nov. nunt. Oratio in principio ſtudii. De formula Romani Imperii libri duo.* Surgent, ut arbitror, hæc omnia in par volumen ejus, quod ſuperioribus annis a me editum fuit, quodque nuper a Cratandro in Germania quam emendatiſſimum rurſus exiit. Tu me certiorem facias, quo tempore poteris commode hiſce meis libris edendis operam dare. Vereor enim ne, ut in cæteris, ita & hac in re te callipedem præſtes, qui, omnia movens, nihil promoves. Vale. Mediolani II Idus Majas. M. D. XXIV. Jovio Scarlatinoque dices ex me plurimam ſalutem. Hæc ſcripſeram, cum alias a te literas accepi. In his illud in primis mirum mihi viſum eſt, quod ſcribis ſignificaſſe tibi Datarium, ſummopere difficillimum fore, ut impetrare poſſim juſto titulo mihi concedi, nedum commendari illud ſacerdotium: cum vulgo videas etiam infantibus id indulgeri, dum ærario Pontificio refundant, quod convenerit. Penes me tanti non eſſet Crœſi gaza, ut ſummam difficultatem in ea potiunda experiri velim. Peſtis multum increbeſcit, conferam me in ruſculum, & ibi omiſſis omnibus curis, ſolis ſtudiis me dedam. Vale. Decimo Kalendas Junias.

EPISTOLA XXIII.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

Subverebar ne priores literæ, quas ad te ſcripſeram, ex fide redditæ non eſſent, cœperamque jam cum curſorum præfecto altercari; cum ecce Turnonenſis Cardinalis ad me tuas miſit, diſcuſſitque jam bullientem indignationem, quod ideo ſcribo, ut ſcias quanti literas tuas faciam, quæ poſſint mihi & amicos conciliare & conjunctos dirimere, tametſi pleraque in eis deſiderem, quæ cum otium conſequutus eſſes, ſcripturum te polliceris. Interpello itaque te, ut ſtes promiſſis, abſolvasque tandem fidem tuam, & omnium me rerum, publicarum, privatarum, divinarum, humanarum certiorem facias, ut cum ad te rurſus ſcripſero, non Apoſtolicum Typogra-

phum, ſed Varronem meum ſalutem. Nec eſt quod ſperes poſſe excuſationem te ullam mihi obtrudere: nullam prorſus admittam, qui ſciam non chiragra te, ſed podagra laborare. Atqui non melius poteris moleſtum illud otium diſcutere, quam ad me longiſſimas ſcribendo. Admonitus ſum etiam Vincentii literis, quantum tu in Bononienſi negotio laboris aſſumpſeris, ſed mihi Calvi ſedulitas ignota non eſt. Ago itaque gratias, & hanc curam te abjicere jubeo, ne actam rem agamus. Fruatur tantiſper Seniculus ille noſter Decius cœlo illo, dum alio à Mercurio deducatur, nempe ad Charontis naviculam; eſt enim non ætate ſolum, ſed & variis morbis, ut noſti, adfectus, ut vix mihi ipſi credam, potuiſſe eum hominem morbo Gallico Iſchiadicoque præterea fractum tandiu ſupereſſe, & cornicibus jam corviſque, vel potius cicadis comparari. Mihi certe haudquaquam utile fuiſſet illo conduci: agebarque, cum ad Tudertinum ſcripſi, fatuo potius quodam Italiæ patriæque amore, quam veri ratione. Quod ut rectiſſime teneas, præfari me quædam oportet. Cum circumventus undique variis malis Italia excedere conſtituiſſem, Avenionemque me contuliſſem, Cardinaliſque ille Legatus plurima polliceretur, nihil præſtaret, oblatam à Biturigibus ſexcentorum ſolarium conditionem accepi, ſedemque ad eos tranſtuli: qui me tantâ humanitate honoreque exceperunt, quantum vix effari tibi poſſim: quoque majorem erga me benevolentiam oſtenderent, colonarii nomine francicos quadraginta ſupra conventionem obtulerunt: nec is finis liberalitatis, muneri Regentiæ ut vocant adſcripſerunt, quod ſupra centum aureos mihi annuos reddit. Convenceram ad biennium, id eſt ad Martium menſem proximum: at ut mihi in mentem veniret novare conventionem, in Galliaque permanendi conſilium caperem, cum ipſo Cardinali Turnonenſe eorum Archiepiſcopo egerunt, ut precibus ſuis regiam erga me munificentiam provocaret. Suſcepit ille lubens hanc provinciam, ut qui omnium Doctorum in Gallia tutelare quoddam ſit numen, quique me jam antea noverat, amabatque non vulgariter. Legerat enim Regi ipſi libellum *de ſingulari certamine* meum, & curaverat ut me inter ſuos Rex duceret. Facillime itaque impetravit mihi trecentorum ſolarium penſionem. Cum jam ei Rex præfatus eſſet meritis meis haudquaquam condignam ſummam illam eſſe, verum non ampliorem conſtituere, quia non petiiſſem, quicquid enim de ſe velim, propenſo animo facturum, quod exiſtimaret maximo me ornamento Galliæ ſuæ eſſe: ſi Magiſtri libellorum munus aveam, libentiſſime ſe illud conceſſurum. Vides, Calve, quantum mihi hic ſperandum ſit, quamque non temere hæc eſt a me dimittenda occaſio. Nec enim ego ſpem hanc flocci facio, utut irritam ducam, qui poſſim præſentem pecuniam? Rarum eſt, & neſcio an noſtra tempeſtate cuiquam contigerit, ut Jureconſulto vix trigeſſimum & ſeptimum annum attingenti tantum honorarii conferretur. Agebat ſexageſimum Jaſon, priuſquam huc pertingere potuerit: idque maximum in Gallia, in qua ſoleant Profeſſores etiam celeberrimi adventitio illo regentiæ

tiæ lucro contenti eſſe. Non leve ego & illud duco quod Antiſophiſtam nullum habeam, quod in manu mea ſit a civibus centum aureos impetrare ei, quem ego ad legendi munus promovere velim, dandos: quod ſumma in omnium admiratione ſim, qua cives, qua advenæ, ſummi, infimi, mediocrami in honore habeant; in tutiſſimo loco agam, vel potius profundiſſimo in pacis gremio. Vide quot commoditates illi uni patriæ opponam? Itaque non eſt quod aliud ad te, vel de Patavina, vel de Seneuſi conditione reſcribam: quamvis & ſuperioribus menſibus iter hac fecerit Legatus ad Regem Venetus, nomen ei eſt Sebaſtianus Juſtinianus, is in Gymnaſium meum cum Ludovico Cato Jureconſulto Ferrarienſique Oratore deſcendit, poſtque lectionem utrumque viſitatum veni, ut tantæ humanitatis gratias eis agerem. Poſtquam multa ambo mecum commentati ſunt, in eum ingreſſus eſt ſermonem Venetus, ut ſe ex Quartumviris reformandæ Patavinæ Academiæ unum diceret, in Italiam hac cauſa intra paucos menſes reverſurum; ſi mihi luberet in ea profiteri, curaturum ſe, ut quantum maximum quiſquam habeat honorarium, mihi aſſignaretur: ad hæc ſuadere, ne patriam terram, tot numeris præſtantiorem, Galliæ poſthaberem. Reſpondi non eſſe mihi integrum: ſive quod fides mea non niſi lapſo anno abſolveretur, ſive quia ſubvererer ne Chriſtianiſſimo Regi aliud mentis eſſet; & quamvis plurimum cuperem Reipublicæ illi obſequi, tamen me exploratiſſimum habere opera mea eos non indigere propter nuper arceſſitum Curtium: ſi tamen ipſe cum in Italiam reverſus eſſet, aliter judicaſſet, meque ejus rei certiorem feciſſet, reperturum rimam, ut abſoluta ſemper fide ad eos contenderem (non exculpſeram adhuc a rege trecentos illos.) Et hæc quod ad Venetos attinet, cum eo Oratore mecum acta ſunt. Ferrarienſem jam antea nomine & fama notum habebam. Scripſerat is adverſus libellum, quem de quinque pedum præſcriptione edideram, prolixos commentarios: certabatque in eo mecum accuratiſſimis rationibus, ut formidabilis inimicus, cæterum tam reverenter & modeſte, ut fratrem exiſtimare poſſes: & is omnem mihi operam ſuam libentiſſime exhibuit: egi gratias. Nec dubito, ſi uſus veniat, quin quod pollicitus eſt re ipſa ſit præſtiturus. Senenſem hunc tuum Lactantium Ptolemæum à doctiſſimis quibuſdam amicis meis accepi quanta doctrinarum encyclopædia præpolleat, quantaque ſit humanitate inſignis, quamque omnibus numeris abſolutus. Non obtuſa adeo geſtamus pectora Galli, ut non ejus fama etiam huc advolarit. Quo fit ut non parum hoc nomine tibi debeam, quod ei me commendaveris. Cæterum quod ultro obtulit ſe reipublicæ ſuæ ſcripturum, non eſt quod in præſentia ei moleſtus hac de re ſis: reſervandi ſunt tales amici ad neceſſitates repentinas. Cuperem tamen ex tuis certior fieri, quidnam de Claudio Ptolemæo actum ſit: vivatne, opusne ſuum perfecerit, quo videbatur neſcio quid paradoxis meis minitari. Meminiſti puto te conciliante ſcripſiſſe eum ad me octavo abhinc, opinor, anno, & capitis unius exemplum miſiſſe, quod ego perinde ac debui plurimum

commendavi: ab eo tempore nihil ultra accepi. Deſidero itaque certius a te aliquid hac de re explorari, & quid compertum habueris admoneri. Quod & de cæteris quibusque doctiſſimis ut facias etiam te atque etiam rogo: ſcriboque ad te has adeo prolixas, nec otio me abuti cenſeo, ut exemplo invitem ad facienda mecum paria. Edidi nuper ad Reſcripta Principum libros quinque, hoc eſt hujus anni lecturam, dedicavique Reverendiſſimo a Cæſiis, ſive ut Tudertino morem gererem, quocum arctiſſima jungor amicitia, ſive ut qualicunque huic labori, quem in provincia hac irrita Bononienſe ſuſcepit, aliquid gratiæ rependerem. Cognoſces ex epiſtola ad lectorem, quibus cauſis actus editionem feſtinarim. Perſuaſiſſimum id tibi habe, Calve optime, ſi huc decem Decii & viginti Curtii advenirent, fore ut omnes ab Alciato multis paraſangis prævorterentur: adeo Galli iſti bonarum literarum Latinitatisque amantes ſunt, ut quantumvis maximum doctorem faſtidiant, niſi & idem eloquentiæ ſtudiis præmineat. Vereor ſi in Italia eum morem ſervare vellem, ut per imperitorum querimonias mihi liceret. At hic omnes uno ore hanc methodum vulgatæ, qua jam aliquos menſes docueram, prætulerunt. Quæ cauſa eſt ut & libentius hic doceam & magis ex animo ſtudia hæc pertractem. Scribam ad Sebaſtianum Gryphium, qui Lugduni pleraque mea excudit, ut ad te de verborum ſignificatione Cardinali Turnonenſi dicatum, itemque ad reſcripta Principum libros quinque mittat. Rurſus de quinque pedum præſcriptione ſingularem, hinc & de magnatibus civilibusque & militaribus officiis alium, idque ut ſcribis proceſſionis cauſa. Scio enim in pompam circumferes commendabiſque. At quid tibi ego vice mutua pro præconio hoc numerabo? nempe rationem edendi antiquarii, quam non dubito e re tua futuram. Admirareris ſi ſcires quam religioſe me impreſſorum magiſtri plerique non ſine muneribus adeant, & ut Pariſienſes omittam, Frobenii, Cratander, Bebellius a Baſilea ſingulis nundinis munuſculum mittunt, ego cum illis vice mutua aliquid communico. Cratandro recognita auctaque paradoxa tradidi, quæ nunc ille ſub prælo habet. Bebellio epigrammatum Græcorum farraginem, quam ad te mittendam curabo: Frobeniis aliud, puta parergorum libros tres. Sed quia ſuſpecta mihi incipit eſſe propter hoſce hæreticos Baſilea, transferre me amorem ad Gryphium oportuit, ſive quod Germanus vir ſummæ fidei eſt, ſive quia inter excuſſores iſtos hic plurimum ſtudiorum tenet, & quod mea refert oculatus eſt. Quod ſcribis ut aliquas ad te in Plinium annotationes mittam, non detrectabo, hac lege, qua Vincentio ipſi, hoc eſt ſi petieris, quo potiſſimum in loco dubites. Alioquin qui ego divinare poſſum, ubi hæreas? tametſi & hæ literæ ſatis longæ nugarumque plenæ ſunt, nec annotationibus locum ullum relinquunt. Nec enim adhuc finis. Scribo hæc antelucano tempore, & quo plus mihi debeas, proprio chirographo, quod rariſſime ſoleo facere; ut qui duos a manu habeam Marcum Antonium Capuum e noſtratibus, & Bormæum Phryſium. Verum ſi quid emendatius dici potuit, noli quæſo irridere, ſed boni conſu-

le,

le, literaſque in ſinu habeto, nec cuiquam naſuto oſtende. Commendabis me Domino Joanni Angelo medico, quem mihi collegam, amicumque, non dubito quin & tu plurimum colas. Sane quod rogas, ut te admoneam, ſi quid novi hoc ſub cœlo edatur, breviter accipe. Ruellius Abſyrti Veterinariam a ſe Latine tranſlatam edidit. Joannes Andernacus quamplurima ex Galeno convertit: adeo ut Cratander quamprimum ſperet ſe omnia Galeni non ab eodem verſa ſtudioſis communicare. Eſt & in Trans-Rhenanis Symon Grynæus, qui Plutarchi vitas collatis Græcis exemplaribus emendavit, editque, & id prælis Bebellianis; quibus etiam omnia Ariſtotelis opera Græce excuduntur. Frobenii cum Chryſoſtomo colluctantur: & pleraque ab Eraſmo aliiſque habent hactenus non invulgata. Collinæus Pariſiis Characteres minutiſſimos excogitavit, ſed Paganinis mundiores, quibus omnem bibliothecam modicis forulis includit. Livium, Salluſtium, Cæſarem, Ciceronem, Virgilium, & hujuſmodi omnes præſtantiores excudit. Ediderunt ibidem alii Græco-Latinum Lexicon copioſiſſimum. Sed quod forte tua magis intereſt, habet Valterius Corbeta noſter orationem Ciceronis in L. Piſonem integram, quibuſdam foliis auctam, quam opinor eſt editurus, nec tibi denegaturus ſi petieris. Quamvis mihi ille retulerit factum te podagra tranſactique belli memoria adeo moroſum, & querulum, ut cum iſtic eſſet, nullo ſe beneficio demerueris. Reverſus autem ille nuper eſt in Italiam, cum Gallicum id cœlum ferre non poſſet, jamque ad necem fere ægrotaſſet. Alioqui parata illi erat optima a Rege conditio. Si enim neſcis, mirum eſt quam ſtudioſis omnibus liberalem ſe rex exhibeat. Agathius tuus Guidacerius Hebraica profitetur, ſtipendiique nomine ducenos aureos habet. Sunt & alii non pauci: adeo ut & pueri collegiorum quamplurimi trilingues uſque ad extemporalitatem ſint. Accepi & in aulam veniſſe Julium quendam Camillum a foro Julii doctum hominem, qui regi obtulerit breviſſimo tempore, puta menſe, facturum ſe ut rex tam eleganter Græce & Latine, proſa & verſo ſermone dicere poſſit, quam Demoſthenes & Cicero & Virgilius aut Homerus, dum horam diurnam illi Rex ſolus præſtare operam velit. Nolle enim ea arcana cuiquam inferiori a Rege pateſieri: & nec id quidem gratis, ſed reditum annuum duorum millium aureorum in ſacerdotiis pro mercede petere. Perſuaſit conſtantia vultus ipſi Regi: bis interfuit docenti, emunxitque ille ſexcentos aureos, & dimiſſus eſt. Vereor ne in fabulam res tranſeat. Attulit etiam munus Regi Laurentius Urſinus, Venerem æream, Lyſippi alii arbitrantur, ego Clochini, aut id genus recentioris ſuſpicor. In eam plerique carmina compoſuerunt, quorum aliqua ad te mitto, ut inde conjecturam facias florere & hic poëſim, nedum jura civilia. Scriberem & aliquid ulterius, ſed obſignare deinde commode non poſſem. Satisfeci opinor poſtulationi tuæ. Tu vale & me ama. Et ſi vis ut fidem tibi habeam, ne in monomachiam tibi deſcendere ſit opus, verba ad me ex Hiſtoria Jovii (ut vocant) formalia mittito, cum jurejurando a te non compoſita, ſed bona fide

de ab eo accepta eſſe: inducam tunc in animum ut credam. Biturigibus Tertio Nonas Septembres 1530.

EPISTOLA XXIV.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

HOdie qui duodecimus eſt Kalendarum Februariarum allatæ ſunt ad me literæ tuæ cum divinis illis Vidæ noſtri carminibus. Forte autem contigit, ut intra alteram horam receſſurus eſſet nuntius, qui Lugdunum recta contenderet: quare nolui quicquam differre, quin ſtatim ad te ſcriberem, plura alias daturus, cum majus mihi otium contigerit. Scribis te cum non paucis eruditis admirari, cur permiſerim carmina noſtra Teutonicis illis ineptiis immiſceri. Dicam tibi, quid in re ſit: quo tempore operam mihi Bonifacius Amorbacchius Avenione dabat, agitur opinor octavus annus, excerpſerat ex autographis meis illa omnia, quæ deinde ut Bebellii officinam adjuvaret, ei imprimenda communicavit, idque me inconſulto. Tuli id non ſatis æquo animo; quod pleraque in eis erant a me tum puero edita, quæ famæ nocere potuiſſent, niſi legali doctrina hoſce omnes nævos diſcuſſiſſem. Cogor itaque ferre æquius, poſtquam quod factum eſt fieri infectum non poteſt. Poteris tu una opera & huic malo mederi, & ſtudioſis plurimum utilitatis adferre, ſi hujus argumenti academicas tranſlationes collegeris, invulgaveriſque, adhibito tamen & in noſtris quoque delectu, quorum plurima ſunt ipſi mihi auctori diſplicentia. Quod ſcribis ſeptingentos mihi a Pontifice oblatos, ſi Bononiæ profiteri velim, cuperem diffuſius explicaſſes, qua lectione, quo tempore, quibus antiſophiſtis: nam Cæſii Joviique literas adhuc nullas accepi: exiſtimaſti tu forte ad me delatas, ideoque obiter ſolum admonuiſti. Si tuis illæ adnexæ fuerunt, neſcio cur interceptæ ſint. Plena hic ſunt omnia corycæis, ſubverentibus ne ad vos veniam. Non damno tamen quam iniviſti rationem, ut ad Cardinalem Turnonium mittantur literæ: is enim curat diligenter mihi reſtitui. Ego ab iſtis quod alias ad te ſcripſi, mille ſolares honorarii nomine percipio, & cum ſumma omnium gratia: & quod plurimi facio, abſque ullo prorſus rivali. Sed plurimum pectori inſidet Italia, & inter ejus urbes Bononia potiſſimum. Itaque cupio expreſſius omnia mihi narrari. Interim tamen in dies & horas haſce Cæſii itemque Jovii literas expectabo. Gaudeo exceptas magno plauſu lucubrationes meas, plurimumque hoc nomine tibi debeo. Sed non eſt mihi nunc primum cognita Calvi mei induſtria & egregia de me prædicatio. Ais duos illos Advocatos neſcio quid obganniiſſe, quos tu confeſtim confeceris. At valde admirareris, quam æquos mihi hos homines hiſce in regionibus experiar, quamque Latinæ Linguæ amatores; quod ex præfatione mea in libros ad reſcripta principum deprendas.

Non

Non eſt illa mihi credas θέσις Rhetorum, ſed ex fide omnia eo modo geſta ſunt, quo a me deſcribuntur. Neſcio ſi in Italia profiterer, an obtineri id poſſet, ut eo modo potius quam vulgari docerem; quotus enim quiſque eſt, cui meliora placeant? Quæ ad me de Antonio Gabriele ſcripſiſti pergrata fuerunt, renovaverunt enim ſuaviſſimam illius temporis memoriam, quo iiſdem in ædibus cum eo converſabar. Sperabam quidem, itemque vaticinabar ut ea indoles ſummam ad frugem perveniſſet. Quod cum ex literis tuis eſſe cognoverim, plurimum & mihi & illi gratulor. Dices itaque meo nomine illi ſalutem, dices & Vidæ, quem ſi noſtri temporis Maronem dixero, nihil ejus auribus novum afferam. Non dubito quin quotidie a doctiſſimis quibuſque etiam majoribus titulis ſalutetur. Curabo diligenter quod ſcribis, ut Rex ipſe admoneatur, ut quantum debeat poſſit agnoſcere. Erit mihi hac in re uſui cum Cardinalis ipſe Turnonius, qui præ cæteris ſtudiis poëtices adamator eſt maximus, Jacobus Collinus nuper deſignatus Sti Ambroſii hac in Urbe Abbas, qui ſemper Regi ipſi apparet, elegantiſſimus, & ipſe epigrammatum auctor. Non dubito quin aulam tu iſtam noſcas, utque ſoleant Galli erga abſentes incurioſi eſſe. Sed tamen extundemus aliquid. Interim ob xenium illud ſuum, quod apud me theſauri eſt loco, gratias ages, eaſque, ut Catullus inquit, de meliore nota. Scribam ad te iterum diffuſius cum potero: interim has habeto ad te exaratas, non tam calamo, quam, ut Columella ait, ſcopula. Vale. Biturigibus die SS. M. D. XXX.

EPISTOLA XXV.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

CUm proximo autumno in Italiam veniſſem, paucis, quibus in patria fui, diebus ad te literas dedi, quod non eo facio libentiſſime, ut meum erga te amorem ſignificem (id enim inter conjunctiſſimos ſuperfluum fere eſt) ſed ut tuas alliciam, quas theſauri inſtar habeo. Nam cum iſta in urbe habitas, quæ totius Chriſtiani orbis eſt parens, oportet te & quicquid ubique agitur noſſe, & quotidie cum ſummis viris, qui iſtuc confluunt, verſari, indeque ſemper domi plenos utres rerum novarum bonarumque habere, ut merito te ambiam, ſi quicquam velim a te mihi promi. Quare noli quæſo nimium condus eſſe, ſed larga manu quicquid eſt effunde: amico enim, & quidem non immemori dederis, & qui referre gratiam ſi poſſit, velit. Erat iſtic cum Tudertino Sequanus quidam ex Tollio auditor olim meus: qui ſolebat integros quaterniones oblinere, quos ad me mitteret: nunc accepi in patriam revertiſſe, quæ res mihi ſane incommoda accidit, niſi tu jacturam hanc reſarcias. De Minutiano enim nihil eſt quod ſperem, quem neſcio quid agat: & forte ad plures tranſivit. Cum Mediolani eſſem, viſitavit me frater

frater tuus, lætatuſque ſum non tam officio, quamvis & illo quoque, quam ipſius cauſa: erat enim bene curatus & peculiatus, ut ſperem veterem æruginem, dimiſſurum & tandem recordaturum ſe tuum fratrem, id eſt non niſi digna Calvo facturum. Noſti quantum Tudertino ipſi Cæſio debeam, qui tam amice, tam officioſe, quod in ſe fuit, conditionem mihi Bononiæ procuravit: eam ſpem ego prorſus abjeci: cum enim certiſſimum hic mihi conſtitutum eſſet honorarium, arbitratuque meo ab ipſo Rege auctum, nec iſtinc quicquam, exceptis unius epiſtolæ tuæ tribus verbulis, & auditoris illius Tollenſis inanibus ampullis, intellexiſſem, non exiſtimavi certa pro incertis dimittenda eſſe. Et quia neſciebam, qualis eſſet hac in re Tudertini ipſius voluntas, ad eum ſcripſi ſimpliciterque me excuſavi. In præſentia vero dubito, quam in partem literas meas acceperit. Si nihil nomine meo promiſit, non habet juſtam querelæ cauſam: ſi promiſit, non ſinam fruſtra eum promiſiſſe, obſervaboque ex præſcripto ejus omnia: dum tamen ſcribat quid velit: proſequor enim hominem cum amore, tum reverentia maxima. Cuperem itaque eum alloquereris, ac tanquam aliud agens animum ejus explorares, qualis erga me ſit, certioremque me faceres. Ut vera tibi dicam, ipſe libens quidem in Italia profiterer: ſed nollem gravem jacturam facere. Hic mihi honorarium eſt certiſſimum; ſolares mille: quod dimittere nollem temere. Non ab ipſo Tudertino, non a Sedecimviris, non a Gubernatore ullam habui ſchedulam: & deinde indignabitur quiſquam, ſi huc reverſus ſum! Mediolanum autem tantum cum ibi eſſem diſplicuit, ut quælibet hora annus mihi eſſet, dum inde me proriperem. Remanſi per menſem affectui materno indulgens, alioqui nec biduum ferre potuiſſem. Hic nihil novi habeo quod ſcribam, nec in Pariſiis quod ſciam, quicquam editum eſt, quod te ſcire expediat. Profiteor hic ſolita celebritate & decumanos libros conficio: ſed in Jure: ejus tamen conditionis, cujus ſpecimen dedi; auditoribus enim meis cætera omnia ſordeſcunt. Obſecro commendes me Epiſcopo Jovio, itemque Julio Scarlatino Regienſi. Cupio autem a te certior fieri, ecquid compertum de illius ſtudiis habeas. Cum veterem quandam ejus epiſtolam nuper revolutis ſcriniis in manus accepiſſem, legi eum aliquid in tractatum veterum de verborum ſignificatione compoſuiſſe: & forte rivalem me laturus non eſt. Veſtiga igitur & quidem ſagaciter, meque admone. Vale Biturigibus Nonis Jannuariis M. D. XXXII.

EPISTOLA XXVI.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Andreas Alciatus.

Romam,

AB eo tempore, quo ad me literas ante octavum Kalendarum Januarii dediſti, nullas poſtea tuas recepi: unde ſuſpicatus ſum vel te aliis occupatum

tam gravioribus negotiis fuiſſe, vel Neapolim, quod præmonueras, iviſſe. Ego certe vix tuis perlectis reſpondi, ut minime verear, ne mea abs te diligentia deſideretur. Scripſi ad Turnonium Cardinalem pleraque ad Vidæ noſtri laudem pertinentia, ut hominem excitarem. Neſcio quid profecerim. Ab eo certe nullam reſponſionem accepi. Ea eſt iſtius aulæ conditio, ut non niſi a præſentibus emungi quicquam poſſit. Conditionem Bononienſem quia non protinus accepi, Cæſius alio ſe tranſtulit, &, ut auguror, non abſque ſtomacho: quaſi juſte ea in re mihi deliberandum non eſſet, qui hic mille & centum rejicerem; ut alibi ſeptingentos haberem. Ut mittam innumeras commoditates, horæ, lectionis, Latinitatis, Antiſophiſtæ: quæ omnia in Bononienſibus contra erant: & tamen authoritas Cæſii, tua, ipſius Italiæ vicerat, ut acciperem, admoneremque iſtos ut alium perquirerent. Parum certe abfuit quin canem illum Æſopicum imitarer, & propter imaginariam, etiam veram carnem amitterem. Sed diis gratia, talis hic ſum opinionis, ut & hoc ab his tranſmitti poſſit. Quid mihi apud vos ſperandum, ubi etiam ab intimis deſeror? Mirum eſt quod Gryphius hactenus diſtulerit ad te lucubrationes noſtras mittere, & tamen reſcripſit mihi ſe miſiſſe. Proximis Vulcanalibus ego in Italiam reverſurus ſum Matris viſitandæ cauſa, componendarumque rerum mearum: inde ad te mittam, ſi celerius fieri non poterit. Salomonii noſtri, quem plurimum & amo & veneror, meminero cum honore non vulgari, primis, quas editurus ſum, lucubrationibus. Cuperem verbis meis ſalutem a te Domino Protonotario Medico dici, quem ego ſemper plurimi feci ob egregiam probitatem & doctrinam. Sed & Antonio Gabrieli veteri meo in ſtudiis Collegæ fac me commendes. Jam tum, cum una Bononiæ eſſemus, divinabam fore eum ſummæ authoritatis, quod ſumma facundia, ingeniique acumen, & naturalis quædam in eo prudentia mihi ſpondebant. Non ſat ſcio ſi Cl. Ptolemæus iſtic agat, an Senis. Si contigerit, ut eum videas, noli quæſo committere, quin accuratiſſimis verbis nomine meo ſalutes. Vale, & tu ſaltem ab Alciato tuo, qui adamantinis tibi vinculis adnexus eſt, ne deſciſcas. Biturigibus duodecimo Kalendas Majas.

Cuperem & a te certiorem me fieri, quid Vincentius Minutianus agat: præteriere ſeptem menſes, cum ab eo nullam habeam: vide hominis diligentiam.

EPISTOLA XXVII.

ANTONIO COMITI MAJORAGIO. S. D.

Andreas Alciatus.

Mediolanum,

NOn reſcripſi protinus literis tuis, quod cum ad me allatæ ſunt, eram occupatiſſimus, atque adeo in ipſo æſtu fervoreque ſtudiorum; nunc autem ſaturnalitiis iſtis diebus viſum eſt non committere, ut diligentiam meam de-

ſiderares, vel tarditatem accuſares; acceptis igitur iterum in manus facile deprendi haud quaquam poſſe me paria tecum facere. Quid quæſo tibi in mentem venit, tot me laudibus ornare, ne dicam onerare? qui nec centeſima quidem parte ſim dignus. An mutuo te eas mihi dare exiſtimabas, quas deinde cum fœnore de te prædicarem. Atqui ſcio id de occupationibus meis non ſperas, nec modeſtia tua ferret & ſi maxime velim. Quid ergo? voluiſti illos, qui in epiſtolis Politiani ſunt doctos viros imitari, quorum literis non niſi laudes, & meri honores ultro citroque continentur; ſed hoc ut declamatoribus concedendum eſt, qui in themate ficto libenter verſantur, ita inter amicos non ferendum, quos decet ſimplicius & craſſiore Minerva agere, ut quicquid in buccam veniat, in amici ſinum effundant. Ego certe, quidquid hoc eſt, in bonam partem accipio, & inſignis animi tui candori tribuo, ſed hac lege, ut in futurum, cum ſcripſeris, tot laudibus me ad cœlum ferre deſinas, nec aliter me compelles, quam aut germanum aliquem tuum, aut omnium horarum ſocium: hoc enim modo facilius perſuadebis a te me amari, quamquam id jam mihi perſuaſum ſit tam egregia prædicatione: πολλάκις, ἢ μὲν ἐρῶντι τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφονται. Agis gratias, quod iſtinc diſcedens tam libenter operam tibi meam ſpoponderim, ſi qua poſſim ſtudiis atque rationibus tuis conſulere, atqui re ipſa & libentius ſum facturus, quam verbo dixerim. Si quid hic ego haberem, quod te ſcire operæ pretium exiſtimarem, redderem te omnium certiorem. Sed nihil hic circumfertur præter nova Galeritorum nomina, quos dibapho cenſuit Pontifex honorandos; nobis, qui alterius hemiſphærii ſumus, haud multum hujuſmodi ſunt curæ. Studia hic maxime florent, ingenſque auditorum numerus huc confluxit, alii alia de cauſa. Puto, & aliquos ad nomen meum. Cæterum & tu me commonefacis, quid hic agant ſtudioſi, qui ſint egregiæ ſpei atque indolis juvenes. Dicæus iiſce in auſpiciis, quomodo ſe geſſerit, expectationi ne reſponderit, quid eruditi in eo deſiderent, quid rurſus admirentur? quos auctores profiteatur? quid Otho Lupanus agat, an pari in exſtimatione ſit. Scribes ad me omnia certiora: eſt enim uterque mihi amicus, alter enim in pueritia commilito. Hilarioni Corbetæ monacho dices nomine meo ſalutem, non enim dubito, quin eum plerunque viſites tam amœno viridario, vel latifundio potius. Vale. Bononiæ. IX. Kal. Januar. nono anno. M. D. XL.

EPISTOLA XXVIII.

ROMULO AMASÆO. S. D.

L. Bonamicus.

CUm e rure me Patavium recepiſſem, Doctiſſime Romule, M Scarabellus alteras mihi abs te literas reddidit, quibus me hortaris ut ſatisfacere his, qui mea cauſa Mutina huc veniſſent, magnopere velim: id ego, mi Romule, curare ita ſane vellem, ut nec iſtis mea opera & conſilium, neque tibi ſcribendi poſthac ad me occaſio deeſſe omnino videatur: nam cum nunquam in ſcribendo crebrior eſſe ſoleas, quam cum de amicorum voluntate mecum agis, quid

quid obſecro prohibet, quo minus eadem de re ſæpius moneri a te percupiam? cum literis tuis amœniſſimis gratius habere nihil poſſim, in his enim operæ noſtræ, ſi quam tibi impendimus, ſummum pretium poſitum eſſe exiſtimes velim. De Baſilio autem quod tam officioſe & humaniter ſcribis, a noſtrorum hominum, qui in Mathematicorum diſciplinis excellere putantur, judiciis vehementer abhorres. Sunt enim multi, qui hæc a ſanæ mentis homine, & digno quo cum diſſeras, edita eſſe negent, plures qui huic fabulæ neque authorem eſſe unum aliquem, neque actorem putent, ſed complures novam hanc & perridiculam Aſtronomiæ tractationem, in neſcio quem terræ filium contuliſſe, in cujus nominis obſcuritate deliteſcerent, ſolere enim otium Neapolitanum illiuſmodi ſtudiis negocium ſæpe quærere. Quæ quidem ſuſpicio, quia dictionis totius inæqualem curſum in ea diſputatione & impeditum deprehenderam, eo facilius animo meo inſediſſet, niſi Lucanus, qui tum forte aderat, hunc nobis ſcrupulum exemiſſet. Is enim narrabat ſuperiori anno Neapoli Auguſto Nipho ſe operam dediſſe, audiſſe tum de quodam Baſilio extremæ temeritatis homine, qui contra Academiæ illius judicium, & contra omnium antiquorum authoritatem de cœleſtium orbium ratione diſputaret: cumque de eo inveſtigarem diligentius, reſpondit, neque doctrinam ejus, neque mores ulli bono probari, illam certe prima ſpecie admirationem nonnullis, re explicata riſum moviſſe, mores autem impietate ſumma & ſceleribus eſſe inquinatos. Nam cum religionis cauſa, inquit ille, in ſolitudinem urbanam Neapoli ſe contuliſſet, & devotione publica ſecundum leges reliquam ſe vitam & caſte integre acturum declaraſſet, non modo debitum Superis turpiter mox abjuravit, ſed etiam incredibili proprie vitiorum libidine, adepta per ſcelus nefaria libertate exarſit: itaque in eum locum res ſuas brevi deduxit, ut aperte jam omnibus, neque religionis communem cultum, neque vitæ tueri ſe velle ſignificaret. Nam iis, qui egeſtatem ſuam, poſtquam honeſtiſſimum vivendi genus inhoneſte ſane deſeruiſſet, liberaliter ſublevaverant, non ſolum grati animi ſignum ullum dedit, ſed & fortunas quorundam pro virili afflixit, & omnium eorum, quibuſcum habitaſſet, diſciplinam domiſticam libidinum ſuarum licentia contaminavit. Ἐπιεικὲς γὰρ, ἦδ' ὅς, τὴν ἰδέαν μειρακίῳ συνοικοῦντι αὐτῷ, φασὶ καὶ αἰσχρῶς χαρίζεσθαι. De doctrina porro ejus nihil referri ſe aliud poſſe, dicebat Lucanus, niſi quod de ſe ipſe invidioſa atrocitate prædicet. Quid quæris? Hunc ait omnes diſciplinas bene conſtitutas velle perturbare, clamare Ariſtotelem nihil vidiſſe, Ptolæmeum multa eſſe mentitum, recentiores omnes antiquo errore inflatos eſſe, deque rebus ſibi incognitis judicare, neminem, præter ſe, pulverem perite tractare & radium, ſuum eſſe de cœlo arbitrium, cujus ratio omnis interitura poſt ſe nulli ſit cognita: adverſarios vero ſuos per jocum hanc eſſe cauſam dicere ſolere, cur æternitatem a cœlo ſejungat, quod cum nullam vitæ partem ſupereſſe corpori conſtantiſſime credat, proximum eſſe debere putet, nullam poſt hujus lucis amiſſionem animis ſedem relinquere. Hæc ille aliaque multa doctrinæ iſtius portenta & morum narrabat, quæ om-

nia quominus ad te perſcribam, pudore impedior: ſunt enim quædam non ſolum turpia, ſed & nefanda, ſi autori adhibendam eſſe fidem cenſueris: quæ ſi ficta non ſunt, tibi exiſtimare facilius eſt, quam mihi ſcribere, quam temere & injurioſe ſit de optimis viris, amicis noſtris, ſuſpicatus, inimicorum videlicet conſiliis, quos habet, ut arbitror, innumeros, literas ſuas una cum egregiis ſcriptis M. Curtio ab iſtis redditas non eſſe. Malicioſus, Mehercule, homo, qui quod perpetuo ſilentio damnatum ſit, lectum non eſſe contendat, quaſi vero quicquid a ſe olim intra cucullatum pallium cogitatum ſit, & mox, abjecto contra leges inſigni ejus ordinis habitu, in lucem extruſum, non poſſit non probari univerſis: quod autem tantæ opinionum perverſitati reſponſum a nullo ſit, veritos exiſtimo ſapientiſſimos viros, ut ambitioſo homini furoris inſtrumentum ſuppeditarent, ſuæque ipſi dignitati parum conſulerent. De his te certiorem reddere volueri, Romule, ne nolis judicium tuum conjungere cum his, qui melius hunc Βασίλισκον norunt. Cujus non modo animus & lingua teterrimis erroribus, ſed etiam frons, oculi, mentum, denique totum corpus, ut audio puris vitio diffluat fœdiſſime, quod nonnulli quidem interpretantur Deos infenſos, quorum ſacris iſte legibus nefario furore inſtinctus bellum indixerat, dignum ejuſmodi vita atque factis ſupplicium ei conſtituiſſe; ſed hæc iſti. Tu velim Xenophontem meum quamprimum ad me remittas. Ariſtide autem & Polemone quandiu voles, uti ut tuis. Cura ut omnia ſciam, quæ apud vos aguntur, ſed maxime de Rodolpho ſuaviſſimo adoleſcente. Vale. Patavii VI. Non. Martias Anno M. D. XXXIII.

EPISTOLA XXIX.

DOMINICO MOLINO. S. D.

Balthaſſar Bonifacius.

CUm multa ingenioſe ac ſubtiliter, cum illud imprimis dixiſſe videtur Latinæ tragediæ princeps, *ita eſſe natura comparatum, ut curæ leviores loquantur, ingentes obſtupeant*. Nobis enim, qui jam ferendo non ſumus immani calamitatum pondere oppreſſis, vaſtoque malorum pelago obrutis, tantus ſive ſtupor, ſive torpor obrepſit, ut non modo loqui diſerte, ſed ne reſpirare quidem libere poſſimus. Cum igitur ſeras, atque intempeſtivas de confertis chariſſimorum noſtrorum funeribus a me querimonias accipies, abs te Domine, mecum aliquam clementius actum iri non dubito, quam a Tiberio cum Ilienſibus: quibus de exceſſu Auguſti ſerio apud ſe dolentibus, facete reſpondit, *ſe quoque ægre ferre, quod Priamus, egregius eorum civis, obiiſſet.* Et quidem certe nihil opportunum temporis importunitas nobis reliquit, nam quicquid erat jucundum fortunæ improbitas abſtulit, cum Felicem Oſium, Petrum Ayroldum Marcellinum, Giſmundum Boldonium, Octavium Rubeum, Bernardum Buiſchium, Alexandrum Becellum, Annibalem Campegium, Cæſarem Cremoninum, Henricum Davilam, Laurentium Pignorium, Martinum

San-

Sandellium, Joannem Thuilium, aliaque longe plura orbis noſtri lumina extinxit. Quippe in tantis ærumnis nihil patimur gravius, nihil audimus indignius, nihil ſpectamus lugubrius, nihil denique ſentimus acerbius illuſtrium, ſapientiumque virorum amiſſione. Neque ullam orbitas noſtra conſolationem capit, quod duæ jam e tribus Furiis in ſuas ſeſe inferorum latebras abdidiſſe videantur, niſi ſedata fame, profligatoque bello, peſtis etiam in ſalubritatem evadat. Quod exacto luctuoſe hoc triennio ſaltem futurum, vix aut ne vix quidem, ſperamus. Quid enim prodeſt pacem viros Principes inter ſe componere, ſi nos homunculi, gigantum illorum æmuli, bellum cum Diis immortalibus adhuc gerimus? Deſperata profecte eſt eorum ſanitas, qui Deum neque ut patrem verentur, neque ut judicem metuunt, & clementiam juxta, ac ſeveritatem, ſeu ludibrio, ſeu protervia, deſpectantes, caſtigatione divina tam perverſe abutuntur, ut vel pœnas, pro malorum irritamentis atque illecebris habeant, eoque ipſo peccare accelerent, quod anguſtum ſibi peccandi ſpatium videant eſſe relictum. Vincat impietatem noſtram ſumma illa, & invicta pietas, teque purum Numinis cultorem ſuis aris, templiſque incolumen præſtet. Vale. Rhodigio. Quinto Idus Sextil. 1631.

EPISTOLA XXX.

DESIDERIO ERASMO. S. D.

Ludovicus Cælius.

Baſileam,

FRanciſcus Calvus tui meique ſtudioſus, cum proxime iſtinc e Germania tua profectus nos inviſeret, qui eſt literatis fere omnibus mos, ſum accurate ſcitatus ex eo, quid novi poſt longam peregrinationem afferret, quo ſtudia fierent adminiculatiora. Haud ſane multa inquit, verum mox paulo aderunt plura. Quid, inquam, Eraſmus agit noſter, ecquid parturit adhuc? quando eſt velut præfœcundus ager, ac Byzantius plane, centeſima nobilis fruge. Succreſcit ſemper, quod mox demetas. Surriſit is, ac quid ſi, inquit, noris, quid de te opinetur non amice? quæſo unum hoc, aut quo tandem nomine eſt a me alienior? Te, ait, in antiquarum lectionum commentariis ab ejus ſententia diverſum abiiſſe, atque id tanquam docere cuperes. Sum miratus, ſicque ut nihil magis, quin præter opinionem non magnopere gravius aliud poterat ſe mihi ingerere. Nam ſimplicitatis meæ conſcius, & candoris minime fucati, nulla me in ſcribendo uſum figura, ſciebam recte, qua quis olfactans vel cane ſolertius, odorari poſſet, ex me profectum, quo exiſtimationem ſuam plane convulſam conjectaret. Quod eſt vel in ſimplariis, ac frugis non multæ ſervatum temperamentum, nedum in te, qui es mihi, abſit captatæ gratiæ ſuſpicio, inter primæ notæ viros. Quod ſi in diverſam ire ſententiam videor, numquid intentandam protinus litem putas, velut rubiginis aliquid affricuerim, aut colaphum impingere ſim niſus? indigna eſt homine docto

iſtiuſmodi opinatio, quippe licuit ſemper, licebitque inventis addere, pro ingeniorum captu nova excogitare, fiat modo citra venenum, & figurati præconis morſum, nec de curru videamur ineptire. Quin ſi attendere amplius fuerit collibitum, inſigniter laudatum te, etiamſi non nominatim, perſpicue tamen, comperies. Ingenuitate hac a maximo quoque cum prioribus certatum. Et tu in monumentis tuis pugnæ ejusmodi non es neſcius. Quare ne fueris iniquior in me judex, quum ſine provocatione non diſceptatur. Sed accedit aliud, legi nuper ex admonitione Franciſci Sacceti Ticinenſis, viri bene docti, & Senatorii, in noviſſima proverbiorum editione querelas tuas, quod in libris meis nuſquam te nominatim advocarim, cujus tamen monumentis me adjutum probabile fiat. Ego, Vir doctiſſime, ſub id tempus, quo mea publicum ſunt indepta, de officina tua promptum, præter proverbia, nil legeram omnino. Ubi vero prodierunt hæc, tantum non exenterari mihi ſum viſus. Erant ſub incude noſtra itidem parœmiarum libri, & Patavii, ſat ſcio, id renunciatum tibi. Facto igitur tuo, qui occupaſti, ad reſtim mihi rediit res. Evigilatæ mihi tot noctes periere, hauſtæ lucernarum fuligines, ſudoribus toties rigatæ veſtes in nihilum recidere. Quid mihi tum animi fuiſſe putas? Nova fuit redordienda tela, novum ineundum certamen, ni alliſa patientia, in tenebras me intruſiſſe mallem vel Cimmeriis atriores. Hinc ergo ſunt antiquarum lectionum libri. Qui quum excocti amplius, & opulentiores quoque, accedent quippe rerum ſcitu dignarum plus minus quinque millia, mox ſunt prodituri, quo te obſequio demerear pleniore, nominatim tibi, epiſtola teſte, librum unum nuncupabimus, atteſtati præcipue, quantum laboribus tuis vitæ contuleris. Quod me, retextis aliorum ſertis, novas contexere corollas ſcribis, tibi ceteriſque mox ſatisfaciemus. Interim vale. Mediolano x. Kal. Majas M. D. XIX.

EPISTOLA XXXI.

FRANCISCO CICEREIO. S. D.

Andreas Camutius.

Mediolanum,

Tibi gratulor, & mihi gaudeo, Franciſce ſuaviſſime, quod tandem conſpexeris cominus Majoragium noſtrum ad ſublime faſtigium honoris provectum eſſe, qui non fortunæ ludentis temeritate (ut major hominum turba ſolet) ſed virtute propria micante emerſit. Utinam ſimilibus ſæpe videremus ſceptra conferri, eccleſiæque titulos inſignes. Sic injiceretur ori Hereſiarcharum oſſa veluti cerberibus latrantibus, ſic *obſtrueretur* (ut Pſalmographi verbis utar) *os loquentium iniqua.* Itaque nuntiabis, obſecro, Majoragio noſtro, te nuperrime Camutium ovantem vidiſſe, perinde ac ſi eſſet ipſe Majoragius. Siquidem verus amicus amici (ut ſic dixerim) membrum eſt: ita fit ut ſimul uterque patiatur in adverſis & in proſperis exultet. Quamobrem non

jam

jam ſolus Majoragius triumphat, ſed omnia ejus membra ſimul. Cæterum vide quid ſcribam ad Eugenium, qui poſthac non amplius in ædibus Majoragii (ut audio) ſed in tuis commorabitur. Tuum erit admonere, quod facere oporteat, ac jubere, ſi quid opera poſſum efficere, quod gratum eſt. Vale. Lucani, Quinto Kal. Auguſti 1550.

EPISTOLA XXXII.

FRANCISCO CICEREIO. S. D.

Andreas Camutius.

Mediolanum,

POſtquam a Majoragio noſtro diſceſſi, Franciſco Abbundio Caſtellioneo ſtatim ſignificavi quæſtionem cum eo tractatam de græcis literis perdiſcendis; viro ſane & optimo & utriuſque linguæ perito. Atqui cum Majoragii ſententiam vel mordicus tenerem (obſtabat enim ille) perſuaſit mihi tandem Caſtellioneus validiſſimis rationibus, expedire puerum in ſola latina lingua unoque Cicerone (ſi fieri poſſit) verſari. Namque ut donemus, non eſſe admodum difficile pueris in utraque lingua ſimul erudiri, græcaſve literas plurimum ornamenti adferre (quis enim iſtuc neget) nunquam tamen Majoragius evincet, latinas ſolas celerius commodiuſve inſeri (ut ſic dixerim) puerorum animis: præſertim cum filius meus ei daturus ſit operam facultati, quæ minime græcis egeat literis. Quamobrem eum rogatum velim, ut poſthabitis græcorum præceptionibus ſoli Ciceroni, Terentioque ejus familiari, puerum cogat totis nervis incumbere. Deus optimus maximus ſtudiis veſtris jugiter faveat. Caſtellioneus erogabit pecunias pro contubernio, dabitque operam, ne deſint ei neceſſaria. Lucani. Quinto. Kal. Novemb. M. D. XLIV.

EPISTOLA XXXIII.

FRANCISCO CICEREIO. S. D.

Hieronymus Cardanus.

CUm nihil unquam antiquius amicitia eſſe duxerim, Franciſce Cicerei, tum eam, quæ cum eruditis viris habebatur, unice colui atque ſervavi. Neque dies mihi tam candidus affulſit, quam is, in quo, ſi quando contigit, amico operam dedi; nec quicquam amicitiæ unquam præponam, præter fidem meam atque jusjurandum. Et quamvis charitas filiorum apud pleroſque amicitiæ anteponenda videatur; mihi tamen cura filiorum eo loco habetur, ut amicitiæ jura non violem. Redieram in hanc urbem quaſi peregrinus, ædificatio arcam exhauſerat, ſtipendium interverterat bellum, familia magna, unde ſumtus exhauriretur, erat, unde hauriretur non aderat. Filius, tum illi addictus ſocius, inſtruendi erant literis, ut vocant, humanioribus; perquirendus erat, qui hoc poſſet & vellet; unde niſi ex fonte aut rivulis? petendus erat M. An-

Antonius Majoragius ille celebris, occaſio non admittebat, nam dudum huic oneri valedixerat. Requiſitus Franciſcus Cicereius doctiſſimus, atque in domo Majoragii, ſi non educatus, ſaltem factus ſe ipſo politior, atque id non ſine injuria, fateor, quadam Antonii Majoragii patruelis ejus, quem nos ambo ob veritatem ſuſpicimus; namque cum illo arctius erat amicitiæ vinculum & diuturnior conſuetudo, illum tamen Cicerei cauſa prætermittimus, tum quod longius abeſſet domus, tum quod videbaris hoc munus ob amicitiam noſtram quaſi affectare, non ſolum oblatum libenter excipere. Ego, qui neminem ſoleo decipere, cum inopiæ meæ belle conſcius eſſem, paciſcor tecum, imo magis offero, quod ſolum commode poſſe dare ſperabam, aurei quadrantem ſingulis menſibus, in ſingula capita. Tu videris perlibenter conditionem recipere, aſſentiris, quin imo videbaris amicitiæ cauſa neque de pecunia curare, quo in tempore mihi ſimillimus eſſe viſus es, ut qui nunquam ab erudito viro pecunias, neque exegerim, neque receperim. Recepi ſane ab aliquibus, qui literis operam darent, ſed eo tempore, quo nondum clari ea in facultate, imo ne propemodum noti haberentur. Quod teſtari poſſunt multi, atque inter eos Coa, Caymuſque, ac Alciatus juriſconſultus, tum tuus Majoragius, imo noſter. Cum vix menſibus duabus ludum frequentarent pueri, nuntium repentinum mittis, te alterum, ſcilicet Fabritium filii mei ſocium, nolle, niſi dimidio aurei docere, de filio conditioni propoſitæ, ſi eam mutare nolim, acquieſcere. Vir in hoc nimis prudens ac ſagax, ut qui ſcires, quam pulchre conveniret, ut filium ad te mitterem, eum, qui ei cuſtodiæ cauſa adhibetur, alio; aut ſi ambos mittere oportebat, quam deceret pro alieno ſemiſſem, pro filio quadrantem perſolvere; itaque hac tua verecundia id ſolum effeceras, ut te minus puderet rejecti filii mei, non quin ego vel pro ſemiſſe aſſem perſolverem, vel in abſurdam conditionem exemploque indignam incurrerem. Quamobrem intellecta petitione tua conſternatus, ne quid ſceleris aut flagitii Fabritius commiſiſſet, cœpi dubitare, interrogatoque illo, tum ſeorſum filio diligenter, nihil potui intelligere, cur illum rejiceres: rebar enim cauſam eſſe non veram, ſed prætenſam, ut illius ſcelus eſſet impunitum, infamia tamen non deturparet ludum, nec illius contagium ad te perveniret. Sic enim dixerat ſapientiſſimus mortalium. *Cauſam quærit, qui vult diſcedere ab amico*, ſed o mortalium mentes! ac ſpem meam fallacem! nihil horum invenio, neque ratio ſuadebat quicquam ſubeſſe, cum non minus flagitium fuiſſet ſceleri obmuteſcere, & manus dare ſemiſſe, quam quadrante, ſed ut opinor gravatus copia diſcipulorum, ſeu in ſpem majorem allectus, amico valedixeras. Quamobrem ad te mitto ſemel atque bis, amicitiæ jura, fidemque tuam expoſtulans pro filiolo ſocioque, quorum cauſa conjuncta erat, ut nolis me deſerere in tanta inopia rerum mearum, in tot diſcriminibus, in tanta neceſſitate, tu omnino ſurdus precibus meis filiolique mei perſtas in ſententia; non tamen ego his contentus aut commotus, ut qui ne ſemel in vita amicitiæ jura violaverim, ad te venio, tu præpeditus, ut dicis; & malo amico credere, quam de illo male ſentire; non ve-

venis. Fortuna id factum ſit? utcunque cedo; ſed non fortuna factum eſt, ut precibus meis filiique mei inter tot neceſſitates aures præbere nolueris; itaque cum ego te immobilem eſſe cernerem, tentavi alterum rivulum, & cum quo, familiæ Majoragiorum jure, amicitia deberes eſſe conjunctus, invenique, ut eſt humaniſſimus eum promptum ad officium, atque is recepit, qui videri læſus poterat, rejecit is vero, cujus amicitiam tam anxie quæſivimus, tam ſancte coluimus. Itaque miſſis ad te pecuniis non pro ſumma, quam nuper poſtulabas, ſed tamen pluribus quam eſſem pollicitus, utrumque ad illum traduxi. Itaque ne mihi de eruditione mea, tum maxime præſenti, quicquam prædica, in qua, ſiqua modo eſſet, nihil eſt meum, ſed Dei donum, ſed de probitate, de qua gloriari ſoleo, gratulare. Et quamquam facundia longe præſtes, illud tecum reputa, cauſam meam adeo juſtam, adeo æquam eſſe, ut unus ego ſim Demeas adverſus Demoſthenem, qui quamquam eloquentia eſſet longe ſuperior, cauſa tamen tanto ſim meliore, ut vel fratrum tuum, ſi quem habeas, imo te ipſum judicem, quandoquidem & de tua integritate confidam, non recuſem. Cæterum cum te eruditiſſimnm eſſe agnoſcam, fieri non poteſt, ut unquam tecum amicitiæ jura violem, ſed ſcito de te honorificentiſſimum, ut tua fert ſingularis doctrina, ſermonem habiturum. Nec quicquam ex me profecturum quod magis, quam, cum pueros meos doceres, ab amicitia ſit alienum. Vale XVIII. Kalendas Februarii.

EPISTOLA XXXIV.

Al Signor Marcantonio Majoraggio.

In Milano,

SCrivendo hora hora a Roma à Monſignor Marcantonio Flaminio, mi pareva ſentir un contento nell' animo grandiſſimo, conſiderando haver duo Marcantonii per amici huomini di tanto valore, quanto conoſce, e ſempre conoſcerà tutto il mondo; e fù tanta la dolcezza, ch' io mi riſolſi, dolce il mio Signor di ſcrivervi la preſente, per ſalutarvi, e dirvi, che alli paſſati anco, vi ſcriſſi, moſſo dall' infinito amor, che io vi porto; e vi confortare à laſciar la riſſa comminciata; e credo veramente, che Iddio mi faceſſe parlare, perche tutti queſti dotti vengono nella mia opinione, che non ſia coſa di molta laude, e di grande impedimento all' alti voſtri penſieri. Il Signor Cavaliero Bocchio veramente, al quale feci io leggere i voſtri antiparadoſſi, e che perciò v' ammira, ſi duole infinitamente di queſta voſtra controverſia. Vi dirò il vero, credo, che le Muſe ne ſentino gran cordoglio: Hor penſate, che facciano gli huomini. Non è però alcuno, che più ſe ne attriſti, del voſtro Corrado; il quale per eſſer vero, e devoto ſervitor di tutti i letterati, piagne ogni volta, che ſente eſſer nata guerra tra quali ſiano che facciano, profeſſione di lettere. Come penſate duncque, che' io mi doglia hora, che io la veggo nata tra duoi delli più rari, che habbia l'età noſtra, e tanto miei amici, Signori. Io vi giuro per

l'amor, che io vi porto, di cui non può eſſer maggiore, che ſe fuſſero le vacationi, che io verrei a Milano, per impetrar queſta gratia da voi, che mi donaſte a me queſta ingiuria, ſe pure è ingiuria, che io non la voglio cercar, mà voglio cercar la pace. E coſi per queſta vi prego, e vi ſcongiuro a condonarmi a me queſta differentia, qual voglio ſe poſſibil ſia, che la mandiamo in oblivione: Siche, Signor mio cordialiſſimo, datemi queſto contento, che per una voſtra intenda, che il tutto rimettiate al voſtro Corrado: Et il ſimil farò con M. Mario, e ſon certo, che impetratarò tutto quel che da lui vorrò; perche egli conoſcerà, che io movo per l'honor voſtro, e di tutti i letterati, i quali io adoro, e tra gli altri voi duo, dalli quali, ſe io non impetraſſi queſta gratia, mi diſperarei, mà non dubito, e con queſta fede fò fine a queſta mia ſcritta. Di cuore naturalmente a voi mi raccomando, & offero. Il di XXVII *di Febraro* 1548. *in Bologna.*

Voſtro Servidore.

SEB. CORRADO.

EPISTOLA XXXV.

Al Signor Marcantonio Majoraggio.

In Milano.

V'hò ſcritto due altre mie ſopra la lite, che havete con Monſignor Mario Nizolio, & in una con quella ſicurtà, che di me mi dò, v'ho ricercato, che a me donaſte queſta differentia, che il ſimil farà Monſignor Mario, e di ciò gli ſcrivo, e non dubito, che non mi faccia queſta gratia, è la medeſima fede hò in voi; e perciò vi ſcrivo ſenza ceremonie alla Carlona, come ſi dice. Iſpetto una riſpoſta degna di quel bell' animo del mio Majoraggio, e quanto più toſto, innanzi, che ſi proceda più oltre; perche ſe voi riſpondeſte, egli poi anche vorebbe riſpondere, e la coſa potrebbe andar di malo in peggio. Se io vi poteſſi parlare all' orecchio, Signor mio, vi direi più coſe, mà non voglio commetere a carta tai coſe, baſtivi, che io mi movo dall' amor, che io vi porto a chiedervi queſta gratia, qual non mi dovete negare, ſe voi penſate, che io vi ſia vero amico, come vi ſon, e forſe il più vero, che haveſte giammai. E facendone iſperienza il conoſcerete. Tra tanto fate queſta gratia a me, che ve la domando in mio nome, e in nome di tutti i litterati, i quali vogliono, & iſpettono da voi altro, che apologie, e ſe biſognerà defender l'honor voſtro, vi ſaranno, che piglieranno l'armi in mani, non che lo ſtile, mà non è biſogno, che egli da ſe ſe difendera. Innanzi paſqua iſpetto queſta riſpoſta da voi, a cui mi raccomando. Il di 3 *Marzo.* 1548. *da Bologna.*

Servidore Voſtro.

SEB. CORRADO.

EPISTO-

EPISTOLA XXXVI.
Al Signor Marcantonio Majoraggio.

In Milano,

ANcorche per altre tre mie v'habbia ſcritto à baſtanza ſopra la lite, che haveſte con M. Mario Nizolio: Nondimeno havendo meſſo, e dubitando, che le mie non ſiano andate in ſiniſtro, perche non hò riſpoſta, la quale però iſpetto, m'è parſo replicarvi brevimente: che vi prego, che a me vogliate donar queſta differenza, che donandomela, e ceſſando da queſte guerre, & attendendo all' impreſe cominciate, vi torrò a mantenere, che ogni giorno ne ſarete più contento. Io sò quel, che io vi dico, e vel' dico di cuore moſſo dall' amore incredibile, che io vi porto, come nelle altre mie più diffuſamente v'hò ſcritto, e v'hò ſcritto alla buoniſſima, come ſi dice, perche voglio conoſciate, che io non voglio impetrar da voi coſa alcuna per artifitio, mà con quella ſimplicità, che io v' amo. Iſpetto voſtra riſpoſta quanto più toſto, che già l'hò havuta da M. Mario, e sò non vorrete cederli in queſto di gentilezza, come non voleſte ceder nello ſcrivere de dottrina. Hor ſù non più parole, fate che ſia vero quel, che da voi in publico, & in privato hò detto, che voi non ſete men gentile, che dotto; a voi mi raccomando. Il di 13 di Marzo. 1548. da Bologna.

Voſtre Servidore.

SEB. CORRADO.

EPISTOLA XXXVII.
M. ANTONIO MAJORAGIO. S.D.
Gothardus Coſta.

Medielanum,

SUperioribus diebus ex agro Trebelliano, ubi nunc artem medicam feliciter exerceo, Brixiam me contuli, ut Magium præceptorem noſtrum inviſerem: apud quem cum biduum fuerim, varioſque ſermones variis de rebus invicem, ut fit, jucunde conſeruiſſemus, in eum demum incidimus, vel intulimus potius, ut de Majorato noſtro, Viro perexcellenti, doctrina ornatiſſimo & humaniſſimo, verba faceremus, de cujus commoditatibus ornamentiſque cum multa ſumma cum animi mei voluptate cognovi, tum illud inprimis, non dici poteſt, quantopere mihi arriſerit, quod ab eodem Magio audivi, nempe te commutati cognomenti cauſam dixiſſe in Senatu Mediolanenſi, hoc eſt in theatro virorum ab omni parte abſolutiſſimorum; id quod ita per mihi gratum accidit, ut vehementer ſim illico honori tuo atque etiam gloriæ gratulatus. Quam animi mei voluptatem primo quoque tempore tibi literis meis ſignificaſſem, ſi aut per otium, aut per nuntium licuiſſet. Itaque

nunc poteſtatem utriuſque nactus, non putavi committendum, ut tu hunc animum meum ignorares. Qui qualis erga te tuique ſimiles, id eſt, bene doctos viros & humanos, ſit, tu plane cum experiri volueris, facile intelliges. Quamobrem quod antea facere non potui, nunc eo libentius facio, ut iſtum talem tantumque honorem ac gloriam tibi gratuler, quo præclarius intelligo, ſive ſingularem eruditionem probes, ſive morum elegantiam ſpectes, neminem eſſe, quem tibi in amore præferendum exiſtimem. Ac ut nunquam æquo animo ferendum duxi, ſi viro probo, atque mecum ſumma neceſſitudine conjuncto negotium alicunde exhiberetur, ita cum interdum ex falſis invidioſiſque adverſariorum criminibus majorem amplioremque laudem comparari videam, minime dolendum, ſæpe etiam optandum, ut nomini noſtro hujuſcemodi occaſiones tanquam illius ſeges præbeantur: eſt enim ita comparatum, ut cum quis cauſam dicat, eaque dicenda & tractanda innocentiam ſuam declaret, aut invidiam propulſet, nullum ea re probitatis teſtimonium fieri poſſit vel locupletius, vel ſanctius; ut quidem præſtet, quod ad nominis ſplendorem attinet, in judicium vocari, quam illuſum perpetuo præteriri. Sic Catoni illi viro graviſſimo profuit magis toties cauſam dixiſſe, & abſolutum fuiſſe, quam ſi a nullo unquam fuiſſet provocatus. Quamobrem tu eos minus odiſſe debes, qui in re levi magnam gravemque invidiam tibi conflare cenſuerunt, non ſolum quod honorem tuum auxerunt; ſed quod etiam tibi data eſt cauſa, unde tuam eloquentiam explicares. Eam enim orationem, quam pro re tua habuiſti, ita ſummis laudibus Magius in cœlum extulit, ut ex ejus ſermone orta mihi ſumma illius perlegendæ cupiditate, minime ſim a petitione quieturus, donec eam mihi miſeris. Quod te facturum confido, cum ſumma humanitate tua, qua me tuum effeciſti: tum benevolentia in me tua, quam Ferrariæ benigne & peramanter ſemper oſtendiſti. Itaque ſi hoc a te impetro, quod certe nullo negotio debeo; illud conſequeris, ut ad amorem erga te meum nihil, ad cauſas autem amoris tantum addas, quantum quidem non faceres, ſi quovis alio munere me afficeres. Ad hæc, ſi licet per occupationes tuas, gratiſſimum mihi eſſet, ſi quid iſtic venale proſtat in re medica videas, aditis bibliopolis, idque ſimul per hunc, qui tibi has reddidit, mihi cures perſcribendum. Tu vale meque, quod facis, ama. Scripſi ſubito, quo minus mireris, ſi, cum etiam medicus ſim, invenias aliquid, quod non omnino tibi ſatisfacere videatur. Dat. Trebelliani. Kal. Decembris. Comitem Annibalim velim a me ſalvere jubeas..

EPISTO-

EPISTOLA XXXVIII.

Al Signor Marcantonio Majoragio.

SUpplico a V. S. per la ſua amorevoliſſima bontà, ſii contenta indicar per il ſuo divino ingegno, ſe dalle Lettere ſotto ſcritte ſi può cavar qualche ſenſo; quale ſono ſtate trovate ſotto un' arca di ſaſſo roſſo, fatta in foggia di una pyra, come noi appellamo in vulgare, e nella pyra ſi ſono trovate alcune ampolle piene di una gentilezza molto odorifera, e queſta ſi e trovato a Caponago ſedeci miglia ala foreſta; e ſi come è avara, e temeraria la natura de Villani, havendo loro ritrovato la pyra e le dette ampolle, ſubito le votorno ſotto e ſopra; & dice uno Gentilhuomo, mio molto familiare, ne uſci odore tanto ſuave, e delettevole che per dieci giorni tutta quella campagna d'intorno rendeva odore diviniſſimo, che dalla proſumptione di coſtoro ne fù diſperatiſſimo, e ſubito venne da me pregandomi, ſe conoſceva qualche dotto gentilhuomo, li voleſſe di chiarar detto caſo, e pregarlo alla conſideratione delle lettere; Io non hò perſona al mondo più degni di V. S. a qual habbi poſſuto far ricorſo, pregola havermi per eſcuſato, ſe li dò queſto faſtidio, maſſimamente eſſendo fral' coſa, non ſe ne paſſi haver coſtrutto alcuno per antiquità, qual può haver guaſto ogni coſa. Le Lettere ſcritte ſono. PHOITASPI *ſenza niuno punto. Del reſto vi bacio la mano. Iddio la conſervi.*

Devotiſſimo Servidore.

CARLO FAGNANI.

EPISTOLA. XXXIX.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

M. Antonius Majoragius.

ſ Lucanum,

QUod ad me familiariter, ut mos eſt amicorum, literas dediſti, id mihi ſane pergratum fuit. Quamvis enim alias, ut ſcribis, me publice docentem audiveris, & etiam mihi de facie notus eſſes, tamen, ut ingenue fatear, exiguam admodum ac fere nullam tui memoriam tenebam, credo quia cum nondum te penitus in familiaritatem meam dediſſes, magno poſtea locorum & temporum intervallo disjuncti fuerimus. Verum hoc tempore tuæ peramanter ad me ſcriptæ literæ veterem mihi de te memoriam perquam jucundam & gratam renovarunt. Vidi enim in illis, quaſi ea quæ oculis cernuntur, me a te vehementer amari, quapropter inceſſi omnibus læticiis, cum ita mihi te deditum intellexi, ut honori gloriæque meæ magna cum diligentia veliſiceris, & quæcunque a me ſcripta proficiſcuntur, ea magnopere comprobes. Nam etſi laudes, iſtas quibus immerentem me ornaſti, magis ab amore, quam a judicio

proficiſci intelligam, tamen non poſſum non cumulari maximo gaudio, cum ejuſmodi amicos nec opinato reperiam, qui non tantum ipſi mihi bene velint, ſed alios etiam mihi plurimos conciliare ſtudeant. Quanti enim illud me facere exiſtimas, quod ſpectatum virum Hieronymum Friccium, Prætorem veſtrum, græce & latine, ut ſcribis, peritiſſimum, ad me meaque amandum induxeris? quanti illud, quod Joannem Oporinum, virum, ut ex plurimis audivi, cum optimum, tum eruditiſſimum excitaris, ut mecum familiaritatem inire deſideret? quæ certe res multo mihi jucundiſſima fuit. Itaque licet in eo commendando, miro quodam artificio mecum uſus fueris, tamen affirmanti mihi credas velim, occaſionem hanc ineundæ cum Oporino familiaritatis, quam mihi tuo beneficio divina quædam ſors obtulit, magno empturum fuiſſe. Quid enim mihi optatius accidere poteſt, quam ab ejuſmodi viris amari, quorum opera laboreque nomen meum quamplurimum illuſtrari poſſit? velim igitur cum primum occaſionem nactus fueris, ad eum ſcribas, me illi deditiſſimum eſſe, brevique facturum ut intelligat, mihi nihil eſſe antiquius, quam ut per eum notus in Germania fiam, quædam enim opera jam pridem inſtituta, ſed nondum perpolita habeo, quæ tamen brevi me abſoluturum ſpero, ea jam nunc Oporino noſtro, ſi gratum illi fuerit, typis excudenda ſpondeo atque defero. Tibi vero, mi Cicerine, pro iſta tua incredibili in me obſervantia plurimum perpetuo debebo. Et ſiquid unquam acciderit, qua in re tibi gratificari poſſim, me ad omnia paratiſſimum invenies. Vale. Mitto tibi cujuſdam Apologiæ meæ in Marium Nizolium exempla duo, quorum alterum tibi habeas, alterum Prætori veſtro nomine meo tradas velim. Mediolano Non. Octobris. M. D. XLVII.

EPISTOLA XL.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

M. Antonius Majoragius.

Lucanum,

AMo quidem vehementer tuum iſtum erga me amorem officii ac diligentiæ plenum, ſed tamen, ut ingenue fatear, mihi videris in me amando ſepta, quod ajunt, tranſilire. Tanta eſt enim vis amoris erga me tui, ut cum honori meo velificari ſtudeas, onera mihi longe graviora, quam ſuſtinere poſſim, imponas. Nam quod Oporinum ad me amandum allexiſti, id mihi ſane gratiſſimum eſt. Quod autem eundem impuliſti, ut opera mea jam edita colligere quærat, atque in unum corpus redigere, quo typis ſuis aliquando poſſit ea ſimul impreſſa omnia divulgare, mihi certe, ne mentiar, moleſtum accidit. Quæ enim hactenus a me ſunt edita, partim juvenili quodam calore, non maturo judicio, partim neceſſitate quadam, non voluntate ſunt edita: nam duas orationes, alteram de nuptiis Præſidis Mediolanenſis, alteram in aleatores, vix annos tres & viginti natus conſcripſi; deciſiones, & Antiparadoxa in

in ipſo juventutis vel adoleſcentiæ potius fervore conſcripta, non tam edidi, quam præcipitavi, quoniam neutrum eorum opuſculorum apud me plus quatuor menſibus fuit. Orationem de mutatione nominis, & Apologiam in Nizolium neceſſitate compulſus edidi, ut me a malevolorum hominum voculis liberarem. Quid ergo? decrevi, quoniam jacta alea eſt, neque quod factum eſt, infectum fieri poteſt, & quæ hactenus edita ſunt diligentius conſiderare, atque emendare, & quæ nondum edidi, diutius apud me habere, Horatiique præceptum ſervare, & in nonum annum premere. Quare velim Oporino nomine meo gratias agas, quod tam humaniter operam ſuam mihi pollicetur; rogeſque ut in ſententia perſtare velit. Nam quædam jampridem inſtituta habeo, ſed nondum perpolita, quæ cum ſatis maturuiſſe mihi viſa fuerint, quod brevi futurum ſpero, ad eum imprimenda mittere conſtitui. Atque interim etiam ea fortaſſe corrigam, quæ jam in lucem venerunt, ſi per occupationes meas mihi licuerit, quibus pene opprimor. Tu vale, & me, ut facis, ama. Mediolano pridie Non. Jan. M. D. XLVIII.

EPISTOLA XLI.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

M. Antonius Majoragius.

Lucanum,

NOn erat quod te mihi literis excuſares, aut ejus rei veniam peteres, in qua nihil omnino peccaſti. Quod enim iſtud peccatum tuum fuit, qui amico tui ſtudioſo negotium tuum commendares? Sed ideo tibi de ea re non ſcripſi, primo quia mihi Primus noſter, cum te illi magnopere commendarem, dixit, jam Novocomenſes alium præceptorem aſciviſſe: deinde quia tam ſum occupatus in refellendis Nizolii contra me nugis, ut vix ad aures, ut eſt in proverbio, ſcalpendas otium ſuperſit. Verum, ut ſpero, propediem illud opus confecero. Duos enim, ut rem intelligas, Reprehenſionum libros in Nizolium ſcribo, qui jam majori ex parte confecti ſunt, in quibus contra illum multa diſputo, quæ literatis omnibus ſpero fore gratiſſima. Nam ille contra me quandam Antapologiam conviciorum tantum & mendaciorum plenam emiſit, in qua doceo plurimos ab eo errores & in diſſerendi ratione, & in auctoribus interpretandis, & in hiſtoriis, & in Latino ſermone fuiſſe commiſſos. Itaque reſpondeo, ut magis eum trideam & inſanire doceam, quam ut ei maledicam, aut conviciis agitem. Nullum certe mihi dubium eſt, quin ex hac noſtra contentione literati omnes voluptatem non mediocrem, ego gloriam, Nizolius ignominiam ſit reportaturus. Eos libros ſi Oporinus ſuis typis excudere vellet, mihi ſane gratiſſimum eſſet; ſin minus, ad Gryphium tranſmittam. Quod ſcribis, te ad nos brevi venturum, id mihi pergratum erit: cupio enim de quibuſdam rebus te coram alloqui, quæ quidem ad te pertineant, & quæ mihi literis committenda non videntur. Præterea velim etiam

te

te de facie cognoſcere, quem ex literis mei ſtudioſum eſſe jam plane cognovi. Vale. Mediolano. Kal. April. 1548.

EPISTOLA XLII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

M. Antonius Majoragius.

Lucanum,

LIteris tuis propter ſummas occupationes meas breviter reſpondebo. Amo iſtum amorem tuum & obſervantiam erga me, quod tam diligenter & mandata mea cures, & mecum eſſe vehementer velis. Sed quod tibi coram dixi, repetens iterumque iterumque monebo, Vulcaniis te armis munias oportet. Magni tibi labores proponuntur, & diurni & nocturni, ſed honeſta exercitatio. Magnæ difficultates, ſed ampla præmia, magna ſervitus, ſed aliquando ſperata libertas. Eum ego velim, qui ſuo honori, non utilitati meæ, qui dignitati potius quam lucro ſe inſervire putet, qui non præſens ingentium laborum tædium, ſed futuram aliquando gloriam contempletur. Eum eſſe te mihi perſuaſi; tu fac, quod in proverbio præcipitur, in te deſcende, tuas vires metire, priuſquam aggrediaris, diligentiſſime tuum animum conſule, ne deinde oneri ſuccumbas, quod tamen ego aliqua ex parte ſublevabo. Verum cogita fortaſſe fore ſæpiſſime, ut totum onus tibi relinquam, quod ut ferre poſſis etiam atque etiam vide. Habes duas tibi propoſitas conditiones Novocomenſium, & meam, illa fortaſſis in præſentia tibi videbitur, & uberior, & liberior, mea vero, quemadmodum intelligere potes, te magis exornabit, quia major erit apud me tibi amplificandæ doctrinæ tuæ copia, quod unum in iſta tam juvenili ætate tibi curandum eſt. Tu utram mavis elige, ſed ſi me audies, apud me eris, niſi te fortaſſe labores immenſi terrent, verum illud Platonis animo volve: ὁ πόνος εὐκλείας πατὴρ. Si conſtitueris ad nos venire, fac ut aliquanto ante ſciam, ut quem habeo hypodidaſcalum, apud aliquem alium locare poſſim. Vale. Mediolano. XIIII. Kal. Majas. M. D. XLVIII.

EPISTOLA XLIII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

M. Antonius Majoragius.

Lucanum,

CUm res tuas compoſueris, poteris ad nos arbitrio tuo venire. Quamvis enim nondum Antonium hypodidaſcalum meum dimiſerim, tamen erit etiam eo præſente tibi locus apud nos, imo vero proderit, ut opinor, tibi aliquid, per aliquot dies apud me cum eo verſari. Nam ille naturam meam, & vivendi rationes ſatis belle tenet, & ordinem præterea, quem in erudiendis pueris ſervari volo, quæ omnia tu facile, paucisque diebus, quod tuum eſt

in-

ingenium, percipies. Venies igitur ad diem conſtitutum, hoc eſt Kal. Quint. niſi te fortaſſe aliquid impedierit, neque enim ego ita propero, ut tu hac de cauſa ullum capias incommodum. Scripſi ad Oporinum literas, quas ad te mitto, ut quamprimum fieri poterit, ad eum perferendas cures. Velim enim ab eo Reprehenſiones meas in Nizolium excudi. Sed miror cur tibi ſuper hac re non reſponderit. Vale & me ama. Mediolano. Kal. Jun. M. D. XLVIII.

EPISTOLA XLIV.

JOHANNI MARIÆ EX COMITIBUS. S. D.

Gaudentius Merula.

SYlva tandem tua reddita eſt mihi: quam ſtatim acceptam legi, & eam quidem avidiſſime: cum quod te amem plurimum, tum quod poëticis numeris me oblectem nimis. At tua hac Sylva, quam ſim lætatus, cogitari, ne dici, quidem poteſt. Quid rides? nonne munus mihi condecens tradidiſti? Qua re enim Merulæ quam Sylvis lætantur magis? inquam nulla. Si ergo (ut noſti jamdudum) ego Merula ſum, cur tua Sylva non gaudeam, cur non oblecter, cur non fruar? luxuriat nimis. At arridet talis mihi: non ſum inquam turtur incomitata, quam tædet frondentium ramorum. Tales ergo & ſæpius, Antoni eruditiſſime, Sylvas mittas velim, ut harum per umbras volitans injuriam ſyrii ardentis avertam: quo opaciores miſeris, tanto erunt gratiores mihi, præſertim hoc tempore, in quo muſcarum & culicum agmina ſe paſſim diffundunt. Vale.

EPISTOLA XLV.

PAULO JOVIO. S. D.

Antonius Minturnus.

Romam,

COgnovi ex Bacchino tui obſervantiſſimo, mei ſtudioſiſſimo, non eſſe literas meas, quas, cum tuas accepiſſem, jam dedi, ad te perlatas. Quid mirum? cum enim te putem non ſemel ad me ſcripſiſſe, redditæ mihi ſunt præter eas literarum tuarum profecto nullæ. Quod mihi quidem ſane optes tot ac tantas opes, quot & quantas ne ego ipſe quidem, ſive auarus; ſive ambitioſus in hac aurea vitæ mediocritate, ut ſcribis, optare poſſem, facis profecto amice; facieſque humanius, ſi ad eas comparandas (nam certo ſcio te poſſe id ipſum efficere) mihi fueris adjumento. At perſuadeas tibi velim me nihil cupere, quod a mediocritate illa tantopere laudata abhorreat. Nimirum id peto, quod ſane commoditatem ad mea ſtudia perficienda, ociumque ad ſcribendum abunde præbeat. Neque vero cujuſquam opera, neque benignitate id me ſpero conſecuturum, niſi tua. Quod autem te divinis Philoſophiæ præceptis eruditum adeo divitem fecit fortuna, ut, quia ne plura quidem ſperare debes, eam magnopere

gnopere non timeas, quemadmodum tibi libenter admodum gratulor, ita mihi ipſi vehementer gaudeo: quando te, quem neceſſe erat & opibus & authoritate plurimum valere, nequa ámicis deeſſes, ea præditum facultate videmus, ut multis facile queas prodeſſe. Grata mihi eſt mirum in modum memoria mei præclara frequensque tua, quam tu ipſe ſignificaſti literis, Bacchinus etiam coram declaravit: gratiasque tibi ago immortaleis. Atque ut eam conſerves, non quod de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt rogandi, rogò. Ad illam operam velim incumbas, quam ſcribis te dare, ut a podagra convaleſcas, & quamprimum hiſtoriæ illæ tuæ optatiſſimæ in publicum edantur. Nam quid triſtius mihi eſſe poteſt, quam te ægrotare; Quid jucundius, quam ſanum eſſe? ut enim quod magis expectetur, quam luculentiſſimum opus tuum hiſtoriarum, novi plane nihil, ita arbitror nihil eſſe, quod hominum expectationem doctiſſimorum ſit magis expleturum. Te vero ad maturandam editionem illud imprimis hortetur, quod *poſt cineres*, ut quidam poëta non malus ait, *ſera eſt gloria*, *ſerus honos*. Etſi enim ad eam nondum ſenectutem perveniſti, quo minus tibi plures annos vivendum eſſe ſperare poſſis, multa tamen ut noſti humanitus accidere ſolent, vel præter fatum, præterque naturam. Vivens, ſi mihi credis, optatam laborum tuorum gloriam repetes. Omitto illam epiſtolæ tuæ partem, quod in Italia veræ virtuti non ſit certus locus apud Principes relictus. Neque enim eo in ſtatu illa eſt, quem cum aliud agam, poſſim aut debeam deplorare. Nec ſi privatim quanlibet magno volumine deplorem, ſane ſperem me quippiam profecturum. Veterem ea res habet querelam, & quidem inanem. Ingenium meum nihil eſt quod admireris. Poſſes quidem fortaſſe laudare, ſi Romæ, hoc eſt in ipſa luce me videres. Reguli mei te amant, ſalutemque tibi plurimum dicunt. Vale. Datum Meſſanæ pridie Kalendas Julias.

EPISTOLA XLVI.

Al Signore Giovanni Meurſio.

A Leida,

VOi veramente non mi protevate dar auviſo di maggior conſolatione, di quello, che mi arrecano le voſtre gentiliſſime lettre dell' ultimo di Settembre paſſato, cioè, che mi doniate l'honore d'havervi potuto perſuadere ad intraprendere fatica propria della virtù, e valor voſtro, utile alli ſtati liberi, e di voſtra eterna gloria. Il perfettionare prima le altre opere, alle quali havete già poſta mano, è molto ben ragionevole, ne io ardirei pregarvi in contrario, anzi tengo, che poſſino eſſe ſervirvi aſſai per ammaſſar materia da valervi nelli commentarii ſopra Tucidide, ſpecialmente quella, de legibus Athenienſium, *preſupponendo maſſime, che voi ſiate, Monſignore, non per portare le nude leggi, mà il tempo, l'occaſione, & il perche fù ogn' una di eſſe fatta, gli auttori, il fine loro, l'uſo, l'abrogatione, l'effetto che partorirono, l'equità, e l'ingiuſtitia di ciaſcuna di eſſe, e mille altre belle coſe, che inter-*

no a materia tanto amata, e tanto degna, poſſino venire dal voſtro cultivatiſſimo ingegno, e che corriſpondano alla gran virtù voſtra. Monſignor Benifacio non ſolo vi ama, mà nelle voſtre opere ammira il voſtro valore: queſti giorni appunto mi dice, haver con ſuo molto guſto letta la voſtra belliſſima Hiſtoria, & haverne riportato utile; le voſtre, Monſignore, & il voſtro tratto de gloria *m' arrivano deſideratiſſimamente, e ſupremamente cari, li leggerò ben avidamente, & non una ſol volta, trà tanto vene rendo affettuoſiſſime gratie, come anco dì quegli altri libretti, che mi aviſate haver coſignati al noſtro Elzevir acciò di Fracofurto mel' invii, come pur ſpero, che ſia per fare, non havendo di lui havute nuova alcuna, da che egli partì di coſtì, il che mi fà ſtar con qualche geloſia di ſua ſalute, per il deſiderio, che tengo di ſuo bene, già ſapendo quanto ſia pericoloſo il viaggiare, ſpecialmente per l'Alemagna al preſente; ſe vi potrà, Monſignore, reuſcire d'haver quel di più delle voſtre nobiliſſime fatiche, che ſtareno notate nel foglio, che già v' inviai, riceverò per ſommo favore, che a parte, a parte me le andiate tramettendo col mezzo del Signor Reſidente Suriano; deſiderando io ſommamente, che queſta mia Biblioteca reſti adorna in particulare di tutte le voſtre opere ſenza che pur una vene manchi. Farò che quanto prima vi capiti il Catalogo de' libri greci, che nella publica bibliotheca ſi ritrovano; li quali però non ſono tutti quelli, che dal Cardinal Benevone furono laſciati nella ſereniſſima Republica, perche molti delli Migliori ſi ritrovano tranſportati in Spagna, riposti nella libraria Regia all' Eſcuriale, rubati da un ſcelerato infame, Ambaſſiador Spagnuolo nominato Don Diego Hurtado di Mendozza, il quale havendo havuta corteſe licenza da Signori, a quali era raccomandata la cura della Bibliotheca, di poter entrar, & uſcir a ſuo piacere per leggere, e ſtudiare, non eſſendo da miniſtri aſſiſtito, perche non ſi preſupponeva in huomo di ſua conditione una baſſezza tale, in diverſe volte levando dalle tavole incatenate le codici, e riponendovi carta da ſtraccio, ſi portò il buono el migliore; ſenza che per all' hora, e per qualche tempo dopo alcuno ſene auvedeſſe, nè ſi ſarebbe per avventura creduto il furto fatto da lui, ſe il fatto ſteſſo non lo paleſava, e non lo paleſi tuttavia, e per adeſſo, e per ſempre con eterna ſua infamia, mentre ſi vedono le codici con il nome & ſegno di Benevone nella libraria dell' Eſcuriale. Il Padre Maeſtro Paolo caramente la riſaluta, come io Monſignore vi prego felicità, è contento. Di Venetia li* III. *Novembre* 1622.

Voſtro affettionatiſſimo, e Cordialiſſimo ſervo.

DOMENICO MOLINO.

EPISTOLA XLVIII.

MARIUS NIZOLIUS. S. D.

M. Antonio Majoragio.

EGo te, mi Majoragi, cum primum cognovi Mediolani, tecumque amicitiam junxi, jam tum cœpi vehementer diligere, propter raram quandam ingenii, doctrinæ & eloquentiæ præſtantiam, quæ mihi in te jam juvene jam tum elucere videbatur. Poſtea vero quam legi libellum tuum pro Cicerone compoſitum adverſus ineptas illas Cælii Calcagnini calumnias, non tibi poſſum verbis explicare, quam in immenſum aucta fuit mea illa priſtina erga te benevolentia, & quam præclaram de doctrina eloquentiaque tua opinionem concepi. Itaque tametſi antea te magnopere laudare conſueveram, tamen poſtea ita loqui, & de te & de ſcriptis tuis cœpi, ut paucos admodum in Latine ſcribendo hac noſtra ætate tecum conferendos cenſerem, uſque adeo mihi oratio tua videbatur Latina, copioſa, varia, vehemens, atque ut omnia duobus verbis complectar, plane Ciceroniana; & in hoc tam præclaro ac ſingulari de eruditione tua judicio tandiu perſeveravi, donec ad manus meas pervenit alter libellus tuus Antiparadoxon inſcriptus, quem adverſus divina illa Ciceronis Paradoxa, ut tibi verum dicam, mihi non edidiſſe, ſed evomuiſſe viſus es: nam per Deos immortales quid tibi in mentem venit, mi Majoragi, in ſacroſanctum eloquentiæ Latinæ Parentem, quem paulo ante defenderas, tam inconſiderate, ne dicam tam temere, tamque impudenter invehi? quid tibi quæſo accidit, ut repente totum dicendi genus atque omnem orationis formam mutaris? ubi tua illa ſermonis puritas? ubi orationis gravitas, Ubi veritas, ubi decor? profecto ut legi libellum illum, atque adeo inter legendum ſic affectus & graviter offenſus fui, tum indignitate rei ipſius, tum etiam orationis tuæ quaſi quadam degeneratione, ut parum abfuerit, quin calamum ſtatim in manum ſumerem, & quemadmodum tu pro Cicerone adverſus Calcagninum, ſic ego pro eodem adverſum te quanta maxima poſſem acerbitate ſcriberem. Et me Hercule ita feciſſem, niſi me continuiſſet tum veteris amicitiæ noſtræ ratio, quam maxime ſalvam eſſe cupio, tum quod arbitror te potius juvenili quodam impetu, quam certo ullo judicio ad Ciceronem tam inique lacerandum deſcendiſſe; tum etiam quod in ſummo, ut mihi videris, vitio nonnihil tamen pudoris admiſcuiſti, non enim te ipſum, ſed pueros vel adoleſcentes quoſdam induxiſti diſputantes, hoc opinor, conſilio, ut cum excuſatione aliqua peccares, & minus impudenter impudens eſſe videreris. His itaque de cauſis factum eſt, ut te non tanquam inimicum edito libello inimice refutandum, ſed tanquam amicum per literas familiares amice reprehendendum, & quaſi admonendum putarim, atque hanc in partem quæcunque adverſus te ſcribam, ut accipias te etiam atque etiam oro, non enim ut te refellerem, ſed ut Ciceronem tuerer, hæc nunc ſcribere ſum ingreſſus, quanquam tanta eſt Ciceronis laus & gloria,

gloria, ut nec impugnatione tua minui, nec propugnatione mea major fieri poſſit; ſed nolo exiſtimes, magnum aliquid a te in iſtis tuis Antiparadoxis eſſe factum. Atque ut ſtatim intelligas, quibus objectationibus tuis hic ſim reſponſurus, primo tibi oſtendam uno in loco Paradoxa illa omnia ſimul eſſe Socratica, quod tu diverſis in locis negas, & contrarium probare adniteris. Deinde te admonebo, ne poſthac tam leviter pronuntiare audeas Ciceronem & reliquos oratores in diſſerendi ratione tum eſſe inferiores, ut tu dicis, Ariſtotele & Peripateticis tuis; ad quos nuper neſcio quo errore ductus relictis oratoribus tanquam transfuga defeciſti, & ex oratore, ut mihi videbaris, gravi, factus es Dialecticus nugax, ne dicam barbarus. Atque ut cognoſcas quantum lucri feceris in legendis tam diligenter Dialecticorum libris, ut te jactas, etiam nonnullos errores tuos in Grammatica, atque adeo in primis literarum rudimentis quaſi corrolarium quoddam in fine adjungam. De his igitur nunc ad te ſumus ſcripturi, de ceteris vero, quæ ad veritatem vel falſitatem Paradoxorum pertinent, & adverſus argumenta Ciceronis a te dicuntur, alio loco ſcribere cogitamus, hoc eſt, in explanatione Paradoxorum, quam differre volumus tandiu, dum ad hæc reſpondeas; ſi modo reſpondere volueris: nam ſi primos hos tanquam ictus repellere poteris, facile reliquos quoque te repellere & evitare poſſe arbitrabor. Sed ut ad rem aliquando veniam, quonam potiſſimum argumento probari poteſt Paradoxa illa eſſe Socratica? Hoc opinor vel uno, quod Diogenes Laërtius in procemio περὶ φιλοσόφων ἱστορίας aperte oſtendit, omnem Stoicorum ſectam ac diſciplinam a Socrate primo authore & tanquam parente originem duxiſſe: nam ut ille ibi diſerte narrat, Chryſippus is, qui fulcire porticum Stoicorum putatus eſt, auditor fuit Cleanthis, Cleanthes Zenonis, Zeno Cratis, Crates Diogenis, Diogenes Anthenis, Antiſthenes vero Socratis, ut ab uno Socrate ſine ulla controverſia primo Cynicos deinde Stoicos manaſſe conſtet. Neque ſolus Antiſthenes Socratem audivit, ſed etiam alii complures, a quibus ſingulis ſingulæ philoſophorum quaſi familiæ ortæ ſunt, ut Academici veteres & Peripatetici a Platone, Cyrenaici ab Ariſtippo, Megarici ab Euclide, Elidenſes a Phedone, & alii ab aliis, qui tamen omnes communi nomine, ut Laërtius inquit, appellati fuere Socratici. Id quod M. Tullius, quaſi tuas iſtas calumnias jam tum prævidens, & tibi reſpondere volens, ipſe quoque confirmat in tertio de oratore libro his verbis. *Nam cum plures eſſent orti fere a Socrate, quod ex illius variis & diverſis & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, proſeminatæ ſunt quaſi familiæ diſſentientes inter ſe, & multum disjunctæ ac diſpares, cum tamen omnes ſe philoſophos Socraticos & dici vellent, & eſſe arbitrarentur, ac primo ab ipſo Platone Ariſtoteles & Xenocrates, quorum alter Peripateticorum alter Academicorum nomen obtinuit. Deinde ab Antiſthene; qui patientiam & duritiam in Socratico Sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici; tum ab Ariſtippo, quem illæ magis diſputationes voluptariæ delectarunt, Cyrenaica Philoſophia manavit,* &

Paulo poſt. *Fuerunt etiam alia genera philoſophorum, qui ſe omnes Socraticos eſſe dicerent:* & quæ ſequuntur. Hæc ſunt verba Ciceronis, quibus fere idem dicit, quod Laërtius, ut nemini jam dubium eſſe poſſit, quin Stoici vere Socratici & ſint, & appellari debeant. Quod cum ita ſit, qui poſſunt, obſecro, Stoicorum Paradoxa non eſſe Socratica? niſi forte exiſtimas Stoicos philoſophos quidem Socraticos fuiſſe, ſed Socratis ſententias & dogmata non ſecutos; quod quam ſit abſurdum nemo non videt. At, inquis, Plato in Dialogis ſuis inducit Socratem dicentem plane contraria iis, quæ Cicero & Stoici in Paradoxis probant; ergo Paradoxa non ſunt Socratica. Hæc eſt enim tua concluſio, quæ tum demum fortaſſis eſſet vera, mi Majoragi, ſi ſententiæ Socratis a nemine alio literis proditæ fuiſſent, niſi a Platone, & ſi Socrates ipſe nunquam pugnantia inter ſe, ſed ſibi conſentanea ſemper dixiſſet. Sed neutrum horum verum eſt, conſtat enim & Antiſthenem, & Xenophontem, & Ariſtippum & complures alios Socratis dicta monumentis literarum mandaſſe, & in Socratis ſermonibus multam diſcrepantiam adverſitatemque fuiſſe, ut non ſit mirum tam diverſas inter ſe & contrarias philoſophorum ſectas ab eodem eſſe ortas. Itaque ſi quæ Socrates apud Platonem loquitur, contraria ſunt iis, quæ Cicero in Paradoxis ſcribit, id non continuo Ciceronis vitium eſſe exiſtimari debet, ſed vel Socratis ipſius, qui non convenientia ſibi ipſis, ſed plurimum diſſidentia inter ſe loquebatur; vel certe Platonis, qui Socratem ea diſſerentem facit in Dialogis ſuis, quæ ille fortaſſe nunquam diſſeruit, in quorum numero ſunt Ideæ ſeparatæ quæ vocantur, quas Plato attribuit Socrati, cum tamen Socrates nunquam poſuerit Ideas ſeparatas, ut teſtatur Ariſtoteles in tertio decimo τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ libro, capite quarto, quod cum ita ſit, quid mirum, ſi eidem quoque tribuit multa alia, quæ ille fortaſſis nunquam ne ſomniavit quidem? His igitur quæ hactenus dicta ſunt, arbitror ſatis conſtare, id quod initio me probaturum pollicitus fueram, nempe Paradoxa illa omnia eſſe Socratica, ut rectiſſime dixit Cicero, teque id iniquiſſime negaſſe, prorſuſque incaſſum laboraſſe in colligendis tot Platonis exemplis, ut contrarium probares. Non enim Plato eſt, ut tu putas, ἀναντιφώνητος, in cujus doctrina tam leviter recipienda vide quantum decipiaris. Georgius Trapezuntius vir Græcus univerſam Platonis doctrinam tribus libris refutat, tanquam falſam vanam & inutilem, tu vir Latinus eandem irreprehenſibilem facis, & ſacris ſcripturis noſtris pene adæquas. Qua quidem in re quantum mihi errare videaris in enarratione Paradoxorum poſtea tibi monſtrabo. Nunc audi quod ſequitur: Cicero, inquis, in diſſerendi ratione longe inferior eſt Ariſtotele & Peripateticis. Sed dic mihi quam ob cauſam? an quod nullum eſt ejus argumentum in Paradoxis recte concluſum, ut tu ais? at ego tibi poſtea copioſius reſpondebo in explanandis Paradoxis, nunc tantum dico te non intelligere vim argumentorum Ciceronis, & quia non concluſa ſunt more Dialecticorum, hoc eſt barbare & imperite, putas ea nihil valere. Non intelligis, quæ aut qualis ſit propoſitio ſingulorum Paradoxorum, non cognoſcis

ſcis rationes, nec vides quo referantur, denique nec concluſiones ipſas mihi ſatis percipere videris, ſed de hoc poſtea ut dixi; nunc ſcire velim a te, quid habent Dialectici ac philoſophi, quamobrem melius diſſerant aut diſſerere poſſint, quam Oratores? an argumentationes? at Oratores decem argumentationum genera docent & uſurpant, quas omnes copioſiſſime tradit Georgius Trapezuntius in tertio Rhetoricæ ſuo libro. Dialectici vero tantum quatuor noverunt, hoc eſt ſyllogiſmum, inductionem, enthymema & exemplum, quorum prima duo ſibi retinent, reliqua autem duo poſtrema oratoribus relinquunt, cum tamen ea Oratores pro argumentationibus non agnoſcant, ſed pro argumentis, ut aperte oſtendit Hermogenes in capitibus περὶ ἐξεργασίας καὶ περὶ ἐνθυμήματος, ut omittam interim ſyllogiſmum & inductionem, quæ argumentationes non minus Oratorum ſunt, quam Dialecticorum; quin Oratores, cum enthymema & exemplum pro explicationibus argumentorum non agnoſcant, ut dixi, ipſi quoque ſibi vendicant ſyllogiſmum & inductionem, tanquam proprias argumentationes, ut ait M. Tullius in primo de inventione. *Omnis*, inquit, *Argumentatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem*; quod cum ita ſit, quomodo non abſurde mentiuntur Logici? cum enthymema & exemplum argumentationum loco tribuunt Oratoribus? & ſyllogiſmum inductionemque adimunt? O mi Majoragi, quam vehementer erraſti, cum ita animum induxiſti tuum, ut ſine ulla conſideratione ac judicio Dialecticorum inanes nugas & figmenta reciperes. Non igitur quod ad argumentationes attinet, Oratores Dialecticis ſunt inferiores. Sed an forte melius noverunt atque uſurpant argumenta Dialectici quam Oratores? nihil minus: nam utrique habent locos, ex quibus argumenta promuntur, ut facile videre licet apud Ciceronem in ſecundo de oratore, & in topicis, & apud Ariſtotelem in ſecundo rhetoricorum, & apud Trapezuntium in libro ſupra citato, quare ſi ſubſidia & auxilia, quæ ad bene diſſerendum requiruntur, inſpicere velimus, non video cauſam cur alteri alteris ſuperiores vel inferiores ſtatui debeant. Illud quidem certe non ignoro, præcepta Rhetorum multo eſſe clariora & intelligibiliora, Dialecticorum ſpinoſiora, duriora, obſcuriora, ut ſæpe qui ea tradiderunt non ſatis intellexiſſe videantur. Nihil dico de proponendis quæſtionibus, de eiſdem dividendis, de rationibus excogitandis, de confirmationibus rationum addendis, & poſtremo de inferendis enthymematibus, quos Latini, non ut Logici, imperfectos ſyllogiſmos, ſed expoſitiones vocant, de quibus omnibus quam multa, Dii boni, pulcherrima & utiliſſima præcipiunt Rhetores, quam nulla vel quam pauciſſima, eaque ſcrupuloſa & inutilia Logici. His igitur ego rationibus adductus, mi Majoragi, arbitror Oratores in bene diſſerendo non modo non eſſe inferiores Dialecticis & Philoſophis tuis; ſed etiam illis ſuperiores. Atque hoc ita eſſe re ipſa oſtendam in diſputationibus meis, quas jam adverſus Dialecticos & Philoſophos inſtitui, vide quam ſumus concordes. Tu Oratores, ego Philoſophos bene diſſerendi rationem ignorare arbitror. Quod ſi uter noſtrum rectius ſentiat, experiri volueris, in hac ipſa diſputatione, quam nunc inſti-

tutam

tutam habemus, facile voti compos fies: ego enim Oratores tantum in diſſerendi ratione mihi ſequendos imitandoſque propoſui; tu ſi contra Dialecticos imitaberis, ut certe imitaris, ſenties, ut ſpero, quam inanem, non dico diſſerendi, ſed nugandi & garriendi diſciplinam ſis complexus. Sed de hoc quoque ſatis. Nunc audi errores tuos in Grammaticis, ut intelligas quam parum ſis idoneus, & aptus ad Ciceronem reprehendendum, cum linguam Latinam nondum ſatis didiciſſe videaris. *Sed hujus certe nocumenti*, inquis, *ſi modo* &c. *Nocumentum* uſurpas tanquam Latinum, ſed dic mihi cur magis tibi *nocumentum*, quam alteri cuipiam *treguam* & *guerram* uſurpare liceat? tum ſic ais, *cum eo qui patrem paricidioſe vita privavit.* Ubi quæſo inveniſti tu adverbium illud, *paricidioſe*? an apud Ciceronem? minime. An apud alium quempiam idoneum ſcriptorem? nequaquam. An apud Pſeudolexicon aliquod? ita eſt, nam ſine ulla conſideratione ac judicio vocem illam a Theſauro Stephaniano recepiſti. Rurſus inquis, *ſed libet aliquas hujus capitis clauſulas examinare, ut* &c. *Clauſulas* hic appellas, quas Latini appellant *membra orationis*. Nam *clauſula* proprie eſt ultima pars membri; quanquam μεταφορικῶς pro ultima parte cujuſcunque rei frequenter ponatur. Item ex quatuor verbis Græcis tu unum facis Latinum, idque ex capite tuo ſine cujuſquam authoritate. Nam quod græci dicunt τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ; tu *Metaphyſica* vocas. Mitto, quod tot in locis ita locutus fueris ut dixeris. *Non verum eſt quod, & dico quod, & ſcio quod, & puto quod.* Qui loquendi modus haud ſcio, quam ſit Latinus. Nam cum verbum, *quod*, pro quia reſolvi poteſt, tum recte dici fateor, cum vero non poteſt, barbara locutio mihi videtur, vel ſaltem non ita præ ſe ferens germanam illam latinitatam. Prætereo etiam illa, *adducere rationes pro eo*, quod eſt *proferre*. *Operari* pro *facere* vel *agere*, *ægritudinem* pro *morbo*, *idem eſſe cum illo*, pro, idem *eſſe quod illud*. Et alia multa hujuſmodi, quæ indicant te, vel nullum vel certe perquam modicum habere verborum delectum, & non nimis conſiderare, quæ nomina cum quibus verbis jungas, aut denique quo modo loquare. Illud tamen prætermittere nolo, quod te tantum Ciceronis reprehenſorem arguit, neſcire adhuc quid ſit *Enthymema*. Ais enim. *Nam quid abſurdius erit hoc enthymemate tuo? ſi conformetur in hunc modum. Peccatum eſt in eo, quod non licet, ergo quod non licet neque majus neque minus fieri poteſt.* Hanc tu argumentationem bipartitam vocas enthymema: ſed quemadmodum tu a Cicerone quæris, an a Diodoro ſuo ſic argumentari didicerit, ſic ego a te ſcire velim, an a Burleo tuo enthymemata facere ſic didiceris. Non enim Cicero ſic te docet, non Quintilianus, non Hermogenes, non denique Ariſtoteles, qui in ſecundo priorum Analyticorum, definiens enthymema, ait *eſſe ſyllogiſmum imperfectum ex ſignis & probabilibus.* Et imperfectionem illam, non quemadmodum vos Logiculi etiam Græci, ad numerum propopoſitionum refert, ſed ad materiam non neceſſario, ſed probabiliter tantum concludentem, itaque hoc eſt verum & germanum enthymema. *Pittacus eſt juſtus, Pittacus eſt ſapiens, ergo omnes ſapientes ſunt juſti.* Sic Ariſtoteles enthyme-

thymema facit non ſolum in prima, ſed etiam in ſecunda & tertia figura, ut hoc ipſum, cujus exemplum modo poſui. Non enim eſt ſyllogiſmus, nec ad ſyllogiſmum reduci poteſt, quia eſt, ut Logici dicunt, ex puris particularibus; relinquitur ergo ut ſit enthymema ex tribus propoſitionibus conſtans; alioqui non eſſet in tertia figura. Quod cum ita ſit, liquet vos Dialecticos in magno errore verſari, qui enthymema ex duabus tantum propoſitionibus fieri putatis. Præſertim cum tale enthymema Oratores, ut ſupra dixi, pro argumenti explicatione vel expolitione non agnoſcant. Hæc ſunt, mi Majoragi, quæ ad te nunc mittenda exiſtimavi, ut ea diſſolvas, ſi velis & ſi potes, in quibus ſi te alicubi acrius atque acerbius punxi, quam tu fortaſſe velles, & amicitia noſtra pati videatur, noli quæſo mirari nec ægre ferre, cum Ciceronem multo acrius & acerbius non ſolum punxeris, ſed etiam confoderis, idque immeritiſſimo, cujus vulnera quanto tandem cum dolore a me legi putas? Itaque te etiam atque etiam moneo, ut videas quemadmodum ſcribas in Topica illius, & in libros de finibus, quod facturum in hoc libro, ſi recte memini, quodam in loco, ſcribis. Non enim impune feres, ſed idem tibi accidet, quod Eraſmo, qui dum Ciceronem & Ciceronianos injuſte inſectatur, ipſe a Ciceronianis juſte & optimo jure confoſſus fuit. Vale, & reſponde ſi placet.

EPISTOLA XLVIII.

BASILIO CHALCONDYLAE. S. D.

Janus Parrhaſius.

DUm tu cunctaris per abſentiam Jani Laſcaris, herois an viri dicam neſcio, nunquam certe citra laudem nominandi, memorabiles duo caſus acciderunt: utrique domus ἡμετέρας proprii. Vicentia ἀδελφȣ̃ μȣ̃ Γύνη quam noſti, cum triennium procis omnibus, ut altera Penelope repulſam dediſſet, ecce tibi repente, nullis auſpicibus, adnitente matertera, Γεσημȣ̃νδȣ Καπȣ̃τȣ conjuge παύλῳ Καπȣ̃τῳ nupta datur, expilata penitus hæreditate parvorum liberûm. Sed huic malo oportune medebitur abs te miſſa Pontificis execratio: quam doleo jus in Agelli Tyrannum non habere, cum data non ſit ad Antiſtitem Tropicum cui ſubeſt. Altera calamitas & acerbior adeo me confudit, ut non videam quibus eam verbis inſinuem; quanquam tecum licet omnia. Itaque non circumrodam, ſed continuo tædium hoc vorabo. Νικόλεως Βομβεῖνος ex noſtra nobilitate Juriſconſultus, habuit in matrimonio Οὐικεντίαν τὴν ἀδελφȣ̃ μȣ̃ πύῤῥȣ καὶ Βιάνκης ξερξάλης θυγατέρα. Ea deceſſit ex partu relicta filiola, quæ mature matrem ſecuta eſt. Annus agitur ab illius obitu; cum Νικόλεως interea τὴν ἑκυραν colere, καὶ τὴς γυναικὸς ἀδελφὴν non aliter inſtitit, quam cum viveret ejus uxor. Ea pietas initio nobis omnibus grata, deinde cœpit eſſe ſuſpecta, nec ab re: nam non ita multo poſt ἀδελφὴ prioris ejus γυναικὸς ἔγκυος inventa, culpam confert εἰς τὸν Νικόλεων, nec is inficiationi locum reliquit. Itaque cum eo deducta res eſſet, ut utrique moriendum

riendum foret, conſcia tantum πενθέρου matre concubitum confarreant, atque ſic honeſto nomine nefandum crimen velant. Verum ne ſic quidem, quin ferro cadant, effugient; niſi Deus aliquis eos aſpexerit, id eſt, a ſummo Pontifice veniam inceſtus inſcriptis impetraverint; ut furtivum dedecus profeſſo matrimonio diluatur. Ad hanc rem velim omnes ingenii tui nervos intendas, utariſque gratia ac auctoritate Laſcaris, Phœdri, Citrariique, & omnium denique amicorum; ut exleges has nuptias, ad evitandum paratæ cædis periculum, Pontifex privilegio juſtas rataſque faciat, indicta pro copiarum facultate mulcta. Acceſſit hoc enim meis ærumnis, ut opes ne tantæ ſaltem ſint, quæ poſſint impendia ſuſtinere. Quas ob res abs te primum peto, ſuppliciterque (ſi pateris) oro, omni ſtudio ut cures impetrandam (quam dixi) veniam. Deinde ut quam minimum poteris impendas. Hunc ego hominem certum cum literis ad te miſi, qui mihi referat ad hoc oracula veriſſimaque reſponſa an impetrari poſſit, quod petimus; & quanti conſtiturum: nam ſimulac abs te certior factus ero, legabimus aliquem virum gravem cum muneribus, & ſumma taxationis, quam, ut perſcribas, rogo. Tantiſper huic ad te dedi mellei roris libras tris in pixidibus, mea gemma obſignatis. Ex iis unam Laſcari, alteram Phœdro dono dabis, reliqua tua eſt. Miſi præterea colligendo per æſtatem capillo reticula ſericea tria, totidemque ejuſdem generis cingula, adhuc rudia & nullo colore infecta, ut integrum ſit ex animi tui ſententia tingenda curare. Cetera quæ promiſi, in tempore repræſentabo. Tu tabellarium ſi me diligis, e veſtigio (ſi fieri poteſt) expeditum remitte. Ego enim nihil aliud cogitare poſſum, priuſquam hanc rem componam, Vicentiæque mei quondam fratris uxori reſtituam dotem. Itaque longiorem nobis diem fors obtulit, ad ambiendum, quem volumus, in academia locum. Nam commodiſſime licet adventum differre meum ad Kal. Martias, vel in ſequentem (ſi videbitur nobis) annum. Ita tamen ut tibi perſuadeas, proque certo obtineas, in me nullam moram fore, ubi de ducenis annuis oblata ſpes erit. Id ſi ſubitum nunc eſt, expecta maturum tempus & occaſionem rei per otium bene gerendæ. Vale & amicis omnibus a me ſalutem, ſed imprimis optimæ ſocrui & uxori; cum literas ad eas dabis, de cujus voluntate nihil ad hanc diem ex tuis literis intellexi; rediturane ſit in gratiam contuberniumque meum: vel quid aliud animo agitet. Ego enim ſtatui, vel ſecum vivere, vel aliud vitæ genus hoc longe quietius inſtituere. Coſennæ VIII. Kal. Septembr.

EPISTOLA XLIX.

JANO PARRHASIO. S. D.

Baſilius Chalcondyla.

NIhil jam reſtat confecto omni negotio, niſi ut tu venias, & tui expectationem, quæ magna eſt, rumoremque jam diſſeminatum per urbem de

de tua doctrina atque eloquentia re ipſa non ſolum confirmes, ſed & augeas. Contigit tibi, quod nemini hactenus hac in urbe ejuſdem cujus tu profeſſionis, libellus nominum, quem vulgo vocant rotulam, qui ſingulis annis inſtauratur, nuper factus eſt coram Pontifice, ut aſſolet præſente & patrono & fautore noſtro Jano Laſcaris, una cum paucis aliis ad quos res pertinet. Ibi tu in primis adſcriptus es cum ſalario ducentorum aureorum; ſic enim voluit Laſcaris, cujus unius perlonge maxima eſt authoritas, nonnullis etiam, ut in tali re fieri conſuevit, renitentibus atque contradicentibus; quos omnes Herois Græcanici præſentia ita concuſſit, ut protinus ne hiſcere quidem auderent. Aliud inſuper excogitavimus, uti majori cum gloria & honore Romam peteres. Ecce curavimus tibi literas a ſummo Pontifice, quod a brevitate, ut puto, breve nuncupant, quibus ad honeſtum profitendi locum vocaris. Fac igitur animi tui magnitudinem atque conſtantiam conſerves, Abrumpendæ tibi ſunt omnes tricæ atque domeſticæ neceſſitates, neque te vincant illecebræ ſemperque viris exitioſæ muliebres lachrymæ: Noſti puto argumentum epigrammatis de Cupidine, in quo tantulus infans fortiſſimi leonis tergo eques inſidet, altera manu flagellum, quo verbera intendit, altera habenas continens. Cave ne te talem mulierculis γυναίοις exhibeas, tametſi illis parum obnoxium atque obtemperantem te ſciebam. Sed forte merito mihi quiſpiam objecerit vulgo illud tritum jactatumque apud Græcos ὗς κατ' Ἀθηναίαν; quippe qui eum moneam, a quo magis ipſe monendus ſim, quapropter miſſa hæc faciam; tu accelera, advola, adhibe tibi, ſi fieri poteſt, alas more Dedali; ingens eſt tui expectatio, fama ac denique deſiderium. Invidi obtrectatores contabeſcant, rumpantur. Conceſſa eſt quam petebas venia, reſtat ut conveniamus de pretio, ſed hoc te præſente expedietur. Tu pecunias tecum feres, quibus mulctam ſolvas: nam alias quanti conſtitura ſit venia, ad te ſcripſi, & tunc fortaſſe, cum ſcilicet Romæ eris, aliquid effici poterit per amicos ad effugiendum vitandumque tale diſpendium. Vale. Pridie. Kal. Septembris.

Quod ad domum & alia neceſſaria attinet, ego ſedulo interim curabo omnia parata invenies, vel repente parabuntur ſine ullo tuo labore ac tædio.

EPISTOLA L.

ANDREÆ HUMILIATO. S.D.

Thomas Phædrus.

VOlupe eſt quando tibi omnia ſuccedunt ut meres. Quottidie literas ad amicos datas, & ne cerdo quidem quiſquam eſt, qui tuas non circumferat per omnia compita, nemo enim e tanto populo extitit, qui vel tranſverſum verſiculum reſcriberet: & tu miſer non ſentis te ne teruncii quidem fieri. Ubi nunc ergo Zebaldi tui, ubi Savoia, ubi Bloſius, ubi denique nepotes ſexcenti? præſenti tibi blandiuntur omnes, abſentem non pluris faciunt, quam ancillam, quæ latrinam lavat. Quin & hodie in corona legebat Bloſius quas ad eum proxime dederas, plenas querelarum, ajebatque de compacto ta-

tacere tecum omnes: non feret, inquam, hoc Phœdrus, nec patietur tantam fieri injuriam ſuo capellano: itaque domum rediens calamum ſumpſi, & hoc quicquid eſt nugarum libens exaravi: Zebaldi tui belli valent belliſſime: Savoia rediit ad antiquam fabulam ſuam cum Cymeo, revocavitque hominem ſexcentis literis e media inſula: neque quod antea ſumpti fecit quicquam eſt, præ quo nunc facit: Advola obſecro & adcurre, ſi vis ridere, quantum ne Democritus unquam riſit: Savoia unguenta tractat & cyprium pulverem, pulverem inquam cyprium & unguenta tractat Savoia: Qui antea bubulcitari tantum ſolebat, bubus equiſque ſtipatus vadebat, nunc delicatus Myropolas adit, deque odoribus diſputat. Nam quid ego narrem tibi Hiſpanas manicas, Gallicas veſtes, Germanas ſoleas, nihil jam amat niſi exoticum: & ille tanquam columbulus Dioneus ſibi placet, intumeſcit, ſeque pulchrum putat: itaque tanti non eſt tibi iſtud quicquid eſt lucelli, ut hoc ſpectaculo careas. Adcurre itaque obſecro & advola: vel ſaltem ut amicum revoces ab interitu: nam nos jam defeſſi ſumus, neque quicquam aliud reſpondet increpantibus, quam, mihi non tales ſæpe eveniunt hereditates: umbræ duæ veniere, reliquæ credo propediem: ego quando amici functus ſum officio, ſat præſtiti: nec volo, qui ſe perditum it, ſectari, memor Horatiani illius *invitum qui ſervat, idem facit occidenti*: ſed de eo nimis multa: Cras habebuntur comitia Gymnaſtica novo Dictatori dicendo: incertum qui futurus: fertur tamen Petrus Paulus tuus, & in eum optimi quique inclinant: Euangeliſta Capoferreus negotium ſuſcepit. Fex negotium urget, matre volente, nec pater alienus dicitur: Ludi fient poſt Saturnalia, qui quam poſſint commode ſine te, præſertim illo dictatore, fieri non video. Credo te revocabunt re impetrata: venio jam ad tuas ad Bloſium datas: Itan' tu ineptus eras, qui putares ubique Romam eſſe: Natura hic poſuit quicquid ubique fuit: nunc luis pœnas tuæ ſtultitiæ ingentis, qui ſaxa illa tua auſus ſis deſerere; majore dignus ſupplicio: quod propediem de te ſumetur, niſi ad nos te receperis: quod ut facias, cenſeo & ſuadeo. Vale Romæ Nonis Decembris. M. D. VI.

EPISTOLA LI.

M. ANTONIUS REGIENSIS S. D.

M. Antonio Majoragio.

Mediolanum.

NUnc Majoragi doctiſſime breviorem quam fortaſſe velles epiſtolam accipies, cum taciturnitas, qua in ſcribendo ſuperiori tempore uſus ſum, longiorem exigere videatur. Nihil enim jam diu literarum ad te dedi. Vide, quæſo, ac diligenter animo perpende quam pure quamque ſimpliciter crimen meum detegam. Nec mehercule cum veris amicis aliter faciendum cenſeo. Nec ipſe ignoras quam ridicula ſit eorum excuſatio, qui cum eis, quibus arctiſſima juncti ſunt amicitia, ſe nunquam ſcripſiſſe meminerint, ambagibus culpam ſuam tueri conantur. Quare ne quod in aliis reprehendendum

duco

duco ipſe committerem, veritatem, cujus amator ſemper extiti, aperire volui. Et hoc quidem modo magis gratum me tibi feciſſe exiſtimo, quam ſi quid literis mandaſſem, quod tuas aures obtunderet. Si quid tamen accidiſſet, quod tua, aut mea, te ſcire interfuiſſet, nequaquam calamo pepercisſem. Ad quid igitur ſummum amicum, cujus opera ac ſtudio in rebus tantum ſeriis uti debeo, nugis obruam? hujus enim generis ſcribendi argumentum ſemper mihi valde diſplicuit. Præteriti ſilentii habes excuſationem. Nunc paucis hujus brevitatis accipe cauſam. Si cuncta, quæ mihi in mentem veniunt, modo ſcribere vellem, epiſtola certe modum excederet; quod ſine dubio mihi maximo detrimento foret. Nam in morbum, quo nuper levatus ſum, facile rurſus inciderem. Et fortaſſe Libitina, quam vix evaſi, me exanimem exciperet. Res adhuc bene ſuccedit, quod iter jam per oppidum facere cœpi, ſed lento gradu, & quaſi more teſtudinis proficiſcor. Graviſſima enim valetudo, quæ per dies quindecim me crudeliter afflixit, adeo crura mihi debilia reddidit, quod vix me ſuſtentare poſſunt. Parum quidem defuit quin furvæ regna Proſerpinæ, & judicantem viderim Æacum. Iſte, qui tibi hanc reddet, eſt civis Mediolanenſis, illi cum hero meo maxima intercedit familiaritas, me quoque valde diligit. Quare librorum, quos iſtic pro meorum diſcipulorum uſu emere oportet, illi curam mandare non dubitavi; verum quia magis in rebus bellicis, quam in literis verſatus eſt, vereor ne bibliopolarum fraude decipiatur. Quamobrem ſi tu, qui hoc recte & commode præſtare potes, hoc negocium ſuſceperis, non ſolum mihi & pueris, verum etiam eorum parentibus, qui te incredibili proſequuntur amore; gratiſſimum feceris. Natura meis diſcipulis pulcherrimum tribuit ingenium, quæcunque enim ſemel audiunt nunquam amplius amittunt, & libenter in ludo literario verſantur. Quid pulchrius in pueris optandum cenſes? illum, qui apud Pomeranum erat, mihi erudiendum tradere decreverunt. Et jam duobus menſibus me audivit. Ejus ingenium ſatis laudari non poteſt. Mea quidem ſententia recte puero conſuluerunt, aliter barba, non re philoſophum eum vidiſſent. Rem accipis; ſi dextra ſcribendi officio recte fungeretur, orationem, quam legato ſummi Pontificis compoſui, ad te mitterem; hanc alias & quæcunque ad illuſtrem Taurini præſidem ſcripſi, accipies. Arbitror jam te intellexiſſe me omnibus Biragæ domus eſſe chariſſimum, & mihi ſummo & pene incredibili eſt gaudio operam meam illis eſſe gratiſſimam. Pueris enim nunquam deſum, nec quid faciunt non latet. Me & illos illuſtri Gaſpari Birago ejuſque filio plurimum commenda. Hujus epiſtolæ exemplar apud me non remanet, tabellario enim feſtinante ac iter arripiente ſemel tantum eſt ſcripta, ſi quid igitur non apte poſitum tibi occurrerit, calamo, quo nimis velociter uſus ſum, id aſcribito: cupio ſcire quid agas. Vale, & me redama: etſi ob ea, quæ in me contuliſti, tibi gratias agere debeo, tamen quia id me facere nolis, nullam de illis mentionem facere auſus ſum, hoc tantum dicam, quod nulla unquam tuorum erga me meritorum memoriam delebit oblivio, & ſi meæ in te bene-

volentiæ aliquid addi poſſe videbitur, omni ſtudio ac cura dabo operam, ne quid a me prætermiſſum videatur: hæc in calce addere mihi placuit. Verrulengi. XXVII. Septembris.

EPISTOLA LII.

BENEDICTUS THEOCRENUS. S. D.

Paulo Jovio.

POſtridie ejus diei, quo literas abs te accepi, fuerunt enim eæ mihi ſexto demum idus Julias redditæ, intuli apud Regem Chriſtianiſſimum tui mentionem, cujuſmodi inſignis meus erga te amor ſuaſit, & tuæ literæ non obſcure te percupere oſtendebant. Fuit mihi ut primus, ita facillimus ad te laudandum aditus, Hiſtoria, quam ille abs te magna omnium opinione conſcribi jampridem plurimorum teſtimonio acceperat. Illic ſingulari cum laude tua verſati ſumus, utpote in re, quæ quia ad totius poſteritatis judicium pertinet, Principibus potiſſimum, niſi omnino plumbei ſunt, ſummæ curæ eſſe debet. Nam cum cæterorum hominum pleraque tum bona tum mala in eos merito referantur, oportet anxios eſſe non mediocriter, qui de ſe aliorum ſenſus ſit futurus, tum cum liberum eſt ſublato metu, quid ſentias edere. Præbuit etiam nonnullum commemorandi tui locum comitas rara, quam omnes de te prædicant, & ego quantum paucis diebus dignoſcere licuit, abunde mihi expertus videor. Aderant forte fortuna, cum hæc dicerem, aliquot Itali illuſtres viri, & ex iis, quos maxime noſti, Theodorus, & Renatus Triultii, ac Galeatius Vicecomes, ii mihi teſtes ſunt non potuiſſe mihi cauſam illam neque opportunius ſuſcipi, neque felicius agi, ita intento, & hilari animo Rex, id quod tum verbo, tum vultu ſignificavit, quæcumque mihi in eam ſententiam dicta ſunt, excipere viſus eſt. Inciderat quidem antea non ſemel honorificus de te ſermo cum aſſenſu tanti Principis, qui ad ſtudioſorum omnium favorem mirifice pronus eſt, non dubio. Sed neſcio quomodo, ubi dixi allatas mihi a te literas, in quibus aliqua ineſſet tui erga ſe optimi animi ſignificatio, avidius, & lætius de te ab eo omnia audita. Verum vide (te quæſo) mi Jovi, ut quicquid ſcribis poſteris cum ipſa veritate, cujus perſonam rerum ſcriptor induit, prorſus conſentiat, ne quid amori, neu odio quid abs te illic datum deprehendatur. Nihil enim tantum egregia facundia apponere poteſt, quantum detrahere mendacii ſuſpitio vel minima. Adde quod poſteritati in eo fucum facere ſcelus eſt, bonorum omnium odio, & deteſtatione dignum. Hæc ſalubriora, quam fortaſſe auditu jucundiora monita non cujuslibet hominis ſunt, ut te videre confido: ſed ejus qui præcipuo quodam amore alterum proſequatur, proinde ei quam optime conſultum velit. Paria feceris, ſi tantundem mihi, ubicumque locus dabitur, repoſueris. Cupio equidem jam diu eſſe te mihi interpretem ineundæ alicujus gratiæ a Ponti. Max. quo me incipiat agnoſcere ille inter eos, qui laboribus & vigiliis ſuis in re literaria tales

ſibi

ſibi viros conciliatos velint; multa ſi quidem faciunt, ut ei quoque non parum me publica cauſa debere intelligam, inprimiſque, ne omnia commemorem, incredibilis illa ſolicitudo, & mœror, quem vir maximus præ ſe fert ex tam diuturnis, tamque omnis exitii plenis Chriſtianorum principum diſcordiis, ad quas ſedandas ita jampridem enixe incumbit, ut nullum in eo optimi parentis officium deſiderari poſſit, tum literarum patrocinium, quod ſub ipſa ſummi honoris initia certiſſime profeſſus eſt, cum Sadoletum uſque e Gallia præpropere accivit, cumque præclarum illum ſcribarum ordinem, quos circum ſe haberet, tanto cum delectu doctiſſimi & eloquentiſſimi cujuſque inſtituit, & omnibus aliis, qui in literario otio aliqua cum laude verſantur, ſpem eandem propoſuit: quæ generoſiſſima incœpta, ſi eventus is, quem illiuſmodi propoſitum meretur, comprobaverit, optime actum iri cum hac ætate nemo dubitat. Tu modo me, qualiſcumque ſum, Homini totum trade, & commenda. Quod tibi eo diligentius præſtandum exiſtimo, quo amantius id te facturum ultro polliceris. Tibi ut ſuis verbis ſalutem hic aſcriberem ſedulo mecum egit Pomponius Triultius, qui tibi ſecum veterem conſuetudinem intercedere maxima cum animi voluptate mihi coram affirmavit. Is præ vi amoris erga te ſui etiam gratias ingentes nobis agendas duxit, quod te Oratione noſtra tantopere apud Regem ampliſſimum ornaſſemus, tanquam ad eum pars quoque illius laudis pertinuerit. Hoc ſcire te oportere putavi, quo mutuo ames juvenem ſumma virtute, ut perſpexi, præditum, & tui nominis in primis ſtudioſum. Vale apud Regem Chriſtianiſſ. Datæ XVI. Kalend. Auguſti.

EPISTOLA LIII.

CÆSAR TRIULTIUS. S. D.

Pomponio Fratri.

Medi olanum,

NIhil jam pridem literarum ad te dedi, quia nihil dignum tuis auribus erat, tum quia quotienſcunque ad communes parentes ſcribebam ad vos omnes ſcribere mihi perſuadebam. Atque ut verum fatear, ne nunc quidem ad te ſcripſiſſem, niſi materia te digna occurriſſet, quæ me ſcribentem & te legentem oblectaret; quare audiſſe te credo proximis menſibus in urbe in ruinis ædium Titi Imp. inventam fuiſſe Laocoontis ſtatuam, una cum ejus liberis. De qua meminerit Plinius Libro XXXVI. Capite V. his verbis. *Deinde multorum obſcurior fama eſt, quorundam claritati in operibus eximiis obſtante artificum numero; quoniam nec unus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari poſſunt, ſicut in Laocoonte, qui eſt in Titi Imp. domo, opus omnibus picturæ & ſtatuariæ artis præferendum: ex uno lapide eum & liberos draconumque mirabilis nexus de conſilii ſententia fecere, ſummi artifices Ageſander, Polydorus & Athenodorus Rhodii.* Magnum eſt hoc Plinii teſtimonium, atque adeo magnum,

gnum, ut civis Romanus, qui in ſuis hortis eam effodit Romano Cardinali Sancti Petri ad vincula DC nummis aureis vendere noluerit; Moxque ſummus Pont. illam in ſuburbio beluiderio habere voluerit, illique quoddam quaſi ſacellum extrui curaverit. Cæterum opus tam admirabile pluſculi ſacris Muſarum initiati verſiculis ſunt proſecuti, hos collectos ad te mittimus, tum ut tibi, tum mehercules ut academicis tuis gratum faciam. Satuam ipſam quam Plinius cum liberis ex uno lapide factam prodidit, Joannes Angelus Romanus & Michaël Chriſtophorus Florentinus in urbe Roma primi nominis ſtatuarii negant ex uno lapide confectam; oſtendunt compagines plus minus quatuor, ſed eas tam occulto loco junctas, tam appoſite ferruminatas circumlitaſque, ut non niſi ab ejus artificii peritiſſimis id facile intelligi poſſit, quare aut Plinium deceptum affirmant, aut ipſum alios voluiſſe decipere, ut opus fieret admirabilius. Neque enim treis ſtatuas magnitudinis juſtæ tot tanquam mirabilibus Draconum nexibus circumplexas in uno tantum lapide ullis inſtrumentis potuiſſe firmari. Magna eſt Plinii auctoritas, & noſtri artifices ſuis nituntur rationibus, nec vetus verbum eſt contemnendum, *fœlices fore artes; ſi de iis ſoli artifices indicarent*, Itaque cui ſententiæ adhæream non habeo dicere, utcunque ſtatuæ ipſæ perquam egregiæ ſunt & omni præconio dignæ; eas tu medius fidius vel ex carminibus Jacobi Sadoletii, viri hac in urbe doctiſſimi, videre poteris, qui meo judicio non minus eleganter Laocoontem cum liberis calamo deſcripſit, quam illi ipſi opifices cælo expoliverint. Denique qui Sadoletii carmina legerint, non habebunt cur magnopere deſiderent ſtatuas ipſas videre; ita ſingula quæque oculis ſubjicit, quamquam & aliorum carminibus ſua aſſit gratia: quibus & meum appoſui Epigramma (videlicet plumbum inter gemmas) ut reliquorum noſtri comparatione fierent illuſtriora: Tu hæc omnia tuis illis (ut ita dixerim) conſecraneis oſtendes; at ſubjunxi etiam eclogam Jacobi Sinceri, quamquam eam ad Jacobum Puteolanum miſiſſe arbitror; cumque ea quædam Epigrammata Philippi Beroaldi Junioris Bononiam mittimus, viri hac in urbe eruditiſſimi, meique amantiſſimi, quod ex illius carminibus videre poteris. Tu contra ſi quid ſtomacho noſtro dignum iſthic habebis, tuum erit nos quoque participes facere. Nos item ſi quid in poſterum hic excudetur dignum tuis oculis, id ad te mittemus ſi prius cognoverimus hæc noſtratia tibi placuiſſe, nos omnes hic recte valemus; tu quoque bonam valitudinem cura diligenter. Communibus parentibus fratribuſque multam ſalutem. Romæ. Kal. Juniis. M.D.VI.

ÆPISTOLA LIV.

FRANCISCO CALVO. S. D.

Antonius Verrius.

Romam;

QUandoquidem audio te incendium Urbis, prædam, barbaricum furorem, demum tot calamitates & ærumnas, poſtremo Tiberinas undas, & Deucalio-

nis

nis diluvium evaſiſſe, nos hic quoque iſta experti ſumus, vitamque extrema per omnia traximus, tum non vidimus, ſed fabuloſum illud formidavimus, de quo Phyſici omnes & Aſtrologi mentiti ſunt, inter has tum tot tantaſque calamitates & miſerias nunquam ex animo noſtro penitus exceſſit Calvus meus, pro quo ſæpius novis votis obligatus ſum, & obligationi ſatisfeci, literas quoque ſæpius ad te ſcripſi; qua in re admiratus ſum Calvi negligentiam vel accuſavi ſuperbiam, denique nactus fidelis nuncii occaſionem Hier. S. Aurelii Catanæi, auditoris noſtro, & tibi ut intelligo familiaris & prope domeſtici, non potui non etiam ad te has rudes & incultas calamo præcipiti & alieno exarare literas, nobis enim languet manus, & oculorum morbo membra omnia torpent, & male in lecto verſantur. Te igitur rogo & obſecro, ut Verrium tuum ex illis tuis penitiſſimis præcordiis non excludas, & aliquando eum brevi tua epiſtola reviſas, & ſi quid opus eſt mandes, jubeas, & imperes. De fratre autem tuo Andrea quid aliud ſcribam? niſi quod Diſpenſator, Secretarius, & Oeconomus a Comite Maximiliano Stampa conductus eſt, mercede (ut mihi retulit Andreas ipſe) aureorum trecentorum annuatim conſtituta, nec tamen interea deſiſtit exercere librariam tabernam per inſtitorem; uxorem quoque duxit (ut audio) honeſtiſſimam & pulcherrimam fœminam, ex qua jam ſuſcepit maſculum & fœminam, ſpem certiſſimam Calvinæ domus & virtutis, ſed puto me noctuas ferre Athenas, nemo enim ignorare res ſuas præſumitur. Quare, his omiſſis, illud, mi Calve, poſtremo te obſecro, ut Benedictum Manchaſolam, Placentinum, olim diſcipulum Verrianum iſtic Romæ anno jam abhinc tertio litigantem ad te acceſſas, cui his redditis nomine noſtro dicere non dedigneris, ut Verium quandoque audiat, difficileque putet barbato magiſtro imponere, nec plura: his enim paucis omnia inter nos agitata repetet, & quid Verrio promiſerit, & qua in re a Verrio commoneatur, præcipue de conventione illa per nos inter ipſum & adverſarios componenda, cætera ſupplebunt literæ. Tu autem interea vale, & Verii tui memor ſis aliquando, qui te amat plurimum. Dabam Mediol. Pridie Kal. Nov. M. D. XXX. ex ſtudio noſtro.

EPISTOLA LV.

JOHANNI KIRCHMANNO. S.D.

Jacobus Bongarſius.

Roſtochium,

POſtremas meas, memini me commendare Fròbenio Hamburgenſi, cum neſcio quo, tum novo, libello. Sed abs te dudum eſt, quod nihil habeo litterarum. Itaque aurem tibi vello: & mitto quæ nova accepi Lutetia: tumulum Puteani, & a Caſaubono illuſtratam Inſcriptionem, veterem illam, ſed recens repertam. Ipſe Caſaubonus totus eſt in Polybio, gravi, ut ſcis, auctore, quem & novà interpretatione, & laborioſo atque docto commentario illuſtrat. Scriberem plenius, ſi tibi has redditas iri confiderem. Sed memoriam mei tibi renovare, ſatis habeo. Tu, ſi quid ad me, ſi quid a me

vis, literas tuas mitte Francofurtum Cl. Marnio typographo. Deus te ſervet valentem. Argentinæ xv. Jul. 1602.

EPISTOLA LVI.

JOHANNI KIRCHMANNO. S. D.

Jacobus Bongarſius.

Roſtochium,

TUis ad me amiciſſimis literis reſpondeo tardius, quod peregrinanti redditæ. Tu vero rem mihi feciſti gratiſſimam, quod mei abs te conſervari immerentis memoriam, etiam literis teſtatum eſſe voluiſti. Mutua a me exſpecta. Caſaubonum non ignoras commentarium edidiſſe in auctores Auguſtæ Hiſtoriæ, qui poſt Suetonium, Perſium jam ſub prælo habet, & Polybium aggreditur. Danielem vixiſſe, vere nobis nunciatum. Mihi hæc in Germaniam profectio inſtituta, privata ob negotia mea. Nundinis Francofurtenſibus interero, & ab iis aulam repetam, certus inde, me abdere in ſola loca, pro meis negotiis. Tu ſi quid a me vis, fac id quæſo, ut ſciam: inprimis amare me perge. Et ſi vivit Bordingus, ſaluta eum a me. De ſtatu partium illarum, ſi communicare aliquid libuerit, feceris mihi ſane gratiſſimum. Argentinæ xvi. Jul. 1604.

EPISTOLA LVII.

JOHANNI KIRCHMANNO. S. D.

Jacobus Bongarſius.

Roſtochium,

COnſtantiſſimi animi tui teſtes habeo literas, quas ad me dediſti xii. Jan. quæ mihi ineunte hoc menſe redditæ. Tardius itaque reſpondeo, & valetudine ſane afflicta, quæ debita amicis officia non ſinit, ut ex animi mei ſententia præſtem. Magnas autem tibi gratias habeo, quod rerum iſtic veſtrarum ſtatum explicare litteris tuis volueris. Noſtræ, Dei admiranda miſericordia, ſalvæ ſunt, pacato tumultu Sedanenſi, poſtquam ad officium rediit Bullionius Dux. Litteræ, ut aliis etiam locis, animam agunt: unus eas Caſaubonus ſuſtinet apud nos: quas ubique Jeſuitæ impugnant. Illius exſpectamus Polybium: exſpectamus & Thuani Hiſtoriæ Tomum ſecundum: alia quæ proximæ nundinæ dabunt. Tu ſi quid a me vis, fac, quæſo, ut ſciam. Litteras tuas inſcribe hic Marnio typographo, qui eas porro curabit. Namque ego volaturus ſum. Sed injicit ætas manum & me jubet quieſcere. Paſſeratii quædam ad te mitto. Vale V. Cl. & me ama. Dominum Coryphium plurimum ſalvere jubeo. Francof. xxix. Apr. 1606.

EPI-

EPISTOLA LVIII.
JOHANNI KIRCHMANNO. S. D.
Jacobus Bongarſius.

Roſtochium,

TUas ad me dediſti Non. Maji, eas accepi, e peregrinatione aliquot menſium animi cauſa ſuſcepta Francofurti tranſiens: Adjunctas ad Caſaubonum nullas vidi: neque alias abs te, quas memoras, habui. Meas ad te periiſſe nonnullas cum libellulis novis puto. Quicquid ſit, & quod mei ſervas memoriam, tibi debeo; & quod pereuntes litteras ſtudio tuo ſiſtere pergis, tibi reiquep. gratulor, & me tui ſemper ſtudioſum, ſcito. Huc ego conceſſi, ut me turba eximerem, & mihi vacarem ipſi per hanc hiemem. Et ſunt quidem, quæ te ſcire & per te alios, illis locis, vellem. Sed in tanta eorum, quibus litteræ committantur, aut perfidia aut negligentia, nihil audeo chartæ committere. Te Deo commendo, eumque oro ſtudia tua ut fovere atque promovere velit, publice utilia, tibi honorifica. Si quid ad me vis, aut a me, id ſcito Marnio redditum, recte porro curatum iri. Vale V. Cl. & me ama. Baſilea XVIII. Sept. 1608.

Exercitationes Mathematicas Bruræi dudum eſt quod fruſtra requiro: tu impone hoc bibliopolis, ut Francofortum deferant, & Marnio unum aut alterum exemplar reddant. Vellem & Caſſelii Rhet. Ariſtotelis interpretationem; pretium meo nomine Marnius ſolvet: & ejuſdem Caſſelii Orationum, quæ apud Thucydidem, interpretationem. Quæ omnia olim, edita Roſtochii, habui.

EPISTOLA LIX.
JOANNI MEURSIO. S. D.*
Jacobus Bongarſius.

Hafniam,

QUæ de funere miſiſti,* ea grata quod a te, quem facio, uti debeo, ſane plurimi; quod a tuo in me affectu; quod ex iis futurus ego doctior. Sed de Gloſſario quod ſpem facis certam, me certe beas. Nam in recentioribus iſtis Græcis, ſunt quæ me torqueant: ſunt & in Conſtantinopolitanis rebus, quæ non aſſequor, quam plurima. Fac igitur quod facis: perge luce ingenii tui diſpellere has tenebras, & de bonis litteris bene mereri. Me adhuc errans hæc vita tenet, cui cum anno hoc, ſi Deus faverit, finem faciam: te vero amabo & colam æternum. Vale. Francof. VI. Oct. 1604.

EPISTOLA LX.

PETRO CURSIO RHETORI IN ACADEMIA ROMANA. S. D.

Deſiderius Eraſmus.

CUum Romanus in Chriſto pater & D. D. Matthæus. H. S. Angeli Cardinalis Roma in Germaniam reverti ſſet, nihil mihi prius fuit, quam ut ex ſuis familiaribus, inter quos nonnulli ſunt, quibuſcum trecentos ſalis modios, ut eſt in proverbio, conſumpſi, intelligerem, quidnam bonæ ſpei de componendis diſſidiis, & reſarcienda Chriſtiana concordia afferrent, eamque ob cauſam ad quendam præſtantiſſimum, mihique chariſſimum illius aulæ Principem virum literas e veſtigio dedi, ut mihi hunc ſcrupulum eximeret. Eram enim inter ſacrum & ſaxum, quod ajunt, dum ſpe ac metu huc illucque jactarer, conſtitutus, verebarque ne cauſa publica in privatis affectibus omnino deſereretur. Qui cum primum epiſtolam aperuiſſet, & manum meam jamdiu ſuis oculis familiarem agnoviſſet, ad Cardinalem ſtatim accurrit, nunciatque literas eſſe ab Eraſmo. Quo audito Cardinalis ſuaviter ſubridens egregie inquit, nobiſcum agitur, quod Eraſmus nos literis ſuis inviſat, nam annus mihi eſſe videtur, ex quo ne apicem quidem ab eo literarum conſpexi. Quid multis? recitari eas juſſit, & ſub finem earum magna mea cum laude, quam de pacando religionis ſtatu ſollicitus eſſem, plane regia, & tali Principe digna verba in frequentiſſimo illius aulæ theatro protulit. *Nihil ſe uſquam habere, quod doctorum virorum proprium eſſe nolit*, multaque alia de me adjunxit, quæ modeſtiæ cauſa prudens omitto. Sed unum tamen hoc præterire non poſſum, quod aureum poculum artificioſſime cælatum, quod tum congerronibus ſuis forte oſtentabat, tranſmitti ad me veluti μνημόσυνον animi ergà me ſui voluerit, ut declararet gratam ſibi fuiſſe ſollicitudinem meam. Quo ego profecto ita fui ob Phidiacum plane artificium delectatus, ut profeſſus ſim inter doctiſſimos, & ſcitiſſimos compotores meos, qui tum aderant, inter quos fuit B. Rhenanus, & Henricus Glareanus, hic Poëticæ, quæ bibax eſſe ſolet, ille Hiſtoriæ deditus, me non alio poculo, vel pharmacum adverſus calculum, vel ad extinguendam ſitim liquorem ſumpturum eſſe. Nam operculum, quod paulo infra crepidinem Æſculapium tornatilem habebat, medicinæ propinandæ fabrefactum data opera videbatur. Cyathus ipſe non mediocris capacitatis σκιρτῶντας circumhabebat Satyros, & in eorum medio Bacchum ebrioſulum tanta, ita me Deus amet, elegantia, ut jam Praxitelis opera mihi ſordere perfacile poſſint. Sed hæc præter rem. Perlectis literis meis reſponderi mihi juſſit, Paulum. III. Pont. Max. ab ipſa ſtatim electione pollicitum eſſe ſibi, & Romano in Chriſto Patri & Domino D. Bernardo Cardinali Tridentino, concilium ſe congregaturum, ut infinita malorum examina apud Germanos

nos funditus extirpentur, & eradicentur. Reliquum eſſe, ut ipſi homines eruditos & cordatos paſſim in Germania cohortentur, ut religioni ferre ſuppetias velint. E quibus certe plus quam monogrammum ampliſſimus Præſul me primum nominare decrevit. Sed tamen committere non voluit, quin me de nonnullorum impudentia, de quibus Romæ intellexerat, admoneret, qui Theoninis dentibus famam meam arroderent, & lacerarent. Idque eo conſilio fecit prudentiſſimus & hoc prope ſolo facto illuſtriſſimus Princeps, ut labes mihi aſperſas prius abſtergerem, quam huic ſtudio me præpararem. Equidem non ignorabam Romæ eſſe, qui nomen meum ſugillarent, ſed tamen qui mihi tam manifeſtam calumniam impingeret, quam a te fieri audiebam, neminem eſſe uſquam ne ſomniare quidem potui. Ajunt enim te detorquere neſcio quam voculam impreſſorum incuria depravatam ad meam ignominiam, adeoque fulmina quædam orationum ſcribere, & miſellum Eraſmum in ſacerrimis ſtudiis deſudantem ita traducere, ut nunc omnia fora, omnia templa, omnia compita, omnia convivia, nihil aliud crepent, quam ſacrilegum Eraſmum, & ſexcentis tauris Phalaridis dignum. Quo audito mirari principio, deinde obſtupeſcere, poſtremo etiam obſtipeſcere cœpi, quid te induxerit, ut mihi non alia ratione, quam injuria notus eſſe velis. Nomen enim tuum alioqui nunquam audieram. Age mi Petre, te oro obteſtorque per viſcera Chriſti cogitemus, quanto in diſcrimine verſemur, quot hæreſium diluvia, quot bellorum tumultus, quot diſſidiorum incendia Chriſtianum orbem inundent. Miſſas faciamus has tam inſignes calumnias, cujuſmodi mille objicere etiam diligentiſſimis, & ſanctiſſimis doctoribus poſſis. Nam ut tandem ad rem veniamus, quid obſecro flagitii commiſſi. Attalum ceu imbellem notaverim, quem Hecatæus in Dionyſium ἀπόλεμον ϗ ἄμαχον adpellat? an mihi dependendum eſt, quod typographorum ignavia commiſit? aut non eram ego in Anticyram relegandus perpetuo, qui bellicoſiſſimæ omnium nationum Italiæ auferre hanc gloriam conarer? certe nominis mei oblitus eſſe videri poſſem, ſi Latinorum, Græcorumque hominum ſcripta omnia Italiæ laudibus ampliſſimis ſcatere non meminiſſem. Præcipue vero his, quæ ad literarum, & militiæ gloriam ſpectant. Verum adeo nullam in me ſuſpitionem inferendæ injuriæ extare nunc, aut extitiſſe unquam teſtis eſt mihi animus meus, cum haud recte meminerim, ubi de Attalis iſta ſcriptis meis prodiderim, neque eram unquam id animadverſurus, niſi amanuenſis meus recordatus fuiſſet in proverbio *Myconius Calvus*, tale quidpiam eſſe, ubi ſtatim deprehendi formularios, quibus non ſatis familiare erat Attalorum nomen, ex eo Italum feciſſe. Atque utinam mihi non quotidie hujuſmodi tragediæ excitarentur. Nuper enim cum inter imprimendum excuſores aliquot conqueſti fuiſſent, me ſibi Xenia nondum perſolviſſe, exortus eſt inter eos quidam cæteris vinolentior, qui profiteretur ſe pœnas a me exacturum, ni darem. Atque id profecto veterator tam egregie effecit, ut aureis nummis trecentis redimere eam ignominiam voluiſſem. Cum enim in *vidua mea*, quam Sereniſſimæ Ungariæ Reginæ dedicave-

ram ad laudem cujuſdam Sanctiſſimæ fœminæ inter alia liberalitatem illius in pauperes referrem, hæc verba ſubjunxi. *Atque mente illa uſam eam ſemper fuiſſe, qua talem fœminam deceret.* Unde ſceleſtus ille animadvertens ſibi vindictæ occaſionem oblatam eſſe, ex *mente* illa, *mentula* fecit; itaque volumina mille fuere impreſſa. Quid igitur mirum, ſi iſtorum hominum quiſpiam vel per errorem, vel ſciens, volenſque feſellerit? hoc profecto conſtat, in archetypo meo Attalum ſcriptum eſſe, ſed neſcio quo fato bis jam hæc vox magnos mihi tumultus peperit. Reprehenſum enim a Lovanienſibus Theologis in me fuit, quod Act. XIIII. ex *Italia* mutarim ad fidem Græcorum Codicum *Attalia*, atque ob eam cauſam me prope impium eſſe proclamabant, quod negarem Paulum in Italiam unquam veniſſe, quaſi vero non tota fere Apoſtolorum Hiſtoria id pertractet. Nunc vero rurſum, quod librarii Attalum in Italum commutarint me omnino inſcio, novum mihi a te bellum indicitur, adeoque ἄσπονδος ut ajunt πόλεμος. vix arbitror uſquam alias calamitoſiſſimum Aten ἣ κατ᾽ ἀνδρῶν κράατα βαίνει ut Homerus ait, infeſtiorem mihi ſeſe exhibuiſſe, quam in Attalia cognata ſibi voce, vel ipſo etiam ſono metuenda. Cæterum, chariſſime frater, admonitum te velim, ne vel tuo ipſius judicio, vel inſtinctu aliorum te ipſum in hujuſmodi præcipitia abjiceres, in quibus prope ſemper plus ineſt incommodi, quam gloriæ. Si hac via adgrediaris aucupandæ gloriolæ rationem, nihil efficies aliud, quam ut totum te deridendum propines aliis. Reſpondere debes his, qui nomini tuo iſthic officiunt, conanturque tenebras offundere. Comperi enim poſtea te Archilocum habere, quem in nomen tuum proprio rabies armavit jambo. In eo tu conficiendo olei plus debes conſumere, quam in appetendo Eraſmo, qui jam depontanus ſenex, tot exantlatis moleſtiis, nihil aliud eſt, quam Aſinus non omnino iners inter ſimias. Illi rurſum, qui mihi inſultant, canes videntur eſſe in præſepi, qui armenta a fœno invidis latratibus abigunt, quo ipſi non veſcuntur. Quodſi cognovero, quod equidem non ſpero, te vel tantillum contra me publicare, experieris (ni fallor) Eraſmum jam LXX. annos natum, neque edentulum eſſe omnino, neque exunguem. Si vero modeſtus, ut ſpero, fueris, tibi gratias quoque ſum habiturus, qui me librariorum ignaviæ commonefeceris. Sunt enim Chiliades meæ auctæ multis decuriis, quæ tamen ad centuriam non perveniunt, revocatæ ſub prælum, ubi literulas has mutari curabo. Quæ mihi, ni mature præveniſſem, magnæ tempeſtatis cauſa futuræ fuiſſent. Quod reliquum eſt, dare operam debemus, ne bonæ literæ apud imperitos male audiant propter inanes digladiationes, quæ tandem, niſi dimicare in frivolis rebus deſierimus, non modo putribus ovis a plebe promiſcua dirimentur, ſed etiam catenis, quibus veſaniam noſtram cöerceant. Deus Opt. Max. faxit, ut ſubmiſſis animis noſtris ſuſcipere illius gratiam poſſimus, cujus præſidio nefarios Eccleſiæ hoſtes proſternere valeamus. Vale, & nomine meo Geneſium Sepulvedam, & Aug. Eugubinum viros inſignes cohortare, ut ſtudiis ſuis, labefactatis rebus ſuccurrere potius velint, quam

pantalabi

pantalabi eſſe. Datum Friburgi Briſgojæ. Quinto idus Januarias. M. D. XXXV.

EPISTOLA LXI.

BEATUS RHENANUS. S. D.

Franciſco Calvo.

Papiam,

AJebas apud Alciatum Hiſtoricos quoſdam eſſe, qui poſt inclinationem Romani imperii ſcripſerunt, cujus generis eſſe puto Scotum, quem in ſuis annotationibus ſubinde citat Alciatus: & pollicebaris eos te nobis communicaturum. Itaque rogo plurimum, ut, ſi fieri queat, per hunc tabellarium ejuſmodi aliquid ad nos mittas. Nam quod Alciatus in ſuis in Tacitum annotamentis ſcribit, in alpeis Carolum Magnum conjeciſſe Saxonas, omnino videtur ex aliquo ejus generis Hiſtorico compertum habere. Martinus Lutherus non fuit a Saxoniæ duce Friderico deſtitutus, neque unquam e Vittenberga pedem movit, verum ibidem locum & dignitatem retinens appellavit ad futurum concilium, quam nunc appellationem Hagenoæ Thomas Anſelmus imprimit. Imprimit & Luciani Nazianzenique quædam a Melanchthone & verſa & miſſa. Necnon Athanaſii quæſtiones, quas Capnion, ut ſcis, latinitate donavit. Putantur, αἱ αὐτόνομοι πόλεις μονονουχὶ τῆς ὅλης γερμανίας cum hac gente συνθήκας ποιήσειν. Turegi comitia celebrantur. Quod ſi fiat, de noſtro regno timendum eſt. Dux Wittenburgenſis inſignis crudelitatis exemplum in Rutelingam edidit. Commenda me incomparabili virtutis & literarum decori Dn. Jo. Grolierio, & Andreæ Alciato. Bene Vale Baſileæ. 9. Febr. An. M. D. XIX.

EPISTOLA LXII.

BEATUS RHENANUS. S. D.

Franciſco Calvo.

Papiam,

MIſit ad te Frobenius Tyrium, & compendium illud Eraſmicum, quod plus Chriſtianæ Theologiæ habet, quam aliorum τὰ καθολικά. Tu viciſſim des operam, ut mittas, quæ promiſiſti. Porro hoc tibi perſuade, nihil a te poſſe fieri, quod inprimis Chriſto, deinde ſtudioſis omnibus gratius ſit futurum, quam ſi hoc pacto literis bonis conſulueris. Erit hoc in rem tuam, & nominis immortalitatem tibi parabit. Scripſit ex Friburgo Zaſius libellum ſuum indiligenter in officina Frobeniana tractatum. In cauſa fuit caſtigator novus, qui huic provinciæ nondum aſſueverat, ut ſæpe Zaſii vicem doluerim, cujus opus in tyronis manus incidiſſet. Itaque mendas omneis adnotavit, & juſſit eas in charta ſeparatim imprimi, quæ ſit ad finem operis adjicienda. Utinam a te minus exemplarium eſſet avectum. Maximilianus Auguſtus pridie Epiphaniæ

niæ deceſſit, nondum rebus omnibus ad umbilicum perductis, quas fuerat exorſus. Moliebatur magna quædam. Sed ô fatorum invidiam! quæ præclaris operibus finem non conceditis, at ea potius in medio plerunque curſu repente præter omnium expectationem abrumpens, ô duriciem fatorum, quæ precibus exorari non poteſtis. Ajunt τὸν βασιλέα τῶν Κελτῶν εἰς τὴν ἄνω Βεργουδίαν ἐμβάλλειν. Putaſne feriaturos τοὺς Ἑνετοὺς. Hui quantum turbarum? Saluta Andream Alciatum eximium Italiæ decus, Benedictum Jovium, Domitium Faſconum, Teleſinum, Dardanum Jo. Franciſcum Quintianum. in primis autem Stephanum Nigrum & L. Cœlium. Grolierio Muſarum Patrono fac me commendes. Mitte Cucullomaſtiga, noſti cujus. Chalcidium Frobenius ſtudioſis promiſit in epiſtola, quam ad Tyrii finem adjecit. Bene Vale chariſſime frater. Baſileæ. Sexto Calendas Februarias. An. M. D. XIX.

EPISTOLA LXIII.

HENRICO RANZOVIO PRODUCI CIMBRICO. S.D.

Joſephus Scaliger.

Segebergam,

TUas literas humanitatis pleniſſimas, illuſtriſſime Heros, longioribus proſequi debueram, ſiquidem per anguſtias temporis licuiſſet. Sed hoc incommodi intervenit, quod neceſſitas ad eas reſpondendi mihi prius impoſita ſit, quam facultas data eas legendi. Ecce enim in ipſo articulo is ipſe, qui tuas mihi reddidit, Fridericus Lindenbrog Hamburgenſis, utriuſque noſtri ſtudioſiſſimus, iſtas a me exegit, quod nactus eſſet, cui tuto eas committeret. Alioqui meliorem copiam mihi dari non poſſe. Itaque Cæſarianum facinus feci. Eadem opera & tibi reſpondi & tuas legi. Ignoſces igitur pro tua hnmanitate, ſi brevioribus tecum ago. Erit locus poſtea, ubi & plenius & uberius reſpondere dabitur. Interea non poſſum diſſimulare, quanta voluptate me affecerint tuæ literæ, quod ex illis me a te amari intellexi. Nam quod etiam plurimi me fieri ſenſi, id tua bonitate potius, quam merito meo factum puto. Tua virtus, eruditio, generis ſplendor ejuſmodi ſunt, ut & ab invitis aliquam confeſſionem exprimere poſſint. Quid putas amantes tui facturos, qui ea tacere non poſſunt? in quibus ego aut principem locum teneo, aut ſaltem, nemini concedo. Nuper incidit in manus meas liber de Bello Dithmarſico. Quanta voluptate me perfudit memoria illuſtris Patris tui, qui illis rebus interfuit, & præfuit. Non dicam, qua alacritate animi ea legerim. Amici mei teſtes ſunt quantum amem eos, de quibus non poſſum loqui, niſi prius laudaverim. Sed quid te moror? ſcito te a me tanti fieri, quanti neminem. Cyclometrica mea neſcio, quo fato prius ediderim, quam ſcripſerim pene. Item verum ἔκτρωμα fuit fœtura illa. Et plurimis anſam dedimus etiam imperitiſſimis in nos ſcribendi. Sed nunc plane res edolata eſt. Et ſperamus nos ſaltem τετραγωνισμὸν verum edituros. Neque erit locus aut amicis

vicem

vicem noſtram dolendi, aut inimicis nos inſectandi. Vale illuſtriſſime Heros. Lugduni Batav. VII. Kal. Octobr. CIƆ. IƆ. XCV.

EPISTOLA LXIV.

HENRICO RANZOVIO PRODUCI CIMBRICO. S.D.

Joſephus Scaliger.

Segebergam,

VOlumen tuarum Epiſtolarum, Vir illuſtriſſ. hodie accepi: quod plurimis nominibus mihi gratiſſimum eſſe debet, ſed præcipue, quod tot tantique viri operas contulerunt, ut te in acerbiſſimo caſu tuo conſolarentur. Ac quanquam tu vir tanto animo, tantaque fortitudine ſatis præſidii & a natura & ab inſtitutione habes, quo adverſam omnem fortunam excipias, cum te conſolari poſſis iis fructibus, quos ex literis quotidie conſequeris: tamen illi egregii Heroes, illi ſummi viri ſocietate doloris abunde teſtati ſunt, quanti te facerent in hoc gratiore, quam jucundiore officio ſuo. Equidem non dubito, quin tu homo iis rebus geſtis, ea humanitate literarum, alios potius conſolari poſſis, quam ut tu ipſe aliena conſolatione indigeas, niſi penitus te omnes induſtriæ tuæ fructus perdidiſſe dicendum fuerit, quod non magis tibi accidere poteſt, quam te diſſimilem tui eſſe. Tamen illi recti & ex officio, qui & literis ſuis officioſiſſimis, & allocutionibus amantiſſimis obviam ierunt dolori tuo, quicunque humanitus te opprimere potuiſſet, niſi aliunde exploratam & explicatam haberes rationem conſolationum tuarum. Et ſane in recenti vulnere tuo meum quoque erat, horum virorum exemplo, aut conſolando aut æque dolendo officium meum teſtari. Quod quamvis a nobis præſtitum non ſit, tamen id exigere potuiſti jure tuo, cum ejus adhuc me debitorem profitear. Nunc eo rem rediiſſe video, ut tibi potius gratulari debeamus, quod fortiter ærumnas tuas tuleris, quam ut neceſſe ſit vulneribus tuis, quæ jam conſanuerunt, manus inferre, ſi non volumus prudentiæ tuæ diffidere, quam tantam eſſe judicamus, ut te nihil cogitare quidem putemus, quod non dignum ſit & natalibus tuis, & inſtituto, & perſona. Itaque quemadmodum omnia animi bona in te eſſe mihi perſuaſi, ita unam fortitudinem tibi nunquam defuturam puto. Videor pro jure amicitiæ noſtræ facturus, ſi de filii luctu, qui in Gallia cæſus eſt, hoc carmine te compellem. Et Vale, Vir illuſtriſſ. VII. Eid. Novembris. CIƆ. IƆ. XCV. Lugduni Batavorum.

Nulla ergo flendi meta tam carum caput?
Nec ulla finis lacrimarum, nec pudor?
Sero parentem te fuiſſe cogitas.
Quem non habere ſentiebas antea,
Amiſſione is carior factus tibi eſt.
Quod ſi in dolorem nil amici poſſumus

Aut alloquendo, aut increpando: at aureus
Flos liberorum, qui ſuperſtes mortuo eſt,
Quotidianam hanc demat ægrimoniam.
Gnatos ademptos qui nimis deſiderat,
Injurioſus in relictos eſt pater.

EPISTOLA LXV.

JOSEPHUS SCALIGER. S.D.

Claudio Salmaſio.

Heidelbergam,

BEeneficiis jam plus ſatis me onerasti. Habes me jam totum in ære tuo. Quantum tibi debeam, ſcio. Quando ſolvam, neſcio. Accepi igitur τὰ Χριστιανικὰ; de quibus idem tecum ſentio. Monachalia plane ſunt. Fructum aliquem jam ex lectione eorum percepi. Neque vero operam luſi in legendo: & certe ſi non ulla alia re commendanda eſſent, eo ſolo eſſent, quod poſt tot annos e oblivionis latebris eruta ſunt Multum novitas nos afficit: & vetuſta, quæ diu latuerunt, poſtquam lucem viderunt, nova ſunt. Quid dicam de procemio illius Gazenſis Grammatici? Certe feliciter audax eſt. Si talis eſt in toto opere, qualem promittit procemium, non dubitem illum cum Nonno comparare. Quid facias? is erat ejus ſæculi ſtilus, ut nihil bonum dictum eſſet, nullum poëma γονιμῶδες nisi παρεγκεκινδυνευμένον. Utinam per tuas occupationes liceat tibi deſcribere totum, & ad me mittere. Noli dubitare, quin multa cognitu digna habeat, quæ nobis materiam utilium notarum ſuggerent, quas omnes tibi mittam. Certe te in hac ætate tam bene de literis mereri non minus ad gloriam tuam, quam ad publicam utilitatem pertinet. Epigrammata ἀνέκδοτα vellem equidem te caſtigatiora edere, & quidem meam operam tibi non inviderem. Sed quædam ſine meliore codice emendari non poſſunt, ego non minus ingenium meum, quam vires corporis ſeneſcere jamdudum & ſentio & queror. Conſilium de editione hoc duntaxat dare poſſum. Scis Anthologiam in capita diſtinctam eſſe; auctor tibi fuerim, vel ille ἀνέκδοτα in ſua capita conjicere cum nota quadam, quæ moneat lectorem ea nova eſſe. Vel omnia illa ἀνέκδοτα in calcem Anthologiæ conjicere diſtincta per capita, ut eſt ipſa Anthologia, ut lector ſciat ea referre ad capita Anthologiæ. Alterutrum facias neceſſe eſt. Et fortaſſe prius prætuleris poſteriori, ut omnino editio ſit eadem, quæ ante Planudem erat, qui miſere eam deformavit. Expecto igitur Johannem Gazenſem, quem dabis Judæ Bonenvittio, ut ſtatim eum mittat ad affinem ſuum Joh. Commelinum mercatorem Amſtelrædamenſem. Audio te ab ampliſſimo Senatore patre tuo in parriam revocari proxima æſtate, aut autumno. Quod ſi ita eſt, non pœniteret te huc ad nos tranſiiſſe, & nos inviſere. Nihil tamen auſim tibi ſuadere præter animi tui voluntatem, aut viæ commoditatem. Nam altera compendioſior eſt. Habemus Hagæ ampliſſ. Præſidem Petrum Janinium veſtra-

veſtratem, cum quo patruelis patris tui eſt, quos ego nudius tertius conveni. Et antea aliquot dies uſus ſum hoſpitio ipſius Præſidis, qui & humaniſſime me excepit, & invitus me dimiſit. Quicquid amplum, magnificum de eo dixero, minus quam pro ejus virtutibus dixero. Vale & me ama. VI. Kal. priores Februarii Juliani. CIƆ. IƆC. VIII.

EPISTOLA LXVI.

JOH. KIRCHMANNO. S. D.

Iſ. Caſaubonus.

Aurelias.

ANte horas opinor ſex ſeptem, mi Kirchmanne, tuas accepi, quibus jubeo te reſponſionem expectare bene longam, & quæ, ut ille ait, utramque manum impleat. Sed dierum aliquot dari mihi veniam poſtulo, atque adeo flagito, ſum enim occupatiſſimus: neque moram negotia patiuntur, quæ me nunc cum maxime διασπῶσιν ἔνθεν κἀνθεν, non diu te traham. Omnino enim proxima hebdomada, σύν γε τῷ θεῷ εἰπεῖν meas ad te ſolutiones, ad τὰς σὰς ἀπορίας aut certe συναπορήσεις miſſurus ſum. Interea pauca hæc tibi ſcribenda duxi, ut de conſtantia mei in te amoris non dubitares. Ego vero, Eruditiſſime vir, & amo te plurimum, & ſtudiis tuis plane ex animo faveo. Perge vera humanitatis ſtudia cum ſeverioribus Muſis, ἀγαθῇ τύχῃ, maritare: neque dubita hanc eſſe unam, hanc ſolam viam, quam ſeniores illi, ἠ μὲν νέοι ἠδὲ παλαιοὶ calcarunt, quorum in omni genere literarum præſtantiam orbis miratur. De Mercero me vide, & factum puta. Is mihi amiciſſimus eſt. Vale. Vir Eruditiſſime. Lutetiæ Pariſiorum. Nonis Martii CIƆ. IƆCI.

EPISTOLA LXVII.

IS. CASAUBONUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Aurelias.

ET obrutus negotiis & curis confectus hæc ad te, Vir amiciſſime, ſcripſi: ut nihil mihi fide antiquius eſſe cognoſceres: quæ ut ſcis, ex eo nomen habet, quod fiat id, quod dictum eſt. Ζητήσεων tuarum quadrigam priorem relegi hodie: ſimul quæ veniebant mihi in mentem, quo tibi ſatisfacerem, huic chartæ illevi. Quæris, quid ſit in lege Numæ, *fulmine occiſum ſupra genua tollere.* Nobis quoque id loquendi genus negotium perſæpe fecit. Nam doctorum, quas affers interpretationes, plane ſunt ἀνερμάτιστοι. Sed non eſt dubium ſignificari a Pompilio iis verbis, quod uſitatius & brevius dici ſolet, *juſta facere.* Eſt enim ἀπαραλείπτως mens legis hæc: non licere τὰ νομιζόμενα illi ποιεῖν, quem occidiſſet fulmen. Putabat nimirum vetuſtas τοὺς κεραυνοβλήτους Deorum odium eſſe promeritos: itaque ut ſuperis exoſos abominabantur: atque ut ſceleratis hominibus aqua & igni interdicebant: ita illos fato fun-

funſtos funeris honore privabant: *ᾗπερ θέμις ἐςὶ θανόντων*. Sic ſuſpendioſis juſta facere fuit nefas; ſic etiam apud Lacedæmonios *οὐκ ἦν θέμις ὁσίας τυχεῖν ἀνδρὸς νεκρὸν βεβλημένον τὰ ὀπίσω*, ait Euſtathius. Hoc voluit Numa *ἀναμφισβητήτως*: ſicut etiam ſubjecta apud Feſtum verba declarant. Eſt igitur *ſupra tollere* *φράσις ἀπὸ μέρους τοῦ παντὸς δηλωτική*: hoc eſt *πάσης τῆς περὶ νεκρὸν ὁσίας καὶ κηδείας*. Proprie *ſupra genua tollere* iis convenit, qui corpus exanime nudabant, lavabant, ungebant. Muliercularum ea fuit cura ut plurimum: quæ humi ſedentes cruribus porrectis, tibiiſque ſupra genua poſitum cadaver curabant. Omnino legem Numæ explicant antiquæ ſtatuæ, quas in hac urbe aliiſque videmus. Mulieres ſunt habentes Chriſti *τοῦ σωτῆρος* corpus cruci detractatum, idque nudum, *πρὸς τὸ ἐνταφιάζειν αὐτό*. Si hujuſmodi imagines vidiſti, non quæres amplius, quid ſit *ſupra genua tollere*. Nam ut dixi, ita fuit moris pollinctoribus aut mulieribus illis, quæ mortuorum corpora *περιέστελλον*, ut Græci loquuntur, & lavabant ungebantque. Noſti verſum, *Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit*. Morem cremandi mortuos non Imperatorum conſtitutiones ſuſtulerunt: ſed religionis Chriſtianæ *πολιτεία*. Sidonius Epiſt. III. lib. III. magis ad cremandi ritum alluſit, quam ſignificavit Chriſtianis hominibus uſurpatam fuiſſe ævo ſuo *νεκροκαυςίαν*. Et aliter rem habere certum eſt. Fuere autem Macrobius & Sidonius æquales. Ambos ſub Theodoſio Juniore vixiſſe conſtat. Plinii locum, de ignoratis Iliacis temporibus unguentis, attigimus in animadverſ. in Athenæum lib. XV. cap. XI. vide ibi Athenæum; nam Plinius Græcum ſcriptorem habuit quidem ante oculos, ſed parum ex fide ſententiam illius expreſſit. Inter ſummi viri *παροράματα*, quæ non parva ſunt, nec levia, hoc quoque cenſeri debet. Quod de Anacreonte ſubjicis, mirum quo ſpectet; cum aliquot ſeculis ejus ætatem *τὰ περὶ τὴν Ἴλιον* præcedant. Idem ſentiendum de legum XII. auctoribus. Non eſt neque obſcurus neque difficilis ὁ *ἐπιλογισμός*. Apud Servium lego, *moris fuit, ut noctibus efferrentur ad funalia*, niſi mavis natum errorem ab imperiti critici emendatione, qui poſteriori ſyllabæ vocis *noctu* ſuperſcripſerat *te*, quaſi egeret ſcilicet emendationis vox illa. Malo illud prius. Habes ad priorem quadrigam: neque nunc plura poteram: urgentibus moleſtiſſimis negotiis. Sed de cæteris jubeo te eſſe ſecurum: non enim conturbabo. Vale. Et me conſtanter ama. Lutetiæ Pariſiorum. III. Eid. Mart. CIↃ. IↃCI.

EPISTOLA LXVIII.

IS. CASAUBONUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Aurelias,

NOn feram, mi Kirchmanne, ut in ære tuo ſim diutius. Atque utinam minus moleſtæ, minus graves occupationes eſſent, quæ nos aſſidue tenent: non reſponderem ſolum ad quæſita tua, verum quæſtionibus ultro te

fatigatum

fatigatum irem. Et erit fortaſſe brevi, cum otii plus habebimus ad generis hujus meditationes. Interea ad poſteriorem quadrigam tuarum ζητήσεων accipe, quæ veniebant nobis in mentem, cum tuas legeremus. Scribit Feſtus. *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur: quas Flamini audire putabant illicitum.* Repugnat iſtis, inquis tu, Noctium Scriptor, cujus verba: *Flamini Diali funus exſequi non eſt religio.* Et habent re vera contradictionis ſpeciem hæ aſſertiones: ſpeciem inquam, non ἀληθινὴν ἐναντιώσιν. Poſſunt autem variis modis hæc inter ſe conciliari. Non inepte contenderit aliquis, de temporibus diverſis locutos Feſtum & A. Gellium: hunc de ſuorum temporum ſentire conſuetudine: illum de priſco, & vetuſtate ipſa obſoleto more. Ideo, ait, *putabant*, non *putant*. Si dicas non Feſti eam eſſe vocem, ſed breviatoris: etſi nihil video, cur ita exiſtimare ſit neceſſe: non in eo tamen ſolutionis cardinem conſtituo. Negabo potius ſibi contraria eſſe *funus exſequi*, & *tibias funerum audire non poſſe.* Primum quia non omnia funera ad tibiam ducebantur: ſcis enim in honeſtiorum funeribus tubam pro tibia eſſe adhibitam. Deindè illud poteſt dici: Pontifices raro itaſſe exſequias: qui ſi quando eo venirent, habitum eſſe ipſis hunc honorem, ut eorum gratia tibiæ removerentur. De ſolenni mulierum laudatione, quid tibi reſpondeam, animi pendeo: per enim mihi mirum videtur, tam longo temporum intervallo poſt latam legem, ignoratam Romæ fuiſſe eam conſuetudinem. Sed & Marcum Tullium idem miratum eſſe non dubito: ideo de Popillia eſt ab illo adnotatum: ceu res obſervatu digna. Et tamen non audet Cicero affirmare primam omnium mulierum eam fuiſſe laudatam publice: verum *ita ſe*, ait, *putare*. quaſi dicat, fieri poſſe, ut & aliis olim is honos eſſet habitus: ſed quarum nulla extaret in hiſtoriis memoria. Sciendum etiam, non ſtatim moribus receptum eſſe, quicquid per leges licebat. Illuſtria exempla in lege de divortiis: & in illa quæ malum debitorem ſecare μελέσι permittebat. Quod autem mulierum ἐπιτάφιοι λόγοι Romæ non eſſent in uſu, etiam Polybius & Dionyſ. Halic. indicant, qui de eo inſtituto multa ſcribentes muliebris laudationis nullam fecerunt mentionem. Orcinos libertos lectum dominorum defunctorum ſolitos antecedere, Livius ait, aliique e Latinis. Dionyſ. Halic. ταῖς κλίναις παραπολουθεῖν. Hoc eſt *lectos proſequi.* Aliud nihil τὸ παραπολουθεῖν ſignificat hoc loco. Quare irent præ an pone ſequerentur ex Dionyſii verbis cognoſci liquido non poteſt. Proprie παραπολουθεῖν eſt honoris cauſa latus tegere alicui: ponitur & pro ſequi e veſtigio. Sed & in genere proſequi ſignificat, quod alia voce προπέμπειν dictitant Græci. Sic quod ait Capitolinus, *Verum Marcus Imperator Capuam uſque proſecutus eſt*, poſſis Græce dicere τῷ Οὐήρῳ Μάρκος μέχρι Καπύης παρηκολούθησε. Hac notione apud Dionyſium capiam. Non aſſentior Ræyardo, qui verba legis XII. *Mortuo ne oſſa legito*, &c. Ad morem illum reſtringit, de quo Feſtus. Aliud eſt *digitum abſcindere*, aliud *oſſa legere.* Etſi valde ſunt res affines: & ab eadem cauſa manantes. Sed videtur utrumque olim factitatum,

augendo luctui, uti ait Cicero. Erant qui ante ἐκφορὰν mortuo digitum præciderent: ad quem ſervatum juſta fierent poſtmodum, quoties luctum vellent inſtaurare. Erant alii, qui oſſa in condendis cineribus legerent ac domum reportarent, funi eadem. Ita exponenda eſſe verba legis, exceptio illa arguit, quæ eſt apud Ciceronem: *bellicam*, inquit, *peregrinamque mortem* excipit. Et ſcimus ita fuiſſe moribus receptum: nam peregre aut militiæ defunctorum oſſa legebant, & domum reportabant, inibique juſtum illis funus faciebant. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Quod ſupereſt, ubi primum erit otium, literas omnes tuas relegam, & ſi quid eſt, cui non ſit reſponſum, erit illud proximæ epiſtolæ argumentum. Sequentur poſtea, quæ ipſi obſervavimus: nam & illa cupimus omnia tecum communicata. Vale vir amiciſſime. Scripſi raptim Eidibus Apr. CIↃ. IↃCI.

EPISTOLA LXIX.

IS. CASAUBONUS. S. D.

Johanni Kirchmanno.

Megalopolim,

GRatum mihi fuit, vir doctiſſime, poſt longi temporis ſilentium, tuas accipere, & de tuo ſtatu cognoſcere. Nam poſtquam ex Italia es reverſus, de te nihil certo potueram intelligere; niſi quod ex eruditiſſimi tui libri lectione, quam eſſes in amore mei conſtans, luculente didiceram, neque ſane ego tuas expectaſſem, ſi ubi locorum eſſes, aut quo meas mitterem, exploratum habuiſſem. Nunc cum literis tuis amantiſſime ſcriptis me laceſſiſti, dabo ſedulo operam, ut tuæ diligentiæ tibi fructus conſtet: neque ullam ſcribendi ad te occaſionem prætermittam, quam quidem ſatis tutam fuero arbitratus. De Mortualibus tuis quid ſentiam dicerem, niſi effeciſſes, ne liberum mihi eſſet de eo pronuntiare: non enim poſſum eum librum non ferre in cœlum laudibus, quo libro meæ laudes, & quidem immeritæ, tot locis attinguntur. Cum primis vero illud ſuave legenti erat, quod me alicubi ad eas literas illuſtrandas hortaris, in quibus ſolis diu eſt, cum ex omnibus vitæ hujus ærumnis animus conquieſcit meus. Quod nuper editione libelli cujuſdam Gregorii Nyſſeni videor mihi abunde eſſe teſtatus; facturus id ipſum longe luculentius, niſi ſederet ἐπὶ στόμα βοῦς: & præciſa mihi iſta in loco ejuſmodi ſcriptionis eſſet libertas. Sed de his alias fortaſſe plura: non enim facio quicquam libentius, quam ut de ſtudiis cum amicis fabuler. Eum porro, quem dixi, libellum a Drovardis mercatoribus noſtratibus, niſi longinquitas itineris impedierit, ſpero, te accepturum. De magni Thuani hiſtoria, tecum plane ſentio, & omnes ſimul boni: quis enim ejus laudes ſatis digne exſequatur? quis non admiretur ſapientiam, conſtantiam, eruditionem? at non ita ſentiunt οἱ πανώλεις πατπωομανοῦντες: quorum exarſit furor ad illius operis lectionem. Quid mirum? non enim aqua igni magis contraria, quam horum palatum

latum ἀντιπαθεῖ τῷ ἀληθεῖ, cujus ipſi ſunt hoſtes infeſtiſſimi. Quæ te nunc ſtudia habeant, quid pares velim ſcire. Nos in polybio ſumus, quem præſtantiſſimum ſcriptorem & vertimus Latine totum, & exquiſita diligentia illuſtraturi ſumus, ſi dabit Deus, ea poſſe in publicum edere, quæ quotidie meditamur; ſed incredibile dictu eſt, quam multa ſe ſubinde noſtris conatibus offerant impedimenta. Itaque ἐν τῇ τῶν ἀναγινωσκόντων ἀνεξικακίᾳ ſpes noſtras ponimus. Vale vir eruditiſſime & me ama. Bretoneriæ ſeptimo ab urbe lapide. Huc enim migrare nos coegit graſſans per urbem peſtilentia. IV. Kal. Sept. CIↃ. IↃC. VI.

EPISTOLA LXX.

JOHANNI KIRCHMANNO. S.D.

Iſaacus Caſaubonus.

Roſtochium,

LIteras tuas, & quam adjeciſti orationem, accepi. Noram ex ſcriptis & communi fama τὸν μακαρίτην Merulam: nunc ex laudatione, qua illi parentaſti, merita hominis novi & melius æſtimo. Magnum in ejus morte res literaria damnum fecit: Academia vero Batava maximam. Nuper vero eadem τὸν ἐν βροτοῖσιν ἀρίζηλον, μᾶλλον δ' ἀστέρα φαεινότατον, magnum Scaligerum amiſit. Quis ſatis jacturam illam deflere valeat? quæ lacrymæ huic luctui ſufficiant? nam illi Viro parem nulla prior ætas unquam vidit, nulla fortaſſe ἐπιγιγνομένη videbit. Quo majorem uſum in literis quiſque habet, eo melius & magnificentius de illo Heroe incomparabili, & de ejus ſcriptis neceſſe eſt ſentiat. Ego vero pietatem Scaligeri, probitatem & παντοίην ἀρετὴν non minus, quam τὸ τῆς παιδείας βάθος ſolitus ſum demirari. Sed hæc omnia confido fuiſſe tibi notiſſima, qui, niſi fallor, etiam de facie ipſum noras, quo ego bono carui: nec tamen eo ſecius amiſſum deſidero, defleo, lugeo: colebam enim illum eadem pietate, qua olim meum Parentem. Ipſe me non multo ſecus, quam ſi filius fuiſſem, amabat. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Tuum de annulis commentarium, ut omnia tua, perexſpecto cupide. Perge igitur ἀγαθῇ τύχῃ, & rem auge literariam, δύνασαι γὰρ ut ſi quis alius. Polybium a nobis Latine verſum & recenſitum videbis σὺν Θεῷ, poſt menſem unum aut alterum, vel ad ſummum tertium. Sequetur, faveant modo ſuperi, Commentarius in gratiam τῶν τὰ πολιτικὰ καὶ πολεμικὰ ἀσκούντων ſcriptus, opus laborioſum & longum. Adjectæ ſunt figuræ quibus prælia καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπιστημονικῶς deſcribuntur. Utinam vere doctis καὶ τοῖς γνησίοις κριτικοῖς opus probetur; operæ certe ſedulo impenſæ conſcii nobis ſumus. Vale vir doctiſſime & me ama, qui te ex animo. Lutetiæ Pariſiorum VIII. Kal. Apr. CIↃ. IↃC. VIII.

EPI-

EPISTOLA LXXI.

DOMINICO BAUDIO. S. D.

Iſaacus Caſaubonus.

Lugdunum Batavorum,

ACcepi, quæ miſiſti, tuorum pulcherrimorum carminum exemplaria; in quibus quum unum mihi inſcriptum invenerim, quas tibi pro tanto munere grates agam, non invenio. Quid enim ego ſum de te unquam meritus, ut tam exquiſito munere, tam omni ex parte polito me beares? nec te paupertas mei cenſus movit, unde nihil poſſum promere, quo paria tecum faciam. Scis enim, præſtantiſſime Baudi, quam parum amicæ nobis illæ Deæ ſint, quas a pueritia tua ipſe ſemper in poteſtate habuiſti. Nos tantum profecimus, ut capi tuis deliciis, ſi quis mortalium, poſſimus. Felicitatem ingenii tui admirari, & illam incredibilem in ſumma facundia facilitatem dicendi quicquid lubet. Itaque ſemel acceptum librum vix de manibus ponere prius quivimus, quam totum devoraſſemus. Quid dicam nunc, quam multa invenerim, quæ ſæpe legendo pene memoriæ mandavi? vel illa, quæ ad defenſionem magni Scaligeri ſcripſiſti, quanta cum voluptate me legiſſe putas? quid illa, quæ de magno Beza, aut ſimilibus aliis pietate & probitate viris inſignibus? Memini Franciſcum Pithæum dicere ſolitum, *Muſas eſſe hæreticas*, quum ſignificare vellet, maxima quæque ingenia ineptias τῶν ἑτεροδοξούντων non pluris facere, quam par ſit. Hujus mihi ſæpiſſime venit in mentem tua legenti, maxime cum illam ſuaviſſimam ad magnum Heroem & rei literariæ Atlantem legerem præfationem; cujus gratia ſi ſtatuam deauratam in Capitolio poſitam iri tibi putas, næ tu multum falleris. Nam quid de Romanis exſpectes, cum multos gentis noſtræ tua divina παῤῥησία offenderit. Hoc ego ſtatim prævidi, cum tua exemplaria iis reddebam, quibus erant inſcripta. Accidit autem niſi fallor peropportune, ut liber Cancellario inſcriptus pluvia corruptus eſſet; nam ille vir alioquin maximus, haud ſcio quomodo libertatem tuam dicendi eſſet interpretaturus, ſi ea legeret. Omnia igitur ſcito reddita præter illud unicum. Miratus ſum nullum fuiſſe, quod magno Thuano daretur. Sed alia fortaſſe via miſiſti. Non injucunda fuit mihi illa narratio de itinere tuo in Angliam. Diu tecum multis rationibus adducor, ut non aliter de illis ſentiam, quos deſcribis, quam ut te nunc video ſentire. Sed de hoc pluribus alias, nam hæc ſcripſi ſub ipſum diſceſſum viri nobilis, cui eas tradebam. Qui paucis ante profectionem horis me inviſit, & ſtatim ſe profecturum ſignificavit. Vale vir præſtantiſſime & me ama. Lutetiæ Pariſ. Kal. Octob. CIↃ. IↃC. VII.

EPI-

EPISTOLA LXXII.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Iſaacus Caſaubonus.

Altorfium,

MItto tibi, Vir Clariſſime, Syntagmatium ſuper Satyrica Græcorum, & Rom. Satira, ſimul & ſcriptum nobis & editum: nam ut Horatiano præcepto pareamus, per occupationes noſtras non licet nobis, & porro res non erat tanti. Equidem ſoleo invitiſſimus ad ſcribendum trahi, qui probe conſcius ingenii, doceri a mutis magiſtris, quam alios ipſe docere præoptem. Sed mihi per amicorum celeuſmata otioſo eſſe non licet. Itaque excitati illorum prope convitio quotidiano aliquid ſcriptitamus, quod prælis ſtatim ſubjicitur. Hic genius meorum ſcriptorum, Doctiſſime Gentilis: quem ſi poſtulem tibi probari, jure exclames, frontem de rebus periiſſe. Nos certe tyronibus ſcribimus. Nunc quoque propoſitum argumentum ita ubertim contraximus, ut non multa deſiderari putem, quæ eo ſpectarent. Cur ſuccenſeatis vos docti? non enim parata vobis hæc menſa. Exquiſitiores epulas, ſcio, eruditum veſtrum palatum requirit. Nos has epulas iis inſtruximus, qui paupere cœna & ſimplici poſſunt eſſe contenti. Si tamen, cum a gravioribus ſtudiis vacabis, διαγωγῆς χάριν libellum hunc reſpexeris, peto a te per noſtram amicitiam, cenſorem induas, & judicium tuum de ea ſcriptione ſepoſito affectu mihi aperias. Hoc ego a te ſic contendo, ut nihil poſſim vehementius. Tuum enim eſt mi Gentilis de iſtiuſmodi rebus judicium, qui ad exquiſitam eruditionem & juris civilis ſcientiam, ſtudium poëſeos adjeciſti: poëtam autem de iis, quæ ad poëticam ſpectant judicem fieri, nulla eſt invidia. Da hoc igitur amicitiæ noſtræ, ut non quaſi amicus, ſed quaſi judex ſeverus in libellum hunc animadvertas, & libere me de omnibus moneas, quæ improbaveris. De Judæo veſtro gratiſſimum fuit, quod ſcripſiſti. Utinam una eſſemus: ſic agerem ejus diſcipulum, ut fortaſſe aliquid opera mea poſſet uti. Non poſſum negare amare me illas literas: etſi quantum adhuc profecerim pœnitet me. Gratiſſimum feceris ſi de ejus inceptis feceris me certiorem. Miratus ſum in inchoato Dictionario cur tantum vacuæ chartæ interponeretur inter auctorum τὰς χρείας. Nam ſi ad hoc exemplum opus procedit, quis par erit tantis ſumptibus? atqui parci poterat dimidio hujus impenſæ. Iterum te rogo ſignifices mihi quid paret, quid habeat præ manibus. Vale & me conſtanter ama. Lutetiæ Pariſ. a. d. III. Non. Sept. CIↃ. IↃC. I.

EPISTOLA LXXIII.

IS. CASAUBONUS S. D.

Scipioni Gentili.

Altorfium,

NOn erat quod ad te ſcriberem, neque otio ſane abundabam. Non tamen potui, præſtantiſſime Gentilis, pauca hæc ad te non exarare. Scito memorem amicitiæ noſtræ vivere me, & ſemper victurum, dum ſpiritus hos reget artus. Noſtra ſtudia ſuperiore hyeme pene intermiſſa aut inſtaurabimus hoc vere, Deo propitio, aut amplius differemus, ſi iter ſuſceperimus, de quo pridem cogitamus. Id quale ſit ſcies, ſi futurum eſt aliquid. Recenſuimus tamen etiam inter curas maximas, Suetonianas animadverſiones, & multa adjecimus. Perducta eſt ad umbilicum fere editio. Quia tamen & indices & alia quædam deerant, non curavi ad te mittere, neque ad Cl. V. Rittershuſium amicum, quem ut meo nomine ſalvere jubeas te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Lutetiæ Pariſiorum x. Kal. Ap. CIↃ. IↃC. X.

EPISTOLA LXXIV.

SCIPIONI GENTILI S. D.

Jac. Aug. Thuanus.

Altorfium,

SErius ad tuas Altorphio xx. Aprilis anno ſuperiore datas reſpondenti nolim ſuccenſeas, mi Scipio; ecce nunc, qui moram excuſet, ſecundum Hiſtoriarum noſtrarum tomum ad te mitto. Nam nolui te immuneratum poſt tantam temporis intercapedinem adloqui. Quod a me petebas, libentiſſime feciſſem, & nunc faciam ſi occaſionem faciendi in manus dederis; non quod tanti faciam teſtimonium noſtrum, ut Academiæ, veſtræ & fama & tot doctiſſimorum profeſſorum doctrina celeberrimæ, exactiſſimarum diſciplina & optimis legibus fundatæ, quidquam ornamenti ex eo poſſit accedere. Sed amici precibus quidquam tale denegare, non ſolum inhumanum, ſed etiam iniquum eſſe exiſtimavi. Igitur de initiis veſtræ Academiæ, qui præcipue in ea, ex quo cœpit, Profeſſores excelluerint, & ſi quæ alia ad ejus commendationem ſingularia habes, ante omnia edoceri cupio; tum ſcire velim, quo ſpiritu veſano incitatus Lucas Oſiander, quibus verbis eam laceſſiverit. Hugo Donellus noſtras minime tacebitur, cujus jam honorificam mentionem alibi fecimus, nimirum cum de tumultu Lugdunenſi in Batavis loqueremur. Verum annales ſcribenti ex annorum ſingulorum ratione occaſio capienda eſt, ut de iis rebus, quæ quaſi extra Hiſtoriæ corpus poſitæ longius a publica negotiorum tractatione abſunt, ſermo ſuo loco injiciatur. His de rebus ſi diligenter ad me perſcripſeris, efficiam, ut tu collegæque tui intelligant, maximum pondus in tuis ad me literis fuiſſe. Si

quid

quid aliud tua cauſa poſſum, me ad omne obſequium ſemper paratiſſimum experieris. Conrado Rittershuſio plurimam a me ſalutem; cui & exemplar his adjunctum tradi curabis. Vale Vir Doctiſſime & me ama. Ex Villaboniano noſtro. xv. Kal. Septembr. CIↃ. IↃ. VI.

EPISTOLA LXXV.

JOANNI FRANCISCO ARLUNO. S. D.

Sebaſtianus Gryphius.

Mediolanum,

SI majore, quam expectares, intervallo hæ tibi a nobis reddantur literæ, ita velim exiſtimes, non noſtræ id aut culpæ, aut negligentiæ, ſed infelici cuidam caſui debere adſcribi. Nam cum lectis tuis literis ſtatim reſpondere decreviſſem, neſcio quo pacto acciderit, ut reliquo ſchedarum noſtrarum acervo miſcerentur, ſicque infinitis typographiæ noſtræ negotiis obrutus, oblitus ſum reſcribere. Verum cum mihi ſuperioribus hiſce diebus alia de cauſa capſas meas perſcrutanti præter omnem expectationem ſeſe obtuliſſent; cumque nuper ex ornatiſſimi viri Nicolai Landriani literis cognoviſſem, ſummo te literarum noſtrarum teneri deſiderio: nolui diutius earum expectatione commodum tuum remorari. Quod itaque (ut ſcribis) Bernardini fratris hiſtoriam, quam ille de rebus Mediolanenſium ſcriptam reliquit, in lucem decreveris emittere; non poſſum equidem inſtitutum tuum non magnopere commendare, veſtræque in primis familiæ, ad quam inde certiſſima reditura eſt gloria; deinde & univerſis veſtratis hiſtoriæ ſtudioſis, qui quam uberrimum ex eo conſecuturi ſunt fructum, ex animo gratulari. Quod vero noſtra potiſſimum opera hac in re uti decreveris: non mediocrem tibi habeo gratiam, quod me potiſſimum idoneum judicaris, cujus opera induſtriaque fratris tui amantiſſimi vigiliæ, vivaque animi monumenta, quam optime ab interitu poſſint vindicari. Cæterum, quod ex tripartita hiſtoria primam tantum nobis ſectionem polliceris: non poteſt id nos non magnopere ab hujuſmodi cœptis deterrere. Nimium enim ſæpe non parvo rei familiaris diſpendio ſumus experti, id genus fragmenta a ſtudioſis non magnopere requiri. Quare ſi noſtram tibi operam paratam cupias: velim univerſam ad me Hiſtoriam mittas: quam ea lege excudendam ſuſcipiam: ſi & nobis, & viris eruditis, quorum conſilio utimur, luce digna videatur. Nam etiamſi ita exiſtimem, nihil niſi numeris omnibus abſolutum a fratre tuo, viro (qualem mihi eum in literis tuis depingis) & nobili, & erudito, potuiſſe proficiſci: non eſt tamen noſtræ conſuetudinis, in opus nunquam viſum operam noſtram polliceri. Tui itaque muneris erit, deſpicere, num totam nobis hiſtoriam cenſeas committendam: nos hic operam dabimus, ut aut quam emendatiſſime in lucem exeat: aut certe, ſi id ex re noſtra non videatur, meo iſtuc & ſumptu referatur & periculo. Vale. Lugduni IIII. Kal. Septemb. M. D. XLVI.

EPISTOLA LXXVI.

MICHAEL ISINGRINIUS S. D.

Franciſco Cicerino.

Mediolanum,

INhumanitatis merito arguendus ſim, Clariſſ. Cicerine, niſi tantorum virorum amicitiam vel ultro mihi, ab neſcio quam in libris excudendis conceptam induſtriam, ſeſe offerentem, ambabus (quod ajunt) ulnis amplecterer, cum nihil æque typographorum officinas exornet, atque præclara doctiſſimorum virorum monumenta, cujuſmodi & Marci Antonii eſſe, cujus eruditionem tantopere prædicas, minime ſane dubitaverim. Cæterum quod ad paraphraſes ejuſdem in Ariſtotelis de cœlo ac de generatione libros, & porro reprehenſionum in M. Nizolium volumen attinet, operam meam, quam efflagitas, hac ratione vobis addico, ſi eorundem editionem tantiſper differre voluerit, dum quæ nunc ſub prælo ſunt, abſolvero, id quod proxima æſtate aut citius etiam, Deo favente, futurum ſpero. Interim Dominum Marcum Antonium hujus ſententiæ certiorem facito, atque ut alterutrum opus polite limatum tempeſtive huc tranſmittat, quo & typos elegantes & chartam nitidam, aliaque nonnulla ad operis venuſtatem pertinentia in tempore procurare queam, moneto. Quibus ſolita accedente diligentia utrumque veſtrum ita promereri conabor, ut nec M. Antonium ſuſcepti pœnituiſſe laboris, nec tu in typographo deligendo judicio aberraſſe videamini. Vale & Iſingrinium, qua ſoles, benevolentia conſtanter proſequi perge. Baſileæ, Calendis Januarii, anno 1549. Literas tuis conjunctas Brixiam ad D. Aloiſium Mundellam ejus loci medicum, mei gratia per amicum quendam tuto perferri cura, rogo: mutuis amicitiæ officiis hoc quacunque occaſione oblata, compenſaturus.

EPISTOLA LXXVII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Luganum,

AGnoſco ſingularem erga me benevolentiam tuam, optime atque doctiſſime Cicerine, & ago ingentes gratias, cum pro muneribus literariis, quibus me & locupletare & ornare ita ſedulo pergis, tum quia levidenſia illa, quæ a me mitti ſolent (majora enim vix queam) tanti facis, tamque tibi eſſe grata declar[illegible] Accepi Majoragii orationes, quas miſiſti, & perplacent illæ nobis, quia elegantes cumprimis, & prudentiam viri doctiſſimi haudquaquam vulgarem teſtantes. Quod vero etiam amicitiæ quædam veluti ſemina apud illum nobis ſparſiſti jam, unde ita bene jam ille de nobis ſentire incipit, ut etiam ſuum vocare me, & ſuas lucubrationes, quas adhuc ſub incude habeat, polliceri nobis dignetur: id vero tantum eſt erga nos officium, ut agnoſcere

vix

vix ſatis pro magnitudine, referre vero haud unquam poſſe, me ſperem. Itaque oro, quam mihi conciliare apud eruditiſſimum pariter atque humaniſſimum virum amicitiam cœpiſti, in poſterum firmare pergas, atque ut me ſibi quam commendatiſſimum habere dignetur, impetres. Quod vero *Ben. Jovii poëma* attinet, placet id quoque vehementer: at vellem paulo eſſet prolixius tamen, quo forma quoque libri auguſtiore excudi poſſet. Solent enim, neſcio quo pacto, minutiora illa, quamvis erudita ac bona, cum a nobis eduntur, a pleriſque negligi. Proinde hortor te, mi D. Franciſce, ut ab illo etiam reliqua impetres, quo uno poſtea libro omnia ſimul comprehenſa mitti honeſtius in publicum poſſint. Interim ego illis vel ſolus fruar: aut, cum erit commodům, tamen communicare etiam cum aliis vel ſola non gravabor. Apologiæ Majoragii in Nizolium miror deeſſe titulum. Neque enim puto ita eſſe editum, quod fieri id haud ſoleat. Itaque ſi quid aliud ad eam pertinet, velim per opportunum tabellarium quoque ad nos mittas. Cuperem enim omnia colligere, quæ Majoragius hactenus edidit, & ſaltem catalogum eorum omnium habere, quo colligi facilius poſſent. Forte enim aliquando conjungi uno volumine omnia ſimul & utile & gratum ſtudioſis foret. Certe quacunque in re ego illi gratificari opera noſtra potero, dabo operam, ut intelligat, ſe a nobis amari haud vulgariter. Salutabis eum meo nomine quam potes officioſiſſime Mitto ad te *vitas Plutarchi* nuper abſolutas, quæ conſtitere floreno uno. Item *Bucolica diverſorum*, quæ petiiſti, pro quibus nihil peto, quemadmodum neque pro *Moſellani Annotationibus in Gellium* a Bebelio quondam excuſis, quæ quia non reperiebantur uſquam venales amplius, malui ex mea Bibliotheca reſcindere, quam non gratificari tibi, quod utinam in ipſo quoque Gellio ad te mittendo præſtare potuiſſem, quem ita ut tu petis a Sotero anno 26 impreſſum, nuſquam reperio. Tuum itaque fuerit, boni conſulere opellam hanc noſtram, ac ea quoties libuerit uti. Reperies enim me tibi ſemper ad omnia vota paratiſſimum. Bene vale, & Oporinum tuum, quod facis, amare atque ornare perge. Baſileæ 12 Novembris 1547. D. Hyeronymo Friccio plurimam quoque ſalutem dices meo nomine.

EPISTOLA LXXVIII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Luganum,

QUod de nobis conquereris, optime atque doctiſſime Cicerine, non reſpondiſſe nos hactenus literis tuis, mirari hercle ac deteſtari perfidiam tabellariorum ſatis non poſſum, quum omnibus hactenus literis tuis, quantum per alias occupationes licuit vel brevius vel prolixius reſponderim, ſemperque mihi vel imprimis gratulatus ſim, quoties gratificari tibi ulla in re mihi a te præberetur occaſio. Ad poſtremas vero tuas, in quibus de Majoragii lucubrationibus ſcribis, ideo hactenus reſcribere diſtuli, quod nondum obla-

tus eſſet certus tabellarius, cujus fidei me certo poſſe committere noſtras putarem. Nam qui tuas mihi literas afferunt, fere vel alio proficiſcuntur, neque recta ad te redeunt: & quia ego ſæpe totos menſes vix ſemel pedem domo effero, quod per ſex præla typograhica, quibus perpetuis domi exerceor, id non liceat, facile fit, ut ego, quando illi ipſi ad vos redeant, ad te videlicet reverſuri; etiam ignorem. Proinde etiam nunc forte non reſcripſiſſem, niſi forte fortuna hic bonus Vir Lucernenſis Mercator me de ſua ad te profectione admonuiſſet. Itaque quantum licet in præſentia, ad illud negotium Majoragii librorum paucis reſpondebo. Equidem ut nihil magis in votis habeo, quàm & tibi & D. Majoragio gratificari aliqua in re ut poſſim: ita quacunque alia in re id fieri velim, quam hujuſcemodi concertatione ac veluti *μονομαχία* per vos publicanda quam, D. Majoragium ſuſcepiſſe cum Nizolio ſcribis. Quin potius velim me tanta valere apud te & Majoragium autoritate, ut ſopire potius, ſi qua inter ipſum & Nizolium coorta eſt ſimultas, poſſim, quam ut promulgandam eſſe cenſeam. Idque non ideo, quod non præferendum etiam Majoragium Nizolio exiſtimem, aut indignos fore libros, etiam quoſcunque tandem, cujuſcunque argumenti tantum ab eo ſcriptas, uti a doctis legantur, judicem: ſed quod eruditis hominibus indigniſſimas eſſe hujuſmodi concertationes duorum magni nominis apud nos doctorum virorum exemplo jampridem didicerim. Quid enim Cornarii & Fuchſii contra ſeſe mutuo ſcripti libelli aliud effecerunt, quam ut, dum uterque quibus ſe approbare poſſit lectoribus ita ſedulo contendit, multo pluribus ſeſe ridendum propinarit uterque. Et forte necdum etiam inſania illa, & ſcribendi, ſeſeque de nihili calumnia defendendi cacoëthes inter illos deſiiſſet, niſi ego tam acriter utrumque & dignitatis ſuæ admonuiſſem, & ad meliora potius argumenta tractanda eſſem exhortatus. Quaſi vero non ſuppetant millia alia argumenta, in quibus eruditionem ac ſtyli elegantiam, vimque dicendi, qualicunque polleas, declarare poſſis, niſi antagoniſtam aliquem tibi deligas, in quem debaccheris, ac bonas horas male colloces; aut quaſi non totus orbis jam hujuſcemodi Apologiis, Antopologiis, ac rixoſis libellis oneratus ſit. Itaque effeci ſaltem, ut uterque illorum quos dixi, & gladiatorium illum animum ad meliora converteret, & alter interea in *Ægineta* vertendo, eodemque commentariis illuſtrando; alter ſcribendis in totum *Galenum commentariis*, quicquid ſupereſt temporis impendere maluerit. Satis interim gloriæ ſuæ conſultum apud poſteros fore uterque exiſtimantes, ſi eos toto pectore ſcriptis a ſe libris rempub. literariam ornare atque juvare voluiſſe, aliquando conſtet. Idem velim etiam a Nizolio & Majoragio fieri, ſiquidem impetrare queam. Et a Nizolio forſitan facile id impetraro, ut qui ſe mihi ex animo bene velle non unis literis ad me ſcriptis hactenus teſtatus fuerit, cujus equidem in provocando Majoragio petulantiam tantum abeſt, ut probem, ut per occaſionem etiam de ea cum ipſo expoſtulaturus omnino ſim. De Majoragio quid mihi polliceri debeam, tu ipſe videris. Vellem autem omnino, quicquid hujuſcemodi

ocii

otii ac eruditionis in tales contentiones impendere D. Majoragius inſtituit, in aliud argumentum aliquod, & ſua eruditione magis dignum, & reipub. literariæ utilius futurum impenderet potius. Alioqui ad gratificandum ipſi ita ſum paratus, ut nihil magis cupiam, quam ejus mihi materiam & occaſionem ab ipſo primo quoque tempore præberi. Atque hactenus de hoc negotio. Nam plura non permittunt occupationes typographicæ. Quanquam forte plus ſatis etiam ſic nugatus fuero, quod nimis tumultuanter & incondite omnia effuſiam: neque enim licet nunc quidem aliter. *Fontes Jovii* expecto, atque ideo etiam diſtuli carmen illud ejuſdem, quod nuper miſiſti, excudere, ut cum illis conjungam. Bene vale, mi Cicerine, & Oporinum tuum, ut facis, amare atque ornare perge. Baſileæ 13 Julii 1548.

EPISTOLA LXXIX.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

Literas tuas xv. Kalend. Novemb. Mediolani ſcriptas, doctiſſime Cicerine VII. Decembris die demum accepi, intervallo tamen non ita magno, ut meas tu jam ante 3. Id. Julii datas te accepiſſe ſcribis. Quanquam etiam interea rurſum ad te ſemel atque iterum ſcripſi, neque mirari ſatis poſſum, eas non accepiſſe. Sed ita nunc ſunt tempora, nemini quicquam tuto commiſeris. Scripſeram autem de D. Majoragio noſtro, me in excudendis illius lucubrationibus tam libenter operam meam omnem impenſurum, quam in cujuſquam alterius, qui hodie vivunt, eruditi hominis. Solum hoc deprecabar, ut ſi omnino ſcriptum illud, quod contra Nizolium jam abſolviſſet, edi in lucem cuperet ab illius nomine publice infamando abſtineat, & ſcriptum ipſum ita ederet, ut a Nizolio ſaltem & paucis aliquot amicis intelligi facile poſſet, contra quem eſſet ſcriptum, nomen vero ipſius interim non traduceret, rem ipſam ac diſputationis inſtitutæ veritatem publice aſtruxiſſe contentus. Niſi forte in paucis aliquot exemplaribus exprimi etiam Nizolii nomen vellet, & quibus videretur diſtribuere cuperet; in reliquis, quæ paſſim divulgari deberent, ſolum contra quendam, &c. nullius nomine expreſſo, fieri editionem paſſurus eſſet. Ad eam rem plane me ipſi, omnemque meam operam obtuleram. Ac me id ab illo viro & erudito, & de cujus erga me benevolentia & humanitate nihil non jam pollicebar, impetraturum omnino tua interceſſione ſperabam, idque pluribus in illis literis egeram, adeoque ſerio, quæ vix jam tumultuario calamo repetere vel obiter licet. Idemque etiam nunc ſentio, nihil mihi gratius contingere poſſe, quam ſi Dominus Majoragius occaſionem mihi gratificandi ipſi in lucubrationibus ipſius edendis qualemcunque præbeat, quam honeſta ſaltem ratione exſequi ipſe poſſit. Quanquam enim, ut ipſe etiam ſcribis, non deſunt tam veterum, quam recentiorum exemplaria, quibus excudendis ſubinde obruor, tamen non ſum ita forſitan (niſi fallor)

parum

parum prudens, quin quos quibus præferre debeam, diligenter apud me conſtituam. Itaque non potuit mihi non gravißimum eſſe officium iſtuc tuum, ac ſingularis erga me benevolentiæ certiſſimum argumentum; quod ita ſedulo te id curare intelligerem, uti D. Majoragius, quem ego jam antea ex lucubrationibus jam editis tanti facerem, ſua ſcripta per me potius, quam quemvis alium evulgari cuperet: idque etiam ut curare non deſinas, vehementer te, mi D. Cicerino, oro atque obteſtor: ſimulque precor, ut me apud ipſum ita commendes, ut ſemel perſuaſiſſimum habeat, nihil eſſe, in quo ſi Oporini opera ac ſtudio uti velit, ipſum non habiturus ſit, & paratum & ex animo fidum. Adeo magnam ego mihi illius Viri exiſtimationem animo impreſſi, ac fore ſpero, ut ejus exiſtimationis me non facile pœnitere unquam debeat. Quod Benedicti Jovii opuſcula attinet, ſolum ideo ea hactenus excudere diſtuli, quod ſperarem ſubinde aliquid amplius ab eo ſcriptum, per te miſſum iri, quo libellus alioqui nimis exiguus futurus formam quoque auguſtiorem nanciſceretur: non credis enim, mi D. Cicerine, quantum non negligi ſolum, ſed contemni etiam ſoleant libelli tales, quamlibet eruditi ſcripti, ſi non tres aut quatuor pagellas excedant. Adeo jam eſt depravatum malis opinionibus vulgi judicium, ut nullius eſſe precii putent, quod nullo fere precio venale exponitur. Itaque niſi ſperaſſem, aliquid lucubrationum illius te denuo ad nos miſſurum, quod annecti illis prioribus poſſet, jampridem forte illa, quamlibet exigua, typis meis deſcribi curaſſem: idque in veſtrorum potius quam noſtrorum gratiam, quos tantopere illa deſiderare audio. Faciam autem id ipſum etiamnum ſi nihil aliud miſſurus es, ut illa ſaltem ita prodeant, quantumcunque mallem aliquid amplius accedere vel ipſius Jovii, vel cujuſcunque tandem eruditi hominis, quo libro etiam ex forma ipſa dignitatis aliquid accederet. Quod poſtremo de hiſtorico opere mihi a Medico quodam Mediolanenſi impetrando ſcribis, libenter ſane legi: ut qui in nullo fere alio ſcripti genere & noſtros homines verſari libentius, re ipſa jam hactenus ſæpe deprehenderim, & me ipſum eodem plurimum oblectari facile agnoſcam. Verum ut libentiſſime in eo excudendo operam meam pollicebor, ita antea ſaltem inſpiciendum illum mihi mitti percuperem, quo tutius atque facilius, eo penitius cognito, quid facto eſſet opus de illo ſtatuere poſſem. Accedit etiam, quod nihil hic excudere licet, niſi prius a cenſoribus ad hoc ipſum deſtinatis & inſpectum & approbatum. Quæ quidem conſtitutio ut nova apud nos, ita hoc præſertim tempore neceſſaria magiſtratui noſtro viſa eſt, maxime rebus ita nunc mirabiliter paſſim ſe habentibus. Itaque rem mihi gratiſſimam feceris, mi D. Cicerine, ſi per occaſionem ita illum librum a Medico iſto impetres, ut ad paucas dies inſpectionem illius mihi permittat, quo certius de ſumptu in ipſius impreſſione faciendo deliberare atque conſtituere aliquid poſſim. Sed præter hæc vehementer te orarim, ut a D. Majoragio mihi exores, ſi quid forte annotationum habeat aut obſervationum in Ciceronis orationes, aut Philoſophicos ejuſdem libros, mecum ut communicare ad proximam æſtatem velit:

ſum

ſum enim denuo editurus *doctorum hominum in Ciceronis orationes & Philoſophicos libros ejuſdem lucubrationes*, quas etiam antea, ut noſti, ſemel edidi, & cuperem nova aliqua acceſſione editionem illam commendari denuo. Et ſi nihil aliud, *Antiparadoxa* ſaltem *D. Majoragii* adjici *Paradoxis Ciceronis* poterunt: in quibus tamen ſi quid a D. Majoragio vel emendatum vel mutatum eſſet, ejus mihi copiam ab illo fieri cuperem. Quod ſi etiam ab aliis doctis aut a te ipſo tale aliquid in Ciceronem annotatum eſt, quod in publicum necdum prodierit, quæſo id mecum ut communicetur, curare ſedulo pergas, & ea in re quam mihi gratificari cupias, declarare non graveris. De nummis pro Ariſtotele, Plinio & Plutarcho jamdudum acceptis, ſcripſi non ſemel, & miror te poſt tantum temporis intervallum id repetere; quaſi non in majoribus etiam gratificari tibi cupiam. Scripſi jam denuo ad D. Bellam, & ut eas quoque literas diligenter ei tradendas cures, vehementer te mi D. Cicerine oro: Bene vale & D. Majoragio me de meliore nota quod ajunt commenda. Baſileæ 7. Decembris 1548.

Ignoſce, non licuit relegere, & ſcripſi ad noctem fere concubiam.

EPISTOLA LXXX.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

Reprehenſiones adverſus M. Nizolium Majoragii noſtri, jamdudum impreſſiſſem, niſi ita majoribus aliquot operibus occupata fuiſſent præla noſtra, ut citra magnam incommoditatem ea intermittere non licuiſſet. Itaque abſolutis illis jam pridem cœptis, & quæ prius abſolvere omnino erat opus, ad reprehenſiones illas manum admoliri cœpimus, & antequam Baſilea ad nundinas Francfordianas proficiſceremur, unum atque alterum folium in illis excudi curavimus, tradito poſtea tanquam per manus negotio abſolvendi reliqua iis, quos ex noſtris interea officinæ noſtræ typographicæ curandæ præfecimus. Non dubito ergo ſtatim ubi domum reverſi fuerimus, vel abſolutas illas jam eſſe, vel intra paucas dies abſolutum iri. Statim igitur, cum abſolutæ fuerint, curabo juſtum illarum numerum ad vos perferri, quo & Majoragio & tibi gratificer, & vos cauſæ veſtræ patrocinari eo citius poſſitis. De Arluni hiſtoria nihil aliud promitto, quam daturum me operam ut ea prius tota perlecta, ubi nihil deprehendero, quod officere noſtris rationibus poſſit, aut minus tuto queat in publicum edi, prima quaque occaſione etiam de ea typis noſtris promulganda curem. Interea te, mi D. Cicerine oro, ut apud D. Majoragium me excuſes, & moram hanc æquo animo feras. Bene vale, noſque ut cœpiſti amare perge. Francfordiæ, ex mercatu Septembr. 1549.

EPISTOLA LXXXI.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

NOn male ſuſpicaris, mi Cicerine, me non tam longo tempore literarum ad vos mittendarum officio abſtinuiſſe, & literas forte eſſe interceptas: ſcripſi enim a tempore proxime editarum reprehenſionum Majoragii, bis ad te, & de Arluni hiſtoria prolixe reſpondi, illam & placere nobis, & de editione circumſpecturos occaſionem commodam. Unus adhuc nobis in ea locus occurrit, qui prudenti conſilio habebit opus, quo nominatim eos perſtringit, quorum perfidia Dux Mediol. proditus eſt. Id ſi verum eſt, haud ſcio an ita illud pro vero affirmari publice, tolerabile apud noſtros futurum ſit. Itaque quo pacto huic loco mederi liceat, ita ut narrationis veritati nihil decedat, ſedulo conſulto, conſultaturus etiam amplius, antequam editioni manus admoveatur, quod brevi tamen futurum ſpero. Interim D. Franciſcum Arlunum mihi placabis, & ut moram hanc æqui bonique faciat, meo nomine precaberis; ſarciemus eam diligentia & officio. Quod ad D. Majoragii lucubrationes attinet, vellem per occaſionem ad nos mitti quodcunque in Ciceronis & Quintiliani opera ab eo eſt annotatum, quod in Commentariis illis diverſorum in Cic. opera edendis toti jam incumbamus. Et memini ejus non paucas lucubrationes, in eorum, quæ ab ipſo hactenus conſcripta ſint, catalogo recenſeri, in Ciceronis diverſos libros. Itaque hortabere D. Majoragium, ut cum videbitur commodum & maturum ad nos id genus mittat, quodque eſt reliquum, me ſibi quam commendatiſſimum habeat. Bene vale, doctiſſime Cicerine, & occupationibus noſtris tumultuariam ac brevem ſcriptionem imputa. Sumus enim jam ſi unquam alias, occupatiſſimi in abſolvendis Pauſania Latino, commentariis Nigerbelii de tota Græcia, Marliani de Top. urbis Romæ, Omphalii de uſurpatione legum libris VII. ejuſdem de Principis functione lib. II. Poliæni ſtrategematis, colloquiis Jo. Moriſoti, annotationibus Betulei in lib. de natura Deorum Cic. & aliis quibuſdam. Iterum vale Baſileæ 10. Auguſti, 1550.

EPISTOLA LXXXII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

REtulit mihi hic bonus Vir Chriſtophorus Italus, cujus opera haſce literas jam ad te mitto, quantopere me apud D. Paulum Jovium commendaris, paſſimque prædicandi nominis mei apud optimos & doctiſſimos quoſque occaſionem arripias, adeoque etiam nuper te mihi cujuſdam docti hominis, Antonii Vulpii, poëmata miſiſſe affirmabat, quæ tamen ego neque vidi hactenus, neque

intra

intra ſex aut ſeptem menſes vel unas a te literas accepiſſe memini. Id quod vehementer & doleo & miror. Quod etiam in poſtremis ad te ſcripſeram, me vehementer cupere, ut a D. Majoragio nobis impetrares ea, quæ in Ciceronem elucubravit, neſcio an literas eas acceperis, nec ne. In iiſdem etiam de Arluni hiſtoria nonnihil adjeceram, quod eam hactenus perlegendam Cenſoribus dare oportuerit, qui locum quendam de Helvetiis, ubi de Ducis Mediolanenſis proditione ſcribit, repererunt, propter quam ipſa tota hiſtoria ut a nobis excudi poſſit valde metuo. Movebo tamen omnem lapidem, ut excudatur, ſive mutato eo loco, ſive omiſſo; ſive (quod melius multo) ſi hic non liceat, alibi ut excudendam meo ſumptu curem. Itaque D. Arluni cognato bonam ſpem facies, omnino fore ut non ita multo poſt intelligat, illius hiſtoriæ excudendæ curam mihi fuiſſe ſeriam quoque. Quod reliquum eſt etiam atque etiam te mi D. Cicerine oro, me D. Majoragio aliiſque bonis & doctis hominibus per occaſionem, ut facere cœpiſti, commendare pergas, viciſſimque, ſi qua in re gratificari tibi potero, libere imperes. Semper nos ad obſequendum tibi paratiſſimos re ipſa experturus. Bene vale Baſileæ 4. Novembris 1550.

EPISTOLA LXXXIII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

UTinam vero mi D. Cicerine, vel toties mihi ſcribere ad te, quoties libet, liceret, vel quoties licet, & ſcribo, toties etiam ad te certo perferri noſtras conſtaret. Verum cum in utroque nos deſtitui fortuna ſive ſucceſſu, re ipſa ſatis appareat, bono animo & tu ferre ceſſationem literarum noſtrarum, & ego fortunæ iniquitatem, debemus. Interea tamen non ingratas tibi noſtras literas eſſe, quamlibet negligenter ac tumultuarie plerumque ſcriptas, candoris eſt erga me tui, omnia ab amico profecto magni ducentis. Quanquam id quidem mutuo facis; nam non minus grata mihi ſunt omnia, quæ a te nobis quoque adferuntur. De Arluno mitterem ad te ſpecimen, ſed obſtitit hactenus aliquid, quo minus me ad eum prælo ſtatim committendum parare potuerim. Spero tamen intra paucos dies id fore; in quo, ut ſcripſi, loco illi, de quo mihi metuebam, ita medebor, uti ſperem te neque fidem neque diligentiam noſtram quicquam deſideraturum. Inventa enim eſt nobis ratio, qua pauciſſimis verbis mutatis, nemo quicquam mutatum poſſit deprehendere, & veritati hiſtoriæ nihil ſit detractum. De Majoragii lucubrationibus quod ſcribis, libenter ego & tuo & illius conſilio acquieſcam, ac ſeorſim illas primum excudam. Neque enim ita me rem pleriſque ingratam facturum ſpero. Characteres, quos pro quibuſdam amicis tuis impreſſoribus petis, nullus hic eſt, qui venales habeat, nec qui mutuo dare ad fundendum aliis velit. Ego ſi matrices (quas vocant, & quibus ad fundendum uti eſt

EPISTOLA LXXXI.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

NOn male ſuſpicaris, mi Cicerine, me non tam longo tempore literarum ad vos mittendarum officio abſtinuiſſe, & literas forte eſſe interceptas: ſcripſi enim a tempore proxime editarum reprehenſionum Majoragii, bis ad te, & de Arluni hiſtoria prolixe reſpondi, illam & placère nobis, & de editione circumſpecturos occaſionem commodam. Unus adhuc nobis in ea locus occurrit, qui prudenti conſilio habebit opus, quo nominatim eos perſtringit, quorum perfidia Dux Mediol. proditus eſt. Id ſi verum eſt, haud ſcio an ita illud pro vero affirmari publice, tolerabile apud noſtros futurum ſit. Itaque quo pacto huic loco mederi liceat, ita ut narrationis veritati nihil decedat, ſedulo conſulto, conſultaturus etiam amplius, antequam editioni manus admoveatur, quod brevi tamen futurum ſpero. Interim D. Franciſcum Arlunum mihi placabis, & ut moram hanc æqui bonique faciat, meo nomine precaberis; ſarciemus eam diligentia & officio. Quod ad D. Majoragii lucubrationes attinet, vellem per occaſionem ad nos mitti quodcunque in Ciceronis & Quintiliani opera ab eo eſt annotatum, quod in Commentariis illis diverſorum in Cic. opera edendis toti jam incumbamus. Et memini ejus non paucas lucubrationes, in eorum, quæ ab ipſo hactenus conſcripta ſint, catalogo recenſeri, in Ciceronis diverſos libros. Itaque hortabere D. Majoragium, ut cum videbitur commodum & maturum ad nos id genus mittat, quodque eſt reliquum, me ſibi quam commendatiſſimum habeat. Bene vale, doctiſſime Cicerine, & occupationibus noſtris tumultuariam ac brevem ſcriptionem imputa. Sumus enim jam ſi unquam alias, occupatiſſimi in abſolvendis Pauſania Latino, commentariis Nigerbelii de tota Græcia, Marliani de Top. urbis Romæ, Omphalii de uſurpatione legum libris VII. ejuſdem de Principis functione lib. II. Poliæni ſtrategematis, colloquiis Jo. Moriſoti, annotationibus Betulei in lib. de natura Deorum Cic. & aliis quibuſdam. Iterum vale Baſileæ 10. Auguſti, 1550.

EPISTOLA LXXXII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

REtulit mihi hic bonus Vir Chriſtophorus Italus, cujus opera haſce literas jam ad te mitto, quantopere me apud D. Paulum Jovium commendaris, paſſimque prædicandi nominis mei apud optimos & doctiſſimos quoſque occaſionem arripias, adeoque etiam nuper te mihi cujuſdam docti hominis, Antonii Vulpii, poëmata miſiſſe affirmabat, quæ tamen ego neque vidi hactenus, neque intra

intra ſex aut ſeptem menſes vel unas a te literas accepiſſe memini. Id quod vehementer & doleo & miror. Quod etiam in poſtremis ad te ſcripſeram, me vehementer cupere, ut a D. Majoragio nobis impetrares ea, quæ in Ciceronem elucubravit, neſcio an literas eas acceperis, nec ne. In iiſdem etiam de Arluni hiſtoria nonnihil adjeceram, quod eam hactenus perlegendam Cenſoribus dare oportuerit, qui locum quendam de Helvetiis, ubi de Ducis Mediolanenſis proditione ſcribit, repererunt, propter quam ipſa tota hiſtoria ut a nobis excudi poſſit valde metuo. Movebo tamen omnem lapidem, ut excudatur, ſive mutato eo loco, ſive omiſſo; ſive (quod melius multo) ſi hic non liceat, alibi ut excudendam meo ſumptu curem. Itaque D. Arluni cognato bonam ſpem facies, omnino fore ut non ita multo poſt intelligat, illius hiſtoriæ excudendæ curam mihi fuiſſe ſeriam quoque. Quod reliquum eſt etiam atque etiam te mi D. Cicerine oro, me D. Majoragio aliiſque bonis & doctis hominibus per occaſionem, ut facere cœpiſti, commendare pergas, viciſſimque, ſi qua in re gratificari tibi potero, libere imperes. Semper nos ad obſequendum tibi paratiſſimos re ipſa experturus. Bene vale Baſileæ 4. Novembris 1550.

EPISTOLA LXXXIII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

UTinam vero mi D. Cicerine, vel toties mihi ſcribere ad te, quoties libet, liceret, vel quoties licet, & ſcribo, toties etiam ad te certo perferri noſtras conſtaret. Verum cum in utroque nos deſtitui fortuna ſive ſucceſſu, re ipſa ſatis appareat, bono animo & tu ferre ceſſationem literarum noſtrarum, & ego fortunæ iniquitatem, debemus. Interea tamen non ingratas tibi noſtras literas eſſe, quamlibet negligenter ac tumultuarie plerumque ſcriptas, candoris eſt erga me tui, omnia ab amico profecto magni ducentis. Quanquam id quidem mutuo facis; nam non minus grata mihi ſunt omnia, quæ a te nobis quoque adferuntur. De Arluno mitterem ad te ſpecimen, ſed obſtitit hactenus aliquid, quo minus me ad eum prælo ſtatim committendum parare potuerim. Spero tamen intra paucos dies id fore; in quo, ut ſcripſi, loco illi, de quo mihi metuebam, ita medebor, uti ſperem te neque fidem neque diligentiam noſtram quicquam deſideraturum. Inventa enim eſt nobis ratio, qua pauciſſimis verbis mutatis, nemo quicquam mutatum poſſit deprehendere, & veritati hiſtoriæ nihil ſit detractum. De Majoragii lucubrationibus quod ſcribis, libenter ego & tuo & illius conſilio acquieſcam, ac ſeorſim illas primum excudam. Neque enim ita me rem pleriſque ingratam facturum ſpero. Characteres, quos pro quibuſdam amicis tuis impreſſoribus petis, nullus hic eſt, qui venales habeat, nec qui mutuo dare ad fundendum aliis velit. Ego ſi matrices (quas vocant, & quibus ad fundendum uti eſt

opus) haberem, libenter communicarem. Nam ad eos, quos ego habeo alterius cujuſdam Francofordini amici mei matricibus, mutuo mihi ab illo datis, ſum uſus, quod noſtrarum civium nullus eſſet, qui ea re gratificari nobis vellet: ut noſti ſemper *Figulum invidere figulo*. Itaque ſi illos tantopere deſiderare, & moram hanc, qua novis matricibus comparandis eſt opus, æquo ferre animo poſſe putas, libenter ego proximis nundinis Francofordinis curabo, ut proprias characterum illorum matrices nanciſcar, & reverſus domum efficiam, uti fundantur, quanto illi numero voluerint, hoc eſt, pro una aut duabus formis, pluribus paucioribuſve utut illis viſum fuerit. Sed expectabo prius tuam de tota hac re ſententiam, cujus me adhuc breviuſculis etiam literis certiorem ante proximam quadrageſimam reddere poteris. De rerum tuarum conditione quod nobis etiam ſcribere dignatus es, libenter legi, & agnoſco in hoc ipſo ſingularem erga me obſervantiam atque benevolentiam cui utinam pares aliquando referre grates poſſim. Habeo jam ſub prælo *tota Biblia* a Sebaſtiano Caſtalione, non parum quam antea Latinius atque elegantius expreſſa, adjectis ejuſdem annotationibus. Item *Chriſtophori Milei univerſitatis rerum hiſtoriam* quinque libris ab eo comprehenſam. Præterque hæc duo, alia quædam levioris operæ, quorum quædam jam abſoluta, ad te huc mitto, quædam adhuc abſolvenda ſpero, ut ſunt *Joach. Camerarii commentarius Græcus in Theognidem*, *Threni Hieremiæ* latino carmine expreſſi ab *Abrahamo Leſchero*, cujus opera converſum nuper *Pauſaniam* quoque edidimus. Item ejuſdem *Joach. Camerarii Progymnaſmata*, ſive Elementa rhetoricæ exercitionis, ab eo recognita, *Comœdias aliquot ſacras. Viti Amerbachii in off. Ciceronis commentariolum*: & neſcio quæ alia. Mitto ad te una cum libellis tibi muneri deſtinatis etiam faſciculum alium D. Lilio Gyraldo Gregorio inſcriptum, quem una cum libris adjunctis eidem Ferrariam tranſmitti ut cures vehementer te, mi Cicerine, oro atque obteſtor. Quæſo fac me certiorem, num faſciculus ille ad Gyraldum miſſus fuerit, ac probe curatus ſit. In libellis vero, quos ad te mitto, ſi quid eſt quod gratum eſſe D. Majoragio noſtro poſſit, id tecum illi eſſe commune velis vehementer etiam te atque etiam oro; cui meo nomine plurimam ſalutem dices, & per occaſionem quam officioſiſſime commendabis. Bene vale & ignoſce tumultuariæ ſcriptioni, neque enim per ſex præla, quibus toto jam triennio perpetuis exerceor, licet vel ſæpius, vel melius, vel prolixius ſcribere. Iterum atque iterum vale optime atque doctiſſime Cicerine, & nos, quod facis, amare atque ornare, ut cœpiſti, perge. Baſileæ Prid. Kal. Februarii 1551.

EPISTOLA LXXXIV.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

ACcepi D. Majoragii in Ciceronis Oratorem & partitiones commentaria ſane doctiſſima, proque iis ad me miſſis ago utrique ingentes gratias. Mitto

Mitto etiam ſpecimen hic futuræ editionis ad proximum ſeptembrem uti ſpero abſolvendæ. In ea vero, ſi vel forma vel characteris elegantia forte reſpondere expectationi veſtræ non potero, ſaltem emendatione, ac locuplete, quem adjecturus ſum rerum ac verborum indice ut ſatisfaciam, curabo ſedulo. Lego ipſe omnia imprimenda in hoc, quod non ita in omnibus aliis licet, & colligo ipſe indicem; unde polliceri certius poſſum. De loco in Arluni hiſtoria adhuc alio paulum mitigando, dabo operam, ubi in eum incidero, ut rationem & voluntatis veſtræ & officii mei habuiſſe, videri merito queam. Interea me meaque omnia tibi ac D. Majoragio commendo. Bene vale, & D. Majoragio officioſiſſime ex me ſalutem dicito, atque tumultuariæ ſcriptioni ignoſcito: ſum enim ita occupatus, ut vix antea unquam magis, id quod communis amicus hic noſter teſtari coram poterit, cui literas haſce ad te perferendas dedi. Iterum atque iterum vale, & ſi quid tuo nomine a me fieri velis, proxime indicato Baſileæ 12. Julii. 1551.

EPISTOLA LXXXV.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Operinus.

Mediolanum,

VAlde miror literas noſtras non perferri ad vos: ſcio enim hoc ſemeſtri ad minimum ternas literas ad te ſcripſiſſe, & inter cætera etiam de libris Chriſtophori Mylæi, quid eſſet actum, indicaſſe: nempe cum commode mitti ad vos non poſſent, me Petri Pernæ ballis, quæ Patavium mitterentur, incluſiſſe, ubi eos reperturus eſſet apud D. Matth. Grybaldum Jureconſultum: idque ut ei, ſi quando ad te venturus eſſet, indicares, orabam. Deinde miſſo etiam ad me D. Majoragii in oratorem & Partitiones Ciceronis commentario, me & illum accepiſſe, & uti primo quoque tempore typis noſtris in lucem edatur ſedulo daturum operam ſignificavi, actis inſuper, ut par eſt, gratiis quod ornandæ officinæ noſtræ tantum vobis ſtudium eſſet: Quin poſtremo etiam ejus jam ſub prælo noſtro ſudantis ſpecimen miſi, quod miror non eſſe ad te perlatum. Quod etiam locum in Arluni hiſtoria attinet, de Marchione Muſſii, eum quoque me, ubi in illum incidero, curaturum permiſi. Specimen orationum Demetrii Moſchi, quod miſiſti, non diſplicet, & velim ejus mihi copiam fieri: ſed ita, ut te bonas horas in ea deſcribendo, teque tanta moleſtia confici nolim. Facies igitur quod e re noſtra, & citra tuam magnam moleſtiam fieri poſſe putaris. Bene vale & D. Majoragio plurimam ex me ſalutem dicito. Baſileæ 25 Julii 1551.

Quæſo ſi noſti ubi jam ſit Chriſt. Mylæus,[1] ad eum ſcribas de libris ſuis quod Patavii eos inventurus ſit apud Grybaldum.

opus) haberem, libenter communicarem. Nam ad eos, quos ego habeo alterius cujuſdam Francofordini amici mei matricibus, mutuo mihi ab illo datis, ſum uſus, quod noſtrarum civium nullus eſſet, qui ea re gratificari nobis vellet: ut noſti ſemper *Figulum invidere figulo*. Itaque ſi illos tantopere deſiderare, & moram hanc, qua novis matricibus comparandis eſt opus, æquo ferre animo poſſe putas, libenter ego proximis nundinis Francofordinis curabo, ut proprias characterum illorum matrices nanciſcar, & reverſus domum efficiam, uti fundantur, quanto illi numero voluerint, hoc eſt, pro una aut duabus formis, pluribus paucioribuſve utut illis viſum fuerit. Sed expectabo prius tuam de tota hac re ſententiam, cujus me adhuc breviuſculis etiam literis certiorem ante proximam quadrageſimam reddere poteris. De rerum tuarum conditione quod nobis etiam ſcribere dignatus es, libenter legi, & agnoſco in hoc ipſo ſingularem erga me obſervantiam atque benevolentiam cui utinam pares aliquando referre grates poſſim. Habeo jam ſub prælo *tota Biblia* a Sebaſtiano Caſtalione, non parum quam antea Latinius atque elegantius expreſſa, adjectis ejuſdem annotationibus. Item *Chriſtophori Milei univerſitatis rerum hiſtoriam* quinque libris ab eo comprehenſam. Præterque hæc duo, alia quædam levioris operæ, quorum quædam jam abſoluta, ad te huc mitto, quædam adhuc abſolvenda ſpero, ut ſunt *Joach. Camerarii commentarius Græcus in Theognidem*, *Threni Hieremiæ* latino carmine expreſſi ab *Abrahamo, Laſchero*, cujus opera converſum nuper *Pauſaniam* quoque edidimus. Item ejuſdem *Joach. Camerarii Progymnaſmata*, ſive Elementa rhetoricæ exercitionis, ab eo recognita, *Comœdias aliquot ſacras. Viti Amerbachii in off. Ciceronis commentariolum*: & neſcio quæ alia. Mitto ad te una cum libellis tibi muneri deſtinatis etiam faſciculum alium D. Lilio Gyraldo Gregorio inſcriptum, quem una cum libris adjunctis eidem Ferrariam tranſmitti ut cures vehementer te, mi Cicerine, oro atque obteſtor. Quæſo fac me certiorem, num faſciculus ille ad Gyraldum miſſus fuerit, ac probe curatus ſit. In libellis vero, quos ad te mitto, ſi quid eſt quod gratum eſſe D. Majoragio noſtro poſſit, id tecum illi eſſe commune velis vehementer etiam te atque etiam oro; cui meo nomine plurimam ſalutem dices, & per occaſionem quam officioſiſſime commendabis. Bene vale & ignoſce tumultuariæ ſcriptioni, neque enim per ſex præla, quibus toto jam triennio perpetuis exerceor, licet vel ſæpius, vel melius, vel prolixius ſcribere. Iterum atque iterum vale optime atque doctiſſime Cicerine, & nos, quod facis, amare atque ornare, ut cœpiſti, perge. Baſileæ Prid. Kal. Februarii 1551.

EPISTOLA LXXXIV.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

ACcepi D. Majoragii in Ciceronis Oratorem & partitiones commentaria ſane doctiſſima, proque iis ad me miſſis ago utrique ingentes gratias.

Mitto

Mitto etiam ſpecimen hic futuræ editionis ad proximum ſeptembrem uti ſpero abſolvendæ. In ea vero, ſi vel forma vel characteris elegantia forte reſpondere expectationi veſtræ non potero, ſaltem emendatione, ac locuplete, quem adjecturus ſum rerum ac verborum indice ut ſatisfaciam, curabo ſedulo. Lego ipſe omnia imprimenda in hoc, quod non ita in omnibus aliis licet, & colligo ipſe indicem; unde polliceri certius poſſum. De loco in Arluni hiſtoria adhuc alio paulum mitigando, dabo operam, ubi in eum incidero, ut rationem & voluntatis veſtræ & officii mei habuiſſe, videri merito queam. Interea me meaque omnia tibi ac D. Majoragio commendo. Bene vale, & D. Majoragio officioſiſſime ex me ſalutem dicito, atque tumultuariæ ſcriptioni ignoſcito: ſum enim ita occupatus, ut vix antea unquam magis, id quod communis amicus hic noſter teſtari coram poterit, cui literas haſce ad te perferendas dedi. Iterum atque iterum vale, & ſi quid tuo nomine a me fieri velis, proxime indicato Baſileæ 12. Julii. 1551.

EPISTOLA LXXXV.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum.

VAlde miror literas noſtras non perferri ad vos: ſcio enim hoc ſemeſtri ad minimum ternas literas ad te ſcripſiſſe, & inter cætera etiam de libris Chriſtophori Mylæi, quid eſſet actum, indicaſſe: nempe cum commode mitti ad vos non poſſent, me Petri Pernæ ballis, quæ Patavium mitterentur, incluſiſſe, ubi eos reperturus eſſet apud D. Matth. Grybaldum Jureconſultum: idque ut ei, ſi quando ad te venturus eſſet, indicares, orabam. Deinde miſſo etiam ad me D. Majoragii in oratorem & Partitiones Ciceronis commentario, me & illum accepiſſe, & uti primo quoque tempore typis noſtris in lucem edatur ſedulo daturum operam ſignificavi, actis inſuper, ut par eſt, gratiis quod ornandæ officinæ noſtræ tantum vobis ſtudium eſſet: Quin poſtremo etiam ejus jam ſub prælo noſtro ſudantis ſpecimen miſi, quod miror non eſſe ad te perlatum. Quod etiam locum in Arluni hiſtoria attinet, de Marchione Muſſii, eum quoque me, ubi in illum incidero, curaturum permiſi. Specimen orationum Demetrii Moſchi, quod miſiſti, non diſplicet, & velim ejus mihi copiam fieri: ſed ita, ut te bonas horas in ea deſcribendo, teque tanta moleſtia confici nolim. Facies igitur quod e re noſtra, & citra tuam magnam moleſtiam fieri poſſe putaris. Bene vale & D. Majoragio plurimam ex me ſalutem dicito. Baſileæ 25 Julii 1551.

Quæſo ſi noſti ubi jam ſit Chriſt. Mylæus, ad eum ſcribas de libris ſuis quod Patavii eos inventurus ſit apud Grybaldum.

EPISTOLA LXXXVI.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

BRevi ad te mittam, mi D. Cicerine, Majoragii Oratorem, quem tamen ſeorſim excudere abſque partitionibus in præſentia oportuit, idque non mea culpa, cui utilius fuiſſet utrumque conjungere, & librum utrumque alterius acceſſione reddere commendabiliorem: ſed partim operarum, ſubinde moras alias ex aliis nectentium, partim etiam præſentium temporum calamitatis vitio, qua per annum fere jam peſte apud nos graſſante, ſubinde alios atque alios adhibere jam huic operi, jam aliis abſolvendis fuit neceſſe. Non puto tamen, neque te neque D. Majoragium magnopere curaturum, ſi etiam abſque partitionibus jam Orator in publicum prodeat: propediem enim partitiones ſubſequentur, idque forma minore paulo, & ſtudioſis ſcholaſticis commodiore. Niſi omnino D. Majoragius malit, etiam hac eadem, qua orator excuſus eſt, forma excudi. Tum ab eo præfatiunculam adhuc aliam, ſive epiſtolam qualemqualem præmitti velim, ad amicum aliquem nuncupatione deſtinata, ne ipſo invito aut neſciente ita excuſus liber videri poſſit. Nuper vidi Ariſtotelis Rhetorica ab eodem verſa, apud Cœlium noſtrum: neque quicquam opto magis, quam ut commentarios quoque in eadem, quos parare eum jam aliquamdiu intellexi, aliquando etiam abſolvat. Eum ut meo nomine quam officioſiſſime ſalvere jubeas, meque ei per occaſionem commendes, etiam te atque etiam, mi D. Cicerine, oro. Bene vale, & Oporinum tuum amare atque ornare, ut cœpiſti, perge. Baſileæ 25. Februarii 1552.

Arluni quoque hiſtoriæ ultimam manum proxima æſtate imponi curabimus, ſi vitam nobis Deus produxerit.

EPISTOLA LXXXVII.

FRANCISCO CICERINO. S.D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

JAmpridem equidem ad te & D. Majoragium miſiſſem exemplaria aliquot editi commentarii ipſius in M. T. Ciceronis Oratorem, ſi vel per bellorum turbas auſus fuiſſem, vel non expectandum potius duxiſſem D. Petri Pernæ, ejus a quo literas haſce accipies, ſummi amici noſtri ac Bibliopolæ Itali, ad vos profectionem, qui etiam pedes gratificari mihi, & vobis hac in re voluit, ut ſarcinulæ moleſtiam ſubiret. Itaque D. Majoragio me excuſabis, atque brevi plura accepturum verbis meis affirmabis, orabiſque præterea, ut ſi quid forte in iſta editione erratum deprehenderit, annotare ne gravetur, quo ſecunda editio, quam nos brevi adornaturos ſperamus, & emendatior eſſe & gratior ſtudioſis poſſit: nam majore hac forma non plura quadringentis exempla-

ria

ria excudere libuit, quo citius in forma minori, quam octavam vocant, recudere ipſi potius poſſemus, quam plagiariis quibuſdam Italis aut Gallis, qui hujuſcemodi captandis, inhiare ſolent, percipiendi laborum noſtrorum fructus occaſionem præberemus. Adjeci etiam primum ternionem Hiſtoriæ Mediolanenſis B. Arluni, in qua propter temporum calamitatem tardius aliquanto procedimus, quod ſumptibus ferendis etiam minus hoc tempore ſufficiamus. Multum enim inſumpſimus jam per menſes aliquot, & intercepta nundinarum meſſe magna jam penuria laboramus. Itaque nuper etiam D. Aſcanio, cum forte hic eſſet, exhibuimus ſpecimen hiſtoriæ, & an ſubſidii aliquid ſive a Repub. Mediolanenſi, ſive Duce impetrari poſſet, rogavimus, quo ferendis ſumptibus atque eo citius abſolvendæ editioni ſufficere poſſemus. Et quia ſpem aliquam is nobis fecit, ubi primum aliquid ſubſidii ad nos pervenerit, ſedulo curabimus, uti brevi tum abſolvatur. Interea me meoſque conatus ac ſtudia tibi, ſi unquam alias, quam commendatiſſima eſſe hoc tempore vel potiſſimum cupio, quo ita affligimur, ut ſæpe de tota jampridem cœpta de bonis literis benemerendi functione etiam deſerenda conſilium nos fatiget. Sed dabit Deus his quoque finem. Bene vale, & nos, mi D. Cicerine, ut facis, amare atque ornare perge. Baſileæ 13. Maji 1552.

EPISTOLA LXXXVIII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

CUm optimus & doctiſſimus vir D. Georgius Tamerus Auſtriacus, amicus meus ſingularis, ad vos profecturus eſſet, non potui facere, quin per eum ad te ſcriberem, ſimulque ipſum tibi, mi D. Cicerine quam officioſiſſime commendarem. Eum igitur ut meo nomine amice complectare, & ſi quid eſt Mediolani dignum cognitu, adeſſe ei ut digneris, vehementer te oro. Scripſi etiam D. Majoragio, ad quem ut Tamero noſtro etiam aditus pateat efficies. De obitu Franciſci Arluni quod ſcribis, valde mihi dolet. Debebam enim illi vel imprimis hiſtoriæ, quam miſerat, editionem gratificari. Sed quid facerem? impediebat temporum injuria, & (quod ajunt ſapientis non eſſe dicere) illum ita brevi nos poſt te relicturum non putabam. Polliciti mihi quidem D. Aſcanius & D. Angelus Ducis veſtri legati qui fuerant, ſe effecturos, ut vel honorarii vel ſubſidii loco 100 coronatos haberemus, quo & citius & elegantius abſolvi hiſtoria illa poſſet, & ſperabam ſane ſucceſſurum; ſed quia nihil comparet hactenus, differre editionem oportebit, in tempora paulo, quam hæc ſunt, fortunatiora. Atque utinam ſaltem inveniri poſſit ex veſtris civibus, qui vel mutuo ſuppeditare ad hoc opus ducentos coronatos vellet, ad biennium ſaltem aut triennium a me bona fide ex librorum diſtractione reddendos: haberetque interea libros a nobis editos pignoris loco, tum vel hac hyeme uti abſolveretur curarem. Alioqui niſi aliunde auxilium ſuppetat, non

video

video quando abſolvere liceat: adeo ſunt rationes noſtræ omnes propter nundinarum Francofurtenſium jam ſemel atque iterum præciſam meſſem perturbatæ. Itaque ut etiam hanc adhuc aleam in noſtram gratiam jacere digneris, etiam atque etiam te, mi Ciccrine, oro atque obteſtor, forſitan erit aliquis, qui tantilla pecunia, alioqui forte otioſa interea domi latitatura, carere tantillo tempore ut velit, adduci queat. Neque gravabor, ſi ſit opus etiam cum tolerabili & honeſto fœnore eam reddere, aut aliquo excuſorum librorum juſto munere gratiam illam rependere. De hoc poſſes apud Nicolaum Landrianum bibliopolam videre. Eſſet enim ea res bibliopolæ alicui maxime uſui futura. Miror autem quod ſcribis Seſſæ ſucceſſores, nomen meum in ipſius rationibus nuſquam reperire, & chirographum ipſius a me petere, cum is nulli noſtrorum pro libris poſtremo hic acceptis ullum chirographum dederit, ſed per Nicolaum Epiſcopium collectos a diverſis libros Baſilienſes mitti ad ſe petierit. Cumque Epiſcopius a me peteret libros Seſſæ nomine ipſi ut darem, præbui me, ut par erat, admodum facilem, nempe quod mihi (ut antea factum fuerat) ſatisfactum ab ipſo iri, ad tempus ab eo in literis ſuis ad Epiſcopium ſcriptis manifeſte expreſſum, non dubitarem. Et ſpero etiamnum ſucceſſores ipſius denuo admonitos, bonorum virorum functuros officio. Mitto itaque ſchedulam hiſce literis ad te noſtris incluſam, qua librorum catalogum, quos per Epiſcopium petenti ipſi miſi, complexus ſum, ut plane ipſis conſtet, nihil nos fingere, neque dolo malo extorquere vel obolum, qui nobis non debeatur, velle. Eam ſchedulam itaque eis quæſo des, & ut mihi ſatisfiat curabis. Quod vero tua ad hanc rem opera abuti audeo, ignoſces. Commiſeram eandem etiam Mario Jutio, Seſſæ quondam familiari, qui ſuam quoque operam pollicitus eſt. Sed deſino. Mitto folium, quod te in Omphalii de uſurpatione legum deſiderare ſcribebas. De mittendis aliquot exemplaribus commentariorum Majoragii ad vos, quæſo per occaſionem mercatores veſtros Damonos ut ſollicitare velis, ut ſuis, quos Baſileæ habent, curatoribus ſcribant, ut recipere a me, & curare velint. In me nulla erit mora. Bene vale, & prolixitati ignoſce. Baſileæ. 13. Septembris 1552.

EPISTOLA LXXXIX.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum.

PRo ſingulari humanitate tua erga D. Georg. Tamerum meo nomine exhibita, ago ingentes gratias, relaturus etiam prima quaque occaſione, pro virili. Mitto jam tandem per Balthaſſarem Ravalaſcum, faſciculum librorum, inq uo reperies 20 exemplaria commentariorum Ant. Majoragii in Oratorem, quæ ut ipſi ſtatim reddantur curabis, atque ex iis ſi voles ipſe etiam ſervabis pro te aliquot, ſi plura voletis, mittam alio tempore. Adjunxi Commentarium Mart. Borchai in Ariſtotelis Rhethorica, quem pro nobili quodam petebas, is conſtabit

conſtabit batziis decem. Quod ſi pro te ipſo eum ſervare voles, nihil exigo. Cæterum quod ſcire cupis, Philip. Melanchthon nihil in Ariſtotele vertit, ſed conſtanter aſſeritur, Joan. Sturmium & Rhetorica Ariſtotelis vertiſſe, & jam in eadem meditari commentarios; vix tamen ante biennium abſolutos fore puto, adeo eſt magnus ceſſator Sturmius: & ſpero longe prius Majoragii commentarios in eadem abſolutos iri, quando & textum rhethoricum jampridem ab eo in Latinum ſermonem converſum eſſe, & editum intellexi. Adjunxi cæteris, & faſciculo uno incluſi exemplar manuſcriptum commentarii Majoragium in partitiones, quod tantopere deſiderabas. Id vero uti ad nos aliquo redeat cum fœnore, curabitis uterque. Officioſe autem D. Majoragium meo nomine ſalutabis, & quod non ipſi quoque una ſcripſerim excuſabis, orabiſque ut & miſſa exemplaria boni conſulat, & de cætero nos noſtramque officinam habeat commendatos. Bibliopolæ Franciſco Serono libenter tuo nomine ſum gratificatus, & remitto ſcedulam literis tuis incluſam, cui adſcripſi precium ſingulorum, quos petiit librorum. Sed & indicem meorum una mitto, ſi quos forte etiam de noſtris peteret: nam vix alioqui noſtræ editionis libros, vel noſſe videtur, vel pro aliis curare. Quod nullus apud vos reperitur, qui vel experiri fidem noſtram, aut conferre aliquid opis velit ad edendam Arluni hiſtoriam, non poſſum equidem mirari ſatis: & vehementer doleo inceptam eſſe, hoc præſertim tempore quo ita ſunt res noſtræ acciſæ, propter interceptas jam ſemel atque iterum nundinas, ut nunquam antehac magis: alioqui longe facilius eam ad vos remitterem, quam ut abſolvere ære meo, quod nullum fere eſt aut perexiguum, in præſentia poſſim. Certe D. Aſcanius & Angelus, ſed inprimis Aſcanius, Ducis Mediolanenſis apud Helvetios legatus, de eo admonitus per quendam amicum meum Italum, pollicitus eſt ſe curaturum, ut 100 coronati nobis mitterentur, quo abſolvere cœptam jam hiſtoriam poſſem. Itaque ſi forte Mediolani eum reperies, meo nomine quæſo admoneri eum promiſſi hujus cures. Interim ego opperiar meliorem fortunam, qua vel mediocriter aſpirante, non ceſſabo, quin meum officium ſtrenue exſequar. De rebus Italicis valde ſcire cuperem, quomodo haberent. Germaniæ certe ita ſunt perturbatæ, ut de recuperanda ita brevi publica tranquillitate jampridem deſperaverim. Valde miror improbitatem atque perfidiam ſucceſſorum Petri Seſſæ; quod enim illi de rationibus anni 1547. affirmant mihi eſſe ſatisfactum, quid ad rem facit? neque enim ego de eo anno quicquam mihi ab illo deberi ajo, ſed de anno 1551. quo anno, die vero 10 Junii miſi ad Seſſam cum Epiſcopii & Herugi & aliorum libris meos quoque pro 15 florenis & 13. batziis, petente eos Balthaſſare Ravalaſco vectore Mediolanenſe, idque nomine Petri Ant. Seſſæ: neque hactenus cuiquam noſtrum (ut etiam alios conqueri audio) ſatisfactum eſt. Unde ſi nolint illi curare, ut nobis ſatisfiat citra impenſas alias, vel jure debitum noſtrum a prædicto Balthaſſare exigemus. Sed homines perfidi ex ſuo ingenio alios æſtimant. Efficiam tamen, niſi quod bona fide debent ſolverint, ut hac fraude ſua

non multum nec diu lateantur. Bene vale, & ignoſce tumultariæ ſcriptioni, neque enim licuit, in præſentia quidem aliter. Baſileæ 1552. feſto omnium ſanctorum.

EPISTOLA XC.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

MIſi nuper per Balthaſſarem Ravalaſcum, ad vos faſciculum, in quo 20 exemplaria Commentariorum Majoragii noſtri in Ciceronis oratorem poſueram, una cum manuſcripto commentario ejuſdem ad partitiones Ciceronis, quem ad ſe remitti petierat, ut prius quam ederetur, denuo eum recognoſceret. Adjeceram vero etiam Borchai commentarium in Rhetorica Ariſtotelis, quem te pro quodam amico tuo petere ſcripſeras. Eum faſciculum an acceperitis, nec ne, valde miror. Itaque nactus tabellarium, qui ſe recta Mediolanum profecturum diceret, non potui facere, quin per eum ad te ſcriberem, & ut prima quaque occaſione hunc mihi ſcrupulum per literas eximeres, etiam atque etiam te orarem. Facies igitur, mi Cicerine, ut brevi, an perlatus ad vos ſit faſciculus, intelligam, & an miſſa ad vos exemplaria ſufficiant, & an quid amplius fieri a me in gratiam veſtram velitis. Dabo enim operam, ut me gratum vobis declarem pro virili, ſi qua re viciſſim gratificari vobis opera ac fides noſtra poſſit, liquido intelligam. Quod ad æs alienum attinet, quo mihi Pet. Ant. Seſſa adhuc tenetur, quod ſemel atque iterum jam per te petii, valde illorum hæredum ipſius improbitatem atque impudentiam miror, cum ipſiusmet Petri Ant. Seſſæ chirographo teſtari poſſim, eos libros ipſum accepiſſe, & ſe mihi bona fide mihi ſatisfacturum promiſiſſe. Atque chirographum illud jam ad te miſiſſem, ſi fidere itineri jam nimis periculoſo fuiſſem auſus. Quod ſolum potui, huic bono & docto viro (cujus nomen velim per occaſionem mihi a te aliquando indicari per literas) a quo literas has noſtras jam accipis, chirographum illud Seſſæ legendum obtuli, iſque ſe vidiſſe & legiſſe teſtabitur. Hæc habui, quæ obiter & ſubito ad te ſcriberem, quod ut æqui bonique facias, & ad lituras ignoſcas oro. Bene vale, & præſenti anno jamjam inchoato feliciter fruere, una cum D. Majoragio, cui plurimam meo nomine ſalutem dices. Baſileæ, 8. Januarii 1553.

EPISTOLA XCI.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

MUltum ſane debere me tibi, mi Cicerine, ingenue pro eo atque par eſt, fateor, qui rebus meis juvandis adeo ſedulo incumbis, ut nullum non lapidem tibi movendum cenſeas, quo inſtitutæ a me Arlunenſi hiſtoriæ editioni promovendæ, aliquod undecunque opis afferatur. Ego certe ſi Mer-

curius

curius dexter hoc rerum ſtatu vel paulum conatibus noſtris affulſiſſet magis, non commiſiſſem, neque vel operæ vel oleo peperciſſem, quin veſtræ jampridem expectationi atque deſiderio, meoque ergà vos officio ſatisfactum curaſſem. Nunc vero chartis in eadem hiſtoria paulo pluribus impreſſis, referre pedem non licet, neque ea quæ jam excuſa ſunt abjicere libet, quo fit, ut inter ſacrum ſaxumque hærens, opem aliquando expectare neceſſe habeam: prima quaque occaſione eam nactus, tum extremam reliquis quoque manum impoſiturus. Itaque quod cum D. Riccio agere cœpiſti, ſedulo ut perfectum nobis tandem aliquando tradas, vehementer, mi D. Cicerine, etiam atque etiam oro, ac per communia amicitiæ noſtræ ac literarum ſacra obteſtor. Egi nuper etiam cum uno hæredum aut ſucceſſorum Petri Antonii Seſſæ, qui Baſileæ libros aliquot emebat, & ipſius Seſſæ chirographo oſtenſo, ne illum, & debere adhuc mihi, necdum ſatisfeciſſe tamen, in poſterum dubitaret, effeci. Ac pollicitus mihi is eſt, ſe curaturum, ut ad proximum Septembrem mihi ſatisfiat. Oro itaque mi Cicerine, ut per occaſionem, & quantum citra moleſtiam licet, eundem, qui apud nos fuit (nomen ejus ignoro) noſtri ut meminiſſe velit, hortere. Fuit præterea nuper apud nos Auguſtinus Planta Luganenſis, vir (quantum ex unico eoque non prolixo admodum colloquio licuit conjicere) neque malus neque indoctus: qui tui mentione inter nos facta, quum & de eruditione tua ſingulari ac rara, tum familiari inter nos neceſſitudine non pauca in medium proferrem, dici non poteſt quantum ille ea ſe narratione oblectari teſtaretur, atque ob eandem etiam me jam arctius amare præ ſe ferret, & quacunque in re poſſet ſuam mihi operam polliceretur. Proinde quæſo te, mi Cicerine, proximis literis tuis, de illo ipſo quid ſentias, certiorem facias. Ceterum folium quoque iſtud, quod te in Majoragii in oratorem Cic. commentariis deſiderare ſcribis, hic una mitto: libenter adjecturus etiam libellorum proxime a me excuſorum aliquid, ſi committi vectoribus commode potuiſſet. Quod reliquum eſt, oro, ſi qua in re gratificari tibi aut etiam Majoragio noſtro poſſum, mihi non parcatis: nullam mihi aliam rem facturi gratiorem. Bene vale, meque bonis ac doctis viris omnibus, de meliore, quod ajunt, nota quam potes officioſiſſime commenda, & D. Majoragio noſtro nomine plurimam ſalutem dicito. Baſileæ, 24. Maji 1553.

EPISTOLA XCII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum.

NEque hanc occaſionem ſcribendi ad te negligendam duxi, optime atque doctiſſime Cicerine, quum D. Guil. Poſtellum ad vos in Italiam rediturum intellexiſſem: ſaltem ut & ipſum tibi commendarem quoque, ſi qua in re eum juvare, vel propter eruditionem & probitatem ſingularem, tum etiam noſtro nomine, & poſſes & velles: ſimul ut Arluninæ hiſtoriæ negotium

tibi revocarem in animum, in qua equidem niſi eo eſſem excudendo progreſſus, ut citra magnam jacturam retrahere manum non liceat, citius eam ad vos remitterem, quam ut de abſolvenda ea citra cujuſquam ſubſidium certo inſtituere quicquam poſſim. Proinde & eam rem noſtro nomine, ita ut ſpem jam non exiguam feciſti, curabis: & nos, ut hactenus, amare atque ornare perges. Bene vale, & D. Majoragio meo nomine ſalutem officioſiſſime dicito. Baſileæ, 17. Julii 1553.

EPISTOLA XCIII.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

NUper cum nepotem meum in Italiam mitterem, Petro Pernæ bibliopolæ Italo adjunctum comitem, reſpondi ad literas tuas, perque eum ad te miſi, ut quid de D. Majoragii paraphraſi in libros IIII. de Cœlo & aliis, de quibus ſcripſeras, inſtituiſſem, proxima occaſione ſignificarem. Interea alias a te literas accipio, Kal. Octobris ſcriptas, quibus idem ſed brevius reſpondendum duxi in præſentia: neque aliter licet maxime ad ejuſdem argumenti & tenoris literas, quibus priores erant ſcriptæ: niſi quod ad finem adjicis, non exſpectandum mihi eſt, ut tertio eadem de re ſcribas, ſed potius omni mora depoſita reſpondendum, nempe ſi forte aliis jam cœptis operibus impediar, quo minus ſtatim hac hyeme vacare toti operi abſolvendo poſſim, ſaltem ut nulla mora interpoſita intelligatis, me accepti exemplaris veſtri priores utriuſque partis chartas expreſſas vobis quamprimum daturum. Id vero me facturum primo quoque tempore, acceptis libris, polliceor, ut in tempore & tituli & præfationes, ſi minus totum utrumque opus liceat, in lucem prodeant, & cum veſtræ, tum Archiepiſcopi veſtri, cui dicatum inſcribis opus, ſive aliorum ſive utrique expectationi ſatisfiat. Reliqua fuſius in alteris literis per nepotem miſſis, quas te jam pridem accepiſſe ſpero. Non licuit autem in præſentia plura. Commendo itaque tibi & me & mea omnia, de quibus alias jam ſæpe. Bene vale & D. Majoragium officioſe meo nomina ſaluta. Baſileæ, 3. Octobris 1553.

EPISTOLA XCIV.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

PEr hunc juvenem, nepotem meum, Patavium per vos extractum, facere non potui, quin ad te ſcriberem, doctiſſime Cicerine: ſimulque & ipſum tibi meo nomine commendarem, & ad tuas literas 10. Kal. Septembris ad nos ſcriptas, ſed idibus demum Octobris nobis redditas, ſaltem breviter reſponderem. Primum itaque ingentes tibi gratias ago, pro ſingulari erga

me

me benevolentia tua, quam tot hactenus argumentis atque officiis in me conferendis prolixe teſtaris: quibus utinam referre aliquando parem ego quoque gratiam viciſſim poſſim, nihil equidem magis a Deo Opt. Max. optarim. Deinde quod Arluni negotium attinet, ſedulo ille apud me hactenus expectat, dum ad umbilicum cœpto opere dignum perduci poſſit. Sed quia D. Riccio id adeo curæ eſſe ſcribis, non minus quam tibi, ut occaſionem captet, qua commode id, quod utrimque cupimus, & aggredi & perficere poſſit, ipſe quoque vobiſcum interea æqui bonique faciendam eſſe quantulamcunque iſtam moram cenſeo. Seſſæ vero hæredum moram iniquiore animo fero, ut qui ad proximum Septembrem curaturos ſe, ut omne vetus debitum mihi perſolverent, ſancte promiſerunt. De Majoragii in Ariſtotelis de cœlo & generatione libros commentariis quod ſcribis, video temporis occaſione nos excluſos plane: neque enim fieri jam amplius poteſt quod cupitis, ut intra proximam hyemem abſolvatur. Sed fieri tamen poſſet, ut libri cœpti typis noſtris excudi ſpecimen, hoc eſt initium cum dedicatione abſolverem, atque ita Archiepiſcopo veſtro, cui dicatum eſſe id operis ſcribis, afferretur, quo inde percipere oblectationem, & cujus proxima quaque occaſione abſolvendi ſpe ſeſe conſolari atque delectare interea poſſet. Sum jam totus in abſolvendo magno ac juſto opere Wolfgangi Lazii de Rep. Romana, ante biennium ferme a nobis cœpto; quod dici non poteſt quantum & olei & operæ nobis abſumat. Sed ſpes mihi facta eſt honorarii, cum ob illud ipſum, tum propter Nicephorum nuper editum ab ipſo Ro. Rege conſequendi. Alioquin illis etiam ſumptibus vix poſſem ſufficere. In Philoſophicis tamen & ſcholaſticis libellis, quia citius redit ſumptus, fere ſumptibus ferendis melius ſufficio. Itaque quod de partitionibus etiam propediem ad nos mittendis ſcribis, valde me oblectavit, cœperunt enim illæ jampridem deſiderari, a non paucis, qui eam editionem etiam in librorum noſtrorum catalogo promiſſam legerunt. Ariſtotelicos tamen commentarios, ſi nobis etiam committere Majoragius vellet, libenter quicquid poſſem diligentiæ atque induſtriæ ad eos excudendos conferre ex animo vellem. Quod ſi tamen etiam in tempore eos accepiſſem, potuiſſem forte rationem inire, qua etiam hac hyeme abſolvere eos licuiſſet: nam ad magna hujuſmodi opera, ut tempore opus eſt dum conſcribuntur, ita & parandæ papyri & characterum occaſio non ita ſubito captari poteſt. Itaque excuſabis nos apud D. Majoragium, & de reliquo me meaque ſtudia ipſi quantum licet commendabis. Bene vale, doctiſſime Cicerine, & nos quod facis amare atque ornare perge. Baſileæ, 24. Octobr. 1553.

EPISTOLA XCV.

FRANCISCO CICERINO. S.D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

DE paraphraſi D. Majoragii noſtri in libros IIII. de cœlo itemque aliis, & præcipue etiam annotationibus in partitiones reſcripſi ad vos ante menſes

ſes duos & amplius, idque bis: ut vehementer mirer an literas non acceperis. Certe quia ſtatim certior a me reddi poſtulabas, an ſi non confeſtim excudi illa poſſent, ſaltem præfationibus maturandis gratificari vobis vellem ea præſertim, quæ Archiepiſcopo veſtrati jam ſenio confecto deſtinata eſſet, ſcripſi me ſtatim ea in re vobis operam meam ſumma fide & diligentia locaturum. Sed & editionem ipſam ut hac hyeme abſolvere non poſſem, ita ut primo quoque tempore expedirem, ſedulo daturum operam. Itaque jam tabellarium bonæ fidei nactus Caſparum Heruagium, qui brevi etiam ad nos rediturus eſt, non potui facere, quin denuo ac tertio meum vobis animum declarem, ſi forte priores literæ non curatæ fuiſſent, ex hiſce quid facto opus videretur, conſtituere poſſetis. Poteris itaque per eundem ad me de rebus omnibus reſcribere, & ſi nihil aliud, ſaltem præfationes mittere: & an adhuc præperato ſit opus, ut ſtatim excudantur, ſignificare. D. Majoragio me officioſe commendabis, meoque nomine plurimam ipſi ſalutem dices. Literas quoque ad D. Gaudentium Merulam quæſo cura, ut certo illi reddantur. Audio enim ipſum jam apud Marchionem de Maziguian agere. Bene vale. Baſileæ, 14. Januarii 1554

EPISTOLA XCVI.

FRANCISCO CICERINO. S. D.

Jo. Oporinus.

Mediolanum,

ABſolvi tandem paraphraſin D. Majoragii noſtri, cujus hic exemplaria mitto viginti, quæ ipſi Majoragio dabis, accepturus ab eodem unum atque alterum pro te, ſi forte gratificari ipſe etiam alicui amico velles. Equidem addidiſſem, & de aliis a me excuſis hac æſtate aliquot, ſi non in tempore potius mittere illa, quam expectare aliorum finem qui ante Kal. Septembres vix abſolventur, operæ pretium duxiſſem. Itaque boni conſuletis hanc & operam & voluntatem noſtram, & ſi plura mitti ad vos cum hujus ipſius paraphraſeos, tum aliorum a me editorum exemplaria volueritis, proxima quaque occaſione certiorem me facite. De vectura curavi, ut ne ulla nobis inde moleſtia oboriatur; ipſe enim in me totam eam recepi: cum pro ea ipſa libenter ſatisfacturus, tum pro illa etiam, qua (ſi modo libuerit) & alia per eundem vectorem ad me veſtrarum lucubrationum eſtis miſſuri. Expecto enim & ea, quæ in partitiones, & quæ de ſenatu ſive Repub. jampridem a Majoragio abſoluta, ex literis tuis intellexi. Sed & faſciculum bene magnum accepturus eram a Joan. Cynthio Gyraldo Ferrariæ Ducis Secretario, ad quem jam ſcribo ut eundem ad vos mittat, quo dein una cum iis, quæ vos miſſuri eſtis, per hunc ipſum, aut quemvis alium veſtratium, qui curatores hic habent, tuto perferri ad nos poſſit. Bene vale & nos amare, quod facis, perge. Plurimam vero ſalutem D. Majoragio dicito, meque ei officioſe commendato. Baſileæ, Prid. Idus Auguſti 1554.

EPI-

EPISTOLA XCVII.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

FREDERICO,

Hæredi Norvegiæ, Duci Sleſvici & Holſatiæ. S. D.
Hugo Grotius.

INter cætera exſilii mei ſolatia, quæ Deus optimus benigne mihi largitus, præcipuum habeo, Princeps Illuſtriſſime, quod me clementiæ tuæ ac bonitatis materiam eſſe volueris, animum benevolum teſtando humaniſſimis literis: pro quo beneficio, ſi quid eſt mearum virium, id tibi omne dico ac conſecro. Neque minus lætum mihi, quod ob ſententiam de ſacris aut de republica extorres atque afflictos tua miſeratio ſublevat, qua virtus non tenuibus epiſtolis, ſed annalium memoria celebranda eſt. Quod res hujus regni attinet, poſtquam Montis Albani obſidio, maxime ob rem a ducibus regiis male curatam, in irritum cecidit, Cleracum quoque nuper receptum, & prælii unius aut alterius proſperior fortuna animum Proteſtantibus fecit; at ſapientiores ſecunda hæc pro adverſis interpretantur, quod quo magis Rex dignitatem ſuam læſam putat, eo a pacis conſilio longius avertitur. Atque adeo colloquia aliqua de pace inſtituta in illis locis, ubi hoc anno bellatum, fruſtra fuere: & Rex ipſe, ex quo Lutetiæ eſt liberior, jam poſt Luinii mortem, ita ut de ipſius animo promtius ſit judicare, ad bellum videtur propenſior, quo & procerum pars major fertur, quanquam ex Rupellenſium pertinacia ac deſperatione non mare tantum per prædas infeſtum, ſed & externorum armorum periculum alii oſtentant. Leſdignerius interim pergit in his & finitimis locis Regi operam novare, cuncta in ejus obſequium redigendo: neque ſcribere omittit pacis hortamenta literis ad Regem. Multa quotidie a Proteſtantibus proterve aut ſæve geſta cauſam ipſorum onerant. Monte Pelierio nuper ſenatus præſes a Leſdigneri miſſus ſuaſor pacis a conjuratis quibuſdam fœde trucidatus eſt. Sed hoc ſcelus ſumtis a magiſtratu ſuppliciis expiatum. Prodiit & nuper liber, quaſi Rupellæ vulgatus, ſed quem in Hollandia factum ac typis datum conſtat, in quo armorum in Regem ſumtorum cauſa ita redditur, ut fundamenta jaciantur omnibus Regibus ac Principibus merito ſuſpecta: ut nullum unquam populum a Deo reprehenſum, quod ſe in libertatem vindicaverit: arma pro tuenda Eccleſia licite ſumi a quovis etiam privato, qui pii propoſiti ſibi ſit conſcius, multaque alia in eam formam. Rex intra hos quatuor aut quinque dies Aurelianum eſt iturus, ubi nuntios rerum internarum atque externarum opperietur, ex illis conſtiturus quod tempora exigent: ſive perdomandis oppidis obſequium abnuentibus, ſive hic pace facta vertendis armis in Hiſpanum, qui valle Telleria occupata, & contra promiſſum retenta, non Rhætis tantum, ſed Helvetiis quoque & Venetis ſe formidabilem facit. Deus Optimus Maximus Regum populorumque animos ad pacata conſilia flectat:

flectat: atque idem te, Princeps Illuſtriſſime, paterno præſidio protegat & tuis in miſeros beneficiis vicem rependat. Lutetiæ XVII. Martii CIↃ. IↃC. XXII.

EPISTOLA XCVIII.

D. MULLERO,

REGINÆ SUECIÆ A SECRETIS. S.D.

Hugo Grotius.

GRatiſſimæ mihi fuere, Nob. V, literæ XXIV. Decembris datæ, cum acceſſionibus ſuis. Spero Excellentiſſimos regni Suedici rectores ſuper Saxonico fœdere ea capturos conſilia, quæ ipſorum fortitudinem & prudentiam deceant. Eſt ſane perplexum negotium, maxime ob indicia non optime volentis nobis Daniæ regis. Dicitur Imperator valde improbare, quod is Rex, magnus vectigalium concupitor, aliena per Poloniam vectigalia impugnet, imminuatque vires Regis Poloniæ, domui Auſtriacæ tam arctis innexi vinculis. Idne ab Imperatoris amicitia avellere Danum poſſit, an vero hic illius ceſſurus ſit auctoritati, & ſua poſthac acturus, rectius dijudicabunt, qui propiores ſunt. Video & a rege Daniæ, & ab aliis id agi, ut recuſatæ pacis invidia Suedos onerent: quo magis laborandum eſt noſtris, ut, ſi non omnibus, quod fieri nequit, certe æquiſſimis Principum patefaciant eam culpam ad ſe non pertinere. Illuſtriſſimi D. Salvii ad Daniæ regem epiſtola querelas de hoſtium circa pacem effugiis multas ſatis continet, alias aliis ſpecioſiores. Illud juſtiſſimum mihi videtur, quod, niſi & Gallis paratis incipere colloquia, locis diviſa, rebus cohærentia non poſſumus: pro Gallorum autem fœderatis, præcipue Batavis, nondum data ſunt diplomata. Lunæburgici conventus conſulta nobis ad cuncta dijudicanda lucem adferent, quæ utinam viam nobis ſternant potius ad honeſtam æquamque pacem, quam augeant hoſtium numerum. Alterum unde augurii ſigna capiamus ſunt Scotici motus. Qui ſi manent, &, ut nunc gliſcunt, honeſta erit oratio internas curas externis prævertentium. Metuendum vero maxime ne Hiſpanica arte ac largitione & Scoti in Regem ſuum concitentur, & Rex in Scotos. De Gallica pecunia Suedis debita quid ſit, jam perſcripſi. Ego pergo & Illuſtriſſimo D. Salvio & Nob. V. meum æquiſſimum negotium commendare. Minus aptos nos reddunt ad publicas diſpectiones privata incommoda. Quod ſi ſemel conſtituto, unde petam, quod mihi promiſſum eſt, ab iſto ſalo atque agitatione liberer, facile Smalzii minas contemnam, neque ei invideam Gallicas auras aurumque. Non eſt incredibile id quod dicit Aſterius, & purpuratus ille magnus eſt talium auceps. Ego hanc ſtationem, quam maxima potero diligentia tutabor, præſertim vobis amicis me adjuvantibus in iis. Nobiliſſime Domine, Deus vos ſalvos præſtet. Lutetiæ V. Januarii CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPI-

EPISTOLA XCIX.

JOANNI MEURSIO. S. D.

Theodorus Canterus.

Lugdunum Batavorum.

EA quæ literis tuis, amiciſſime Meurſi, mihi adſcribere videris, minime in memet ipſo recognoſco: quare vide in poſterum ne Cantero tuo nimium tribuere videaris, in quo ſcies omnia eſſe longe infra mediocritatem, amo tamen viros pios & probos. Et quotienſcunque Romanas hiſtorias lego, libere & promptiſſime dixerim, pudet Chriſtianitatis. Si illis, ut nobis, cognitio veri Dei fuiſſet, & veram pietatem præ ſe ferre licuiſſet, illiſque datum eſſet, ad ſummam felicitatis pietatiſque metam perveniſſent, & quam fervehti zelo eam amplexi fuiſſent, qui tantopere in falſa religione, & de qua ipſi naturæ quodam ductu dubitabant, excolenda, religioſi erant. Nos nunc, pro dolor! nihil præter nudum Chriſti nomen circumferimus, cæteris omnibus virtutibus nudi & expoliati. Metuo nobis omnibus, ne in die judicii meliori loco, qui Chriſtum non cognoverunt, ſint futuri, quam nos. Non quod operibus quicquam aut plurimum tribuendum cenſeam, ſed quia ex operibus noſtris, internam cordis fidem & in Deum pietatem palam reddimus. Utinam Romanorum virtus nobis ſemper ob oculos verſaretur? Quanta in illis hominibus fuit probitatis æquitatiſque ſtudium, qui Maſiniſſæ inter cætera reſponderunt, *ſe Maſiniſſæ cauſa omnia velle, ſed jus gratiæ non dari*, O aureum dictum! Quid nos Chriſtiani? Utinam illud dictum penetralibus pectoris noſtri penitus impreſſum inſculptumque eſſet. Hæc tecum. Emendatio tua Arnobiana placet, quamvis meo judicio non incommode legi poſſit: *munera ſanandis animis hominibuſque portabant*. Tu judica. Alteras etiam tuas accepi, & emendatio Feſti perplacet, quamvis otium non fuit penitus eam introſpicere. His vale, & Scriverium meo nomine ſaluta, cujus codicem fortunate accepi, & cum uſus fuero, bona fide, remittam. Saluta etiam officioſe Dominum Scaligerum. Iterum vale, raptim. Ultrajecti. XXI. Septembris.

Fragmenta Lucilii ſi ad me per occaſionem miſeris, pergratum feceris, indicato pretio ſtatim refundam.

EPISTOLA C.

JOANNI MEURSIO. S. D.

Marcus Velſerus.

Heidelbergam,

ERgo tu iſtic hærere cogitas, donec Italici tumores deſidant? vide ne hujus rei exſpectatio longiſſimam moram trahat: etſi enim Legatus Gallicus, qui Venetiis agit, me concordiam deſperare vetat, alii tamen omnia contra nunciant, & ego ſane cui potiſſimum fidem habere debeam, animi dubius

bius pendeo. Sed itinerum interea nulla ſunt pericula, &, ſi bellum non exardeſcet, quod mihi non futurum videtur, ſaltem his proximis aliquot menſibus, omnes Italiæ angulos tuto perambules licet. Quod pingue otium deſcribendis optimis codicibus bene collocas, quodque Tacticos ſcriptores in unum tanquam corpus cogere inſtituis, magnopere probo. Apud nos eſt *Conſtantinus Imp. Romani filius de apparatu bellico terra & mari*, quem ſi prius non vidiſti, hic coram cum in rem præſentem veneris, examinabis. Amicorum meorum quidam neſcio quid in Julium Obſequentem molitur, cujus nullum adhuc exemplar manuſcriptum paulo antiquius nanciſci potuit, tu ſi noſti, indica quæſo, res enim loquitur, editiones vulgatæ omnes, hujus generis auxilia requirunt. Tacticos an Græce tantum, an cum verſione Latina, quod opinor, daturus ſis, non aſcripſiſti. Vale. Et cum in Bataviam literas dabis, Illuſtr. Scaligerum, cum Clariſſimis viris Cluſio, Vulcanio, Merula ſalvere jube. Auguſtæ Vind. poſtridie Kal. Jan anni M. DC. VII. quem tibi tuiſque felicem precor.

EPISTOLA CI.

MARCUS VELSERUS S. D.

Joanni Kirchmanno.

Rosſtochium.

Commendationes tuas permagni ſemper apud me futuras ponderis, plane perſuaſum habe, ſed quos tu proxime literis Kal. Septembribus datis diligenter & accurate commendaſti, in conſpectum nunquam venerunt; epiſtolam Hæſchelius domum attulit, ipſi recte ad mercatum literarium abierunt, credo quod rei, cujus cauſa tam longinquam profectionem inſtituiſſent, nihil prævertendum exiſtimarent: niſi eos morbus fortaſſe ſonticus, quo ego cruciabiliter jam diu exerceor, a congreſſu abſterruit. Ne lucubrationes tuas, qua poſſum ſymbola non juvem, mitto ectypon annuli antiqui, qui exterius octangula, intus rotunda forma conſtat, cujuſmodi nullum præterea videre memini, inſcriptionem habet GENIO CASSI SIGNIF. Vide an alicui tibi uſui eſſe poſſit. Symmachi locus interpretationem, quam excogitaſti admittit, quanquam Munſteri & poſteriorum Imp. teſtimonio & exemplis in re tam antiqua uti nolim, niſi forte obiter, magis placeant Græcorum & Romanorum numiſmatum characteres. Eſt apud me Maronitarum nummus, in quo ME & ΔΡ, in aliis AR Œ Æ, & ſexcenta generis ejuſdem, nam & ☧, quod poſtea ad Servatoris noſtri nomen Chriſtiani tranſtulerunt, in veteri Ptolemæi numiſmate viſitur. Ad Magiſtratuum nomina, qui rei monetariæ præfecti, pertinere plerique exiſtimant. In Romanis eſt AT L, pro Atilio C Æ pro Calpurnio, C VP pro Cuprennio. Et nullo negotio plura ad eum modum obſerves. Alia ratio eſt notarum, quibus Gruterus Tyronem & Senecam præſcripſit, cum ex Trithemii codice ederet, & ſi iis quoque proprie nomina expreſſa. Sed quo magis Symmachum cogito, eo minus

nus mihi probari poteſt, homini auctoritate, ingenio, elegantia præſtanti obſignandi rationem placuiſſe, quæ cuivis ex Quiritibus patri familias conveniat. Viri enim graves & prudentes, ſe ab his etiam minutis exiſtimari ſciunt, itaque Clemens Alexandrinus lib. 3. cap. 11. pædag. multus eſt in præſcribenda Chriſtianis annulorum ſculptura, cautione, ut mihi videtur, adhibita, ne vel ſe ipſos proderent, ſi aut crucem, aut quidvis ex Chriſtianis myſteriis imprimerent, vel in religionem peccarent, ſi idololatrico aliquo aut libidinoſo ſigno uterentur. Meminit inter alia columbæ, cujuſmodi ſculptura apud me eſt, olivæ ramum roſtro ferentis; Gorlæus quoque in dactyliotheca exhibuit num. 118. addita ſupra Iride, infra arca Noëtica, ut plane Chriſtianum hominem agnoſcas, niſi hæc novitia inventio, quod propemodum vereor: apud veteres enim omnia ſimpliciora. Quid ergo Symmachi verbis faciemus? nemo opinor facile niſi divinando aſſequitur. Ego mihi facile perſuaderi patiar inſculpſiſſe aliquid gemmæ, quod ad Symmachianum nomen alluderet. Sic obſervare licet in Accoleji Lariſcoli nummo Phaëtontis ſorores mutatas in larices, florem in Aquillii Flori, Ciconiam in Metelli Pii, malleum in Malleoli, & non pauca in aliis aliorum. Niſi fallor ipſe eo nos Symmachus tanquam manu ducit, ait enim. *Nomen meum magis intelligi, quam legi promptum eſt.* Sed de his rectius tu tum cogitabis, tum conſtitues. Quid noſtri hic mathematici de maculis ſolaribus ſentiant, in adjunctis foliis leges, & quæ veſtrorum iſtic ſint judicia, tuo commodo reſcribes. Vale. Auguſtæ Vind. 8: die Novembris An. 1612.

EPISTOLA CII.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

David Hoeſchelius.

Altorfium,

MItto vir doctiſſime, libros abs te deſideratos, hiſtoriam Bavaricam a bibliopolio: Hierogliphica, & indicem a Domino Velſero, cui litteras miſi tuas veſpera, qua mercator attulit. De rebus noſtris quod ſcribam, vix eſt, niſi quod hic cœptæ ſunt imprimi ἐκλογαὶ περὶ πρεσβειῶν e Dexippo, Eunapio; Priſco, Malcho, Menandro, Petro Patricio. Codicibus utor duobus, ſed ejuſdem ſi non manus; certe ſeculi, id eſt, χθὲς καὶ πρώην ſcriptis; jamjam & Procopii fiet initium. Quibus finitis, σὺν θεῷ δ᾽ εἰπεῖν proximus forte locus erit Porphyrio περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων, & Epicteteis, verum inſtituta prius editorum cum M SS. collatione. Tuo libro quod ſcribam epigrammation, vix occurrit: neque enim poëta ſum, neque vino vendibili opus eſt hædera. D. D. Remus & Rittershuſius in hoc genere ſunt felices, quorum ingenioſe compoſitis verſibus tuum exornes librum licebit. Mihi certe vel tetraſtichon, quod ſubjiciam, durius videtur, quam ut ſcribi hoc loco, nedum imprimi ad libri frontem, mereatur. Ecce enim, (niſi aliud ſit libri tui argumentum.)

Τῦ κρύψαι γαίῃ τῦς νεκρῦς εἰδέν' ἐρῶν τις,
　῞Ην ἂν ῥωμαίοις τοῖς πάλαι ὅσσα γένη;
Τλώδε λαϐὼν δέλτιν Ναομάννυ, κάρτα * μαθεῖται.
　Κείνυς τῦ θάπλειν ὃς σάφα γράψε τρόπυς.

Lege, dele, plurimumque vale. Tuus item nobilis Dn. Vuitzentorphius. Aug. Vind. 16. Kal. Octob. A. 1602.

EPISTOLA CIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

David Hoeſchelius.

Roſtochium,

MItto, vir clariſſime, Notas ad Phrynichum ejus, quem Aquilam in nubibus appellat Lipſius, quod aciem oculorum ipſius nihil fugiat; de quo Vuackerus, inter alia, hæc ad me: *In Phrynicho, quam elegantes ſunt obſervationes magni illius noſtri! Memini cum adhuc Andreas Duchthius, acris vir ingenii & judicii, viveret; indignari ipſum ſæpius ſolitum, quod in legendis auctoribus ipſe animadvertere non potuiſſet, quæ Scaliger, aliud agens, vel ſomnians etiam deprehendiſſet. Sed eſt hæc virtus magnorum ingeniorum, ut quod alii vix immenſo labore conſequi poſſunt, ipſis ſub manum naſcatur.* Hactenus ille. Quæras cur hæc ad te? Video cum in Criticis exercitationibus, tum in aliis abs te editis, ingenii tui quoque acumen, perſpicientis ea, quæ permultos latent. Velim igitur ſcribas, quid videatur de verſiculis tribus, quos in Codice quodam Auguſtæ reperio inſertos carmini Pithagoræ aureo, quod vocant. Poſt verſum namque πρῆσσε δὲ ταῦθ' ἅ σε μὴ βλάψῃ, &c. Sequitur hoc diſtichon.

Πρῶτα μὲν ἐξ ὕπνοιο μελίφρονος ἐξυπανασάς,
　Εὖ μάλα ποιπνύειν ὅσ' ἐν ἤματι ἔργα τελέσσεις,

Μηδ' ὕπνον, &c. Et poſt verſum δεῖλα μὲν ἐκπρήξας, &c. In codice MS. hic ſequitur ταῖς αὐταῖς ἀρεταῖς ποιοῦ φίλον, ὅν κ' ἐθέλησθα. Sic in Phocylide, cujus auctoris III. calamo exaratos habemus libros, invenio tritiſſimum illum. Μήτε δίκην δικάσῃς, &c. Poſt verſum LXXXVIII. poſitum utque multas notatu dignas διορθώσεις, ita ſuſpectas διαφόρυς quaſdam lectiones. Velut v. 102. pro σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν καὶ πάντες εἰς αὐτὴν, in M. S. uno legitur Σώματα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν κἄπειτα δὲ καὶ πυρὸς αὐγῇ. V. 7. pro αἰώνια, in eod. ἐγγωνιάσματα V. 125. pro ἄνδρα ἄπιστον, in eod. legitur ἄνδρα ἄδεκτον, in alio ἄνδρ' ἀνάδεκτον. Hujus generis alia ſubjicerem, niſi de his ipſis Gnomicis ſcriptoribus cum tribus MSS. Codicibus modo a me collatis edendis, ut & de Theognide ad totidem libros comparatos cogitarem. Et forſan imprimet jamjam Sculterus, cum alter, e cujus officina prodit Aretæus, Procopium ſit excuſurus. Hæc, ne nihil ad te, ſub ipſum ad nundinas Francofurdenſes Dominici Cuſtodis noſtri diſceſſum, exarare viſum eſt: quæ boni ſat ſcio

* *Futuro (quod Grammatici non annotarunt) medio utitur Theocritus.*

ſcio conſules. Eclogas Legationum ab illuſtri Scaligero accipies. Salutat te plurimum Velſerus noſter. Bene Vale. 7. Eid. April. Ann. 1603. Auguſtæ Vind.

EPISTOLA CIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

David Hoeſchelius.

Roſtochium,

Literas tuas accepi, vir clariſſime, & de funeribus Romanorum quos edidiſti libros. Ἀντίδωρον, ſi id nominis meretur, mittam Siracidem Græce cum Notis editum meis, adjecta ideo veteri potius interpretatione, quam nova, quum lectionem M S. Codicis, quo ſumus perquam vetere uſi, & illam, in multis convenire animadverterim; & cætera etiam antiquitate commendetur. Iiſdem namque a Cypriano verbis citatur: qui diu ante D. Hieronymum vixit, cui Bibliorum verſionem adſcribunt. Quamquam & Auguſtinus mentionem facit alterius interpretationis, quam Italicam nuncupat. De Jeſuitarum docendi ratione, quam obſervent, locutus ſum cum noſtro Domino Velſero: qui ait colligi id poſſe ex iis, quæ hactenus ediderint Phyſica, Logica, & id genus alia. Cæterum quod aves ſcire, quid hic jam librorum excudatur, vel ſit excuſum. Velſeri noſtri hiſtoria Boica, ab ejus fratre Paulo Auguſtæ conſule, in linguam vernaculam tranſlata, in lucem prodiit. *Origenis item libri* VIII. *contra Celſum*, Græce cum Gelenii interpretatione ac meis notis. Acceſſit *Panegyricus Greg. Neocæſ. Thaumaturgi* interprete Rhodomano, cum Iſ. Caſauboni & noſtris notis. Nunc imprimitur *Procopius Hiſtoricus* Græce, & *Bibliotheca Photii* Latine, interprete A. Schotto Antverpiano, ſumptu hæc Velſeriano. Prodituras nundinis hiſce puto eſſe *Epiſtolas Iſidori Peluſiotæ* e Codice Boico, auctas & Latine redditas a D. Ritterſhuſio. Francofurdo accepturum me ſpero *Libanii Declamationes* Pariſiis impreſſas, & tractatum *Iſ. Caſauboni de Satyra Græcorum, Satira Latinorum*: Nam literis, illa mihi ſeſe miſſuros, ſunt polliciti. *Themiſtium D. Remi* non dubito, quin ab auctore jamjam ſis accepturus. Plura ſi qua incident ſcriptu digna, σὺν θεῷ alias. Bene vale, Aug. Vind. 12. Kal. Octobr. 1605.

EPISTOLA CV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

David Hoeſchelius.

Roſtochium,

Literis tuis lectis, Vir Clariſſime, Velſerum, licet cum adverſa valetudine conflictantem, illico adii, ut hiſtoriarum & antiquitatis peritiſſimum, a quo faſciculum cum epiſtola & annuli forma quadam nova mitto; Equidem nihil videor mihi obſervaſſe in Græcorum lectione, quod non jam ſit cognitum tibi, velut in Dionis epitome apud Jo. Xiphilinum, quibus annuli aurei

jus ſit conceſſum? in Cæſ. Aug. vita; jus annulorum aureorum Medicis quando conceſſum? in eadem. Item quod annulo ejus ſignatorio Sphinx fuerit inſculpta, poſt ipſius imago: Galbæ autem annulo, canis e navis prora proſpectans: Pompeji & Sullæ annulo tria trophæa; in vita Jul. Cæſ. apud eundem Xiph. Geſtatio annulorum quam ſit antiqua, notum e ſacris literis. Geneſ. 38, Thamar a ſocero petit ἀῤῥαβῶνα τὸν δακτύλιον. Et cap. 41. Περιελόμενος Φαραὼ τὸν δακτύλιον ἀπὸ τῆς χειρὸς αὐτοῦ περιέθηκεν αὐτὸν ἐπὶ τὴν χεῖρα Ἰωσήφ, de quo Philonem lege, lib. de Joſepho p. 372. Clem. Alex. lib. 3. pæd. cap. 11. annulum aureum mulieribus ait dari, οὐκ εἰς κόσμον, ἀλλ᾽ εἰς τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια. Cap. eod. docet, qui viris annulus conveniat, & quibus ſit imaginibus inſigniendus. Execeſtum Phocenſium tyrannum duos habuiſſe annulos fatidicos, ſcribit idem Clemens Al. Stromate I. Annulum geſtare, Deorum iis imaginem inſculpere Pythagoras vetuit, ὡς μὴ τοῖς αἰσθητοῖς προσανέχειν, ἐπὶ δὲ τὰ νοητὰ μετιέναι, ut idem ſcribit ſtrom. v. Demonax, invento annulo aureo, ſcheda in foro affixa, ei ſe redditurum promiſit, qui gemmam, pondus, typum vere diceret. Lucian. in illius vita: idem in Philopſeudo, mentionem facit annuli e ferro de cruce quapiam facto; item alterius, cui Apollinis Pythii imago inſculpta fuerit; item in Dialogis δακτύλιον μεγάλον πολογώνου, ᾧ ψῆφος ἐνεβέβλητο τῶν ἀρχαίων ἐρυθρά τε τὴν ἐπιπολῆς. De Gygis annulo & Polycratis Samii nihil addo. Quamquam etiam his ſcribendis ſuperſedere potuiſſem, ut tritioribus, quare deſino, teque jubeo bene valere. Aug. Vind. 4. Kal. Novembr. A. S. N. 1612.

Nihil jam diu mearum lucubrationum prodiit, quia fui occupatus conferendo homilias Chryſoſtomi editionis Anglicanæ cum M. S. Cod. in gratiam Henrici Savilii, cujus liberalitate impreſſa ſunt Etonæ opera illius τοῦ χρυσοῤῥήμονος Tomis VIII. Nunc totus ſum in recognoſcendis Epicteteis, Enchiridio, Simplicio, Ariano, inde ad Cyrilli adverſus Jul. Apoſtatam libros acceſſurus.

EPISTOLA CVI.

JOANNI MEURSIO. S. D.

David Hoeſchelius.

Lugdunum Batavorum,

ACcepi, Vir Clariſſime, Heſychium tuum, donum perquam gratum; non eo ſolum quod amoris in me tui ea ſignificatio: verum etiam, quia editis abs te quibuſcunque eruditiorem me fieri poſſe video. Andronici περὶ παθῶν opuſculum, niſi te jam habere exiſtimaſſem, pridem miſiſſem. Quanquam ita pauca ſunt impreſſa exempla, ut haud ſciam ullane, quæ bibliopolæ noſtri eſt negligentia, Francofurdum venerint. Caſaubonus ſemel atque iterum Notis in Theophraſti characteres ejus meminit. Operæ igitur omnino facturus eſſes pretium, ſi cum tua interpretatione ac Notis, ut Heſychium modo, eruditiſſimis illuſtrares, maximo ſtudioſæ juventutis fructu, minimo

tuo

tuo labore, qui in hoc lucubrationum genere es exercitatiſſimus. Herodis inſcriptionem abs te verſam habeo e tuo autographo, atque ut Caſaubonus noſter edidit; unde minus de Gloſſarienſi laboraram editione, ad quam negabant quicquam acceſſiſſe; neque ullum ejus exemplum venale proſtat. Quod ſi de illa recognoſcenda cogitas; vide an verſus 6. ita poſſit legi, ἐν ἀθανάτοις ἀλέγεσθον, id eſt, recenſeamini. Nam in M. S. Roma huc ad Nobiliſſimum noſtrum Velſerum miſſo, ultima ſolum litera deſideratur, ἐν ἀθανάτοις ἀλέγεσθε. Sic Pind. Ode 2. Olymp. Πηλεύς τε καὶ Κάδμος ἐν τούτοις ἀλέγονται. In editione Caſauboni poſt verſum XII. hic deſideratur; τὴν ὅσιην περὶ τεῖχος εὔτροχον ἐστεφάνωται. V. 24. videtur legendum χλωερὰ θέουσαν. Velut Heſiodus in Scuto Herculis v. 145. dixit λευκὰ θεόντων. V. 25. putabam legi poſſe δρωῇ κ.α. ῥήξειε μακέλλῃ v. 34. pro ῥόμβος malim ῥέμβος. Epiphan. in Ancyro, de cultu Deorum ἄλλος δὲ ῥέμβος, (libri editi πέρεμβος, mendoſe) ἢ ῥεμβὰς Ἄρτεμιν περιετύπτε καὶ μέθυσος Διονύσιον καὶ πολύμοχθος Ἡρακλέα. Sed Sus Minervam, qui hac ad te. Si tibi notus ſit, aut amicus, Jacobus Philippus Mauſſacus Bitterrenſis, qui mecum hic ante quadriennium fuit; cum eo per literas agere poſſis (quanquam ubi locorum vivat, me latet, niſi forte in Gallia) de Harpocratione; quem e codice M. S. integriorem & emendatiorem promiſit. Ampliſſimus noſter Velſerus te peramanter reſalutat: ſalutem plurimam adſcribo etiam Cl. Domino Heinſio, cui ex literis Fed. Morelli, profeſſoris Regii, hæc ad me, ni moleſtum, ſignifica; & quidem ipſa ejus verba; *Audio etiam penes Danielem Heinſium, Clariſſimum Doctiſſimumque virum eſſe M. S. Epictetum, qui Joſ. Scaligeri μακαρίτε fuerat, emendatiorem amplioremque. Ego humanitate viri illius cum ſingulari eruditione juncta, plane perſpecta, non dubito quin tibi publico bono peculium iſtud conferat vel ultro.* Hæc ille, qui etiam ad Arianum nonnullas emendationes ſponte miſit. Bene vale, vir eximie, meque amare perge. Auguſtæ Vind. 5. Kalend. Novembr. 1614.

EPISTOLA CVII.

Reverendiſſime Pater ac Domine Clementiſſime.

AFfertur literis, atque ſermone multorum R. D. V. cooptatam eſſe in ſacrum Cardinalium collegium. Gaudeo ſane, ut debeo, vehementer, eam virtutis ſuæ pietatiſque erga Eccleſiam & innumerabilium meritorum fructum tandem aliquando cœpiſſe. Gratulor igitur R. D. V. atque ut hæc ei dignitas bene feliciter, proſpereque eveniat opto. Neque ſolum illi gratulor, ſed ipſi etiam Pontifici noſtro Maximo, qui eum tribuit fructum. Nam & celebratur hoc illius pulcherrimum factum, & laudibus pene divinis ad cœlum uſque extollitur. Neque id injuria. Conſtat enim in creandis Cardinalibus, hoc tempore rationem eſſe habitam eorum, quorum excellens ſapientia, ac pietas ſingularis Eccleſiam prope ruentem fulcire poſſit. Itaque Romam eſſe etiam nunc locum illum, ubi virtus præſtantium virorum lucere atque ornari

poſſit,

poſſit, facile intelligitur. Quod cujuſmodi ſit omnino, & quantum auctoritatis cum Pontifici ipſi adjungat, tum Eccleſiæ recuperet, experimur nos, qui jamdudum in maxima rerum omnium perturbatione verſamur. Quo magis lætor præſenti ſperataque R. D. V. dignitate, quæ cum tanto bono publico eſt conjuncta. Et quanquam quod tributum eſt illi, a nobis qui eundem cognatione attingimus, ſejunctum eſſe haud poteſt, tamen ne id ad domeſticas potius rationes, quam obſervantiam erga illam, utilitatemque publicam referre videar, nihil hic ſcribam de emolumentorum ſpe; quæ nobis in honore ejuſdem R. D. V. propoſita eſt. Nihil de præſidio, quod nobis etiam inde futurum eſt. Illud tamen prætermittere non poſſum, cum Ea in domum ſuam ornamentum ampliſſimum intulerit nobis omnibus, qui cum illa conjuncti ſumus, maximam quoque dignitatis atque ſplendoris acceſſionem eſſe factam, ut neceſſe ſit, omnino me inde cumulari gaudio, mihique ac noſtris omnibus gratulari! faciunt igitur cum privata noſtra, atque R. D. V. ornamenta, tum vero etiam publicæ rationes, ut ex ejus dignitate maximam animo capiam voluptatem; ad quam tamen hoc unum videtur deeſſe, quod hoc tempore non poſſim coram exoſculari manus R. D. V. dareque ſigna lætitiæ atque obſervantiæ meæ. Sed dabitur fortaſſe poſthac hujus rei oportunitas quædam, quam ipſe non amittam. Venio nunc ad epiſtolam, quam proxime a R. D. V. accepi. Pleniſſima eſt illa benignitatis cujuſdam ſingularis. Nam in ea D. V. R. ducta amore ſuo in me tantum laudis tribuit mihi, quantum ipſe agnoſcere haud poſſum. Quibus tamen indiciis, & iis quidem præclaris, ſi negem me moveri, delectarique vehementius, mentiar, cum præſertim quicquid poſſum ego (quod quam exiguum ſit ſentis) id totum, R. D. V. dicatum velim, ut ſi probetur illi, quod ſcribo facioque, magnum me ſtudii mei fructum conſecutum arbitrer. Quominus committam ipſe, ut Ea meum in ſcribendo officium requirere poſſit. A ſententia autem, qua ſtatueram non alia re facilius, quam Synodo Eccleſiæ lucem afferri poſſe, deducere me potuiſſet R. D. V. auctoritate tantum ſua, atque nutu. Sed non dubitavit tamen addere cauſas, & eas quidem tales, nihil ut mihi contra in mentem venire poſſit. Abjecta igitur cupiditate concilii, hoc unum exopto maxime, ut Pontifex noſter primo quoque tempore mittat, qui rationem ineat, quemadmodum Eccleſiis noſtris languentibus medicinam facere poſſint. Cujus quidem rei mirificam facultatem dare videntur hæc tempora. Schiſmatici namque jam ita diſſipati ſunt diſcordia, ut non graviores gerant inimicitias nobiſcum, quam ipſi inter ſe. Quod quale omnino ſit facile poteſt R. D. V. pro ſua ſingulari ſapientia exiſtimare. Quicquid enim dirimitur, id minui ac dilabi neſcio quo pacto eſt neceſſe. Quare ſi quam illi ſe oppugnant ipſi, tam nos firmaremus noſtra, melior fortaſſe rerum noſtrarum ſtatus collocaretur. Noſtra autem non videmur firmare poſſe, niſi illis materiam, unde creuerunt, noſque propemodum oppreſſerunt, ſubtrahamus, hoc eſt niſi tollantur vitia eccleſiis noſtris, revocataque diſciplina veteri,

veteri, Deus a nobis vere ac pie colatur. In quam rationem ſi incubuiſſemus jamdudum, neque auctores ſectarum habuiſſent tantum, unde nobis invidiam conflare poſſent, neque Deus ipſe paſſus fuiſſet illa nobis infligi vulnera, quibus pene confecti ſumus. Itaque ſi Eccleſiæ noſtræ conſtitutæ fuerint melius hoc tempore, & conſervabuntur ipſæ, & multi eorum, qui defecerunt amore illarum excitati, ad eas ſe reduci non ægre patientur. Ut ſi qui forte maneant pertinaces, hi minore poſtea negotio atque periculo frangantur. Sed quid ago! qui ipſe conſilii inops de re tanta ſententiam meam explicare non dubito, idque R. D. V. veruntamen cum ſequor, quo me vocat eadem, quæ jure quodam ſuo mihi imperare poteſt, culpam hanc meam ipſa præſtabit. Jam vero quod Reverendiſſimus Epiſcopus Miſnenſis D. Decanum optavit adjutorem ſibi, eſt id quidem factum me non ſolum conſentiente, ſed etiam applaudente. Faveo enim honori optimi illius viri, qui tam bene meritus eſt de eccleſia Miſnenſi, ut ſi ratio ipſius habita non fuiſſet, gravem accepiſſe injuriam videretur. Quæ autem de me ſcripſit R. D. V. præ ſe ferunt ſingularem ejus erga me clementiam, qua quidem adducitur ipſa, ut & tribuere mihi magna, & de ornamentis meis cogitare non deſinat. Quamobrem maximas illi gratias habeo, ac ita prorſus exiſtimo, in ipſa mihi plurimum adjumenti eſſe, ac præſidii; atque hoc quidem eo mihi eſt jucundius, quod videtur in patria mihi quodammodo obſeptum eſſe iter ad uberiora commoda ornamentaque, nam quæ illic habeo, eo loci ſunt, ut præclare agatur mecum, ſi ipſa non dico augere, ſed tueri quoquomodo & retinere poſſim. Quanquam patriæ nihil hic exprobro. Nullo enim meo obſtricta eſt beneficio, ac, ſi obſtricta eſſet maxime, non foret tamen cauſa, cur exprobrarem, cum præſertim in ea nec Principis optimi favor, nec optimatum ſtudia mihi deſint. Id quod non ita pridem expertus ſum, cum eccleſiæ Merſeburgenſis Epiſcopus eſſet eligendus. Sed quia plus tum valuit certorum hominum poteſtas (quos tamen non tam affectione animi, quam judicio ſuo ductos fuiſſe arbitror, nihil enim mihi ſumo, nec ulli invideo) lætor mihi tantum præſidii in R. D. V. poſitum eſſe, non quod magnos honores jure quodam meo vendicare mihi poſſim, aut doleam, cum in altiori dignitatis gradu non collocer, ſed quod nolim acceſſionem emolumentorum meorum honoriſque ex arbitratu iſtorum amplius pendere: fatendum eſt enim. Quapropter ad benignitatem R. D. V. me confero totum, illique me ac mea omnia trado, atque commendo. Quod reliquum eſt, Munſterum nuper vi captum eſt. Rex ejus civitatis in poteſtatem venit Epiſcopi Munſterienſis. Hujus caſus multos, qui alias cupidi ſunt novarum rerum, in officio haud dubie continebit. Valeat. R. D. V. meque in clientibus ſuis habeat. Moguntiaci Nonis Julii. Anno poſt Chriſtum natum. M. D. XXXV.

JULIUS PFLUG.

EPISTOLA CVIII.

Reverendiſſime in Chriſto Pater ac Domine D. Colendiſſime.

Literas R.D.V. accepi, quibus humaniſſime, atque amantiſſime mihi declarat, ſe nuper ampliſſimi Collegii noſtri ſuffragiis Cardinalem renunciatum eſſe. Quæ quidem res vel communi Chriſtianorum bono, vel ampliſſimi collegii noſtri ornamento, vel poſtremo clariſſimo. S.D.N. de ipſius meritis judicio, mihi (ut par erat) accidit gratiſſima. Tanta enim R.D.V. tua virtus, tua prudentia, tua auctoritas eſt, ut hujuſmodi quidem honor, etſi ampliſſimus, tamen non tam in eum gratis collocatus, quam meritis, ipſius redditus, ac perſolutus eſſe videatur. Quare quemadmodum & Sancto D.N. & iſti Sanctæ ſedi, & R.D.V. ex animo gratulor, ita quod ad me attinet, vehementer gaudeo, cum tam inſignem virum in collegium noſtrum aſcitum & cooptatum eſſe videam. Atque hanc meam lætitiam nuper literæ R.D.V. mihi redditæ cumularunt, quibus & operam ſuam, & amicitiam amantiſſime mihi defert, ut facile vel hoc uno argumento planum, ac teſtatum relinquatur, eandem virtute & humanitate nemini cedere. Ego vero R.D.V. ſummas pro eo gratias ac debeo, & ago & habeo, idemque pro viribus annitar, contendamque ut pari animo & affectu ſummam ipſius erga me humanitatem proſequar, cui equidem tam ſtudioſe, tamque cupide in mutua noſtra amicitia reſpondere curabo, ut facile ſperem, me digniſſimum ab omnibus exiſtimatum iri, quem tanta ſua benevolentia atque animo complectatur. Quod ipſum ut quam ſæpiſſime velit experiri, eandem vehementer etiam atque etiam oro. Profecto re ipſa liquido intelliget, me quemadmodum amicitiam erga me ſuam maximi faciam, ita ab eadem nec officio nec amore poſſe unquam ſuperari. Feliciſſime valeat R.D.V. quam Deus optimus augere, & conſervare dignetur. Datæ Eboræ die XVI. Julii. M. D. XXXV.

C. Rmæ. D. V.
Humilis Stor. A. CARDINALIS.

EPISTOLA CIX.

P. POMERANUS. S. D.

M. Antonio Majoragio bono atque erudito homini.

Mediolanum,

VEnit nuper ad me M. Antonius Savolius, quem ego cum multis de cauſis acceperim hilare, tum ſane eo vidi libentius, quod abs te proficiſceretur. Biragi mei arcte complexi ſunt hominem, & vitæ ſubſidia omnia detulerunt cumulate. Qua de re tibi ſane habenda eſt gratia, qui huc illum extruſeris. Verum quoniam te ego bonorum virorum curam ac patrocinium tam gnaviter ſuſcipere video, age nunc doctiſſime Majoragi, Nicolaum Montanum ſumma

ſpe,

ſpe, & maxima ad te fidicia confugientem, apud virum aliquem præſtantem ac divitem colloca: ubi & Italice loqui, & gentis veſtræ inſtituta ac mores diſcere accurate poſſit. Ego hoc quidem tam enixe abs te poſtulo, quam quod enixiſſime. Vale. Alavaſii Ad. VI. Kal. April. M. D. XLVIII.

EPISTOLA CX.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

ADOLFO.

Hæredi Norvegiæ, Duci Sleſvici, Holſatiæ, &c. S. D.

Juſtus Lipſius.

VErecundor certe Illuſtriſſimam Celſitudinem Tuam appellare, aut interpellare in re non grandi. Ante annum unum aut alterum Fredericus Holſtinius (quem propriis literis Celſitudo tua mihi commendarat) cum e Gallia rediſſet, pecunia a me adjutus fuit ad iter & ad veſtes. Ea ſumma, cum reliquiis debiti Gallicani, ſive Pariſienſis, tangit & accedit ad florenos noſtrates ſeptuaginta quinque & 15. Stuf. Sæpius ego & litteras & rationes cum fide & particulariter ſcriptas tranſmiſi. Sed nihil reſponſi hactenus cum acceperim, coegit me ipſa res uti ad Celſitudinem Tuam hoc ſcriptum dirigerem: & ab ea ſupplex peterem finem aliquem negotio non magno imponi. Mihi quidem & ſerviiſſe Celſitudini Tuæ jucundum eſt, & in poſterum erit: tantum ut id ne cum damno meo fiat, clementer peto. Deus Opt. Max. Illuſtriſſimam Celſitudinem Tuam cum Illuſtriſſima Conjuge & liberis diu ſervet incolumem. Leidæ XXVIII. Junii. 1584.

EPISTOLA CXI.

J. LIPSIUS. S. D.

Chriſtiano Bruningio.

SUbſcribis te meum, *ſi patiar*. Egone patiar; imo peto, & jubeo uti meus ſis, & ſemper ſic perſeveres. Nam candide, amo ingenium tuum atque indolem factam ad virtutem & doctrinam: nec mutarunt me ea, quæ cenſes, levia, juvenilia, ut uno verbo dicam. Ego non neſcio quid ea ætate ſoleat: ſed hoc quoque ſcio regreſſum eſſe debere, & fræna non laxanda ad curſum, quo fervor aut laſcivia vocant. Omnino, mi Bruningi, te hoc minime decet, ſuper ætatem doctum & ſapientem, atque optimam viam ad optima ingreſſum. Ne ſpem hanc noſtram & vota deſtitue, illos potius deſtitue qui ſevocant aut abducunt, tui diſſimiles, te indignos, & quos ad latus tuum videri indignor. Summa mei ſcripti eſt, amo te, bene tibi eſſe & te bonum cupio; & ſi quid ad hæc poſſum, enitar. Vale. Lovanii Idibus Sextil. CIↃ. IↃ. XCVI.

EPISTOLA CXII.

J. LIPSIUS. S. D.

Chriſtiano Bruningio.

GRata & bona quæ ſcribis de te, & ut ſic ſemper, numen oro. Mi Bruningi, temperanda hæc ætas eſt, & fræno rationis auriganda, quo honeſtas & utilitas vocant. Sed tali ingenio non potes quin facias, & ipſe potius abripias locum aliis, quam ut abripiare. In otio te eſſe, ſed & quiete, quod ſcribis, gaudeo; utere illo, & hac fruere, in bonum tuum gaudiumque. Quid autem Canteri? illinc Auguſtinum? id mihi novum nuntium fuit, & cenſebam talium artium ſcriptorumque eos eſſe. Non quin ipſi quoque eos libemus, ſed libemus ſcilicet tantum. De Petronianis, recte judicas: juventus eſt, & vanitas, & cruda adhuc ſtudia in lucem protruſa. Sed in illis hæretis, an huc, an alio diſcendi vivendique cauſſa te conferas? etſi hinc edicta credo te arcent, altera, barbarica, ſi fas mihi (ſed fas) dicta. Quid agitis Batavi? quid longius a nobis, quos jungi volebamus & expedit iter? ſed pauca hæc capita turbant, quibus dignitas aut ſalus vix ſit, niſi in turbis. Nolo hujus generis plura ad te, quem magis volo & ſuadeo ſuarum rerum, quam publicarum eſſe. Vale igitur, & nos ama, & litteris appella, non quia pariare ſemper poſſem (occupatiunculæ vetant) ſemper tamen velim: quod ſatis ſit animo juſto. Lovanii, poſtrid. Kal. Octobr. CIƆ. IƆ. XCVI.

Sunt illic Pollio, Wiltzius, Leemputius omnes mihi noti & amici, quid agunt? quî in nos etiam afficiuntur? nam tempora hæc multum mutant. Scribe libere.

EPISTOLA CXIII.

J. LIPSIUS. S. D.

Chriſtiano Bruningio.

SAne quam diu ſiluiſti, ut ais, & fateor me non quidem indignatum, ſed tamen miratum. Nam ego poſtremas tuas non dimiſeram ſine reſponſo. Requieſco tamen, & quidquid multæ aut moleſtiæ fuit abſtergeo, cum te ſanum incolumemque audio, cum etiam in nos arteſque bonas affectum, ut optabam. Nam quod ad juris uſum te dederis, an diſpliceat? immo vero moribus hujus ævi non aliter oportuit: & hodie hæc eſt ad honores, ad opes, lata & prætoria via. Ingredere, non ego retraham, ne ſiſtam quidem: niſi quod fortaſſe monuero obiter & e latere aſpicere comitantes etiam te (nam quî tam veterem contubernalem ſic deſerant?) noſtras muſas. Sed maxime ſtrenuitares illos, & quæ non Philologiæ proprie, ſed Philoſophiæ ſe adſcribunt. Mens & mores formandi ſunt, mi Bruningi, inter multa lubrica non ætatis hujus tuæ ſolum, ſed temporum communium: quæ neſcio quomodo ad vanitates, luxus, impietates, inclinant. Sed monita omitto. De meis Pollione & Wiltzio

zio (uterque meus fuit, & nunc eſt) volupe audire, quæ nuncias: etſi nec aliter unquam ſum opinatus. Qui ſemel & ſerio, & domi præſertim, me monent, raro ulla res a me alienavit. De Cantero, triſtia quæ poſtrema ſcribis: & tamen fiet per me ad illum aditus, ſi etiam nunc uſui eſſe poſſe cenſes. Alias non temere ad quenquam in iis locis ſcribam. Cauſſas noſti. Vale mi Bruningi, & noſter ſemper eſto. Lovanii. Nonis Octobr. CIƆ. IƆ. XCVIII.

EPISTOLA CXIV.

J. LIPSIUS. S. D.

J. Meurſio.

IN ipſa invaletudine mea (quæ inſolenter me affligebat) tua inſpexi, mi Meurſi: quid niſi optimi ingenii & rarioris induſtriæ item notas? Ego vero utroque pollice faveo, & ut certam ſtudiorum viam, procul ab hodierna ambitione aut æmulatione, pergas hortor. Hoc ſerio facio, plura etiam nunc imbecillitas vetat, quæ, etſi morbo minuente, manet. Vale mi Meurſi, & magno Scaligero (felicem te illo ductore!) ſalutem dicito. Lovanii, poſtrid. Nonis Maji. CIƆ. IƆ. XCVIII.

* EPISTOLA CXV.

LÆVINUS TORRENTIUS. S. D.

Juſto Lipſio.

Lug. unum Batavorum.

LIbros tuos de Conſtantia nuper a Plantino ad me miſſos, poſtquam aliquid nactus otii, in manus ſumpſi, ſine intermiſſione, atque uno quaſi ſpiritu avidiſſime perlegi. Eſt enim in illis ut verborum copia atque elegantia ſingularis, ſic ſententiarum gravitas admiranda. Nec credebam ſane, mi Lipſi, tantos te in Philoſophia feciſſe progreſſus. Juvabat enim Car. Langii, quem loquentem in eis facis, renovata memoria, quæ cum mihi rara ac pœne ſancta ſit, ob eximiam viri illius eruditionem ac veterem vitæ noſtræ conſuetudinem, tanto equidem vehementius te amo, qui amico noſtro ſummo tuas ipſius in diſceptando laudes adſcripſeris. Perge igitur iſtiuſmodi lucubrationibus nomen tuum magis magiſque indies illuſtrare, aliarumque nationum eloquentiæ luminibus obſtruere. Ac ſi me amas, quoniam tibi, cui nec res deſint, & verba etiam ſuperſint, nihil diffi ile eſſe video, ne quæſo intra humanæ ſapientiæ, nimium mehercule vanæ atque incertæ, limites conſiſte; ſed ultra progredere, & quæ divinitus nobis de cœlo tradita ſunt, qua par eſt, diligentia ac ſollicitudine perquire. Quid enim Stoicorum aut quorumcunque aliarum placita ad Chriſti doctrinam comparata aliud ſunt, quam oſtentatio mera ac fallax ſtudium auræ popularis? Platonem fortaſſis ac Socratem, quique ætate præceſſerunt, quorum unanimi conſenſu aſſerta & erudita animarum eſt immortalitas, poſſim excipere: verum quid Seneca, quid Epictetus, quibus

* *Reſponſionem ad hanc Epiſtolam vid. in Epiſtolis Lipſii. Centur. I. Miſcell.* XCVII.

quibus te inhærere video, nobis ad ſalutem conferent? quippe qui neque poſt mortem noſtri aliquid ſupereſſe credunt, & ubi collibuerit ex hac vita egredi, ac ſui ipſius homicidam fieri, libere permittunt. Quo recepto errore virtutum vitiorumque diſcrimen, imo & nomina ipſa tolli neceſſe eſt, ac confundi omnem de moribus quæſtionem, quæ cum ad animum, quo ſapimus atque intelligimus, atque adeo homines ſumus, ſpectet, cur hic quæſo velut vitæ noſtræ dux quidam atque arbiter conſtitutus, per arduam illam atque difficilem viam incedet? eamque alteri præferet? quæ per tot illecebras ducit ad voluptatem, qua pœne rapitur ipſa natura, ſi nullum aliud ſibi propoſitum eſſe laboris præmium videat, quam quod inquit ille; *Ut pueris placeat & declamatio fiat*. Nam ad opinionem ac famam, ac qualemcunque nominis diuturnitatem quid attinet? Eſt illud quidem aliquid, ſed cur eo vel tantillum moveatur, qui una cum corpore in æternum ſit periturus! Aut igitur qui ſimplicior eſt, ut major pars mortalium, genio obſequens ſuo totum ſe voluptati dabit, atque in diem vivet, aut qui cautior & ſeverior fuerit, aliud aget quam fingat: bis peccans, quia peccando etiam fallit, occulte injuſtus, palam alius, ut vel famæ conſulat, vel legum pœnas evitet. Quæſtus enim uberrimus ſimulata juſtitia eſt, ut adverſus Socratem laudator ille injuſtitiæ Glauco in Platonis dialogos probare conatus eſt. Neque negaverit credo verbis, quod re ipſa oſtendit Seneca, quem conſtat quater millies H S. ſub illo pallio poſſediſſe; neſcio tamen an Epicteto olim ſervo ditior, ſi divitiæ in ſolo uſufructu conſiſtant. Liberalis certe eſſe non potuit, qui tantam auri vim diſcipulo, a quo occiſus fuit, reliquerit, rectius Demetrio ſuo atque aliis ejus ſymmyſtis donaturus. Taceo toties reprehenſas ab eo diſcincti Mæcenatis plumas atque delicias: qui vir tamen ut nihil aliud unquam præſtiterit, auctor ipſi Auguſto Cæſari pietatis atque clementiæ, multo plus quam philoſophus noſter reipubl. profuit; auſus etiam carnificem eum appellare, cum rerum criminalium cognitioni damnandiſque reis intentiorem cerneret. At Stoicus iſte Neronis ſui ſævitiam, quæ præceptorem latere vel in puero non potuit, nimium adulando auxit, ne dicam etiam excitavit. Quare Epicurum in hortulis ſuis id, quod ſentit, aperte profitentem audire malim, quam rigidos iſtos ac ſeveros de virtute tam præclare diſputantes, cum virtutis uſum nullum teneant, & poſtquam neſcio quibus verborum coloribus ac pigmentis hominem docuerint ſuis tantum viribus niti, nec quicquam extra ſe quærere, quavis eum pecude miſeriorem efficiunt. Quippe qui tot perfunctus pro virtute laboribus, ſive hoc proſpere, ſive aliter ei ceſſerit, tandem æquali cum cæteris animantibus Sorte infeliciſſimus moriatur. Scio equidem te hunc deteſtabilem errorem una mecum exſecrari, neque in libris, de quibus agimus, aliud propoſuiſſe, quam ut de Conſtantia, his temporibus plurimum deſiderata, humano more ſub alterius, nihil ultra inquirentis perſona, diſputares. Sed quanto præſtantius utiliuſque, mi Lipſi, ea ipſa de re ſcribere potuiſſes, ſi ad Chriſti primum præcepta, deinde ad eorum, qui Chriſtum ſecuti ſunt, exempla te convertiſſes: atque hæc omnia oratione, qua polles, illu-

ſtraſſes

ſtraſſes; veterum etiam quorundam, qui licet Chriſtiani non fuerint, rationem tamen ſecuti ſunt, dictis factiſque eadem confirmaſſes. Nam meo ſane judicio in antiquos philoſophos illos, ut neque ſapientia neque virtus, ſic nec vera conſtantia cadit: quanquam enim alii aliis longius, ſimul tamen aberrarunt omnes. At errori honeſtum nomen imponere non poſſumus, ut neque virtutem dicere, unde nulla homini ſalus aut beatitudo exiſtat. Cauſa autem erroris, quod verum vitæ finem non ſolum non tenuerint, ſed penitus ignorarint, quem nos in Dei agnitione atque in fruenda æternitate ponimus. Hæc enim linea eſt, hæc meta quo tendimus, ad hoc nati ſumus, ad hoc, niſi nos quoque aberraverimus, morituri, ut per mortem vivamus in æternum. De quo qui dubitat, hunc ne hominis quidem appellatione dignum eſſe cenſemus. Et plurimis quidem aliis in rebus pertinaces atque obſtinati eſſe poſſumus, in eo vero, quod jam diximus, tenendo, certa ac perfecta conſtantia eſt: quippe ſi neque in proſperis, neque in adverſis de recto mentis ſtatu nos dejici ſinamus, in illis feroces nimis & elati, in his humiles atque demiſſi, ita ut nec temperantiam, nec fortitudinem teneamus. Ad quod evitandum quid, obſecro, efficacius? quam ſi Deum hinc interruptæ hujus perſeverantiæ vindicem, illinc ſervatæ remuneratorem ſtatuamus? & præmium quidem cœlum ipſum atque immortalitatem, pœnam vero perpetuos apud inferos cruciatus? Hanc doctrinam per divinos ante homines inchoatam tandem Deus ipſe per Jeſum Chriſtum filium ſuum & perfecit, & nobis omnibus revelavit. Unde & immenſus ob collatum tam inſigne beneficium amor, ſimul & metus, ne, quem diligimus, quoquo modo offendamus. Sed generoſior amor eſt, qui caritatis vinculo adſtrictos ita nos Deo conjungit, ut eo ſeparari nequeamus, animo ſemper in utrumque parato, ſive bona, ſive mala eveniant, vel illis frui, vel hæc tolerare. Nempe cum perſuaſi ſimus, etiam mala, quæ dicuntur, converti in bona, ſi æquabiliter nos geramus; immo ne videri quidem eſſe mala, quod fomenta ſint exercendæ virtuti. In hoc veluti puncto conſiſtit veritas, atque adeo omnis vitæ noſtræ actio huc referenda. Itaque alter tibi ſupereſt labor, ut quod humano abs te more, quanquam elegantiſſime, attamen profane (dicam enim libere) jam ſcriptum eſt, addito alio volumine paulo religioſius pertractetur. Hoc tenta, mi Lipſi, & ſuccedet. Quamvis enim ita diſertus es, ut nemo magis, ipſa materia te faciet diſertiorem. Atque aderit Deus augens iſtam tuam conſtantiam, ne novis hujus ſeculi erroribus involvaris. Hæc precor, hæc opto. Tuum erit, me tuæ faventem gloriæ & ſaluti pari ſtudio ac benevolentia complecti. Beaveris etiam me, ſi quod ſuis literis nuper de te Plantinus ſcripſit, peculiari epiſtola confirmes. Sed & de Jano Douza ſi quid ſimile forte intellexero, gaudebo plurimum. Atque ea incident tempora, quibus vos noſtræ amicitiæ non pœnitebit. Idem opto de cæteris veſtris literatis, quorum tu familiam ducis. Vale. Leodio Nonis Aprilis A. CIↃ. IↃ. LXXXIV.

Ex literis judices me hæc & celerius & fortaſſis etiam neglectius ſcripſiſſe. Sed ignoſces perpetuis noſtris in republica occupationibus, quod futurum æquitas ſpondet.

EPI-

EPISTOLA CXVI.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Argentinam,

QUid ni enim hic redhoſtiam? etſi tu tamen nimis hic largus, ne dicam prodigus, ita ea mihi tribuis in ſolidum, quorum umbram in me non agnoſco. Verum utut eſt, amo atque oſculor hunc affectum, qui tam ſplendido ſtylo tuo ingeſſit præconia. Ergo amaris & diligeris mihi & Tonagli nomine, cujus memoria mihi etiamnum ſanctiſſima, & tuo, quem Muſa ac Pallas proſequuntur, & quicquid ego tibi tuiſve ſtudiis poſſim, impera tantum, atque impetras: hactenus enim vires noſtræ valent. Nam hoc luſtrali morbo, hoc luctu, hac viduitate exaruimus non modo e rebus muſicis, ſed etiam literatis, ſatiſque eſt tueri poſſe famam digitalem, quam adepti adoleſcentiores. Propoſitum tuum de Funeribus non poſſum non laudare: nam licet tale quid habere ſe in manibus enuntiarit Lipſius, vereor ne ipſe prius fiat funus, quam illa ejus funera videamus; ita ſemper novas orditur telas & veteres relinquit imperfectas. Perculiſti me nihilominus omine malo nominis: nam & ego minus firme valeo, & filia major ægrotat hos aliquot dies e febri. Verum Deus malum omne averruncaſſit, & det nobis, quæ ſalutifera novit. Ego ſi te hic juvare aliqua in re poſſum, fac ſciam, excutiam locos noſtros, quanquam, ne quid mentiar, nos parum exercitati in auctoribus ævi inferioris. Jam nunc toti feriamur, niſi quod ante menſem auſpicatus eſt typographus opus illud magnum *Inſcriptionum antiquarum imperii Romani*, quo complectimur, quicquid honoris accidit, ſive vivis, ſive defunctis. Scaliger Smetianis ac Lipſianis aliquot Epigrammatum millia adjecit; longe plura ego adminiculantibus certatim omnibus doctis ac magnis, qui in Europa; ſpero prodire poſſe nundinis Autumnalibus, dummodo firmetur nobis valetudo. Abſolvimus etiam hiſce diebus commentarium mere politicum (cui ſcilicet nihil admiſcuimus rei criticæ) ad *Gnoſandri Strategicum*; multis erit ad guſtum, multis non. Sed quis eis eſt cervicibus, ut omnibus placere poſſit? præſertim exul, præſertim hoc familiari ſtatu deſolatus, præſertim cum benigniori Principum non ſublevetur aura, & quaſi regulus aliquis aquilæ tergo feratur in altum æthera ſupra nubes omnes. Deprimunt ſcilicet multa animos meos. Sed & illa ferenda, ut aliis omnibus, ita & mihi, qui ſane non inter eximios. Domino Chriſtophoro Colero plurimam meo nomine ſalutem impertias velim, ſignificeſque optare atque vovere ſtudiis ejus ſucceſſum plenarium. Literis ejus dudum eſt quod reſpondi via, quam præſcripſerat. Vale atque ſalve mi Kirchmanne, & uti meus voceris, ita tuus faciam ut ſemper ſim. Heydelbergæ, die x. Martii CIↃ. IↃC. raptim meo more, quod jam in naturam abiit, quare ei ignoſcas oportet: nam epiſtolam relegere nefas puto, nedum deſcribere.

EPI-

EPISTOLA CXVII.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Argentinam,

Literas tuas Kal. datas Aprilibus ſerius omnino accepi, & per tertium aliquem, non amicum illum tuum, qui ſi me coram adiiſſet, magno me affeciſſet beneficio, utpote quem de his illis rebus eram interrogaturus. Tuæ mihi gratæ, vel ob id quod laudi apponant meæ, quod non feciſſe ſummum fuiſſet ſcelus. Uberius eis reſponderem, niſi lator harum, vir mearum artium unus e Patritiis, inopinato abiret, & jam aliis diſtraherer. Sic tamen breviter habe. Funeſta illa tua nihil niſi cineres erunt, niſi accedant illis & multa & magna, quæ in opere noſtro inſcriptionum; cujus potiſſima pars ritum illum complectitur; illa omnia excerpere non eſt unius horæ, imo ne menſis. Quin tibi, ſi res tuæ ferrent, ſuaderem, inviſeres nos, & in re præſenti ex voluminibus illis vaſtis ſeligeres, quæ propoſito convenire putares: nam ut tramittam, elephanto opus fuerat; ita ſunt ponderoſa: & alioqui quotidie ex Italia, Græcia, Gallia ſuperveniunt inſcriptiones novæ, quas ſuis locis inſerere ſoleo. Quippe quod jam pars earum circa prælum. De fulguribus memini me quædam in opinionibus: ſed chartæ meæ ita diſperſæ ſunt, uti eas invenire de ſubito nequeam. Venit nunc tantum in mentem loci Acronis ad Horatii poët. *Bidental locus, in quo fulmen conditum erat, cum magna reverentia a ſacerdotibus, & bidental a bidentibus dictum: nam reliquias fulminis pontifices cum ſacrificio ſepeliebant*; item verſuum Lucani lib. 1. num. 607. *Arvis diſperſos fulminis ignes, Colligit & terra mæſto cum murmure condit, Datque locis nomen.* Si hic eſſes inſtruerem certe te libris pluribus, annotatiſque, quæ materiæ illi funeſtæ facerent; quæ nunc an tibi ad manum, nec ne divinare non poſſum. *Supra genua tollere*, non eſt illud quod vult Fruterius, nec tamen nunc occurrit melius quid. Oſſa lecta defunctis jam crematis, innumera clamant. April. 3. Florid. *legenda ejus eſſe nunc oſſa, mox carmina.* Martialis alibi ambiguo ſenſu. *Tempus erat jam te Soſibiane legi.* Apulej. lib. 7. cap. 5. *Infeliciſſima femina, nondum extuliſti filium, & jam oſſa legiſti*, quod Senecæ illi genuinum: addatur his Seneca lib. 2. cap. 33. de Ira. *item ad Helviam* matrem, neſcio quo capite. *De quo tres nepotes emiſeras, oſſa trium nepotum ſuſcepiſti.* Pater Seneca lib. 10. contr. 1. *legunt argumenta patres, & oſſa liberorum conjectura dividunt*, ſic enim ibi legendum, alibi moneo. Lucan. lib. 2. *Ceu morte parentem natorum orbatum*, &c. Diviſio funerum tibi talis facienda eſt, quæ omnia complectatur, ſicque incluſa publicis, indictivis, ſimplideariis, imaginariis, (de quo ſic memoriter certe nihil poſſum) ita dividi poſſent. Verum hæc te, mi Kirchmanne, latere non poſſunt, ſi omnes omnium arculas excuſſiſti. Si vel illa viderem, quæ meditatus es e re nata nonnulla adderem, nonnulla monerem: nam alias jam deſii illa ſtudia, & hiſtorica

gravioris generis meditor. Perpetuo Amico meo Chriſtophoro Colero, ſi adhuc apud vos, plurima ſalute mea honeſtes velim, huncque meum Huſwedelium tantum non civem tuum, ſi non ſua cauſa, at mea, ames. Extemplo Heydelbergæ die VIIII. Maji CIƆ.IƆC.

EPISTOLA CXVIII.

IANUS GRUTERUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Argentinam,

QUas dediſti ad me ipſis Kal. Junii, iis vix nunc reſcribo, ipſo illo præcipite in occaſum. Facit tabellariorum occaſio rarior, certe quæ occurrat in oculos vel aures. Facilitatem meam laudas, ſed ex ſupervacuo: facinus enim fuerit deeſſe conatui tam laudabili. Utinam modo adeſſes! & in re præſenti experireris verba, quæ ſcribo provenire e radice cordis. Σκιαγραφία placuit: ſed ſcis pluſcula minuta latere poſſe, veluti folia, ſub iſtis arbuſculis. Itaque vix eſt, ut tibi dicam, quid deſiderem in eo, quid non; hoc tantum memini; prodiiſſe Gallice librum tituli paris, editum Lugduni factumque a Guicciardo Juriſconſulto, in quo, ſi bene recordor, omnia illa membra, quæ in tuis. Verum ipſe nude tantum & tribus verbis, abſque teſtibus auctorum prolatis, ſua proponebat. Librum illum inſpexiſſe vellem te; ne homines, neſcio qui, dicant vel te actum agere, vel plagium incurrere. Ibi etiam agebat de loco Feſti, & *tibia funebri*; de qua plura ſcripſiſſe videtur in ſuis miſcellaneis Hieronymus Magius lib. I. cap. XIII. qui jam non eſt ad manum: Francfurti ſcilicet depoſitus apud typographos, dum tribus tomis, quicquid eſt Criticorum junctum excudi cupimus. Illud Ciceronis II. Orat. de Popilia video capi a pleriſque, etiam a Torrentio, tanquam de laudatione funebri; ſed qui credamus centum aliquot annis non uſas privilegi ſui prærogativa mulieres? Aliter laudatas mulieres nihil vetat. Haud memini tamen legere in hac omnium rerum perturbatione. Ita enim & animo & corpore ſum incompoſitus, ut, non dico, quid ſciam, quid neſciam, ſed ne quidem quid loquar, quid ſcribam, ipſe noverim. Videor cymbula inter fluctuum voragines. Apage igitur deinceps conſultationem omnem. Si hic adeſſes, aliqua forte juvaremus. Nunc votis tantum valemus. Saluto Dominum Chriſtophorum Colerum, quem iſthic adhuc hærere, & mei quidem memorem nihil vetat, quin mihi perſuadeam, quamvis pertinaciter tacentem. Hæc præcipitabam extemplo die 25 Julii 1600.

EPISTOLA CXIX.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Argentinam,

COndoles ipſe quidem morbo noſtro, ſed indulgentius forſan, quam par eſt; ut enim tibi rem fatear, magis eſt animi quam corporis, etſi item

iſtius,

iſtius, pro ea, quæ eſt utriuſque, ſympathia, haud ideo tamen aut protollerentur aut tollerentur quæ promiſi, utpote quibus pridem ultima acceſſit manus, niſi fluxiore eſſet fide typographus noſter, morboque illo noſtro abuteretur ad neſcio quas ſuas cauſationes. Alia illa tua præter ſciagraphicam non dubito quin mihi approbares; nec ambigo etiam, quin etiam iis aliquid addere poſſem de meo, quo illud opus prodiret aut plenius aut illuſtrius. Itaque ſi res tuæ tulerint, fac quod polliceris, & excurre ad nos; invenies plures ad tuum guſtum, ita quidem, ut me vix inter extremos jure repoſueris abiens. *Guiciardi funus* excuſum eſt Lugduni, reperieturque nullo non Galliæ angulo: *Magii Miſcellanea* rariora inventu, utpote excuſa ſolum, quod ſciam, in Italia. Si tamen ad nos veneris, faciam utriuſque auctoris tibi copiam: extant enim in Bibliotheca Commelini, cujus claves in mea utcunque poteſtate. *Apologeticum Rittershuſii* non vidi, niſi quatenus ſcripto quædam communicavit ante ſex menſes, editi nihil accepi. Arbitror tamen non admodum diſcrepare ab primitivo, quod dixi. Chytræum obiiſſe vero verius eſt, die nempe Junii xxv. ita & filius natu major, & gener literis ſuis ad me, nec non Praſchius. Multum amiſit veſtra ora, jacturamque poſtuma oſtendet dies. Ego profecto ejus raptu privor amico incomparabili. Dum ibidem agerem expertus ſum mei amantiſſimum, nec mutavit affectum erga abſentem; auxit potius, quod vel inde colligas, quod me dignatus in ſupremis ſuis legato honorabili, quo memoriam ipſius porro ſervarem ſartam tectam: etſi eo nihil opus fuerat; meo quidem ingenio prorſus,

Trajicit & fati littora magnus amor.

De Iſaaco Mennio velim per occaſionem ſignifices, an adhuc agat Lubecæ, an uxorem duxerit, & quid gerat rerum. Jam enim triennium eſt, quod nihil de eo inaudierim, cuperem vero ſæpius, tanquam a juvene ſpei non vulgaris, & quem patris cauſa amarem, licet nihil eſſet a ſe incentivi. Henrici Molleri ſalutes meis remuneror ex animo profectis. His vale mi Kirchmanne. Heydelbergæ, extemplo uti ſoleo, die XIII. Auguſti CIƆ. IƆC.

EPISTOLA CXX.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Roſtochium,

QUam eo libentius tibi largior, quod ex orco te habeam quaſi reducem. Jam enim heic toto ſemeſtri fama fuit, fuiſſe Kirchmannum. O bellum tamen mortuum! officia literaria obire ero deinceps paratiſſimus; ſi hactenus ceſſatum fuit, imputabis operi moleſtiſſimo inſcriptionum antiquarum; quod niſi adhibueris funeri tuo, brevi & ipſum erit funus; ſed id jam ante monui, nec dubito, quin etiam præſtiteris. Ingenio tuo faveo; uberiuſque tecum agere liberet, niſi tabellarius noſter has tuas bene ſero traderet, minareturque prima aurora abitum. Itaque contentum teneto te jejunis iſtis verſiculis

ſiculis; qualibus tamen magnos Principes ſinimus eſſe expertes, qui ambiunt, ſed fruſtra. Muſa enim mea eſt alia ab eis, quæ omnibus vigilant; Ego tantum dormio omnibus, vigilo ſolum benevolentibus meis, quorum e numero te cenſeo tuo merito. Fac tantum brevi videamus opus integrum. De me cur quæris? poſt inſcriptiones poteramus & debebamus etiam interjungere integrum annum; ſed non ut ſol perpetuo in motu, ſic ego etiam. Itaque his nundinis damus Senecam Tragœdum cum notis noſtris; item P. Syri mimos aliquot verſuum centuriis auctiores comptioreſque. Autumno autem deſtinavimus diſſertatiuncularum ad Tacitum centuriam integram, qua Italis omnibus gratum opus præſtare me poſſe ſpes eſt; ſed quid ego Paratragœdior. Accipe potius ineptum tuum carmen.

Cum tibi pompa ſepulchralis Kirchmanne decenter
A capite ad calcem ſit celebrata libro,
Quem Muſa luſtrare oculis, quem Gratia poſſet.
Nec Genius fugiat parte fovere ſinus.
Haud trutina Libitina tuum penſaverit aqua
Officium, ipſa tibi ni velit eſſe cliens.
Et ſic te chartaſque tuas defendere contra
Morborumque dolos, mortiferumque nefas.
Ut quoque cum tenuem fueris mutatus in umbram
Uſque tuis chartis vita ſit, uſque tibi.

I nunc & nega me poëtam, qui tam putida auſim allinere papyro. Verum iſtud malui quam nihil, ne putares contemni a me amicos tenuiores, quos majoris ſane facio, quam titulatos illos omnes, & qui ſibi omnia arrogant. Vale & ſalve. Die XIV. Martii 1604. plus quam raptim.

EPISTOLA CXXI.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Lubecam,

LUbens manum tuam aſpexi, ſed invitus orationes. Gaudebam tanto intervallo agnoſcere te non modo memorem mei, ſed calide amantem. Inde enim factum, ut de muſca elephantum faceres, imique ſubſellii hominem collocares in curuli. Sed bene, quod inveniantur, qui non honeſte ſic tecum errent. Jam enim in procinctu eſt horribilis liber diſcipuli quondam mei (ſed quem nunquam agnovi, aut approbavi, niſi ſcævi ingenii, ſcævioriſque indolis) ubi e manuſcriptis illis veteribus Plauti, quibus uſus eſt Camerarius, probabit (meris procul dubio demonſtrationibus) Plautum Taubmanni noſtri a capite ad calcem ſuffarcinatum eſſe centonum meorum mangoniis. Itaque vides in eo rem eſſe, ut tu tunc tuearis tuam ſententiam, ſed nec Taubmanni famam poſtumam deſeras. Jamque nunc iſtud tibi denuncio, uti auxilia veſtra ſubſidiaria mihi in promptu ſint, ubi contigerit opem implorare. Expectato ergo verum Plautum Parei, ſi non proximus, at Autumnalibus nundinis,

nis, & videto quantum diſtent æra ejus meis lupinis. I nunc, & Philologorum hujus ævi Principem me indigita: niſi item præſtas, probe vapulabo, verum de eo viderit ſtultorum magiſter eventus. Multa enim cadunt inter calicem ſupremaque labra. De morte Bordingi invitus intelligo. Amiſi quippe in eo amicum non e multis. Auſpicium noſtræ amicitiæ fuerat anno 1584. in convivio Brunæi. Exinde nullas neglexit occaſiones exercendi amoris ſui ſtricturas. Bene functo, quod ſolum defuerat, tu ſuppleſti; perpetua dignum vita reddidiſti vere immortalem. Laudo exoſculorque illam naturæ tuæ bonitatem; votaque facio ad Deum Opt. Max. diu diuque vivas cum tuis, mente ſanus in corpore ſano. Quod & mihi quoque opto, maneoque virtutis tuæ doctrinæque fautor præcoque J. Gruterus. Heydelbergæ XIII Januarii 1618.

Ante XXXV. annos vivebat apud vos apothecarius quidem manu, ſed mente Charitum Muſarumque myſta Joachimus Tegnagel. Obiit jam procul dubio, ſed in quos incidit bibliotheca ejus? obſervator erat ſingularis Caſelii noſtri, collegeratque lucubratiunculas ipſius curioſe nimis, quas vereor ne unquam videamus publice, niſi inde depromantur, & merebantur præ mille aliis aliorum nugis aſpicere lucem, inquire, quæſo, & fave hac quoque in parte reip. literariæ; per occaſionem non gravaberis ſpero ſalutationes meas dirigere Roſtochium ad DD. Lubinum, Poſſelium, Smonium, Huſwedelium, Gryphium alioſque animo meo accepiſſimos, quibus iſto anno ut & multis ſequentibus fauſta omnia animitus precor venerorque.

EPISTOLA CXXII.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Lubecam,

BEne eſt; teneas id porro propoſitum, meque alatis vocibus nonnunquam inviſas. Officio reſcribundi nunquam deero, dum ero. Quid virtus mea aut eruditio mereatur, vos videritis, qui per amoris coloratum vitrum utramque contemplamini. Ego abunde ſatis conſecutus mihi videbor, ſi poſſum exſors eſſe convitiorum, non extraneorum, ſed diſcipulorum meorum, ſi modo id non in eos quadrat, qui pependerunt quidem aliquantum ab ore noſtro, ſed nihil immiſerunt in animum. Ii enim aſelli agunt, ut doctiores videantur, quam ego ſim, & pro talibus ab omnibus habeantur. Quandiu hæc manus, hoc cerebrum vigebit, flagelli ſono mero talia animalia facile fugabo, indigna ſane, ob quæ alia induam arma, verum ubi non fuero, veſtrum erit memoriam meam conſervare comiter, ſæculo iſto tam barbare rudi, ut nunquam inquirat in editorem alicujus libri, ſed ſine controverſia optimum arbitretur cenſeatque, qui ultimam ei impoſuit manum. Examen, cenſura, ſtatera, lapis lydius jam nuſquam ſunt. Gratiſſimum fuit intelligere, nondum ſtrangulata eſſe inter plurium manus Caſelii monumenta; & næ tu Philologis eximiam navabis operam, ſi verſus ejus, ſi verſiones, ſi alia omnia

produxeris in publicum. Ea propter ſane plurimum tibi debebmus omnes. Sed heus! adhucne vivit Tengnaglii uxor? oportet ſit annorum LXXX, nam cum eam duceret; jam perierat ei flos ætatis; ſed & filius iſte natusne eſt ex Tegnalio? habebat ipſa privignum ſcio! utut eſt & hunc & illam pluribus a me ſalutabis. De bello invitus audio ſemper; utpote cui aſſidue in ore, *Pacem te poſcimus omnes.* Magis facit animo meo alterum illud, quo proſequeris Landgravii Mauritii affinitatem cum Duce Megapolitano. Deus eam Opt. Max. fortunet. Die lunæ Unionis Principes heic prope Spiram oppidum Idenheim, quod in formam caſtri munire pergebat Epiſcopus Spirenſis, manu intrarunt armata, & illico muros recens excitatos dejecerunt, adeo diſplicet omnis novatio; illo præſertim loco, quod quaſi Germaniæ meditullium, & juxta Rhenum imminens Palatino, Badenſi, Wirtenbergico. Ajunt pecunia Hiſpanica munimentum illud creviſſe. Utut eſt: Religioſi opus non habebant tam operoſo & inexpugnabili molimine, quo excluderent a ſe ſexum fœmineum. Heus, mi Kirchmanne, quæſo te, erue effigiem Patris mei, ea depicta fuit anno 1585. a cive veſtro Joanne Conrado, cognato Petri Mennii medici ac phyſici ibidem. Dn. Frobenius ſuper ea quidem inquiſiit; ſed retulit ipſo & uxore mortuis, omnes picturas diſtractas, neque eſſe reperiendas. At mihi veroſimile videtur, adhuc latere in Lubeca. Quære, obſecro, ſuper ea liberos Conradi, paratus ſum juſto pretio redimere imaginem illam Parentis mei, relictam in officina ejus, quod arriperet longinquius iter Dantiſcum verſus, ubi mox diem ſuum obiit. Vides rationem affectus eſſe in cauſſa, cur eiconion illud deſiderem: ſervat enim faciem patris, qua fuit paulo ante mortem. Si non conſtat eis tabula; quoniam forte nomen appoſitum non fuit, ſciant fuiſſe virum annorum quaſi quinquaginta, barba adhuc flaveſcenti, thoracem ſeu diploidem habebat ex ſerico illo, quod hodie vocatur *Atlas.* Ante annos XXVII. tranſibam Stetinum, Cancellariuſque illius Pomeraniæ Principis Otto Ramin tam ſimilis erat patri, ut videri poſſet indiſcretæ ſimilitudinis; hoc dico, ut ſi qui ſint, cui ille notus fuerit, facile etiam deprehendant progenitorem meum. Vides, mi Kirchmanne, licentiam meam; verum tu quoque aliquid etiam mihi injunge, impetrabis quod imperabis. Interim vale & ſalve cum tuis, a tuiſſimo J. Grutero 16. Junii 1618. Heydelbergæ. Salutat te plurimum Jo. Adolphus Taſſius, qui eadem menſa & domo mecum utitur. Si enim neſcis, iterum ago ſcholaſticum, utorque menſa aliena in æde propria. Familiam non alo. Una filiarum ante ſeptem menſes nupſit præfecto, Ampeſchulten, Brittanno. Minor hæret apud agnatam. Sic igitur rurſus ſum ſtudioſorum unus. Jam fere ita vivo triennium.

EPISTO-

EPISTOLA CXXIII.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Lubecam.

QUantum debeam diligentiæ tuæ, vix eſt, ut verbis exprimam: tanto quidem magis, quia omnis cura & indagatio fruſtra fuit; verum non ideo tamen obligor ferventi illi tuo ſtudio. Sed & divinctum me ſentio gratioſitati Dnæ Tonaglianæ; cui uti plures ſalutes unaque item filio ipſius a me nuncies, plurimum quæſo. Coram eam agnovi matronam cordatam, officioſam atque indulgentem. Nunc ut video, mos ille ipſi in naturam vertit; eaque propter heic quoque deſiderio meo ſatisfacere cupit Utinam tibi, utinam illi in re etiam aliqua majori gratificari poſſem! nihil profecto facerem aut promptius, aut efficacius. Interim ut me adhuc ſtrictius vobis quaſi applicetis, fac quæſo ſciam diem tuum natalem; ut & Joachimi Tonagli P.M. emortualem, ut & natalem, ſi potes. Jam enim in eo ſunt Aubrii, ut recudant Chronicon Chronicorum, ubi exſtat titulus virorum literis virtutibuſque illuſtrium, a me maxima parte concinnatus. Ei peplo nomina veſtra injurie nimis diutius abfuerint. Lubens intellexi, ſupereſſe adhuc Principes, qui memorias colunt mortuorum; & næ illi nomen ſibi comparant perenne, dum adſtruunt alteri. Sed & tua nimis quam laudabilis opera, qui Caſelii carmina colligis. Quamvis typographi hodie omnem deſpuant poëſin, ſperarem tamen aliquid impetrare poſſe ab Aubriis, utique ſi quis inveniretur, qui centum exemplaria pretio librariorum redimere vellet. Et abſque eo, mi Kirchmanne, non eſt cur deſeras officium tam pium. Fata viam invenient ſcriptis tam doctis. Domani mors neſcio an ulli ſit futura mœrori, ob eam ſane multi gaudebunt, quibus erat faſtuoſior imperioſiorque. Taſſius agit Tubingæ. Ego jam iterum commiſi typis Diſcurſus meos in Tacitum, nihil reveritus cenſuram ad te Baudianam. Vocat commiſſuras meras, neque aliud quid unquam ipſe certe præ me tuli. At omnino cæcutiit, arbitratus propoſitum mihi imitari Lipſium. Ubi enim definio, ubi partior, ubi diſtinguo? Imo exhibere volui exemplum, quod imitarentur juniores in legendis auctoribus, qui de quacunque re diſſererent in utramque partem, que rem unam eandemque aliis aliiſque efferant verbis ſententiiſque. Rei illi animum applicui jam ab annis fere decem, cum evocaret Hamburgo ad Henricum Ranzovium Bredenbergæ, ibidemque viderem Lipſium in curis ad ipſum Ranzovium, ei quippe dedicarat, ſecundis jactare quaſi & appendere aurea in ſtatera parallelum unicum alterumque Græci Latinive auctoris, ad ſcriptorem eundem. At ejus rei omnia plena ſunt, quemadmodum nulli non patebit, ſi mens mihi manſerit adhuc in ſano corpore ſana ad aliquot annos. Singulis enim ſemeſtribus animus eſt extrudere ſimiles diſſertatiunculas triginta numero plus minus, dum Cornelium excuſſero totum totum. Si quæras forte, cur moroſior in me fuerit Baudius, verbo dicam:

cauſſa

cauſſa fuit naturæ morumque diverſitas. Poëta ſiccus usque & usque ſobrius dicor Douſæ patri: ſed & virginali modeſtiæ etiamnum aſſidue lito. Noſter ille Veneri ac Lyæo notior erat? verum nolo plura, ne videar nunc demum aliquid mutire, poſtquam ipſe loqui non poteſt. Nam quam faverim alioqui ingenio ejus, expreſſi Epigrammate ſatis amico. Plautum Parei certo videbitis vere proximo pulchre recoctum, qualiter a Medea ſcilicet vetus Pelias. Simulatque prodierit, ego eidem comico manum admovebo, & Aſellum excipiam flagris meritis. Interim ſalve & vale amice prime, & ignoſce impolitis. Nunquam audeo mea relegere, ne oblinantur lituris & alioqui ſemper mihi abeſt otium. Nunc præcipue, dum Heringio novos aliquot molior diſcurſus ad priores. Heidelbergæ XXI. Novemb. 1618.

EPISTOLA CXXIV.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Lubecam,

LÆta narras de Caſelio: ſed de Aubriis nihil certi unquam extricabimus, niſi exemplar ipſum antea ſuis oculis arbitrati fuerint. Compararunt ſibi librariam officinam Marniorum integram. Itaque exhauſti pecunia ad omnia ſunt tardiores. Verum paulo poſt, ſpero, redibunt ad ingenium. Si quid ab eis impetravero ſuper Caſelio, tecum communicabo. Ita eſt, auxi diſcurſus, ſed parte: cum tamen ad manum eſſet ſylva immenſa. Sed nihil volo prævorti Plauto noſtro, quem ſub Taubmanni nomine edimus contra Cumani Aſini fraterculum, qui auctorem eum utraque editione fœdum in modum excruciavit, ſub perſona medici carnifex eximiæ notæ. Iſtud tamen apud te manere velim. Nam quantum intelligo, Guldaſtus ille noſter in veſtra vicinia ſatagit eruere, quid iſtis locis ſcribam ad amicos, & pro ingenii ſcævitate detorta in pejus tranſmittit ad comparem ſuum, de cujus moribus uti ſummarie tibi conſtet, legeſis tantum verba, quæ Gruterus in ejus caput ceu flores ſparſit inter euphemias. *Secunda hac editio tua Plautina, Quam paras (ſpondeo) mille modis ſuperabit priorem.* Quid arbitraris in eadem epiſtola, & præceſſiſſe & ſubſecutum? multa ſane, quibus propoſitum ejus approbarem, exſtimularemque currentem ad editionem ſecundam. Imo contra fuit. Miſerat ad me quinque vel ſex comœdias uti percurrerem, & ſi cenſerem dignas impreſſione, pergeret in opere inchoato, ſin indignas, deſiſteret. Scripſi ſimpliciter, editionem primam fuiſſe plane ſæculo noſtro indignam, & ipſum expertum, quali paſtoritia fiſtula excepta fuerit a Doctis ac bonis. Hanc, ſcire me, mille modis futuram vitioſiorem cacatioremque, addebamque ejus ſententiæ cauſas meas. Qui tamen ita me vivo, me præſente quaſi, verba mea ſycophantice in alium ſenſum detorquere audet, quid non moliretur me mortuo? Epiſtola Baudiana cur movear? unicuique liberum eſt ſentire quid velit. Et ſtultiſſimus ſim, ſi velim ubique auferre ab omnibus mea legentibus calculos albos,

albos, ſatis eſt ſi ſuffragia impetrem tua tuorumque ſimilium. Quanquam ut antea indicavi, diſcurſus mei nihil ejus ſunt, quod ſonant Italice, ſed quod Latine; ſicuti etiam indicavi præfatione ipſa. Ob miſſum diem natalem, multas ego tibi gratias acturus & alias, ubi Tonagli noſtri ſubmiſeris. Sed & ille veſter Dn. Aiſſema dignus comparere in eo ordine. Diſſertationes ejus nondum vidi. Sed eſſe virum ingenii judiciique eximium inde colligo, quod cum muneri illi præfecerint Dni ordines. Neſcio an idem ſit cum eo, cujus libellos carminum vidi aliquando in Gallia excuſos. Utut fuerit! faveo felicitati tuæ, cui datum poſſe veſtros labores edulcare ſuavibus talis viri alloquiis. Ego heic neminem habeo, quicum verſer, factus adeo Timon, ac tantum non Miſanthropos, quatenus ſcilicet in hominibus odi vitia: quæ cum ab ipſis ſeparari nequeant, eos quoque non frequento, horto meo incluſus, ubi lito Floræ ac Muſis, ſecurus quid Reges agant Principeſque, quod fatum qualecunque, quæſo, ne mihi invideas. Dno Tonaglo ſalutes adſcribo perofficioſas. Tu etiam mi Dn. Kirchmanne vale ac ſalve ex animi mei, hoc eſt, tuimet ipſius ſententia. Scribo raptim, ut omnia ſoleo. Poſtremo Maj. Heydelbergæ 1613.

EPISTOLA CXXV.

JANUS GRUTERUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam,

Imo ipſemet illuſtriſſimus Dux Brunſvicenſis dedit in mandato Conrado Hornejo Profeſſori philoſophiæ moralis publico Helmſtadii, colligendi, edendique publicis ſumptibus Caſeliana. Scripſi ei de propoſito tuo: Tu etiam quæſo tua cum ipſo communica, ut ita conjunctis operis animiſque omnia prodeant plenius ornatiuſque. Meretur id ſane Caſeliana Charis. De Parei Plauto non miror quæ dicis, eſt enim homo Gratiarum Muſarumque verum odium. Impudentiam agnoſcis ex Euphemiis; ubi mea etiam verba exhibuit prorſus contra animi mei mentem & ſententiam. Interim edidit Epiſtolam a ſe fictam, ſub nomine advocati Pariſienſis truncato, qua nullis non contumeliis proſcindit auctorem Aſini Cumani. Sed & modo in nundinis folium integrum bibliopoliis adfigi curarat cum titulo, *Apologia Parei contra famoſum libellum, palam clamve ſparſum a Jano Grutero, &c.* Pauca exemplaria diſtracta ſunt, cætera Pater ejus ſtatim intervertit & ſuppreſſit, ut etiam falſam illam epiſtolam, quam excuderat quatuor exemplariorum millibus. De natali tuo & Tonagli emortuali plurimum te amo, neque minus debeo pro natali Dn. Aiſſemæ cui ſalutes meas remitto cum fœnore. Utinam & iſtis hic locis aliqua in re vobis aut uſui eſſe poſſim, aut voluptati! experiremini hominem virtutibus, doctrinis famaque veſtræ addictiſſimum. Interim utrique omnia fauſta opto atque precor: uti etiam Domino Tonaglo & Lectiſſimæ ejus matri. Illuſtriſſimus noſter in Superiorem abiit Palatinatum cum Principiſſa & filio

lio majore, electus in Regem Bohemiæ. Deus actiones ejus fortunet! nam aut omnino fallor, jam inibi ſumus, ut aut vincamus ſatellites Papæ, aut iis ſuccumbamus; quod ultimum providentia cœleſtis avertet. Hei! quanta inſtat tota Germania mutatio! ego me involvo ſtudiis meis. Plautus iterum correctus a me ad M.SS. Pall. recuditur Witebergæ, una cum commentariis Taubmanni. Editioni ei favebis, vel conſtantiæ cauſſa tuæ, vel quia modeſtiſſimi fuimus in emendatione ejuſdem comici, præ viperina licentia Parei. Heringio extorqueo jam modo via judiciali Diſcurſus meos in Tacitum, quei hac hyeme prodeant ab Aubriis. Iterum Vale. 1. Octobris 1619.

EPISTOLA CXXVI.

GOTHOFREDO JUNGERMANNO. S. D.

Janus Gruterus.

Lipſiam.

HAbe pauci s', recepiſſe me tuas nuper in nundinis unas alteras modo, reſpondendi viam non habeo certam, has tamen Gotham mitto, forſan inde invenient tabellarium aliquem. Quod attinet ad interpretationem Statii circa res Venereas, ſatisfaciundum eſt junioribus. Nec hic tu peccas, ſed author, & quid? an non moris Græcis Romanis exhibere ſtatuas ſuas fere Deorum pariter atque hominum ſine veſte, quales a matre natas? ita evincunt reliquiæ, item icones Philoſtrati aliorumque. Offendentur eo ipſo forte Jeſuitæ, qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt. Sed quid tum? ſurda aure prætereundi ſunt, vel meo exemplo, quem tot calumniis proſcidit aſinus quidam Gretzerus, ut mirer in ignotum tantum cadere virulentiæ. Nam eum ſane, aut ſocietatis ejus fratres ſacerrimos præfatione illa non magis deſignavi, quam Geſnerum, qui primus Martiali caſtrator. Conſobrinus tuus Camerarius nuper rediit a comitiis, doleoque una mecum te heic non ſubſiſtere. Perrumpe omnia vincula obſecro, & te nobis ſiſte nundinis proximis. Uber vini proventus edulcabit rerum omnium cæterarum pretia, viliusque heic vivetur, quam antehac. Criticorum volumina duo nunc proxime publicabuntur, dummodo expediero me ex indice tertii, nam ut ego te vocem in partem laboris, jam ſerum nimis eſt. Ante ſi conſtitiſſet de hac tua voluntate, ea fuiſſem ſane impudentia, & eam non ſpreviſſem. Apud nos nemo eſt, qui patienter folium nunc perlegeret. Facio tamen omnia negligenter, utpote rerum plane aliarum. Biloviana non vidi. Ex ſchedis tamen, quas miſiſti, facile colligo fuiſſe merum pus & venenum. Libentiſſime legi, communicavique cum amicis; maximas ea propter tibi gratias ago, ſive ipſe tu author, ſive Putſchius, ſive uterque. Guldaſto literas quas deſtinaſti, heic adhuc hærent. Abeſt enim adhuc in patria una cum nobiliſſimo ſuo diſcipulo, quicum abiit ad matrem. Reverſo curabuntur: nam nuntii, qui eo abeant, non ſunt. Euſtatium jam puto recepiſti, certe enim ſe miſiſſe indicavit per epiſtolam D. Hoeſchelius. Quicquid in Statio, in Euſtathio verteris, vel feres tecum Francfurti Autumno proximo, vel mittes ſpero. Malim tamen primum. Et id ſic, mi Jungermanne, officio,

eiö, fide, candore aderimus tibi in omnibus per omnia. Ingenium enim tuum & induſtriam facimus jure maximi. Ideoque eo præſentes uti frui in votis non é multis. Interim ſalve & cura iſtas tuo, meo, Putſchio. Heydelbergæ præcipitabam die XVIII. Julii 1603.

EPISTOLA CXXVII.

GOTHOFREDO JNNGERMANNO. S.D.

Georgius Remus.

BEaſti me tuis, Jungermanne doctiſſime: & gaudeo Longum prodire tuum. De loco illo, cui Machaon medeatur aliquis, ſic habeto. Non ſolum illam Ægæi maris inſulam. Chium, ſed & Eubœæ, Cariæ ſub monte Pellenæo, & in Rhodiorum. Cherroneſo fuiſſe urbes ſic dictas. Ex his ſelige, quam ſcopo aptam putes auctoris. Et ut de Chio inſula loquatur, quid vetet. Latumiam non ignobilem id ævi fuiſſe λαμπαλίω διδα, * cum tot Ferrariæ hodie ſint? Fac etiam fuiſſe lapicidinas, quæ nomina ſortitæ ſint ſua. Sed hæc conjectura eſt mera, & ampliandum cenſeo: quin & ad alios abire tripodas potes, quando hoc meum nullius putas momenti oraculum. Probo interea ſtudium tuum improbum bene merendi de bonis auctoribus, & te conſecrandi immortalitati. Vale & ſalve, & a me Putſchio elegantiſſimo & eruditiſſimo ſalutem. Norimb. ipſis Kal. Decemb. CIↃ. IↃ. CIV.

EPISTOLA CXXVIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Georgius Remus.

Roſtochium,

SErius opinione tua, expectatione mea mihi redditus eſt tuus de *Funeribus Romanorum* Commentarius Vir Cl. & eruditiſſime, Dn. Kirchmanne. Exemplaria accepi tria. Quorum duo mandatu tuo Auguſtam miſi, queis deſtinabas, Magnis viris M. Velſero & D. Hœſchelio: ac jam nomen tuum expunctum puta. Apotheoſin Philologiæ alium non eſt quod exiſtimes librum eſſe, quam Nuptias Mercurii cum Philologia, Marciano Capella auctore, quem Scriptorem Hug. Grotius I C. ignei ingenii homo, recenſuit, & februis expiavit. Manuſcriptus, in quem incidi, ἀκέφαλος erat, unde quid libri eſſet aliquandiu inquiſivi: ſed deprehendi altero poſt die, quam ad te ſcripſeram, Sidonii Apollinaris Epiſtolas. Jo. Savaro dedit: & dedit perquam politas. Sunt tamen correctiones ſuper non contemnendæ, quas ex MSS. Norimbergæ hauſi. Porro Themiſtium ad Augg. Cæſares perorantem, a me toga pro virili indutum (penes te & tui ſimillimos, id eſt viros omni doctrinarum genere perpolitos judicium reſideat, quam recte, & quam bene factum) tibi quoque amicorum facile primo ſiſto: quem auctorem facio jure magni, & te quoque æſtimaturum ſpero, ubi ἐπιτάφιον, quem patri dixit, videris, excuſſeris, ac commentario

* *Corrupta hæc eſt lectio.*

tuo ea, quæ ad rem erunt, inſerueris, quod fors æterna cum laude tua fiet, quam quidem jamjam emeritus videris omnium ſuffragio bonorum, ac Senatus Critici adplauſu maximo. Edere ſtatui cæteras quoque orationes, ubi ocium dabitur. Cl. Scherbius Medicus fuit: beatus eſt: cui Erneſtus Sonerus Philoſophus & Medicus ſucceſſit. Florent Rittershuſius & Hubnerus JC. & ipſe noſter Scipio ὑπεγῆτι. Jo. Hier. Creſſius nupturit. Quod ſupereſt, magno te rogatum opere velim, ut quum me in notis Themiſtianis aberraſſe videris, homo quippe ſum, & me humano pede ac modulo metior, τετράγωνος nemo, notes candido veru, ac ſignifices libere, quæ mutanda, quæ in melius reducenda exiſtimaris. Sin aboleri notas, & litura una dignas judicaris, id quoque me pro amicitia noſtra non celabis ſpero. Alterum exemplar (par enim eſt) Cl. & Excell. Auguſtino Kockerto JC. eximio, patrono meo, tranſmittes, cum ſalute magna. Spero ſupereſſe virum, & ἐν ἀκμῇ τῆς εὐδαιμονίας conſtitutum, amiculi ſui Remi memoriam cum benevolentia conſervaſſe. Cum Nobiliſſimo D. Woverio nulla mihi interceſſit familiaritas: bene de litteraria meretur republica. Quod & ipſi, & tibi, quam diuturnum a Numine comprecor contingere beneficium. Vale & ſalve, dulce decus meum, Kirchmanne. Norimbergæ III. Non. Sept. quæ dies Pietati Conſecranea, ſi bene ephemerides habent. Quin Pietati erga Deum quilibet dies nobis devovetur. Anno CIↃ. IↃ. CV.

EPISTOLA CXXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D

Georgius Remus.

Roſtochium.

POſtridie Non. Sept. ad te dederam, unaque Themiſtianarum orationum exemplaria tria miſeram, Vir. Clariſſ. Ea cum vix abiſſent, mihi tuæ XX Julii Scriptæ a Magnifico D. Rectore Acad. Altorfinæ Doct. Matthia Hubnero redduntur, quibus poſtulato meo ſatis abunde feciſti: Quo pro officio tibi me ingentes debere gratias ultro profiteor: eoque majores, quo promptius curaveris D. D. Aug. Kockerto, & D. Woverio Themiſtium. Ego, quod in mandatis dediſti, executus ſum. Teſtes erunt, ni fallor, hæ ab Hœſchelio mihi tranſmiſſæ, tibi curandæ litterulæ. Velſerus Themiſtium excepit meum non nimis male. Aras Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ non habuiſſe, qui caruerint templis, liquet opinor. Objiciuntur loca duo ex Cypriano & Optato Milvetiano. Hic quidem paulo poſterioris ævi, ille ſub perſecutionibus fuit, unde & martyrii adoream meritus. Verum contra, quod τράπεζαι apud Themiſtium, & quorſum facient, ni Orthodoxos Chriſtianos a paganiſmo alienos, menſis uſos dicemus? Athanaſius Epiſt. ad vitam ſolitariam agentes, & Orig. contra Celſum lib. VIII. oſtendunt aris caruiſſe Chriſtianos. Facio hoc tui judicii; ut, quod ad auctoritatem Cypriani & Optati reſpondendum putes, mihi libere ediſſeras. Geſtio enim tuam audire ſententiam

tiam. Verum hæc ſeverioramitto, & ad epithalamion ſcribendum, ſi tantum faverent Apollo & Muſæ, quantum opus, & res exigit, me offerrem. Aliis hanc ſpartam relinquo. Bona tamen verba precabor novo ſponſo, tibi inquam viro magno, quemque ipſa Thalia canat, digno. Plura non addo, nec placet nunciare Iſtrigonium jamjam in hoſtium manibus nunciari. De comitiis Auguſtæ vel Ratisbonæ indicendis fama volat. Vale, quod ſupereſt, & me amare perge. Norimbergæ. 3. Kal. Octobr. CIƆ. IƆ. CV.

EPISTOLA CXXX.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Georgius Remus.

Roſtochium,

TArdum nomen ſum; fateor, cauſam dicere poſſim. V. Clariſſ. D. Kirchmanne, tabellariis idoneis me deſtitutum. Dudum ad te dare geſtii: nemo fuit, cui committerem. Lipſienſes nundinæ nunc quidem ſeſe offerunt. Neoſtephanum, quem mihi commendaſti, amicis Auguſtinis & Patavinis inſinuavi; quem, ut par eſt, comiter excepere. Ex quo autem a nobis abiit, nihil quicquam de ipſo audii. Ceterum pro munere illo pulcherrimo gratias tibi ago: beaſti me; ajo tibi. Atque utinam dies illuceſcat, qua paria faciam, tibique rependam beneficia hujus generis pluria a te in me collata. Neſcio ſane, qua fati felicitate vos auctiores præ nobis ſitis: & nos eo infortunatiores, quod Clariſſ. Rittershuſii τȣ̃ μακαρίτȣ νῦν, conſortio, eheu! privati ſimus, Abiit is e vivis 8. Kal. Jun. maximo totius Academiæ ac bonorum omnium luctu. Obiit Vir optimus & extra aleæ controverſiam, doctiſſimus; relictis tribus filiis, duabus ſequioris ſexus prolibus, vidua mœſtiſſima. Parentavit manibus, Baro Bohemo-Moravus Wenzelickius: parentabit vero Doct. Caſp. Panſa JC. denuo: Epicedia a variis Academiis accepimus: a veſtra, expectamus expetimuſque id genus officii, συλλήβδην edentur, ubi etiam a Belgis, & remotioribus aliis Sarmatis, acceperimus. Matures, velim. Lente procedit negotium editionis. Quæritur ſucceſſor; necdum repertus eſt. Quatuor anteceſſores alet Senatus Ampliſſ. D. Scipio, qui maritus & pater eſt, tractatus, ſive materias, aut ſi mavis, locos communes proponet: alter, qui quæritur, Codicis profeſſor erit: tertius digeſta Doctor Andr. Dinnerus. Quartus, Inſtitutiones enucleabit, qui eſt Doct. Ægid. Agricola. M. Queccius. M. Piccartus, Virdungus, vivunt, valent, officiumque faciunt. Doctor Sohnerus medicus ſuperiore anno a nobis ad Cœlos abiit, Vir certe acutiſſimus, neque hic ſucceſſorem habet. Medicum, fama eſt, vocatum aliunde, qui ſubrogetur. Floret Academia pro more. Veſtra nunc, ut ſpero, quieſcit ab illis turbis turbidis Academia, & ſane modus eſſe debet motus, inquam, turbarum. Doctorem Auguſtinum Kockertum florere opto. Is Lubecæ agit, ut noſti. Non addam verbum. Clariſſ. & Excellentiſſ. DN. Cothmanno juriſconſ. hujus ævi facile principi a me ſalutem officioſam nuncia, per occaſio-

nem, & Cæteris Clariſſ. Collegis tuis, amicisque: quos inter Dn. Henricus Heinius. Norimbergæ. v. Kal. Octobr. CIↃ. IↃ. CXIII.

EPISTOLA CXXXI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Georgius Remus.

Roſtochium,

Siluimus, hem! numquid ad ſatietatem? Ruptum eo ergo ſilentium primus, te non invito, Vir Clariſſ. Dn. Kirchmanne. Veſtras turbas jamjam ſopitas, ſpero. Tranquilla eſt noſtra Academia; ſed eheu! orbata magno Rittershuſio & Sohnero: quos ſi nos defleviſſe dicerem, mentirer. Parentavit Rittershuſio Baro Bohemus Wenzelikius: parentavit eidem Doctor Caſpar Panſa, ἀκροατὴς ὢν ἐν ταῖς ἐντυχίαις διάγοντος Ῥιττερσουσίου. Addidi πολυάνδρειον, quo celebravi XII. viros Germaniæ noſtræ doctiſſimos, qui illo anno (1613.) in fata conceſſere: at non ſatisfacit carmen mihi; nedum ut pro dignitate laudatos a me dixerit viros illos Clariſſimos: quorum Principes Caſelius, Taubmannus, Menzelius, Rittershuſius, Baudius. Belgam adſociavi noſtris Germanis, uti numerus conſtaret. Germanica vero edentur, quæ ab amicis paſſim honoribus Rittershuſii conſecrata ſunt; & expectantes adhuc verſus Iſaaci Caſauboni ex Britannia, & Meurſii ex Belgio. In profeſſione Digeſtorum ſucceſſit Rittershuſio Doct. Vir Dennerus: Inſtitutiones enucleat Ægidius Agricola. Verum cognoſces ex tabellifero fuſius, quare, inquam, Reipubl. noſtræ ſtatus pacatiſſimus eſt. Cæſar ad Kal. Septemb. proximas comitia indicturus eſt, Ratiſponæ. Interea Pragæ commorabitur. In Galliis novæ lites ac diſſidia gliſcunt. Henricus enim Burbonius, Dux Condæus; graviſſima capita Reginæ Rectrici præſcripſit emendanda. Regina contra largitionibus & aliis rationibus ſibi ordines Galliæ devincit, & hoc agit, ne rationes dare cogatur villicationis ſuæ. Conſtat de prodigalitate ejus. Conſtat Theſaurum Regium, quem Henricus IV. magnum corraſerat, exhauſtum. Conſtat Marchioni Ancorano (is eſt novus homo Florentinus, (*le Mignon de la Reyne*) dona inofficioſa oblata. Habes capita. Ferunt tympana audiri per Galliam, & ad bellum parari omnia. Eheu! De bello Turcico ſunt qui blaterent multa. Ego ex media Ungaria ſcriptas extremo Januario ab Alberto Molnare Pannonio non ita pridem accepi, quibus vix mentionem belli injicit. In Italia tandem pax inter Allobrogem & Mantuanum facta, Rege Hiſpaniæ damna Mantuano ſarciente. Genevenſes & Bernates in perpetuo metu ac motu ſunt; ſed quæ ad mare Balthicum agantur, tu rectius noſti. Porro Philonis libellum mitto recentem a prælo Auguſtano περὶ ἑβδόμης, cum melius nihil ad manum ſit. Federicus Morellus Regius Profeſſor Linguæ Græcæ Latine reddet, uti recepit quidem, hunc Philonianum libellum. Ab Iſaaco Caſaubono exſpectantur Exercitationes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ adverſum purpuratum Romanæ Synagogæ Baronium. De M. Velſeri morbo, cujus nomen οἱ ἰατρῶν παῖδες edere neſciunt, noſti. Excruciabilibus doloribus exagita-

agitatur, neque quiſquam remedium afferre poteſt? latent enim cauſæ. Jam jamque moriturus credebatur. Elector autem Palatinus Fridericus v. non ita pridem primogenitum ſacro fonte tingendum exhibuit per Regem Socerum (cujus vices egit Chriſtianus Anhaltinus Princeps) & Fridericum Henricum, Mauritii Naſſovii fratrem. Nomen puerulo inditum eſt Friderico Henrico. Sed de tabula manum. Vale Virorum eruditorum decus: & ſalutem nuncia Excellentiſſ. D. D. Ern, Cothmanno JC. Anteceſſori primario Acad. veſtræ, viro florentiſſimo. Norimbergæ. VIII. Kal. Apr. CIↃ. IↃ. CXIIII.

EPISTOLA CXXXII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Georgius Remus.

Lubecam,

MAgnas, V. Cl. & facundiſſime, tibi me gratias agere par eſt, pro dono luculentiſſimo orationis funebris, quam quidem veſtræ Reipubl. Lubecenſi συνδακρύων ob jacturam tanti ornamenti, viri, mea opinione, omni laude majoris, non ſine tui nominis benevolentiſſima memoria cum voluptate legi: qua Ideam viri politici expreſſiſti atque juriſconſulti excellentis. Alterum Neſtora tu Neſtoria facundia commendaſti, & poſteritati conſecraſti, Jacobum, inquam, Bordingum conſulem, quo Lubeca veſtra merito gloriatur; & fortunatam natam ſe hoc conſule jactat. Amiſimus & nos viros magnos, Paumgartnerum, Genderum, Furerum, Nützelios, Hallerum, & alios, quorum catalogum ne conficiam anguſtia epiſtolica vetat. Certe Academia orbata eſt Scip. Gentili JC. (qui quantus fuerit, noſti, opinor: ac magis te edocebit oratio) itemque Jo. Prætorio Mathematum profeſſore, octogenario. Amiſimus Auguſtæ M. Velſerum, cui prope biennium, ac quod excurrit, parentatum eſt ab amicis. Habe, quæ tuo ocio legas commodoque. Nolim enim meliores horas te his inanibus impendere. Tacta a me eſt ambitio eorum, qui ſe incidi curant æri, aut argento exprimi, quibus nullæ literæ, nulla in præcordiis virtus; Tacta urbanatim, ni fallor, non ruſticatim. Velſerum vero, qui *Auguſtanam & Boicam hiſtoriam* Corneliano conſcripſit ſtylo, laudem hiſtorici promeritum, nec tu inficias ibis. De Religione nihil attigi. Pontificius fuit, ſed vir bonus. Laudatur in hoſte virtus; quidni in cive meo, & qui ſummo Magiſtratu functus eſt, ſuper aſtra evehi debeat? Noſti virum. Rerum noſtrarum ſtatus ſatis pacatus eſt. Principes & civitates, quotquot unitarum nomine veniunt, Heilbronnæ conventum celebrant, de proroganda Unione tractaturi. Pragæ Cæſar agit, fere operam dans certaminibus balliſtariorum, vel etiam Comœdorum actionibus. Cetera Cardinalis Glaſelius curat. Agi autem de deſignando Rege Romano, ignorare non potes, Ferdinando, qui contra Venetos bellum gerit. Iſtis ſuppetias tulere Batavi, jam jamque in portu adpulere Veneto: circumvecti ſecundis ventis Galliam, Hiſpaniam & Italiam. Das ſeind waſſer vogels. In Galliis

Galliis ad internecionem heu! omnia ſpectant; Principes enim licet cauſam foveant juſtam, quippe Reipubl. ſalutem, legum & libertatis conſervationem ſpectant, tamen minores armis ſunt. Qui religionem reformatam profitentur, ſilent. Duces Nivernenſis, Cenomanus, Bullionæus, Longovillanus, Vindocinenſis proſcripti ſunt: omnes Pontificii, excepto uno Bullionæo. Coneinus Florentinus, Gynæceio a teneris addictus, Monarcha eſt ὄντως regni Francici, fato Metelli. O tempora! Veneti cum Allobroge confœderati fidem præſtant, ac divertunt molem belli a ſuis cervicibus; hoc fœdere, quid ſit futurum dies docebit, æſtas oſtendet proxima. Quod reſtat Cl. & Excellentiſſ. V. Dn. Auguſtino Kockerto JC. inſigni ſalutem adſcribam officioſam. Dn. Elſwigium amo & deoſculor ob ingenium ſummum, quem ſi in Patriam rediit, ſaluta meis verbis. De Prole Megapolitanorum & Pomeraniæ Ducum memineris. Vale ſalve virorum optime, decus maris Balthici magnum & immortale Norimbergæ Idibus Aprilibus. CIↃ. IↃ. CXVII.

EPISTOLA CXXXIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Georgius Remus.

F. Lubecam;

Redditæ mihi tuæ ſunt, Vir clariſſime & eruditiſſime DN. Kirchmanne, amice optime, quibus carmen gratulatorium adjunxeras, pro quo munere gratias tibi ago maximas. Gaudeo ſane, litem illam ſopitam eſſe, utinam bene obſopita ſit, neque poſteriora prioribus deteriora fiant. Utinam ſane pax illa ſolida ſit! Dolorem vero ingentem in animo meo excitaſti nuncio obitus V. Cl. D. D. Auguſtini Kockerti, J.C. ſummi, quem ob doctrinæ præſtantiam, morum candorem & varias ingenii dotes mirum in modum adamaveram annos præter propter duodequadraginta, cum in Galliis & Germania familiariſſime vixerimus: eique in Italiam (ex qua ego paulo ante redieram in patriam) abeunti σύγχαρμα ſcripſeram, cujus exemplar nullum mihi ſervaveram; & jam ab heredibus emendicare erubeſco! ſi tamen tanti eſt, cujus me vel alios rationem habere oporteat. Vixit mihi cariſſimus & quaſi anteſignanus in ſtadio & ſtudio juris noſtri Auguſtinus, eheu! noſter olim Kockertus, qui me ætate aliquot anteceſſit annis, minimum octo aut decem. Complebo ad diem IV. Jan. 1621. annum ſexageſimum, cum Deo propitio. Habuit amicos magnos Auguſtinus in Galliis, Italia, Helvetia, Germanica, Belgio, Dania, ac forte etiam in Suecia. Nemo virtutem tanti viri, qui oderat cane & angue pejus ambitionem θυμομαχίαν τε admiratus fuit: cujus ego filiis ſi velificari poſſim, remis non defuturus ſim. Filium patri homonymum ſuperiore æſtate exſpectaram adventurum, ac civem Academiæ Altorfinæ futurum. Qua de cauſa non ſe ſtiterit ignoro. Rectorem hoc anno habet Altorphina noſtra magnificum doctorem Theologiæ Matthiam Chriſtianum Dithmarſum, auſterum ſane cenſorem juventutis, quæ libertatem potius amat. Tempora vero

cum

eum ſint exulceratiſſima non plane ἀπροσδιόνυσον eſt, Catonem quendam præfici Lyceo. Publicas calamitates non, ſi centum linguæ oraque totidem mihi ſint; enumerem. Sufficiat Bohemia & ipſa urbs Praga, ad quam ſane infeliciſſime pugnatum fuit Martinalibus ſuperioribus. Theatrum jam eſt miſeriarum Praga, quæ Regina urbium, Imperatorum ſedes florebat non ita pridem. Mitto ὀλίγιστον δωρείδιον, æri inciſam pugnam, quam luſtrabis ſine periculo a globis gladiiſque: extra turbas & tubas futurus, viſurus congredientes Cæſarianos & Regios. Da horulam huic ſpectaculo, & ſi videbitur, cum amicis communica. Cæſarianorum numerus erat LXCIↃ, Regiorum vero vix XXXVI.CIↃ. militum, quorum illi optimi, inſtructi, exercitatique: hi minus. Strages facta, ad XCIↃ, ut calculus juſtior dat. Prodibunt deſcriptiones, Panegyrici, & gratulatoria ſcripta agminatim. Tripudiant tota Germania, Gallia, Italia, Hiſpania, Polonia, Loyolitæ: neque reputant Amurathum Sultanum ad Varnum, Solymannum in campis Mohotz viciſſe Sigiſmundum & Ludovicum Reges Pannonicorum, longe majoribus inſtructos copiis. Papam Clementem VII. Roma expugnata a Cæſarianis captum fuiſſe. Taceo Lubecam, taceo Olyſſiponem, de quibus Thuanus noſter fuſiſſime, ſi addas LVIII. libros recens editos. Ubi Karthago? Numantia? Conſtantinopolis a Turca occupata inexpiabili Chriſtianorum flagitioſaque ignominia & ignavia? cæterum, quid futurum ſit, audiemus vere primo. Palatinatum occupat Ambroſius Spinola, lenta quadam celeritate, vulpinam Leoninæ aſſuens. Vaticinium exſtat, fore, ut, ubi Fridericus ad ſua redierit (fruſtra enim Bohemiam tentavit) proſpere agat. Pyrrhus aliena appetens, ſua perdidit. Hoc obſervet. Reges Daniæ, Sueciæ, Britanniæ, Ungariæ vix tantum ſuppetiarum ſubmittent, quibus adjutus Fridericus Pragam reciperet. Ferunt enim XLCIↃ. ex Inſubribus adfutura Cæſari, quibus Sileſiam & Moraviam & reliquas provincias ſubjuget. Hactenus noſtram urbem Deus Opt. Max. blando vultu aſpexit: quod nobis ſolidum bonum eſſe optamus omnibus votis & precibus pulſantes Cœlum, & qui in Cœlis præſidet ac reſidet. Minitantur extrema nobis Archieratici: plura non poterunt, quam in noſtram emendationem permittat Numen paterna nos caſtigaturum ferula. Nimius fui, D. Kirchmanne, de tabula manum. DD. Backmeiſterum & filios Kokertos Auguſtini γνήσια τέκνα, ſaluta ex me. Vale ac ſalve. Norimbergæ, die Innocentibus conſecranea. Anno CIII.CIↃ.IↃ.CXXI.

EPISTOLA CXXXIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Georgius Remus.

Lubecam,

QUas XX. Junii ad me dediſti, Vir Clariſſ. Dn. Kirchmanne, amicorum coryphæe, eas VI. Nonas Quintil. accepi. Incluſas Dn. Auguſtino Kokerto noſtro curavi, quum quidem eo tempore Ingelſtadium excurrerat & Ra-

tiſponam; itaque dum rediret, moram facere reſpondendo coactus fui, veniam dabis. Univerſitatis Altorfinæ Privilegia publicata ſunt ſollenni ritu, præſente legato S. C. Majeſtatis Illuſtriſſ. Principe Dn. Georgio Otthone Com. Pal. Rheni, Duce Bojar. Illuſtrib. & Nobiliſſ. ac V. V. Senatoribus, civibus, hoſpitibus, advenis, maxima frequentia cohoneſtantibus actum, adplaudentibus bonis lingua, animoque. Et ipſe Titan ſolito ſplendidior ac ſuavior illuxit ſine nube, ſine lite, ſine querela abiit dies illa memorabilis poſteritati: quod Deus coeli & terræ ratum ac gratum habeat. Orationes habitæ typis exſcribentur: ſupplere juſſu Senatus noſtri coactus fui partes Dn. Procancellarii Doctoris φιλίππου τοῦ καμμεραρίου JC. Neſtoris noſtræ Reipubl. qui ob ſenectam jam decrepitam domi lecto affixus ſe continet: ita moris eſt, ut collegæ collega vices agat. Quam bene ſteterim, judicium penes alios eſto, qui nihil affectui tribuant. Dns Auguranus cauſam exponit, cur Lauream nondum petat, litteris ad D. avunculum Joh. Peterſenium Senatorem Ampliſſ. Lubecæ Reipubl. quæ mihi quoque probatur. Itaque quod differtur, non aufertur. Candidati aliquot nomina dedere; decanus retulit ad Senatum. Hic nos ſtudia pacis tractamus, dum in veſtra Saxonia Mars fulminat. Quæ belli metæ? quis finis? putabamus dejecto Friderico Palatino tranquilla omnia futura. Fallimur. Exſtirpatos radicitus hæreticos & eradicatos ſtirpitus volunt archieratici. Sic ſtat ſententia menti, Bojo, Ligæque toti. At conſilium nullum eſt contra Dominum, & Eccleſia premi, opprimi non poteſt, contra portas inferûm ſtabit invicta, Chriſto duce, triumphatore Satanæ mundique. Hoc alimur, hoc fovemur ſolatio, ſpeque, quæ falli nequit, neque fallere poteſt. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Mavortis alumnos ſeſe oſtendent Saxones: & ut ſuccumbant homines, non ſuccumbet veritas. Vale & ſalve vir præclariſſime: & Auguſtinum mihi commendatiſſimum eſſe, perſuaſiſſimus ſis. Norimbergæ VII Kal. Sextil. CIↃ. IↃ. CXXIII.

EPISTOLA CXXXV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Georgius Remus.

Lubecam,

CUm ex noſtra Academia ornatiſſ. ac præſtantiſſ. juvenis Dn. Jacobus Hollander Lubecenſis domum redeat; ſuamque is operam mihi nuper ferendis literis ad te Vir Clariſſ. ac Florentiſſ. detulerit, officio deeſſe nec debui neque potui. Me quod attinet, nuper adeo Prid. Non. Jan. Natalem LXV. celebravi: triduo poſt me Aſthma invaſit inopinato. Decubui: at jam meliuſcule habeo Dei noſtri beneficio. Adeo curiam, & fungor officio pro virili. Urbs noſtra ingenti moleſtia perfuncta eſt, tranſitu 4. legionum Cæſarianarum. Miles piceis manibus diripit omnia, utut liberalitate Senatus Ampliſſ. commeatus fuerit ſuppeditatus: quin ſanguine innocentiſſimorum ruſticorum manus ſuas cruentavit polluitque miles. O latrones! non milites: Bellum in Inſubribus Gallo & Allobroge auctoribus Ibero movebitur. Proſchema varium eſt. Thuanum

num (ut πάρεργον hoc addam) lib. XIX. rejicit in Proteſtantes abrupti Colloquii Wormatienſis cauſam & culpam. Acta hactenus ἀνέκδοτα pronuper Ingelſtadii prodiere opera Perſonati Epiſcopi Hebronenſis, Suffraganei Dapaberii vicini noſtri, hominis virulenti, qui (ſit honor dicto) permerdavit illa acta gloſſis nugaciſſimis. Virum ſe præſtitit Bonus Philippus: ei Petrus Canis Jeſuitaſter ſe oppoſuit. At Melancthon rem probe egit, μῆλον ἔριδος Pontificii injecere Vinarienſium technis. O fraudes! male ergo Thuanus: male. Nobis pacem & panem in Germania opto. Vale. Vir Præſtantiſſ. & me ama. Norimbergæ prid. Eid. Febr. CIↃ. IↃ. CXXV.

EPISTOLA CXXXVI.

JOANNI ELSWYCHIO. S.D.

Georgius Remus.

Roſtochium.

ITa profecto eſt. Rem arduam ac difficilem, addo, immenſi laboris, & quæ periculo non careat, Jane Politiſſime, Jane amiciſſime, adgrederis. Oceanum inquam, ingrederis, qui de Originibus, Inſtitutis, Juribus, Privilegiis & Arcanis Rerumpubl. ſcribere tentas. Vera ſemper ac comperta prodas neceſſum; ni offenſionem multorum incurrere, ac ſcriptione tua lædere velis, qui proſcribere poſſint. Vidimus nuper P. Bertii opus de civitatibus, quarum ἀρχὰς, incrementa, civium mores, ac nonnulla in eam rem ex Munſtero & aliis, Aventino, Irenico, ὡς τὸ πλεῖστον, ut opinor, collecta, decerpta, deflorataque protulit: laudem ab his, ab illis inſectationem promeritus. Noſti & novit Germania, in ſolis Auguſtæ Vindel. originibus veris e ruderibus cæcæ barbariei eruendis, atque a tenebris aſſerendis, non paucos deſudaſſe annos Marcum τὸν θαυμάσιον Velſerum. Quid dicam de aliis urbibus, quarum plurimæ ſuas ignorant originationes? de juribus, municipiorum legibus, moribus, privilegiis conſcribere, ingentis laboris: petere vero licet ex codicibus ſtatutorum, quæ ἴδιότα, ἀνέκδοτα nolim tangere. Modum gubernandi civitates, hoc eſt Magiſtratuum creandorum rationem diverſam, & qua ſinguli poteſtate ſint præditi per urbes Germaniæ, tutius eſt proferre. Norimbergæ noſtræ Magiſtratus Conradus Celter, Poëtarum Germanorum Princeps, & primus lauru coronatus conſcripſit libello parvo, quem in Bibliotheca publica aſſervamus religioſiſſime: licet typis mandatus ſit. Eſt enim exemplar, quod ipſe auctor Senatui ampliſſimo obtulit. Auguſtæ vero Magiſtratus Achilles Gaſſarus medicus ſparſim attigit. Aliarum civitatum Imperialium Magiſtratus ſeu Decuriones qui deſcripſerit ex profeſſo, non habeo exploratum. Fuit nuper mecum Cl. V. Jo. Baptiſta Beſardus Veſuntinus, qui ſtatum Reipublicæ illius antiquiſſimæ. (Veſuntionis quippe Cæſar mentionem fecit) mihi expoſuit. Miratus ſum prudentiam. Bremæ urbis ſtatum alius indicavit, qui me latebat hactenus. Verum hæc parum te juvabunt, qui ſingularia & non vulgo nota expetis. Audio, quod extremum, Cl. Piccar-

tum noſtrum, qui ocio in Academico vivit, itidem moliri de ſtatu rerum publicarum Italiæ, Germaniæ, &c. conſcribere: in quo argumento non pauca congeſſerit. Sed tibi forte Hanſeaticarum civitatum ratio, Picarto Superioris Germaniæ urbium, rectius conſtabit: ut alter alterius luminibus minime ſit obfuturus. Tantum erat, vale ſalve Elſwychi doctiſſime: ac de hoc toto negotio quod melius, rectius, ſtatue. Nolim ego calamum remorari tuum; quin calcar addo. Perge nobis æternum ingenii tui feliciſſimi monumentum relinquere. Norimbergæ. Prid. Non. Septembr. CIↃ. IↃC. XVII.

EPISTOLA CXXXVII.

PETRO SCRIVERIO. S. D.

Andreas Schottus.

Lugdunum Batavorum,

QUod honoris mei gratia, eruditiſſ. Scriveri, inopinato miſeris dono Bilhitanum Poëtam a te aliiſque doctiſſimis egregie illuſtratum, facis benigne, meque obſtrictum, dum voles, tenebis. Ego vero neſcio quod ἀντίδωρον reponam, niſi forte, quia & in poëtica excellis, & Simonidæ Lyrica eidem poëtæ comitem muneri miſiſti, ad te allegem Pindarico ſtylo Joan. Aurati poëtæ Regii quædam, quæ a Canteris fratribus, dum viverent, ſuntque Gulielmi manu pleraque deſcripta, accepi, & quædam typis nondum eſſe evulgata obſervavi. Habes itaque Poëta Poëticum munuſculum, exiguum, at magni pignus amoris habe, quando nihil nunc quidem ſuppetit, quod rependam. In Belgica Hiſtoria, quam & ipſe Latine patriæ gratia cœpiſti recte illuſtrare, ſcito me miſiſſe ἀνέκδοτα non pauca Jo. Grutero, ſed ægre poſſe ab Aubrianis editionem extorqueri. Habeo & alia ſelecta e bibliothecis, ſed ſuſtinebo, dum typographus reperiatur idoneus, ne fruſtra ſumptus toleraverim. Hoc enim ago, optoque ut poſteri habeant, tametſi ruſtice, ut illa erant tempora, conſcripta, quæ elegentiore alii ſtylo ſi velint calamiſtris inurent, ornentque pro virili. Hoc meum conſilium facile, vobis iiſdem veſtigiis hærentibus, ut ſpero, probabo. Vale in Do. Salvebis a Schotto & Heriberto. Antwerpiæ 27. Maji. CIↃ. IↃC. XIX.

EPISTOLA CXXXVIII.

IOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Rutgerſius.

Roſtochium.

SUperioribus diebus ad te Varias meas miſi præcipitatum opus, & in quo typographi infinitas mendas excuſarem, niſi meæ plures eſſent. Tu pro tua ſumma humanitate excuſabis. Ampliſſ. Conſ. Brokeſio, & D. Superintendenti ipſe cum Deo feram. Librum tuum de annulis abſolviſſes vellem Occaſio optima nitide excudendi foret. Sed ut tibi commodum eſt. Affinis tui, quem mihi commendas, cauſa omnia volo. Quicquid poſſum, ei omne ſerviet.

ſerviet. Recepi meam e Suecia Bibliothecam, totum indicem brevi, ut ſpero, ad te mittam. Dico ſpero. Nam cum nondum evaſata ſit, neſcio, quando potero. Rogo, ſi meis uſus es, remittas. Quoſcunque rurſus voles, parati ſunt. Vale. Julii. Amſterod. 1618.

EPISTOLA CXXXIX.

IOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Rutgerſius.

Lubecam,

Non dubito, Vir Clariſſ. quin ipſum centum & ſexaginta Millia Imperialium onus facile me tibi purgaturum ſit, quod hac vice ad vos non venerim, ſed quod in tuis ad me ſtipularis, ſancte promitto, ſi quod iter in Belgium mihi rurſus obventurum eſt, non negligam convenire illas venerandas animas, Brokeſium dico, Stampelium item, & illum, qui urbi veſtræ non exiguo ſplendori eſt, Aiſmam. Wittium enim alibi hærere in aularum aliqua puto. Quem ante diſceſſum meum Jonecopiam rediturum ſperabam; verum fruſtra. Quæ cauſa eſt, quod tardius reſpondeam, quam fortaſſis expectatio tua, & officia mea poſtulabant. De Grutero queri deſino. Sortem, quam omnes ferunt, ſolus dolere non debes. Cum ei Varias meas mitterem, ac humaniſſimis litteris eum ad amicitiam invitarem, adjunxi exemplar pro Paræo, ac id ut ei daret, rogavi. Homo, pene dixerim, phreneticus, iis litteris mihi reſpondet, quas non dicam ad mei ordinis ullum, ſed ne ſcurram quidem viliſſimum, ullus ſanæ mentis miſiſſet. Nam poſt debacchationes in Paræum. Si illum, inquit, æſtimas amicitia, Rutgerſi, res tuas tibi habe & plura iis etiam ineptiora adjungit. Ego nihil aliud reſpondi, quam per diſcipulum quendam ejus, qui iturus Heidelbergam me ſalutatum venit, Gruterum meo nomine rogaret, uti indicem mihi amicorum inimicorumque ſuorum mitteret, ac tunc operam me daturum, ne quid denuo peccaretur. Si unquam reditus mihi in patriam contigerit, Capacium ad te mittam. Velim ſcire an folia farfari, hoc eſt, Variarum mearum receperis, quæ in tuo exemplari non erant. Sed Annulis tuis quid ſit? obſecro acceleres. Ego jam cum Elzevirio locutus ſum, qui libenter ſuſcepturus eſt. Quis Domanno τῷ πάνυ ſucceſſerit, ſcire velim. An quis dignus illo Atlante. Sed hæc & plura proximis a te expectabo. Vale Vir Cl. & nos ama. 1619. Stockholmiæ.

EPISTOLA CLX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Rutgerſius.

Roſtochium,

EUſtathius Swartius tibi & e libris, & præſens Lubecæ, ut puto, notus. Agentis munus Illuſtriſſimorum Principum Megapolenſium nomine ad Ill. ordines fœderatos ambit. Cum autem petiiſſet, ut ſe Principibus illis, quibus

me notum eſſe ſciebat, commendarem, hominis eruditi & amici cauſa libenter feci. Eas litteras ad te mitto, utque ad utrumque Principem cures, rogo. Quantumque gratia & auctoritate apud eos polles, enitaris, ut voti ſui compos fieri poſſit. Quo nihil gratius mihi facere potes, & ad majora me viciſſim obligabis. Vale amiciſſimum caput, & nos ama. Dabantur Hagæ Comitum III Octob. 1624.

EPISTOLA CXLI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Rutgerſius.

Lubecam,

MItto defectum in meis nugis, quem poſtularas. An titulus & præfatio defuerunt, ſcire velim. Id ſi eſt, continuo mittam. quanquam tibi potius optandum foret, alterum tantum defuiſſe, quo facilius tædio legendi defungaris. Affinis tuus in quacunque re mea opera atque ſtudio indigebit, in omnibus paratiſſimum me offendet. Incidi nuper in Julii Cæſaris Capacii Neapolitani Secretarii elogia illuſtrium utriuſque ſexus hominum; in quo honorificum & ſatis longum tuum eſt. Neſcio an videris. Liber tam ineptus eſt, ut etiam Varias meas aut ſuperet, aut dubiam certe palmam faciat. Candorem tamen laudo, qui certe in eo videtur ſummus. Si hominem in Italia videris obſecro fac ſciam, quis qualis ſit. V. Cl. Superintendenti, ut & Ampliſſ. Coſ. exemplar meorum miſiſſem, niſi ipſe præſens tradere præoptarem. Id quod brevi, cum Deo, futurum ſpero. Tu quæſo utrique me commenda & Vale. Hagæ 28. Septembr. 1618.

Domannus moritur, & puto intra triduum audies κεῖται Πάτροκλος.

EPISTOLA CXLII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Rutgerſius.

Roſtochiam.

TUas Non. Sept. datas recte accepi. Quod ad eos, quos mihi commendas, operam dabo, ut intelligant commendationem tuam maximum apud me pondus habuiſſe. Idem Brokeſii filio libenter oſtendiſſem, niſi properatus ejus abitus impediſſet, quo minus vel dimidiam ſaltem horam ejus conſpectu frui potuerim. Quod ad Gebhardum attinet, quid is a me exſpectet, neſcio, cum literas ejus ad Regem Bohemiæ viderim, quibus jam ante biennium in Sueciam ſe vocatum ſcribit. Quod certe gaudeo, qui, e ſermonibus Procerum & ipſius Regis, deſperabam, ullum reformatæ religionis ad publicum docendi munus admiſſum iri. Nunc hanc opinionem meam in eo falſam fuiſſe gaudeo, qui præclaro ejus ingenio ac doctrinæ ſummopere faveo. Ac ſi quid pro eo poſſum, libenter vellem. Venuſinæ meæ tarde properant; ne tu hanc cauſam ſilentii mei fuiſſe putes. Sed ob bellicum Ma-

jeſtatis.

jeſtatis ſuæ apparatum tot negotiis oppreſſus fui, ut ne nunc quidem reſpirem, & vides me aliena manu uti. Totus ſum in legendis Barthii adverſariis; ſed nunquam obtinebis, ut judicium meum ſcribam; quod tamen facile cognoſces, ſi Varias meas unquam legiſti. Scripſi ad te nuper, & adjunxeram exempla aliquot orationis Fratris mei. Eas litteras an receperis, ſcire cupio. Liber tuus de annulis apud eruditos hic in deliciis eſt, nihilque magis in votis habemus omnes, quam ut quamprimum aliud quiddam a te habeamus. Neque enim aut diligentia tua ceſſare poteſt, aut eruditio debet. Mitto tibi litteras collybi ad Henr. Bremer. Eas ut accepeet, rogo effice: & quamprimum pecuniam mihi curet. Eſt enim periculum in mora, cum ea pecunia publica ſit, & magnopere Mai. ſuæ interſit, quamprimum ſolvi. Hoc mihi gratius nihil facere poteris. Vale. ubi Barthius ſit, ſcire velim. Video eum mihi Rutilium dedicaſſe. Itaque gratias debeo. Vale Clariſſime atque Amiciſſime vir, & nos amare perge. Salutem uxori, Stampelio, hoſpiti meo, & commenſali tuo Van Gaerten dicas velim. Dabantur Hagæ Comitum 22. Octobr. 1624.

EPISTOLA CXLIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Rutgerſius.

Roſtochium,

Binas tuas, unas XXVII, alteras XXIX. Octob. datas recte accepi. Quod ad Bremerum attinet, tricas ejus non ſemel expertus ſum, e quibus fides Regia tantam apud Ordines jacturam fecit, ut vix ullis rationibus reparari poſſit. Scis quantam ſummam S. M. Ordinibus debeat, pro qua fœnus annuum ſolvit, quod plerumque veſtratibus mercatoribus, ut ad me tranſmitterent, mandatum eſt. Qui dum non ſeptimanas aliquot, ſed ſæpe menſes tricantur, incredibile dictu eſt, quantum incommodi S. M. S. apud hanc tam potentem rempublicam ea res pepererit. Si enim ne uſuram quidem ſolvendo eſt, quid de ſorte ſperandum ſit? Vides quam juſtas indignandi rationes habeam, quas & ad Bremerum ex parte ſcripſi, & ut tu porro latius ei explices, vehementer a te peto. Certe ridiculum eſt in tanta mercatorum frequentia Hamburgi neminem reperiri poſſe, qui tam exiguam ſummam remittat, cum ſi ducenta millia velim, facilis ratio futura ſit. Nam quod ad collybi damnum attinet, id ad me nihil, cum pecunia Regia ſit, cujus ego diſpenſator tantum. Et ſummam hic eſſe completam oportet. Quare per amicitiam noſtram te rogo, ut hominem urgeas. Equidem non ignarus ſum, quantæ impudentiæ ſit, meliora tempora tua hiſce nugis morari; ſed ignoſces fiduciæ, quam de tuo in me amore concepi; Et alioqui, quæcunque occaſio incidet, libere mihi impera. Re ipſa oſtenſurus ſum, nullum onus tam grave eſſe, quod non tua cauſa libenter ſubire velim. Orationes Heinſii jam te accepiſſe puto. Iiſdem enim literis, quibus Sorgius tuas mittit, eas ſe recepiſſe ſcribit. Vale vir Clariſſime & nos amare perge. Dabantur Hagæ Comitum XXII. Novembr. 1615.

EPI-

EPISTOLA CXLIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Daniel Heinſius.

Roſtochium,

CUm ſubito vir honeſtiſſimus & amicus tuus Academiæ noſtræ valediceret, ſubito hæc ſcripſi? Tum ut gratias tibi ſingulares agerem pro munere tuo, *μάλα δεξίως ὦ Ζεῦ φίλε, ἐν τῷ τῶν Μουσῶν κήπῳ, εἰ καὶ τι ἄλλο ἐκπεπονημένῳ.* Tum vero ut ſerio a te peterem, ne tam diuturnum ſilentium meum ſpectares potius, quam amorem, quo nunc te proſequor & benevolentiam. Equidem menſes ſunt aliquot, cum hic juvenis, ſicut forte a lectione mecum redibat, diceret viam noſſe, qua commode ad te meas curarem. Gaviſus fui vehementer, ut qui diu occaſioni illi intentus, me torſiſſem vehementer, *οὐδὲν δέον.* Itaque cum officium hac in re ſuum nobis offerret ſedulo, neſcio quo modo tamen factum eſt, ut jam demum, in procinctu cum ſit, hoc præſtare potuerit. Scaligero noſtro quantum placuerit opus tuum non facile dixerim. Laudat enim *καὶ τὴν ἀφέλειαν* in ſcribendo, *καὶ τὴν ἀκρίβειαν* in perſequendis ſingulis, quibus nullum volumen par futurum putabamus omnes. Macte hoc ingenio, macte hoc judicio: cujus in partem aliquam *κατὰ τὸν κοινὸν τῆς φιλίας νόμον*, ſi Heinſius tecum venturus eſt, non magnopere de infelicitate ſua laborabit, quippe qui abunde apud te inveniet, quicquid ſibi deeſſe quotidie agnoſcet. Vale Clariſſime Vir, & me ama. Lugd. Bat. v. Novemb. CIↃ. IC. CV.

EPISTOLA CXLV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Daniel Heinſius.

Roſtochium.

MAgna cum voluptate de vinculis jugalibus, in quibus jam hæres, ex literis tuis accepimus. Nunc eſt cum tecum exclamare lubet, Hymen o Hymenæe. Num cum *τῇ Ζυγίᾳ καὶ τῇ Λητοῖ*, quarum illa fœderi ſuaviſſimo, hæc *τῇ εὐτεκνίᾳ* præeſſe creditur, vota tecum ſuſpendere. *Ὄφρα μὴ ἄσπερμος γενεὴ καὶ ἀίφαντος ὄληται.* Niſi univerſum hoc negotium immortali Deo curæ eſſe ſcirem, cui melius hoc uterque credemus. Ut feliciter cum tua ætatem exigas, nec feliciter minus prolem ſuſcipias, quæ non tam vultu & oris lineamentis, quam virtute & eruditione parentem referat. Carmen etiam petis, quod quidem & feci & prætermiſi: alterum, quod nihil tibi a me negari poſſe arbitror: *Οὐ γὰρ θέμις τοῦτο.* Alterum, quod iniquis excluderer temporum ſpatiis. Accipe hoc igitur: quod facile prolixitatem ſibi & elegantiam vindicabit, ſi benevolentia tibi ſatisfieri patiaris, nec tam de verſuum numero, quam de amore noſtro judicaris. Vale, Clariſſime Vir, & nos ama. Lugd. Bat. CIↃ. IↃ. CVI. 25. Jun.

Ultima

Ultima donarat populo Kirchmannus, & ignes
Funereos, victor funeris ipſe ſui.
Ridet & exclamat gemina cum Matre Cupido,
Dii melius! flammis dignior ille meis.
Dixerat, & ſacram, qua commovet omnia, tædam
Tollit, & audaces inſtruit igne manes.
Hanc toties, Kirchmanne, tuos excuſſit in artus,
Dum penitus toto pectore ſedit amor.
Ridet & exclamat Puero Puer alter ab illo;
Et ſocios ignes ignibus addit Hymen.
Hoc bene dum vivit gemino Kirchmannus in igne,
Quam procul ipſius tertius ignis erit.

EPISTOLA CXLVI.

DANIEL HEINSIUS. S. D.

Joh. Kirchmanno.

Roſtochium,

ITa diligenter aliquamdiu uni amicorum operam dedi, ut habere rationem reliquorum non potuerim. Grotius noſter nuptias in Zelandia celebravit, quibus intereſſe me oportuit. Maxima inter nos familiaritas annos aliquot interceſſit: quam auxerunt & confirmarunt ipſæ literæ, quas uterque maxima cum voluptate, etſi non eodem ſucceſſu, tractamus. Accepi literas tuas, quibus Laurenbergium commendas, Medici amici tui, & collegæ filium: ipſum adoleſcentem, quod ſciam, non vidi, neque exhibere ei potui, quæ tua cauſa debebam, humanitatis officia. Si ad nos denuo redierit, aut nondum diſceſſert, faciam ut intelligat, quantum apud me tua poſſit commendatio. Orationem in obitum V. C. Pauli Merulæ legi & probavi: neque eruditionem in ea tantum, ſed & pietatem. Exculitur in hac urbe denuo Satira Menippea in Gaſparem Schioppium, cum libello Viri illuſtriſſimi pro gente ſua, & in vaniſſimam Burdonum fabulam. Hoc ἀντίδωρον accipies a nobis, ſimul ac a prælo demiſerint operæ. Miror neminem eſſe in Germania, qui in nebulonem impudentiſſimum aliquid moliatur: cum præſertim vobis de origine monſtri & vita conſtet optime. Audiveramus aliquid a collega veſtro Lubino parari, quem jam forte alia detinent. Velim optimo Viro me commendes ex animo, & ſi quis ibi vivit noſtri ſtudioſus. Qui has tibi tradet ejus eſt filius, quem oratione tua celebraſti: eum commendare tibi non poſſum, cum parentem ejus exquiſitiſſimo elogio orbi terrarum commendaris. Vale V. Cl. & nos ama. Lugd. Bat. CIↃ. IↃ. CVIII. Aug.

EPISTOLA CXLVII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Daniel Heinſius.

Roſtochium,

ÆGer hæc ſcribo, & a quadam febricula, quæ me peſſime habet, languidus, & animo dejectus. De juvene, quem nuper commendaſti mihi, gratias tibi ago. Nam cum illi plerumque, qui commendant aliquem, iis ſe obſtrictos & obligatos eſſe exiſtiment, quibus aliquem commendant: contra me non parum tibi debere exiſtimo, quod dum nobis amicos tuos eſſe commendatos optas, inter eos loco vel præcipuo ponas nos ipſos: dum vero tales, amicorum noſtrorum, quos & literæ & virtus ſatis per ſe ipſa commendant, numerum amplifices. Quod de illo vere dici poteſt, qui & probitate & eruditione juxta eſt ornatiſſimus. Quemadmodum autem tua nobis commendatio, ita non dubito, quin hoc noſtrum tibi teſtimonium gratum ſit futurum: quod non minus me, quam illum vehementer amas. Vale Clariſſime Domine, & amare nos perge. Lugd. Bat. CIↃ. IↃ. C. X. IX. Feb.

EPISTOLA CXLVIII.

IOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Daniel Heinſius.

Lubecam,

OStendit nobis, quas ad ſe dediſti, literas cognatus noſter Mayſius, quæ ut illi merito fuerunt gratæ, ita nobis nihil evenire gratius potuit, quam quod noſtri etiamnum meminiſſe te ex iis intellexerim. Ego, quod ex animo, mi Kirchmanne, ſit dictum, cum ex ſcriptis tuis & imprimis accurato illo de funeribus libro, olim ſerio te æſtimarim, multum poſtea ex commendatione aliorum, qui inſignem eruditionem tuam cum virtute incredibili conjunctam, ac candore miris ſæpe apud nos extulerunt modis, ad opinionem hanc acceſſit, ut non raro ſim miratus, cur vir tantus, eo tempore præſertim, quo chartarum neminem miſeret, neque quicquam tam ineptum eſt, quod non in vulgus protrudatur, hactenus latere malit, quam doctiſſimos docere. Prodierunt nuper quædam noſtra, & in iis perpetua in Ariſtotelis politica paraphraſis, cujus deſtinatum tibi tuo merito exemplar mittere hactenus non potui. Ubi nactus fuero commoditatem, dabo operam, ut fidem liberem. Vale Vir Clariſſime, & amare nos perge. Lugd. Bat. An. 1622. 6. Novemb.

EPISTOLA CXLIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Daniel Heinſius.

Lubecam.

MUnus tuum vere eximium de annulis accepi, pro quo nomine non uno me obſtrictum tibi ſcire debes. Nam & ab autore eo eſt profectum, quem

quem ex accuratis de funere antiquorum libris pridem admiratus ſum, & inſcriptum ei, quem in terris cariſſimum habeo, quodque caput rei eſt, ſic ſcriptum, ut cum plurima hoc tempore, vel tituli vel voluptatis cauſa legamus, longe doctior a lectione illius diſceſſerim. Quare noli dubitare, quin ſim inter eos, quos tu illud agendo plurima docere potes. Vale Vir Clariſſime, & amare nos perge. Salutat te cognatus noſter Muyſius ad omnia exempla laudum natus adoleſcens. Hagæ Com. An. 1624. 20. Octob.

EPISTOLA CL.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Daniel Heinſius.

Lubecam,

NEque literis tuis quicquam nobis eſſe ſolet gratius, & hæ cur gratiores eſſent reliquis, peculiaris cauſa fuit, quod elegantis ingenii ac eruditionis Virum, Johannem Frider. a Wintersfeldt nobis commendarent. Nam nec tibi ſe probare poſſunt niſi tales, nec alii magis ſe probare ſolent nobis, quam qui prius ſe probarant tibi. Acceſſit ad hanc cauſam altera, doctum & politum vere ſcriptum tuum, quod quanti eſſet faciendum, non modo olim juvenes experti ſumus, ſed & aliis non ſemel commendavimus. Ne tu ex me quæras, quid poſt limam ultimam, ut vere tuam, judicem. Rutgerſii ἐμμακαρίτου quod videre lucem poſſit, nihil præter *Venuſinas lectiones* hactenus habemus, quas cum noſtris in Poëtam illum obſervationibus, jam multo auctioribus, typographi conjungent. Bibliothecam ejus integram adhuc, & quidem conditam clauſamque aſſervamus: tum quia ipſis nobis maxima ad manum eſt librorum copia: tum quia Sereniſſimus Rex noſter de emenda ea aliquando cum defuncto egerat. Cæterum & ſummi Principis abſentia, & continua hæc cum Polono bella obſtant hactenus, quo minus eo me conferre poſſim, quo jam aliquot ab annis res familiaris, & defuncti rationes reliquæ me vocant. Magnam enim patrimonii partem ibi habuit, cujus me hæredem eſſe voluit. Calamitatem veſtram, & periculum, quod jam in proximo eſt, doleo. Scias tamen noſtra cauſa geri, quicquid geritur. Qui niſi magnos animos cum armis opponamus, fruſtra libertatem tanto hactenus ſucceſſu vindicamus, quæ & nobis commendata eſſe debet, niſi forte obſtat Numinis Divini vis, quæ fortunam noſtram premit, qua indigni fuimus. Occaſione prima, quæ ſe dederit, ἀντίδωρον orationes noſtras, quæ nunc omnes pariter leguntur, ad te mittam. Exercitationes noſtras ſacras an videris, & de iis quid judices ſcire aveo. Mi Kirchmanne vale, & me ama. Lugd. Bat. 9. Januarii 1628.

EPISTOLA CLI.

CASPAR BARTHIUS. S. D.

Joanni Meurſio.

Lugdunum Batavorum,

OPtimum cultu erga te amorem in iſto pectore, Meurſi clariſſime, ne puta nunc demum incipere, eum tibi cum declaro. Dudum ille nos cepit, & quidem a prima pueritia, cum ſcriptis tuis aureolis occœpiſti nomen habere inter antiquæ doctrinæ Proceres; quis eam novit, vel ejus ſtudioſus vere eſt, qui te non amet? dico quod res eſt, ſe ipſum in iis literis non novit. Nos nunc primum e tenebris gradum movemus in radiantem oculum lucis, hactenus detruſi ab ætate & penuria typographorum. Quæſo ne ſperne adoleſcentuli amicitiam, quem ſpes ſua, genuſque & fortuna nihil, niſi clarum, colere & amare, imo & imitari volunt; proximeque, (vidi enim ex tuis ad amiciſſimum mihi Taubmannum litteris tibi eum eſſe animum) nos inviſe, videbis, ſi nil aliud, in his oris pro miraculo ſtudioſum rei antiquæ. Molimur Petronium, & alia quæ coram narrabuntur melius. Vale & ſalve a candidiſſimo pectore. Scripſi CIↃ. IↃ. CVII. XII. Martio. Wittebergæ Saxonum.

EPISTOLA CLII.

CASPAR BARTHIUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Roſtochium,

DUdum geſtienti mihi refricare tibi memoriam veteris inter nos amicitiæ, V. Cl. optatiſſimam occaſionem dedere litteræ ad me Caſauboni, quæ te traduce poſt aliquam multum temporis nobis redditæ. Si itaque nominis noſtri memoria non penitus abolita eſt e pectore iſto tuo antiquitatis omnis ſolertiſſimo, ſcire debes me ex tribus fratribus minimum natu eſſe, qui ante hoc decennium tecum, qui tum Fran. Witzendorphio præfectus eras, Jenæ una menſa apud Protonotarium Saxonicum uſi ſumus. Verum ego inſcitus fortaſſis, qui poſtquam tu per varias exterorum oras pennis ingenii ſimul & corporis velificatus, ingentem ubique gloriam confeciſti, inſtar noti & priſtini familiaris, ut te compellare non verecunder; quicquid eſt, V. Cl. omnia tibi de me putando indulgere conceſſero, modo ne adoleſcentiæ noſtræ octodecenni modeſtiam & agnatum a nobiliſſimis natalibus pudorem abſtrahas. Cætera ſcito nos magnopere famæ tuæ favere, ingenium & induſtriam admirari, vel ob unum tuum de funeribus librum, ſive tu delicias libri dicas, quas ego quidem ſolide tales amo & æſtimo, nec moveor, quod ante hoc triennium Pariſius quidam Heraldus ad Arnobium de te ſiniſtra quædam commentari auſus eſt. Et ut mentem tibi meam penitus denudem, dolui hactenus Germanos nos tam patientes exterarum nationum eſſe, ut nec quid, nec quare, capitibus noſtris inſultantes a nobis æquisanimis ferendos arbitremur, ob unam ſcilicet

licet gentis prærogativam. Verum tu inficeto hoc monitore forſitan non opus habes, V. Cl. tamen valde velim te homini δοκησισοφωτάτῳ os obturare, & Scioppius bipedum nequiſſimus, qui nos provocavit, ita excipietur, ut ollam condigna ſibi olera legiſſe nunquam non ſis faſſurus. Salve ab amica manu V. Cl. & ſi amicitia noſtra placet, reſcribe, proxime muneri Cirin Virgilii, cum Muſæo, & toto Claudiano a nobis recenſitis, exſpectans. Wittembergii. xxv. Julii Anno CIↃ.IↃ. CVIII.

Si quid reſcribis recta ad Taubmannum cura. Eilhard. Lubinum, ſi me amas, officioſe ſaluta, cui antehac ſcripſi, literæ ſint redditæ, ambigo.

EPISTOLA CLIII.

GOTHOFREDO JUNGERMANNO. S. D.

Melchior Haminſfeldius Goldaſus.

Hanoviam.

Spiſſius reſcribo exiſtimatione mea, ſed ſpiſſitudinem penſabo pleniori manu. Prudentium edidere, & notis ſinguli illuſtrarunt, Anton. Nebriſſenſis, Deſ. Eraſmus, Joan. Sichardus, Georg. Fabricius, & Victor Giſelinus, omnes MSS. codicum opera & magiſterio uſi. Habui univerſos, ſed furtivæ manus ſolum mihi Fabricium reliquum fecerunt. Oribaſianorum, præter ea, quæ dixi, nihil eſt editum, & fallet Brodæus, ſi tibi perſuadere ſinis. In Sleidanum elogia non habeo ulla. Super lib. IV. Monarchiarum exſtat penes me commentarius MS. Multa habet in illis libris Sleidanus, quæ mihi videntur nulla commoda interpretatione leniri poſſe, nec video cur tanti factus a Meibomio, in quem commentarios pararet. Ἀπενιαυτίσαι malim (quod pace tua liceat dixiſſe) cum Meurſio ſcribere. Suidas meus MS. principio caret, cujus demum in ἀπε literarum ordo integer. Quæ vero ſcriptura compoſiti verbi fuerit, eſt, ut conjicio ex ejus ſimplici, quo de in meo MS. ἐνιαυτίζω ἐνιαυτὸν πρὸ διατρίβω. Quid multis? Platonem audi lib. 9. de leg. ἀπενιαυτιζέσθω τρεῖς ἐνιαυτοὺς. Hinc ἀπενιαυτισμὸς in Megali Etymologico, cujus apud me duo exſtant vetuſtiſſima exemplaria, quintam partem vulgato auctiora. Quid rugaſti frontem, quod dixi Megali? audi, mi Jungermanne, & docebo te rem miram. Megalus nomen eſt auctori Etymologici, vide facinus imperitorum ex conjunctione vocum, quæ disjungendæ erant. Mei MSS. conſtantiſſime ſcribunt, Ἐτυμολογικὸν τοῦ Μεγάλου γραμματικοῦ, quam in ſuo quoque reperiſſe Silburgius teſtatur, at vim ejus non quitus eſt capere. Idem ait in Step. cod. fuiſſe ἀρχὴ σὺν Θεῷ τῆς μεγάλης γραμματικῆς, quæ ſcriptura, ſi vera eſt, ſine dubio ab interpretibus fuit præpoſita. Quid ſi fuit τῆς Μεγάλου γραμματικῆς? Rectum fuiſſe caſum non μέγας, ſed μέγαλος ** in μεγάλλον juncto verbo ** utroque loco diſces Megalum ſive Megallum fuiſſe nomen proprium. Sed de eis aliquando publice. Tu nunc meo periculo Megalum in Etymologico, MSS. auctoritate fretus, porro laudabis. Sed ad inſtitutum. Ego ſi quis contendat ἀπενιαυτίζειν & ἀπενιαυτεῖν veteres vario inflexu dixiſſe, non magno-

pere velim refragari, præſertim cum non temere exemplis abundent, quibus *ἀπαντιαίνοντ* apud Platonem perſuadeamur reſcribendum: Vale, hiſce interim contentus. Francofordiæ III. Non. Sextil. A. C. N. CIↃ.IↃC.VIII.

EPISTOLA CLIV.

GOTHOFREDO JUNGERMANNO. S. D.

Melchior Haiminsfeldius Goldaſtus.

Hanoviam,

DE Apulejanis, non eſt ut me cupere exiſtimes, quod nefas eſſe intelligam. Juſte ab juſto juſta impetrare æquum eſt, nam injuſta ab juſto petere non par eſſe arbitror Prudentiana lectio non eſt nauci. Meliores codd. cum MSS. meis habent: *Mater morte ſua non ſexu fertilis.* Leviter diſtinxerim ſenſus cauſa; *Morte ſua, non ſexu, fertilis.* Sexus in eo eſt, quo mares aut fœminæ ſunt. Atque hic nullus in viperis, non penis mari, nec vulva fœminæ. Hæc fertilis eſt, id eſt parit, non vulvæ ſeu locorum apertione, ſed eroſo a catulis ventre, unde mors. Ita quidem Prudentius cum veteribus ſenſit. Quod hodie aliter ſe habere, Medicorum filii e Polyhiſtore tradunt. Oribaſianorum libri Tomis XVII. Latine impreſſi Pariſiis An. 55. in librariis videntur. Tu vero ulteriores habes. Operæ eſſe audio, ut deſcribantur. Et inibis magnam a Stercicoris gratiam. Certum enim eſt vel tua cauſa etiam illa inquiſita non amittere. Cetera θυμοῦ: vinces. Vellem ut velles, & ingenia noſtra exercceremus *ἀμοιβαίοις* hujuſcemodi *ζητήσεσι.* Quo ſtudiorum genere nihil utilius, nihil ad doctrinam ituris divinius. Vale: & amorem tuum perſevera. Francof. pridie S. Viti. A. C. N. CIↃ. IↃC. VII.

EPISTOLA CLV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

H. Giphanius.

Altorfium,

MIrabar initio tuum ſilentium, prius enim ex Genderi literis, quam ex tuis, quid Noribergæ meo nomine egeris, cognovi. Quod niſi poſtea tuas Altorphio accepiſſem, jam te in Patriam putarem rediiſſe. Binas autem accepi: ex quibus video te libenter iſtic eſſe, neque id injuria. Habet enim locus ille multos egregie doctos, omnique humanitate politos viros: quorum conſuetudine captum te diutius ibi conſiſtere non miror. Et quando autem iſtuc redibunt amici illi noſtri Rittershuſius & Gentilis? tu quoque an brevi domum reverti conſtitueris ſcire velim. Delector hac licet ætate multum libris Cic. de officiis. Sed in iis non pauca reperio perobſcura, vel ad explicandum difficilia, in quibus unum aut alterum locum adſcribere hic volui, ut & tuum de his judicium cognoſcam, & quaſi argumentum epiſtolæ tibi præbeam. lib. 3. ubi de teſtamento Baſili: *Hunc dico Patronum agri Piceni & Sabini.* Quis quæſo patronus, quod ejus nomen? Lib. 1. ubi de Catonis filio, ſcribit eum

in

in exercitu Popilii fuiſſe, atqui bellum illud Perſicum non a Popillio, ſed a Conſule Paulo Æmilio geſtum fuit, an igitur hic μνημονικὸν ἁμάρτημα Ciceronis? tu explicabis & valebis. D. Schobbio a me ſalutem, & hoc amplius, ut ad meas reſcribat. Praga. 17. Novembr.

EPISTOLA CLX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Argentinam,

BΕβαρβάρωμαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Liceat enim mihi ad te poſt longa ſilentia ſcribenti fateri, quod res eſt, me dum in barbaris quibuſdam ſcriptoribus volutor, & in aliis quibuſdam ἀμούσοις negotiis tractandis verſor, pene barbarum & ἄμουσον factum tardius, & brevius ad juvenem elegantiſſimum reſcribere, dum mihi deſit, quod ternis, ni fallor, literis tuis omni refertis eruditione elegantiaque reſpondeam. Quærebas ex me ſolutionem ἀποριῶν quarundam in tractatione argumenti tui de funeribus tibi occurrentium. Ego vero dum jus feudale tracto, & alia quædam conſimilia, tam diu & longe abſum ab humanioribus ſtudiis, ut fere omnium deſuetudinem contraxerim, & vix videam, qui poſſim cum Muſis in gratiam redire. Et ut aſſiduus eſſem in his ſtudiis, in quibus tu excellis, tamen quantum meminiſſe poſſum (neque enim ad manum ſunt omnes tuæ literæ) ejuſmodi erant ζητήματα tua, quibus alio opus eſſe Oedipo videatur, quam Rittershuſio, qui ſe parum ſupra vulgus in illis rebus videre & ſapere ingenue fatetur. Mene tu, mi Kirchmanne, Sphingem domi habere putas, ut tibi interpreter iſta ænigmata, tot viris doctiſſimis & ſagaciſſimis aut ignorata, aut certe non explicata? Ego unde fluxerit ritus ille *ſupra genua tollendi exſtinctum*, quidve ſibi voluerit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Nebulæ quoque mihi erant primo legenti ea, quæ de Pontifice ſcribebas, nunc etiam vix memini, quid fuerit, quod de eo quæſiviſti: nam eæ literæ nunc ſe inveniri non patiuntur. Neque vero te hæc talia ab editione reliqui operis maturanda deterrere debent, utut omnia exputare ſtatim non poſſis. Satis erit interdum, ſi aliis anſam, dederis cogitandi. Quædam etiam δευτέραις φροντίσι relinquere debebis. Non deerunt qui te moneant, qui doceant, ubi ſpecimen foras dederis. Apellem noſti, hunc imitare, & propoſita publice egregii operis tabella explora hominum judicia. Hæc ergo pro meo in te amore, proque ſtudio famæ & honoris tui, cui te par eſt non deeſſe. Quod ajebas te exacto illo biennio, quod addixiſti D. Witzendorphio, velle nos quoque viſere, & ſi tibi honeſtus in Academia locus contingere poſſit, etiam commorari & habitare nobiſcum: libenter ubi eo ventum erit adjutabo, quicquid potero. Chriſtophoro Colero ſuccedet Bremanus quidam Albertus Clapmarius, diligenter, ut nihil ſupra, commendatus Scholarchis & Acad. noſtræ a Landgravio Mauricio, de quo alias plura. D. Giphanins in Aulam Cæſaris ſe contulit; & Praga his diebus ad me humaniſſime ſcripſit. Malam gratiam utrique noſtrum rependit Schioppius,

pius, qui famæ ſuæ primordia nobis, invidia fatente, debet. Longa eſt fabula, ut mecum ex quo Romam commigravit, agere cœperit. Non dubito, quin aliquid jam inaudieris. Si tibi notitia eſt cum D. Bongarſio (debet autem omnino eſſe) ab illo licet petas noſtrum apologeticum, quem calumnioſæ & criminoſæ epiſtolæ Schioppii oppoſui. Late ſparſa eſt illius & Ingolſtadina & alia editio, nec paucos etiam cordatos mihique amicos perturbant ipſius criminationes. Ea res me impulit ad mei defenſionem, quanquam non tam meus, quam Dei & veritatis honor in hac cauſa agitur, mihique fuit propoſitus. B. V. 12. Junii A. cIↄ. Iↄc.

EPISTOLA CLVII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Argentinam,

ITa eſt, eruditiſſ. Kirchmanne; Recepi tuo beneficio Q. Calabrum meum: quem auctorem utinam tandem ab ſe emendatum illuſtratumque ederet Rhodomanus noſter! De tuo in illam Academiam adventu gratulor tibi & Nobiliſſimo diſcipulo tuo, optoque ut ſit veſtris ſtudiis quam opportuniſſimus, utque cum cæteras meditationes tuas ibi perficere poſſis, tum maxime de Funeribus, argumentum copioſum & tua diligentia atque cura dignum. Quid autem ego ad id conferre poſſim, quod non abs te ante prævisum & annotatum ſit uberrimeque ac feliciſſime explicatum? De loco Serviano quod ſcire cupis, idem tecum ſentio, non fuiſſe ſtatum ac perpetuum quod ibi ſcribit Grammaticus eruditiſſ. cujus novam editionem Pariſinam nuper mihi donavit clariſſ. Bongarſius. In ritibus antiquis annotandis, non dubito, quin ultro nonnunquam conferas eos cum iis, quæ in vulgo quoque noſtro remanent: quale eſt quod, cum ſæpiſſime antehac, nunc in funere viduæ avunculi mei cariſſimi, his ipſis diebus a pueris pariter & puellis factitari vidi, ut ſcilicet ter injecto pulvere in ſarcophagum jamjam terra contegendum abeant. Solent etiam, ubi quis in conclavi animam exhalavit, feneſtram aperire: quaſi exitum dent animæ ad ſuperos evolaturæ, & periculum ſit, ne alioquin illa ſpiritualis natura egredi non poſſit. Hujus moris tu fortaſſe quid ſimile in tuis collectaneis obſervaſti in paganiſmo. Mihi nihil ſuccurrit. Et ſum alias jam animi æger & oblivioſus. Quod ſi mihi integer ævi ſanguis foret, tentaſſem aliquod Epigramma ſcribere in tuum illud opus. Nunc a languente & ægro animo hos male natos accipe verſiculos: & vale.

Funereos ritus, priſca & ſolemnia mortis
Dum tu vivaci condis, Kirchmanne, papyro,
Et veterum illuſtras nitida face plurima ſcripta,
Ipſa tibi æternam reparabunt funera vitam,
Effugienſque rogos ardentes inclyta fama,
In Sophiæ regno plaudet fulgentibus alis.

Altorphii XXII. Novemb.

EPI-

EPISTOLA CLXII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

ITa vivam & valeam, mi Kirchmanne (familiarius te jam, ut propiorem mihi factum alloquor) ut gratus mihi eſt adventus tuus, & ut ipſo die heſterno de eodem mihi incidit cogitatio, ſubmiranti moram tuam. Literæ namque tuæ maturiorem polliceri videbantur. Gratulor itaque toto pectore, quod ſalvus ad nos veneris, mihique diu optatiſſimam occaſionem præbueris tui alloquendi, & literis hactenus contractam fotamque amicitiam firmandi vivis colloquiis. Illud mihi hic permoleſtum accidit, quod in eundem diem & amiciſſimi capitis adventus, & nuntius de obitu amiciſſimi mei inciderit. Quid quæris? mi Dn. Kirchmanne: aut quid ego te moror? quin rem eloquar ut eſt? Pater meus, optimus & doctus ſenex, vixit: eique, ultimum in his terris diem fuiſſe IX. Auguſti, hodie primum hora IX. ex ſororiorum & affinium literis cognovi. Ita in eum datus ſum mærorem & languorem, quem facile tute conjicere potes. Certe oculos pene perdidi lacrumando. Nec adhuc per hoc proximum triduum ſatis recte valebat caput infeſtatum catharro. Intelligiſne, vir humaniſſime & cordatiſſime, quid me domi detineat, quo minus ad te complectendum advolem? quid prohibeat tecum in diverſorio cœnare? equidem me ipſum impietatis damnarem, ſi tam mihi funeſto die ad convivium ullum irem; ut taceam quod non poſſim me honeſte hominibus oſtendere, cum iſtis fletu turgentibus oculis, ſed necdum ſiccis. Excuſatum igitur tali hoc ſuo tempore habebis Rittershuſium tuum. Gratiſſima tamen fuit invitatio, nec minus gratum feceris, ſi me domi meæ convenire, & alloqui dignatus fueris. Experiar quam vere dictum ſit illud: εἰς ὄμματ' αὐτοῦ φωτὸς ἐμβλέψαι γλυκὺ. Vale feliciter, & interim, hanc Coleri mei recentem epiſtolam percurre. x. Aug. Anno M. D. CII.

EPISTOLA CLXIII.

CONRADUS RITTERSHUSIUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Roſtochium,

ET quas Lubecæ dederas VIII. Maji, & quas Lunæburgi idibus Junii, recte accepi, mi Cariſſ. & Opt. Kirchmanne. In illis beaſti me utroque nuntio, & quod Funeribus tuis tandem extremam manum imponere cogites, & quod ſpes tibi facta ſit notarum Ciceronianarum J. Gulielmi civis tui. Crede mihi & a Funeribus tuis æterna te manet gloria, & Notarum illarum editio neminem magis quam te decet. Itaque feliciter & hoc & illud. De Amæbæis noſtris ad Auſonium Epiſtolis quid quæris? Juvenilis ille labor, & pridem mihi in derelictis habitus ſeu quiſquiliis, neſcio quo caſu tamen factum, ut in

ædibus paternis reliquerim, cum quidem mecum huc aſportare cogitarem. Sed facilis earum jactura. De Colero quod quærebas, is Pragæ prenſat: Ajunt eum familiarem eſſe D. Petſchio: nec deſunt, qui metuunt μή πῶς ἀποσφαλῇ. Abſque hoc enim difficile eſſe perhibent conſequi ea, quæ ipſe ambit. Ego dum res ita dubia eſt, literas cum eo non commuto, tametſi me ſemel atque iterum tentavit. Hœſchelius cum jamjam ſeſe accingeret editioni Procopii Græci tamdiu expectatæ, nuncium accepit ex Belgio, in eodem denique eſſe Bonau. Vulcanium. Itaque huic indignabundus, qui nihil præmonuerit, de ſubito conſilium mutavit, & ad Origenis libros contra Celſum Græce edendos ſtudium ſuum tranſtulit. In his jam credo currit prælum Auguſtanum. Caſaubonus hac æſtate ſcripſit D. Scipioni, & me ſalutatum in eiſdem literis provocat ad ſcribendum: negat enim ſe accepiſſe, quam Francofurto ad eum ſcripſeram non indiligenter, quod equidem permoleſte fero. Venio ad alteras tuas, & his quoque vicem reddo. Paracleſin modo tibi redditam, teque dolorem noſtrum doluiſſe, gratum mihi. Migrationem tuam Roſtochianam tibi feliciter evenire opto precorque, & una mecum affinis Queccius, & uxor mea & Piccardus, quanquam te non ſolum viciniorem nobis, ſed & incorporatum, ut ſic loquar, eſſe multo mallemus. Sed nondum omnium dierum veſpera venit. De honoribus veteris amici & domeſtici G. Schumacheri gratiſſimum mihi feciſti indicium. Itaque jam ei gratulor honeſtiſſimum illum locum ſcriptis ad ipſum literis. Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptores cum commentariis nemo noſtrum ad hunc uſque diem vidit, quamvis diligenter inquiſiverimus per tabernas librarias urbis N. Itaque a me non poſſe tibi loci illius deſcriptione, quem deſideras, gratificari. Cras tamen Deo dante in urbem cogito, & magis magiſque inquiram, ſi alicunde expiſcatus fuero. Pittacium huic epiſtolæ inſeram, vel ὀπισθόγραφον addam. Mihi de Antoninorum illis legibus acerrimis nondum liquet. Sed neque noſtro Gentili, quem conſului fruſtra. Ubi quid excogitaverimus, communicabitur tecum. Interea perge feliciter in editione Funerum. Multo mallem, te imprimendum dare opus Antonio Gulielmo Hanovienſi typographo (qui meas partitiones feudarias (ſi vidiſti) excudit) quam Wecheliano Claudio, cujus miræ ſunt ſordes, quas in conſiliis noſtris expertus ſum. Adde quod & elegantia typorum, & diſtrahendi induſtria Hanovianus nihil cedit Claudio. Si in illum inclinas, facile efficiam, ut bonis conditionibus recipiat imprimendum opus, dum ex te intelligam & voluntatem tuam, & quid ab eo petas; an exemplaribus xxx. aut circiter contentus ſis futurus, an aliquid nummorum inſuper, & quantum dari tibi poſtules. Reſcribe igitur quamprimum. Conſtitueram omnino jam etiam ad Dn. Witzendorfium ſcribere per hanc occaſionem; ſed video me tempore excludi. Itaque excuſabis me, & officioſe ipſi meis verbis ſalutem dices. Vale & ſalve. Jam fortaſſe vobiſcum D. D. Hubnerus fuit, aut brevi erit. Deus & illum ad nos ſalvum reducat propediem, & te ſervet cum D. Franciſco Witzendorfio cara mihi capita. Iterum atque iterum vale. Altorfii die 20. Julii 1603.

Rectu-

Rectoratum reſignavi nuper ac tradidi D. Nic. Taurello volentibus licet Scholarchis, ut paterer mihi prorogari magiſtratum in annum ſequentem.

EPISTOLA CLXIV.

IOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium,

TUas, Doctiſſime & amiciſſime Dn. Kirchmanne, ſuperioribus diebus recte accepi, ex iiſque libenter cognovi de editione Funerum. Itaque hanc propediem ex Frobeniana expectabimus, cujus typi ſatis ſunt nitidi, nec concedunt quicquam Wechelianis. Mitto tibi jam pridem deſtinata duo capita ſacris lectionibus ex meis deſcripta, ſi forte in calce operis tui placeat ea adjicere, honoris mei ergo potius, quam tui, & ut hac ratione ſacrarum lectionum noſtrarum deſiderium in animis lectorum excitetur. Sed hoc tui eſto arbitrii. De peſtilentia, quæ apud vos, & magis etiam Roſtochii graſſetur, quod addidiſti, profecto me & quotquot hic tui amantes reliquiſti, non parum terruiſti hoc nuntio. Nam ut,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor,

Metuimus tibi: Bene tamen ſperare nos jubet reſpectus & conſideratio Bonitatis Divinæ, cujus dulciſſima deſcriptio in Pſalmo xc. & xci. continetur, ut alia ſacrarum literarum loca tibi notiſſima nunc prætéream. Horum meditatione animum tuum eriges in his contagionibus. Jubeo etiam te pro amicitia noſtra utriuſque illius pſalmi paraphraſin metricam conficere, quam aliquando abs te exigam. Vides quam ſim moroſus. Non aliter decet, nec te penitebit paruiſſe. Hubnerus noſter περὶ ἀπροσηγορίας ἐγκληθεὶς παρὰ σοῦ, affirmat ſe & Roſtochi & Lubecæ de te quæſiſſe, ſed fruſtra: nec enim potuiſſe indagare, ubi eſſes. Rediit ad nos bene ſanus, & pinguiuſculus, ſeu habitior, quam dimiſeramus. Etiam Mich. Virdungus ad nos rediit, noſtroque convictu iterum utitur, ſæpe tui, ſæpe D. Witzendorfii amica & honorifica inter nos mentio eſt, nihilque mallemus, quam te hujus Collegii ſive συμβιώσει haberi ſocium: ſi fata ſinerent. Dn. Hubneri literas his incluſas habe. Clapmarius de arcanis rerump. dabit VI. libros, ut ex Catalogo librorum Francofurtenſi proximo videre potuiſti; omnium animos erexit in exſpectationem tanti operis. Ipſe indies fit inſolentior omnibus in rebus, brevique adeo vix ſe ipſum noverit aut pedes ſuos. D. Hubnerus in gratiam quorundam ſtudioſorum Pandectas privatim, ſed breviter percurrit. Ego differentias juris civilis & Pontificii colligo & explico auditoribus meis. Cæteri Profeſſores etiam recte valent, niſi quod D. Scerbii articularis morbus antiquum obtinet. Is tamen nuper in auditorium publicum deſcendit, & Polono cuidam de Analyticis diſputanti præfuit. Habes de nobis, quæ ſuccurrebant. A te crebras expectabo, ut ſine metu ſimus. V. Altorfii III. Novemb. cIↃ. IↃ. CIII.

P. S. Clariſſ. virum Dn. D. Theodorum a Sendem civem tuum officioſe meis

 verbis

ædibus paternis reliquerim, cum quidem mecum huc aſportare cogitarem. Sed facilis earum jactura. De Colero quod quærebas, is Pragæ prenſat: Ajunt eum familiarem eſſe D. Petſchio: nec deſunt, qui metuunt μή πῶς ἀποστατῇ. Abſque hoc enim difficile eſſe perhibent conſequi ea, quæ ipſe ambit. Ego dum res ita dubia eſt, literas cum eo non commuto, tametſi me ſemel atque iterum tentavit. Hœſchelius cum jamjam ſeſe accingeret editioni Procopii Græci tamdiu expectatæ, nuncium accepit ex Belgio, in eodem denique eſſe Bonau. Vulcanium. Itaque huic indignabundus, qui nihil præmonuerit, de ſubito conſilium mutavit, & ad Origenis libros contra Celſum Græce edendos ſtudium ſuum transtulit. In his jam credo currit prælum Auguſtanum. Caſaubonus hac æſtate ſcripſit D. Scipioni, & me ſalutatum in eiſdem literis provocat ad ſcribendum: negat enim ſe accepiſſe, quam Francofurto ad eum ſcripſeram non indiligenter, quod equidem permoleſte fero. Venio ad alteras tuas, & his quoque vicem reddo. Paracleſin modo tibi redditam, teque dolorem noſtrum doluiſſe, gratum mihi. Migrationem tuam Roſtochianam tibi feliciter evenire opto precorque, & una mecum affinis Queccius, & uxor mea & Piccardus, quanquam te non ſolum viciniorem nobis, ſed & incorporatum, ut ſic loquar, eſſe multo mallemus. Sed nondum omnium dierum veſpera venit. De honoribus veteris amici & domeſtici G. Schumacheri gratiſſimum mihi feciſti indicium. Itaque jam ei gratulor honeſtiſſimum illum locum ſcriptis ad ipſum literis. Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptores cum commentariis nemo noſtrum ad hunc uſque diem vidit, quamvis diligenter inquiſiverimus per tabernas librarias urbis N. Itaque a me non poſſe tibi loci illius deſcriptione, quem deſideras, gratificari. Cras tamen Deo dante in urbem cogito, & magis magiſque inquiram, ſi alicunde expiſcatus fuero. Pittacium huic epiſtolæ inſeram, vel ὀπιστόγραφον addam. Mihi de Antoninorum illis legibus acerrimis nondum liquet. Sed neque noſtro Gentili, quem conſului fruſtra. Ubi quid excogitaverimus, communicabitur tecum. Interea perge feliciter in editione Funerum. Multo mallem, te imprimendum dare opus Antonio Gulielmo Hanovienſi typographo (qui meas partitiones feudarias (ſi vidiſti) excudit) quam Wecheliano Claudio, cujus miræ ſunt ſordes, quas in conſiliis noſtris expertus ſum. Adde quod & elegantia typorum, & diſtrahendi induſtria Hanovianus nihil cedit Claudio. Si in illum inclinas, facile efficiam, ut bonis conditionibus recipiat imprimendum opus, dum ex te intelligam & voluntatem tuam, & quid ab eo petas; an exemplaribus xxx. aut circiter contentus ſis futurus, an aliquid nummorum inſuper, & quantum dari tibi poſtules. Reſcribe igitur quamprimum. Conſtitueram omnino jam etiam ad Dn. Witzendorfium ſcribere per hanc occaſionem; ſed video me tempore excludi. Itaque excuſabis me, & officioſe ipſi meis verbis ſalutem dices. Vale & ſalve. Jam fortaſſe vobiſcum D. D. Hubnerus fuit, aut brevi erit. Deus & illum ad nos ſalvum reducat propediem, & te ſervet cum D. Franciſco Witzendorfio cara mihi capita. Iterum atque iterum vale. Altorfii die 20. Julii 1603.

Rectu-

Rectoratum reſignavi nuper ac tradidi D. Nic. Taurello volentibus licet Scholarchis, ut paterer mihi prorogari magiſtratum in annum ſequentem.

EPISTOLA CLXIV.

IOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium,

TUas, Doctiſſime & amiciſſime Dn. Kirchmanne, ſuperioribus diebus recte accepi, ex iiſque libenter cognovi de editione Fulterum. Itaque hanc propediem ex Frobeniana expectabimus, cujus typi ſatis ſunt nitidi, nec concedunt quicquam Wechelianis. Mitto tibi jam pridem deſtinata duo capita ſacris lectionibus ex meis deſcripta, ſi forte in calce operis tui placeat ea adjicere, honoris mei ergo potius, quam tui, & ut hac ratione ſacrarum lectionum noſtrarum deſiderium in animis lectorum excitetur. Sed hoc tui eſto arbitrii. De peſtilentia, quæ apud vos, & magis etiam Roſtochii graſſetur, quod addidiſti, profecto me & quotquot hic tui amantes reliquiſti, non parum terruiſti hoc nuntio. Nam ut,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor,

Metuimus tibi: Bene tamen ſperare nos jubet reſpectus & conſideratio Bonitatis Divinæ, cujus dulciſſima deſcriptio in Pſalmo xc. & xci. continetur, ut alia ſacrarum literarum loca tibi notiſſima nunc prætercam. Horum meditatione animum tuum eriges in his contagionibus. Jubeo etiam te pro amicitia noſtra utriuſque illius pſalmi paraphraſin metricam conficere, quam aliquando abs te exigam. Vides quam ſim moroſus. Non aliter decet, nec te penitebit paruiſſe. Hubnerus noſter περὶ ἀπροσηγορίας ἐγκληθεὶς παρὰ σοῦ, affirmat ſe & Roſtochi & Lubecæ de te quæſiſſe, ſed fruſtra: nec enim potuiſſe indagare, ubi eſſes. Rediit ad nos bene ſanus, & pinguiuſculus, ſeu habitior, quam dimiſeramus. Etiam Mich. Virdungus ad nos rediit, noſtroque convictu iterum utitur, ſæpe tui, ſæpe D. Witzendorfii amica & honorifica inter nos mentio eſt, nihilque mallemus, quam te hujus Collegii ſive συμβιώσει haberi ſocium; ſi fata ſinerent. Dn. Hubneri literas his incluſas habe. Clapmarius de arcanis rerump. dabit VI. libros, ut ex Catalogo librorum Francofurtenſi proximo videre potuiſti; omnium animos erexit in exſpectationem tanti operis. Ipſe indies fit inſolentior omnibus in rebus, brevique adeo vix ſe ipſum noverit aut pedes ſuos. D. Hubnerus in gratiam quorundam ſtudioſorum Pandectas privatim, ſed breviter percurrit. Ego differentias juris civilis & Pontificii colligo & explico auditoribus meis. Cæteri Profeſſores etiam recte valent, niſi quod D. Scerbii articularis morbus antiquum obtinet. Is tamen nuper in auditorium publicum deſcendit, & Polono cuidam de Analyticis diſputanti præſuit. Habes de nobis, quæ ſuccurrebant. A te crebras expectabo, ut ſine metu ſimus. V. Altorfii III. Novemb. CIƆ. IƆ. CIII.

P. S. Clariſſ. virum Dn. D. Theodorum a Sendem civem tuum officioſe meis

verbis

verbis quæſo ſalutes, & jubeas meas ex longo intervallo propediem exſpectare. Nunc excludebar tempore, quo minus ipſi ſcribere poſſem, ſicut conſtitueram. Neſcio autem quo fato factum ſit, ut hæ literæ quamvis ante menſem totum ſcriptæ tamen a me dimitti non potuerint ante hunc diem. Exitus docuit, quid deſuerit. Nimirum ad te erat perferendus lugubris nuntius de obitu dilectiſſimi filii mei Balthaſaris. Hic poſtquam cum febri ardentiſſima & continua per tres hebdomadas fuerat colluctatus, tandem pie placideque defunctus eſt VIII Decemb. me oculos ei claudente turbato mortalitatis ordine. Quanto ſim in luctu ipſe cogita. Solet noviſſima plaga præteritos refricare dolores, ut ait, ni fallor, Symmachus. Id mihi in hoc caſu accidit, qui uno fere anno ſepelivi patrem, ſocrum, duos filios, ſororis filium a me ſuſceptum & M. Queccei filium, optimæ ſpei puerum. Sed manum de tabula vel potius de ulcere. Tuj mi D. Kirchmanne Vale, & reſcribe, ut extra metum ſimus. Scripſi hæc XII. Decembr. An. 1603.

Plurimam ſalutem meis verbis dicito, nunciatoque Dn. Franciſco Witzendorfio, & de Balthaſare in eo fac indicium.

EPISTOLA CLXV.

JOANNI KIRCHMANNO S.D. ET IGNATIO HANNIELI.

Conradus Ritterſhuſius.

Roſtochium.

FRancofurti jam ſum, unde hæc ad vos conjunctim ſcribo, cariſſima capita. Dabitis mihi hanc veniam, ut iſto utar compendio, dum inter hos ſtrepitus ſimul ad alios plures ſcribendum, ſimul & alia negotia curanda ſunt mihi. Veni huc maxime Epiſtolarum Iſidori Peluſiotæ cauſa, ut bonis conditionibus eum auctorem ope M. S. Bavarici auctum & correctum extrudam. Commendavi autem opus illud Commelinianis heredibus, quando illi etiam Chryſoſtomi opera nobis dederunt: ut comes ſit ac ſocius in prælo, qui fuit familiaris ei in vita, & geminus eloquentia & ſanctitate. Jeci jam fundamenta hujus negotii: ſed alter fratrum rejecit illud ad conſortem, qui Amſterdami habitat, cujus ajebat expectandum eſſe conſenſum Spero non diſſenſurum: & placituras ipſi conditiones, de quibus inter nos actum eſt. In his ipſis nundinis literæ mihi redditæ ſunt Scaligeri & Caſauboni (at quantorum virorum!) quibus comprobant inſtitutum meum, & exhortantur me ambo, ut ſtrenue pergam in exequendo. Eas literas auro contra caras habeo, & alias vobiſcum communicabo. Nunc deſcribere non vacabat. In Scaligeri literis inſertum etiam eſt Epigramma heptaſtichon, jambis conſtans Græcis. Tuum, ornatiſſime D. Kirchmanne, opus de funeribus Rom. prodiiſſe lætor, & tam tibi quam reipublicæ literariæ gratulor. Sumpſi exemplar de Frobenio, quaſi abs te mihi donatum. Spero te ratum id habiturum. ἀντίδωρον cape meum Aſſem Fatidicum, & boni conſule. Præ Meurſio rivali tuo, quem miramur ſimul

mul

mul iiſdem nundinis prodiiſſe, tibi Senatus Criticus palmam defert, perfectionemque operis tui collaudat. Cum Grutero, Bongarſio, Frehero, Camerario, & aliis hic jucunde fui aliquoties. Jamque in diem XII. hic hæreo, expectans dum ſodalitium meum ſe accingat itineri, cum quo redeundum eſt mihi. Quo loco res noſtrates ſint, procul dubio ex literis Dn. Hubneri, τῦ μεγαλογάμυ, recens cognoviſti. Tuas avide expecto, quibus de ſtatu rerum tuarum nos certiores facias: ac fortaſſe domum reverſus σὺν Θεῷ illas inveniam. Valete viri clariſſimi opt. doctiſſimi, & amiciſſimi, veſtrumque mihi amorem ſervate æternum. Francofurti XXI. Septemb. Anno CIↃ. IC. CIIII.

EPISTOLA CLXVI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium.

PRincipio tibi, ornatiſſime & amiciſſime D. Kirchmanne, eum in Acad. illuſtri locum toto pectore gratulor, & opto ut gradus ſit ad altiora, quæ ſuo tempore, cum Deo, tua virtute, pietate & eruditione procul dubio conſequere. Quæ ipſa eſt cauſa, cur deſiderium tui lenius & æquiore animo feram. Etſi enim hic tecum vitæ quod reliquum eſt exigere maluiſſem, quam tantis locorum ſpatiis eſſe diremptus: tamen apud nos tales emergendi occaſiones non habuiſſes. Virdungus quidem, cui nuper adeo D. D. ſcholarchæ, poſtquam de te ſpes decollarat, illam profeſſionem aſſignarunt CC. Florenis initio contentus eſſe cogitur. Noſti autem quám hic ſint omnia cara, quamque reſtricti ad augenda ſalaria noſtrates. Itaque non poſſum non tibi magnopere gratulari cum illam ob cauſam, tum ob vicinitatem patriæ, quæ procul dubio tua opera aliquando, uti & ortus tui partem ſibi vindicare volet: quo & ſpectabat illa a me non indiligenter ad te ſcripta epiſtola, quam non redditam eſſe & miror & ringor. Etſi enim nihilo jam deterior eſt ex hac jactura vel tua, vel mea conditio, tamen ad te illam perveniſſe mallem, quam ab aliis interceptam neglectamve, ſaltem ut tibi inde quoque meum tibi gratificandi ſtudium conſtaret. De Alcimo quod quæris, variæ ejus ſacri poëtæ exſtant editiones: ſed nulla accuratior, quam Joachimi Zehneri Sleuſingenſis paſtoris, quæ Lipſiæ apud Schurerum proſtat. Marius Victor mihi non eſt viſus. Credo eum exſtare in opere ſacrorum poëmatum Georgii Fabricii, quod mihi non eſt ad manum; nec ab aliis hic ſumere licet. Funera tua vidimus, & tibi ab his non ſolum vitam, ſed & immortalitatem auguramur ac ſpondemus. In his quod tam amicam & multam mei mentionem exſtare voluiſti, eſt de quo mihi gaudeam, tibi gratias agam. Exemplar ſumpſi Francofurti, cum ibi eſſem Iſidori Peluſiotæ extrudendi cauſa, a M. Frobenio, qui ſimul ac audivit quis eſſem, libens dedit. Recte feceris, ſi & D. Remo tui amantiſſimo miſeris. De Apulejo Wouwerii jam aliquid ex Helia Putſchio cognoram. Tu ipſe eum ex propinquo incita & inſtiga ut maturet, multoque magis etiam impelle hominem ad proferendas in lucem & uſum boni publici emendationes Cicero-

nianas ex codice Jani Gulielmi. Non poterat melius otium ſuum alibi collocare. De Perſio Caſauboni edito nihil dum comperti habeo. Dn. Bongarſius Francofurti me convivio excipiebat, & literas ab eo ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα reddidit, quibus meos in Iſidorum conatus perbenigne approbat, ſicut & Scaliger. Magnum & quidem geminum præjudicium habeo: a quo qui diſſenſerit, caveat, ne judicio caruiſſe videatur. Prodibit, ut ſpero, ad proximum mercatum curante & ſollicitante meam vicem Cl. Grutero apud Commelinianos. Cum his enim, ut qui Chryſoſtomi quoque multa Græce nobis dederint, contrari etiam de Iſidoro, ut ex eadem officina & magiſter prodeat & diſcipulus eo non indignus. Taubmanni Plautus jam prælum patitur tandem Witebergi, ut his diebus ad me ſcripſit. D. Scherbius noſter ex febri valde eſt debilis, ut metuat ſuæ ipſe vitæ: quanquam ad mortem præſenti eſt animo, vel ideo, ut brevi ſit cum conjuge, quam præmiſit. Nudius tertius ſupremis ejus condendis elogiis interfuerunt ſeptem teſtes Academici. Magnum lumen nobis exſtinguetur, quanquam enim jam ab aliquot annis id morbi nebulis quaſi obſcuratum quodammodo videri potuit, tamen domi adhuc ſplendebat, contractioribus quidem, ſed tamen ſatis dilucidis & illuſtribus radiis. D. Hubnerus ὁ νεόγαμος ipſe de ſe ſcribet tibi. Tu velim multa meis verbis ſalute impertias Cl. V. D. Ignatium & Rev. D. Eilardum Lubbinum, cujus novæ functioni ſacræ gratulor & divinam benedictionem adprecor. Has ad D. Theod. a Senden, ut juſſiſti, miſi: per quem, ut ſpero, etiam deinceps noſtræ utrinque curari poterunt, ſi quas à te nobis inſcriptas acceperit, jubeat Noribergi apud D. Georg. Remum noſtrum deponi. Bene vale mi Kirchmanne. Altorfii. die 22. Decemb. Anno 1604.

De Giphanii Scriptis ſcripſi ad D. Theodorum. Is tecum communicabit, tu cum D. Ignatio.

EPISTOLA CLXVII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium.

Recte accepi exemplar Epithalamiorum ſive Hymnæi nuptiis tuis cohoneſtandis editi, Vir Cl. & ornatiſſime, & animo meo cariſſime. Sed cur unum tantum miſiſti mihi? debebas duo vel tria addere, ut eſſet quo Dn. Quecerum, Doctorem Rhumelium, alios munerari poſſem. Nimis profecto cœpiſti tenax eſſe, ex quo paterfamilias es factus, quid fiet, ubi ad meam ætatem perveneris? ſed extra jocum, debuiſti certe plura mittere, tam optata præſertim occaſione, quam ſuppeditabat ornatiſſimus adoleſcens Henricus Bakmeiſterus, Rever. & Cl. V. D. Lucæ F. quem in veſtram gratiam, & ut intelligatis me nihil non velle veſtra cauſa, eorumque, qui vobis cari & amici vivunt, ſtatim domo & menſa excepi mea. Intentus quoque ero in omnes ipſum juvandi, promovendi, ornandi occaſiones. Deus det eventus, quos optamus. Tibi moleſtias creari a Def. Heraldo, nollem profecto. Sed non deerunt tibi tela,

quibus

quibus hunc vitiligatorem repellas. Credo æmulatione impulſum hominem, ut ſic in te irrueret immerentem. Sunt enim in gente illa, qui putant, Germanos nihil ſapere, ſe ſolos æſtimant ac circumſpiciunt. Ex his fortean ille quoque, doctus alioquin, ut apparet, juvenis. Ex iiſdem credo erat Rigaltius: cui quid feceram ego, ut me ita ſugillaret in Phædro? Quem ego olim probe depexum dediſſem, in Analectis Phædri, niſi libellum hunc in gratiam D Bongarſii ſuppreſſiſſem. Tu vero hanc petulantiam tui adverſarii non ſines inultam. At libens cognovi de renovanda illius tui pulcherrimi operis editione te cogitare. Si quid inter relegendum mihi in mentem venerit, de quo ſis admonendus, faciam tuo rogatu certiorem. Interea duo loca tibi ſuggero, quæ in meo exemplari tui libri annotavi. I. libri ſecundi caput tertium hoc a me emblema accepit, inſertum prope finem ante illa. *Fit autem mentio cerearum. Alluſit eodem & Alcimus Avitus lib. V.*

Nulla vacans a morte domus, dum lumine multo
Tota curatur populeſum funus in urbe.

II. extremo capiti XI. ejuſdem libri II poſt τῆς ἀγορᾶς hanc addidi coronidem. *Conjungit & plures hujuſmodi inſanos ritus Alcimus Avitus libr.* V. *ubi ſtragem inter primogenitos Ægypti editam deſcribit.*

Ergo ubi percuſſas ſoboles confuſa repente
Aula videt, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crineſque revellunt
Unguibus & nigras feſtinant ſcindere malas.

Sed non dubito quin per te ipſum jam hæc & ſimilia obſervaris & addideris. Boni tamen conſules noſtram hanc tui juvandi voluntatem. Habes hic Iconam meam, amicorum ſtudiis a me expreſſam. Boni conſule & candide interpretare. Decreveram hac ipſa occaſione, quam de improviſo aliud agenti monſtravit D. Remus, etiam D. Ignatio tradere, ſed non licet per temporis brevitatem. Itaque meas περὶ πάντων alia via accipiet, nec multo poſt has. Cum eo communicabis etiam σκάζοντας in Scioppii Lædorias. Bene Vale, mi Dn. Kirchmanne. Noſter Hubnerus brevi me deſeret, & ruſticanam noſtram vitam cum deliciis urbanis commutabit. Mallem ipſum in vita Academica remanſiſſe. Verum videtur mihi feſtinare ad opes. Plura ex ipſo cognoſces. Iterum Vale, & ſaluta ex me amicos, imprimis D. Ignatium, & D. Lubinum, cui etiam ſuum contigiſſe Antæum audivimus. ἔστω ἄλκιμος Ἡρακλῆς. Altorfii die XXX. Maji. MDCVI.

EPISTOLA CLXVIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium,

RESpondeo literis tuis, Vir Cl. & doctiſſ. quas 12. Martii datas accepi ante paucos dies primum, curante D. Remo noſtro. Is ea redimere coactus

ctus eſt pretio 24 cruciferorum, de quibus ipſe 6. ego 18 ſolvimus: meæ enim literæ propter carmina adjuncta erant craſſiuſculæ. Sed fuit tanti accipere amiciſſimi viri literas, quæ non fuiſſent caræ, quamvis pluris conſtitiſſet κόμιστρον. Gratias magnas ago tibi de procurata editione illius peſtilentis ſatyræ. D. Ignatio vero de honore nominis ſui profixi mihi accommodato. Mora non eguit excuſatione; ſat cito quod ſat bene factum. De Henrico noſtro omitte illam ſollicitudinem tuam. Ego ſum placabilis, memor videlicet illius ἀκεσταὶ δὲ φρένες ἐσθλῶν. Sed ubi quæſo jam & qua conditione vivit? an ad vos rediit? Nos de ipſo poſtquam Jena abiit, nihil cognovimus. Caſpar Barthius ad me ſemel ſcripſit Witeberga hac proxima hyeme, eoque ipſi ego reſcripſi, parario uſus Dn. Taubmanno, qui mihi pererudito juveni commendavit. Dn. Gruterus mihi Heidelberga miſit ipſius libellum notarum ad Petronium Arbitrum, de quibus Gruterus ſatis ſcabioſe ſentit. Ego illas tamen non contemno: & hoc mercatu Lipſ. remiſi ei, hortatus auctorem, ut edat. De editione ſcriptorum Giphanii, quod quæris, res tota eſt in manu Joannis filii & heredis, privilegio muniti. Is quid tamen facturus ſit patris ſui ſcriptis (in quæ alii quidam nullo jure involaturi, ad editionem inconſulto ipſo feſtinantes) ignoro. Procul enim a nobis abeſt in Alſatia, & tarde ac raro inter nos commeant literæ. Vellem aut propior eſſet, aut mihi rem iſtam committeret. Nunc per me faciat quiſque quod volet. Ego habeo quod agam ſatis rerum mearum. Vidiſtiſne ibi librum novum, ſacrum & horribilem ipſo titulo (ulterius autem nondum vidimus) quem Scioppius (olim Schoppius) in Scaligerum edidit? Rogo quid cenſetis, tu inquam & Cl. V. D. Ignatius, aliaque candidiora pectora? Caſauboni & Bongarſii judicia jam ſcimus. Speramus non defuturos vindices honoris Scaligeri, ut ipſe taceat. Vale mi D. Kirchmanne, & reſcribe ſæpius. Tuam enim ut benevolentiam facio plurimi, & amicitiam ſancte colere cupio dum vivam, ita epiſtolam ac manum ſoleo exoſculari. Altorfii die XIX. April. MDCVII.

Quod mihi de Magiſtratu ſcholaſtico gratularis, benigne facis: ſed magis gratulabere, cum eum depoſuero, ſimulque multis moleſtiis fuero liberatus: quod ſpero poſt duos menſes futurum Deo propitio. Tunc πρὸς ἰδιωτικὴν τάξιν ἡδίστην & ad ſtudia mea tranquilliore animo revertar.

EPISTOLA CLXIX.

JOANNI KIRCHMANNO S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium,

JAm ante ad te ſcripſi, Vir ornatiſſime & amiciſſime, tuoque vel potius noſtro communi deſiderio utrinque ſatisfeci, in cohoneſtanda celebrandaque optimi noſtri Ignatii memoria, quæ mihi ſemper erit venerabilis juxta tecum. Amiſimus, enim vel præmiſimus (ut magis pie loquar) virum vera antiqua virtute & fide. Quid igitur, inquies, ſibi volunt hæ novæ literæ? nimirum

mirum datur hæc opera ſtudioſis noſtris quatuor, qui hinc ad vos ſtudiorum cauſa proficiſcuntur. Ex his unus eſt tuus civis, Johannes Steinius ante biennium commendatus mihi Argentinæ, à Clariſſimo & conſultiſſimo viro Dn. Theodoro a Senden JC. reliqui tres fratres Buſſi, non modo populares mei, ſive conterranei ſunt (ignoſce vulgi more tecum fabulanti) ſed etiam, dum hic fuerunt, maximam temporis partem ſub eodem tecto mecum habitarunt. Omnes tibi quam commendatiſſimos eſſe cupio, eamque de te fiduciam habeo, quod ſis ipſos, vel mea cauſa, humaniſſime amplexurus, & quibus ſcies poteriſque modis adjuturus. Idque ut facias te rogo. Qua in parte cuique commodare queas ex ipſis coram rectius intelliges. De Georgio tamen Buſſio jam nunc tibi prædico, quid animo agitet. Auctor ipſi fui, colligeret in unum σῶμα variorum, quæ ſparſim exſtant, Auctorum verſiones Latinas Epigrammatum Græcorum, quæ habet Anthologia: & ἀφθόνως cum ipſo communicavi, quæ ego jam olim huc facientia collegeram, in quibus multæ avunculi mei Mathiæ Bergii, multæ etiam meæ tranſlationes. Non dubito, quin & ipſe faveas boni juvenis laudabili inſtituto, & aliorum quoque favores, imprimis autem R. & C. V. D. Eilardi Lubini, qui in eodem genere jam pridem operam navavit, & procul dubio multa in mundo habet, quibus poſſit ipſum inſtruere, dum profeſſione Theologica ipſe impeditur, quo minus, quod cœperat, ſtadium decurrat. Rogo te, velis ipſi pararius eſſe ad Dominum Lubinum. Ejus frater natu maximus Theodorus legalis eruditionis ſpecimina haud vulgaria apud nos aliquoties, qua publice, qua privatim, diſputando pariter & docendo edidit; qua de re cum publicum habeat facultatis noſtræ teſtimonium, plura verba hic addam ad compendium, præſertim cum ipſe ſecum ferat eas artes, ex quibus veriſſima cujuſque commendatio proficiſcitur. Si quorum ſtudia noveris poſſe ab eo gubernari vel adjuvari, dabis operam, ut ratio ipſius habeatur. Id mihi ipſi tributum exiſtimabo.

Superiora dictavi feſſus aliis laboribus. Hæc ſubſcribo, te rogans ut curare velis recte reddi I. literas meas D. Bredovio inſcriptas. II. literas, quas ad Dn. Theodorum a Senden dedi. Habes hic literas Dn. Remi noſtri, quas ad me miſit ante paucos dies. Joanni Steinio quaſdam dedi chartas, quas ſuo vaſi incluſas tibi redderet. Eas diſtribues inter amicos. Exemplar etiam de ſingulis unum dabis Rever. & Cl. V. D. D. Lubino: quem rogabis meo nomine, ut in uxoris meæ obitum paucos mihi condonet ſuos etiam verſus. Cogito enim edere quorundam Carmina amicorum, quæ pridem in meam gratiam ſuper illius morte mei conſolandi ergo ſcripſerunt. Obſtetricem hanc animorum, qua te dono, boni conſule. Eum libellum veſtratibus commendabis bibliopolis & ſtudioſis, non ſolum quia digniſſimus eſt commendari legique, ſed etiam ut tanto plura exemplaria diſtrahat typographus, qui ex editione Pariſienſi librum recudit, me hortatore B. V. Altorfii, raptim ut vides XXI. Octob. MDCVIII.

Trajanum meum integrabo tibi, ubi totus fuerit impreſſus; Interea pan-

cula illa boni conſule. Salutabis per occaſionem verbis meis Dn. Franc. Witzendorphium noſtrum.

EPISTOLA CLXX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Ritterſhuſius.

Roſtochium.

CUm amicitias Doctorum Virorum ultro expetere atque ambire ſoleam, eaſque ſecundum Theocriti χάριτας.

πολλῶν ἡμιόνων τε καὶ ἵππων πρόσθε ἐλέσθαι.

valde certe inhumanus ſim & inſtituti mei immemor, ſi non oblatam a te, Kirchmanne, amicam voluntatem libens amplectar atque exoſculer. Ego vero hoc facio, & teſtor tibi, me ſumma cum voluptate legiſſe literas tuas, quibus ut tuam mihi offers, ita meam reflagitas benevolentiam. Age, mi tu, faciamus mutuum, & alter alterum amemus, cum nos devinciat inter nos ſtudiorum & animorum ſimilitudo, a qua nexus ſolet eſſe arctiſſimus. Atque utinam in me aliquid eſſet tua tam honorifica de me opinione dignum: ſicut ego mihi de tuo tam elegante ingenio & recondita doctrina omnia ſumma polliceor. Protulit Lubeca veſtra ſidus aureum, nimis, heu! celeriter præreptum terris! Janum Gulielmium dico, qui omnium eruditorum puncta tulit. Ei te ſucceſſurum auguror: nec non alterum civem tuum, Theodorum a Senden, amicum meum, qui jam Tubingæ ſtudia Principis Brunſwicenſis & jam Auguſti gubernat, Vir eleganter doctus, καὶ ταῖς μούσαις τὰς χάριτας συγκαταμιγνὺς, ἡδίστην συζυγίαν. Bene ſpero de poſteritate, cum talium ſuccreſcentem gloriam video, cui ex animo faveo. Oppianum meum abs te deſiderari ex unis alteriſque Coleri noſtri litteris intellexi. Explerem egomet deſiderium iſtud, niſi ipſe jampridem omnibus exemplaribus (quæ mihi perpauca typographi heredes donarant) inter amicos diſtributis, egerem. Pagellas duas tamen mitto, ut proprium aliunde nactus illum ſcriptorem meum, ſuo loco inſeras. Ad proximas nundinas vernas prodibit, ut ſpero, Gunterus noſter, quem jam exprimit Gruppenbachius Tubingæ. Nunc horis ſubſecivis conficio librum non inelegantem, cui titulum faciam, Homerica. Sed de hoc plura alias. Vale, & nos, ut cœpiſti, ama. Altorphii ad D. V. Kal. Jan. M. D. XCIX.

EPISTOLA CLXXI.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Conradus Ritterſhuſius.

Roſtochium.

CLariſſime & doctiſſime Vir, Dn. & Amice plurimum dilecte & honorande, diu eſt, ex quo nihil a te accepi, adeoque ne hoc quidem reſciſcere

ſcere potui, an quæ ad te miſi menſe Octobri ſuperioris anni in obitum & memoriam Cl. viri Dn. D. Ignatii a variis auctoribus ſcripta. Ea tradideram ad vos proficiſcentibus Buffiis Fratribus & Johanni Stenio, civi tuo: de quibus ipſis etiam interea quid factum ſit, tantundem ſcimus, quantum qui nihil. Aut igitur tibi meas illas, aut mihi tuas interceptas eſſe oportet. Quicquid ſit, rogo me certiorem facias. Has ut ad te darem effecit Cl. Caſaubonus, qui ſuis ad me iſtas, quas vides incluſas, commendavit, tibi ut curarem, Quod a me ſedulo factum eſſe, facies quam primum ut intelligat. De mearum rerum ſtatu breviter ſic habe: ſponſus ſum, qui alterum fere annum ago viduus. Tandem enim & amicorum ſuaſu, & rei domeſticæ neceſſitate adductus, ad ſecundas nuptias animum adjeci. Itaque ante octiduum Bambergæ conjugii fidem dedi pudiciſſimæ virgini Catharinæ, filiæ Ampliſſ. & Conſultiſſ. viri D. Pancratii Holtzſchuhii J. C. & advocati Nobilitatis Franconicæ, cujus ſoror nupta eſt Cl. V. D. And. Dinnero, Conradi JC. Fi. Collegæ & compatri meo conjunctiſſimo. Eam volente Deo ducam domum 19 die Junii. Is enim nuptiis dictus eſt dies. Interea ſponſam domi ſuæ apud parentes reliquo. Scio te, ut antehac adverſis meis indoluiſti, ita nunc ſecundis gaviſurum eſſe. Atque utinam propius favere nobis atque adeſſe poſſes. Eſto tamen cum tuis ſuaviſſimis Muſis invitatus. Salutem plurimam dices Reverendo & doctiſſimo viro D. Lubino, cui de rerum mearum ſtatu, quæ ſcripſi, ſi videbitur, communicabis. De Novellis, quid moliar novi operis, alias cognoſces ad longum ex Ampl. Viro. Dn. Erneſto Cothmanno JC. Cogito enim brevi ad Ampliſſimum Collegium Juridicum Academiæ veſtræ de eo ſcribere, idque explorandæ eorum cenſuræ. Vale & ſalve, mi amiciſſime Kirchmanne, & tandem reſcribe. Altorfii die 28. April A. 1609.

EPISTOLA CLXXII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium.

ANte paucos menſes literas a te, Vir clariſſime & doctiſſime, amice chariſſime, reddidit mihi Joachimus Albinus, egregius juvenis, qui huc adduxit nobilem Pomeranum Jaſmundum, diſcipulum ſuum, quos mihi diligenter commendabas, nec minus etiam cauſam Academiæ veſtræ diſputatam defenſamque aliquot Conſiliis Clariſſimi & Conſultiſſimi Viri Dn. Doctoris Cothmanni. Nihil equidem gratius mihi fuiſſet, quam tunc ſtatim reſpondere tibi ea occaſione, quam habebam præ manibus redeunte domum Dn. Quilovio, Advocato Stralſontenſi, egregio certe viro, niſi ſub illud ipſum tempus mihi peregre abeundum fuiſſet ad agendam cauſam cujuſdam clientis. Quod igitur hactenus ſine reſponſo te reliqui, quæſo te, ne id in malam partem interpreteris. Has ad te dicto, oblata mihi alia occaſione, per quendam

Stralſontenſem, Doctorem juris hodie mihi commendatum a Dn. Doctore Simeone Tilmanno advocato reipub. Auguſtanæ, quo curante ſpero te has recte accepturum. Albinus diligens eſt auditor meus, & nomen quoque ſuum dedit pridem collegio meo privato, in quo ſeſe aliquot Juris ſtudioſi ſingulis hebdomadibus exercent in diſputationibus Pandectarum. Rogo te ut multos ejuſmodi nobis commendare velis, quos nunquam patiemur in nobis deſiderare humanitatis officia. Ipſi quidem Albino hactenus videor ad vota reſpondiſſe, idem porro quoque facturus. Quod attinet ad conſilia de cauſa veſtra Academica, nondum ea nobis viſa ſunt, detenta quippe hactenus Norinbergæ a Conſiliariis Reipub. noſtræ. Dedi autem hoc conſilii Albino noſtro, ut interdum eos per literas ſubmoneat de expeditione maturanda, quibus ipſe tradidit illa volumina. Ipſe quoque nonnunquam in literis meis ad Cl. Remum noſtrum ſignificavi, nos conſilia iſta ab ipſis primum perluſtrata expectare, & expedire velle. Quod ideo tibi ſignifico, ne in nobis aliquam moram eſſe putes, & excuſes quoque ſi opus ſit, nos apud Collegas tuos viros præſtantiſſimos, quibus ego & mei Collegæ gratificari paratiſſimi ſumus. Atque hæc hactenus. A tuis convictoribus DD. Buſſiis, fratribus ornatiſſimis literas accepi, non minus accurate, & diligenter, quam amanter ſcriptas. Quibus ſane eadem hac opera & occaſione reſpondere percuperem, niſi me jam ſimul & ſemel plurima circumſtarent negotia, ut proinde mihi apud ipſos hac vice opus ſit excuſatione, quam ut ipſe eis exponas diligenter & officioſe a me ſalutatis, majorem in modum abs te peto. Brevi erit cum ipſis reſcribam & ſatisfaciam. Interea velim ſeorſim dicas Georgio Buſſio, hortari me ipſum, ut ſua Epigrammatum Græcorum collectanea ex manibus ne deponat, ſed variorum tranſlationes, quas hic me approbante & inſtigante cæperat, velit pertexere, & ad optatum finem perductas aliquando in publicum emittere. Habiturus eſt non leve ſubſidium in tripartito opere illo, quod nuper Francofurti ex officina Jonæ Rhodii exiit, inſcriptum, *Deliciæ Poëtarum Galliæ.* Ibi enim variorum epigrammata nuper tranſlata vidi. Habebit etiam quædam Latine reddita inter Nicolai Grudii & Hadriani Marii poëmata, excuſa Lugduni Batavorum apud Johannem Patium hoc ipſo anno. Sed ego fortaſſe memorem moneo, & currentem, quod ajunt, calcaribus urgeo. Vale mi chariſſime D. Kirchmanne, & haſce incluſas pagellas boni conſule. Altorfii die 23. Novemb. A. 1609.

Salutem officioſiſſ. adſcribo Dn. D. Cothmanno & tuis civibus Colero & Steinio, puto enim hos etiam vobiſcum commorari. Recens accepto nuntio de obitu ſororis dilectiſſ. cum aliquot liberis peſte extinctæ, in luctum & mærorem magnum datus ſum.

EPI-

EPISTOLA CLXXIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium.

Reſponſa Cl. viri. Dn. D. Erneſti Cothmanni menſe Martio primum ad nos miſerunt Dni Conſiliarii Norimbergenſes. Quæ ſtatim ſub manus ſumpſimus, ac perlegimus, cenſuramque ſuper illis noſtram breviter, ſicut petiiſtis, concepimus, & ſub finem voluminis inſcripſimus, ſigillo facultatis noſtræ munitam. Commendaſſem ego volumen illud, quo nimis diu caruiſſe videmini (nulla tamen noſtra culpa) mercatori cuipiam profecturo Lipſiam ad mercatum, unde porro ad vos curaretur perferendum. Sed D. Remus nunc mihi ſcripſit, prius remitti debere ad D. Hubnerum, qui habeat mandatum, ſecundum quod curaturus ſit, uti liber ad vos redeat. Ideo quoque neceſſarium fuit, librum remittere ad Noricos noſtros, quod ipſorum ſubſcriptio necdum adeſſet. Maluiſſemus autem hanc præceſſiſſe, eamque ob cauſam tria folia vacua reliquimus inter Dn. Mart. Chemnitii & noſtram approbationem, ſi forte adhuc velint ſuam ſubſcriptionem noſtræ præponere. Sed hoc in ipſorum erit arbitrio. Neque tantum eſt (hac quidem in re) momenti in collocatione, cum videamus etiam Lipſienſium ſubſcriptionem ſubjectam eſſe Francofurtenſi, vetuſtius nempe collegium poſt poſitum recentiori, quod ſine præjudicio fit dignitatis cum iſta res agatur ὡς ἔτυχε. Spero jam curæ futurum Clariſſimo D. Hubnero, ut librum & documenta, quæ omnia ſalva a nobis recepit, vos quoque mature recipiatis. Hæc interim ad te, ut conſtet vobis de fide noſtra, & quod per nos non fiat, quo minus in tempore reſponſa ad vos redeant. Etiam Cenſuræ noſtræ concepta verba, quomodo ad calcem reſponſorum adjecta eſt, volui denuo deſcriptam & ſubſignatam ſigillo publico ad vos, quaſi in anteceſſum, mittere cum his literis, quas ex mercatu Lipſico recte, uti ſpero, accipietis, curante ornatiſſimo juvene Theodoro Sizmanno: huic enim commendavi. Haberem plura, de quibus non ſolum ad te perſcriberem, & inter alia etiam de metu, in quo hic verſamur ob exercitum ad Danubium collectum, verum etiam ad Dn. Theodorum, ejuſque fratres (ſi tamen adhuc vobiſcum ſunt) modo & tempus & vires ad ſcribendum ſufficerent. Nunc & illud me deficit, & propemodum etiam iſtæ, languent certe oculique ambo, cerebrumque manuſque inter hunc concurſum multiplicium ſcriptionum. Alioquin etiam a ſemeſtri toto, & quod excurrit, dubiæ ſæpe & afflictæ fui valetudinis, necdum ſatis me recollegi. Excuſabis igitur me, & ipſis (diligenter a me ſalutatis) ἀχαφίως πέει, & tibi quod nec plura nec accuratius ſcribam. Salutem adſcribo officii & cultus plenam Cl. V. Dn. D. Cothmanno, & Dn. D. Reinholdo (quem confido meos & M. Picarti verſus accepiſſe in tempore, miſſos ſcil. ad eum & ea via, quam & quem ipſe nobis deſignarat) & Rever. clariſſimoque viro Dn. D. Lubino. Vale, mi cariſſ. amice, & ſalve. Altorfii die XIIX. Aprilis MDCX.

EPISTOLA CLXXIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Ritterſhuſius.

Roſtochium.

MErebatur hoc ſingularis illa de me ſollicitudo tua, V. Cl. & doctiſſime, & amiciſſima affectio, quæ ex omnibus partibus litterarum tuarum extremo menſe Auguſto, & deinde aliarum 24 Septembris ad me datarum luculenter apparebat, ut multo ante reſponderem. Neque ſane voluntas ac προθυμία mihi defuit, ſed mittendi occaſio. Eam cum nunc demum monſtravit mihi noſter Ruarus, quidni ea libentiſſime utar? Non dubito, mi cariſſime Kirchmanne, quin ab aliis jam cognoveris calamitatem Academiæ noſtræ, quam ſuperiori tempore Autumnali perpeſſa eſt, dum ſemina quædam contagioſi morbi, aliunde huc importata, & quibuſdam civibus exitialia tantum, ac fere panicum terrorem pleriſque omnibus ſtudioſis (quorum tamen nemo, quæ ſingularis eſt Dei clementia, malo iſto correptus aut ſublatus eſt) injicerent, ut velut agmine facto certatim diffugerent, aut certe ſeceſſum quærerent in vicinia, ſpeculaturi ex tuto, quo res evaſura eſſet. Clementer nobiſcum egit Deus, & plagam a nobis avertit poſt paucas dierum hebdomadas, nec ita multos e medio ſublatos, cum quidem plus periculi impendere videretur, & ſatis refertum ſit oppidum noſtrum pauperculis ac ſordidis hominibus, adeoque turba puerorum & puellarum. Ceſſante igitur malo, ceſſavit etiam ſolitudo noſtra ſcholaſtica, & ſatis magnus numerus ad nos rediit, ut mediocris frequentia in auditoriis noſtris denuo conſpiciatur: tametſi nonnulli alias ſibi ſedes delegerunt, & quidam Ingolſtadium commigrarunt, inter quos etiam Albinus noſter cum ſuo Jaſmundo. Scripſimus nonnulla per hanc occaſionem Cl. D. Scipio & ego, quæ idcirco edenda cenſuimus potiſſimum, ut aliis ad quos forte ſiniſtra de nobis fama pervenit (ὡς ταχεῖα πειθὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ) certi quid habeant de rebus noſtris, quo jam ſint loco: tum etiam ut publicum exſtet grati erga Deum ſervatorem animi noſtri indicium ſive teſtimonium. Pagellas cum his litteris ſpero te accepturum. Indies enim vel in horas potius exemplaria ex urbe exſpectamus, ubi imprimuntur. Habes hic etiam orationem Magnifici noſtri, quam eadem occaſione habuit atque edidit. Ejus titulus nonnullis viſus eſt paulo inſolentior in *Reſtituitq*. & contra nimis abjectum, quod in præfatione ſcribitur, *Academiam non parum debere Baroni illi*, qui adhuc eſt adoleſcentulus, & vix ſemeſtre hic vixit, ut necdum potuerit ſuis meritis valde ſibi devincire atque obnoxiam reddere Academiam. Sed hæc te παῤῥησιάζων, quod mihi fraudi eſſe nolim. Reſponſum noſtrum pro cauſa veſtra juſtiſſima non ingratum vobis fuiſſe, libenter ex tuis cognovi. Parati autem ſumus præſtare vobis etiam deinceps, quicquid vires noſtræ ferunt, & vobis gratum fore intelligemus. Mirabar ſi antagoniſta veſter nondum quieverit. Male ſit illis, qui premunt, affligunt, perſequuntur, per quos creve-

creverunt: vel ut mitior ipſis ſim, meliorem mentem iis precor. Syntagmati tuo de annulis (quod in luce publica videre geſtio) bene precor. Strenue igitur perge, & opus abſolve, propitio Deo. Quod ex me quæris, quis ſit ille Magiſtellus, quem Caſaubonus perſtringit, puto eſſe Theodorum Marcilium, tametſi nihil explorati habeam, nec emendationes ipſius Suetonianas viderim. De pugna inter Plinium & Tertullianum quoad materiam annuli pronubi, vix video, quomodo ſit componenda, ſi repudiemus Junii conjecturam, niſi forte & hoc dicamus. Non negare Tertullianum annulum ferreum, dum ſignificat fœminas aureum quoque geſtaſſe eodem illo digito, quem ſponſus ſibi ſubarrhaſſet dato annulo ferreo. Sed fortaſſe meliora jam exputaſti ipſe, aut aliunde eruiſti, quæ libenter ex te diſcemus. Nobilem illum Dn. Teſſenium Parſovium non novi niſi ex tuo elogio, quod apud me plurimum valet. Velim ſcire, cur quæſieris de mea ipſius notitia. In nuntio de obitu præſtantiſſ. viri Dn. Theodori a Senden ſerio ingemui. Sed ille jam pro his terrenis & caducis, qua bona appellantur, cæleſtia illa & ſempiterna, quæ vere talia ſunt, conſecutus, multiſque moleſtiis, turbis & malis hujus vitæ ereptus, gratulationem potius meretur, quam lamentationem. Quid ſit de iis, quæ in obitum B. M. D. Ignatii noſtri edere parabas? fortaſſe jam conjunges hoc par amicorum, & ſimul conſecrabis amborum memoriam. Vale & nos amare perge. Salutant te Collegæ mei. Altorfii die S. Thomæ Anno 1610.

EPISTOLA CLXXV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium.

REdditæ ſunt mihi literæ tuæ, Vir doctiſſ. & amiciſſ. quas decimo nono Junii ad me dederas. Eæ cum eſſent domum comunis amici noſtri Cl. Dn. Doctoris Remi allatæ, una cum adjuncto faſciculo, Bambergæ hæſi in ædibus Ampl. Dn. D. Pancratii Holtzſcuhii, Soceri mei. Fuit eo excurrendum mihi cum uxore & affine Dn. Dinnero ejuſque conjuge, quod bonus ille vir ſubito & improviſo caſu nobis ereptus ſit. Nam decimo nono Junii, cum ex itinere, quod officii ratione ſuſceperat, domum redire pararet, Vorcheimiique interjunxiſſet, ac divertiſſet apud veterem amicum & hoſpitem, ad menſam aſſidens ſobriam ſolus, cum præſentibus duntaxat famulis, Apoplexia correptus eſt, quæ ipſum intra duodecimam horam extinxit. Memorabile autem hic mihi illud imprimis viſum fuit; quod eo ipſo die hæc ei evenerunt, quo ante annum lætus lubenſque hic filiæ ſuæ meiſque nuptiis interfuerat. Deinde quod ſuper eadem menſa paulo ante ἀπόπληξιν illam, quam dixi, ſermones cum amico habuerat, de ſuo munere, quod nimis grave ſuis humeris incumbere ſentiret, propediem reſignando. Ego Bamberga ante 7 quaſi hebdomadas huc ſolus redii, ad operas & rem familiarem meam, relictis ibidem, familiæ erciſcundæ cauſa uxore mea, cum ſorore Dn. D. Dinneri

neri conjuge & ipſo affine Dinnero, qui etiam nunc in ædibus paternis hærent, donec cum noverca & aliis negotium faceſſentibus convenerint. Hæc de rerum mearum conditione, quæ ſimul ni fallor commiſerationem apud te commovebit erga nos, ſimul etiam veniam mihi impetrabit moræ paulo longioris in reſpondendo; Non enim potui citius; tametſi maturare me debuiſſe fateor gratiarum actionem de tranſmiſſa pulcherrima præfatione & commendatione Novellis meis præfigenda. Quæſo te ut meis verbis maximas gratias agere velis ſpectabili Dn. Decano ordinis JConſultorum, pro tanto honore mihi habito, quibus memoriam grati animi ſempiternam ſpondeo, & ubi opus illud lucem aſpexerit, ejus rei pignus & teſſeram quaſi ad vos mittam. De reſponſis Ampliſſ. & Conſultiſſ. viri Dn. D. Erneſti Cothmanni maturandis inſtiti Noribergæ apud Dn. Remum, daret operam ut tandem ad vos, qui jam toto anno illis caruiſtis, redirent. Reſpondit detineri ea a quibuſdam Collegarum ſuorum. Mihi etiam hoc in cauſa eſſe videtur tam diuturnæ retentionis, quod turbulenta hæc æſtas & formidoloſa tempora JConſultis noſtris, qui in urbe ſunt, labores ſuos ſubinde augent grarioreſque faciunt. Senatores Duo Noribergenſes Dn. Wolfgangus Loffelholzius & Dn. Georgius Volkaimerus Reipublicæ ſuæ nomine Pragam miſſi ad vocationem Cæſareæ Majeſtatis, duos jam menſes abſunt. Mercatores Norici cum peterent Linzium ad mercatum euntes, Paſſavii intercepti detinentur adhuc cum mercibus maximi pretii, trium, ut ajunt, tonnarum auri. In Alſatia inducias factas perhibent. Interim Juliacum in poteſtatem Principum confœderatorum veniſſe fama eſt, quæ ad vos jam pridem, ut arbitror, pervenit. Sed de his aliiſque ad publicum ſtatum pertinentibus, procul dubio cum ab aliis plura certioraque accipis, tum a Cl. Remo noſtro. Ego ad privata redeo. Buſſiis ornatiſſimis felicem peregrinationem precor, & felicem ad ſuos reditum, ut poſt annum acclamare poſſimus Theodoro & Clingiæ ſponſis feliciter. Commendabo eos hoc mercatu Caſaubono. Hoc enim officium me rogavit poſtremis ſuis D. Theodorus, quamquam, ut ad nos perſcriptum eſt, Caſaubonus migraturus eſt in Angliam, acceſſitus a magno Rege Britanno. Amiſit enim, Rege nefarie trucidato, incomparabilem patronum. Martinus Ruarus Holſatus magnopere me ſibi devinxit pulcherrimis & elegantiſſimis duabus Elegiis ſuis, quibus ſecundas nuptias meas exornavit: quod fortaſſe nunquam facturus, abſque tuo hortatu & incentivo, fuiſſet. Ita fit, ut non minus tibi hortatori, quam ipſi debeam authori. Utrique certe veſtrum fateor debere plurimum. Et ipſe quidem Ruarus nuperrime e Saxonia ad me ſcripſit literas eruditione & amore mei ſingulari refertas: cui reſpondebo propediem, cum ſciam, ubi locorum degat. Qui has tibi reddet ſtudioſus noſter, ait ſe cognatum Cl. noſtri Ignatii τȣ̃ μακαρίτȣ. Spero eum tibi vel hoc nomine gratum adventorem futurum. Mihi quidem etiam propriæ indolis ergo acceptus fuit, adeoque hic ipſum promoviſſem ſedulò, ſi occaſiones præſto fuiſſent: quæ apud nos ſunt rariores. Utinam apud vos inveniat; quæ commoda quærit. Tu adjutum ibis hominem, quem tibi,

ſi

ſi opus eſt, commendo. Vale & ſalutem dic, cum cæteris Dominis Collegis, quibus notus ſum aliquomodo, tum Cl. Dn. Cothmanno, cui & hoc in aurem, libenter nos gratuitam hanc operam Academiæ veſtræ præſtitiſſe, quam lectioni & approbationi conſiliorum ipſius impendimus, neque hoc nomine quidquam deſiderare præter mutuam benevolentiam. Iterum atque iterum vale, & ignoſce, ſi aberravit ὁ γράφων, qui mea dictata excepit. Non vacat relegere. Altorfii die v Septembris MDCX.

EPISTOLA CLXXVI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium.

POſt longa noſtra ſilentia, quorum ego culpam, Vir amiciſſime & humaniſſime, deprecor, rejiciens partim in varia impedimenta, quæ me hactenus a ſcribendo abſtinuerunt, redeamus, ſi placet, ad conſuetam viciſſitudinem hoc genus officii. Principio autem, quando hanc epiſtolam tibi ſub initium novi anni redditum iri ſpero, fauſtiſſimum tibi illius exordium, progreſſum & exitum comprecor, atque opto cœlitus a Patre luminum, a quo omne datum optimum proficiſcitur. Secundum hæc vota adfero ad te duo Euangelia, unum de ſtudioſo veſtrate, meo auditore ſedulo, Henrico Heynio: alterum de Salviano, meiſque in hunc conatibus. Ac Heynius quidem noſter diſputationis ſuæ de minoribus xxv. annis Præſidem me ſuperioribus diebus elegit. Eamque ante quatriduum, publice in bona frequentia præclare ſuſtinuit, promeritus approbationem laudemque omnium, qui aderant, & aliquid de ingeniis ac ſtudiis talibus æſtimare poſſunt. Hoc ſi retuleris ipſius adoleſcentis honoratiſſimis propinquis, ſcio placiturum non mediocriter, imprimis fratribus & Ampliſſimo Clariſſimoque viro Dn. Erneſto Cothmanno. Horum ut & tui nominis mentione verſiculos meos, quos rogatu ipſius ſcripſi, ut theſibus ſubjungerentur, exornare placuit, cum alioquin ex ſe ipſis ſatis jejuni atque invenuſti futuri viderentur. Id factum vobis non improbari cupio. Atque hæc hactenus. De Salviano ſic habe. Cum is graviſſimus autor ex Dn. Cujacii aliorumque juris & humanitatis antiſtitum, ut Jac. Revardi, P. Fabri Fr. Jureti, Lipſii, Caſauboni noſtri citationibus quorundam locorum primum innotuiſſet, indeque mihi comparatum magna cum voluptate legiſſem, nonnullaque (ut fit) obſervaſſem & notaſſem. Collegi tandem diverſorum temporum annotationes in unum libellum, & conſilium cepi de hoc ipſo cum authore, qui multis etiam doctis (quod expertus ſcribo) incognitus & infrequens, in noſtris præſertim regionibus, hactenus fuit, in publicum emittendo.. Jam ſat ſcio, te ultro huic noſtro inſtituto ſubſcripturum illud vetus B. F. Fateor equidem eſſe, a quibus hic autor graviſſimus ſanctiſſimus atque doctiſſimus longe melius illuſtrari potuiſſet, inter quos te quoque optimo jure numeramus. Quia tamen alii majorum gentium Critici atque Philologi ni-

Ii mis

mis diu ceſſant, ego in medium prodire volui, non quaſi hanc provinciam optime adminiſtrare poſſem, ſed ne diutius æquo vacua relinqueretur. Itaque vel meo ſumptu apud nos imprimendum curo Salvianum; quæ res tametſi magno mihi conſtabit, tamen eſt tanti, dum publice proſimus, etiam rem familiarem atterere: id quod & in Malcho ſuperiore æſtate emittendo mihi contigit. Sed hanc potiſſimum ſpecto utilitatem, quod operi quotidie adeſſe, & currente prælo, quaſi ſub manu nata, addere licet, idque ſi alio peregre mittenda ſunt, ſecus habet. Nunc illud eſt, quod te rogo, ut ſi quid memorabile ad Salvianum habes conſignatum, id mecum velis communicare, ut cum laude tua ad utilitatem publicam una cum meis commentariis proferatur. Pervenerunt operæ ad literam K. & quamvis lente, nec niſi horis ſubſecivis procedat impreſſio, tamen ſpero intra trimeſtre proximum opus abſolutum iri, ut Deo volente ad Nundinas Francofortenſes deportari exemplaria poſſint. Interea ſpero me reſponſum abs te habiturum. Præter haſce tres editiones Baſilienſem Braſſicani, quæ omnium, ni fallor, prima extitit, P. Pithei Pariſienſem, & Jac. Chovet vidi nullam, tametſi exſtare audio plures. Harum prima caret epiſtolis ſimul & libris quatuor ad Eccleſiam Catholicam ſub Timothei nomine invulgatis, quos ipſiſſimos illos eſſe puto, qui contra avaritiam a Salviano ſcripti ſunt. Tertia epiſtolas quidem habet Salviani; ſed quatuor illos libros non item, ſed de his ſatis. Jam enim prolixus eſſe incipio, & ſimul ad plures ſcribendum eſt mihi, mercatus Lipſici occaſione. Lippitudinis meæ ſignum tibi eſto manus aliena, ſi tamen filii manus aliena dicitur, cum ipſe filius portio ſit corporis paterni. Ei igitur hæc dictavi, nec relegi, eodem obſtante vitio, quod ſuperioris diei ſcriptionibus & lucubrationibus contraxi. Cætera mediocriter valemus. Vale tu quoque & ſalve amiciſſ. Dn. Kirchmanne, & mature, quæſo, reſcribe. Salutem illis, quos ſupra nominavi Ampl. & Cl. viris meo nomine velim dicas, ut & Rev. Cl. Dn. Lubino & Dn. Reinoldo a Gheren. De Cl. Caſauboni ex Gallia in Angliam migratione, & totius familiæ tranſlatione, hic nonnihil ſuperioribus diebus inaudivimus, quod vocatus a Magne Britanniæ Rege mille coronatis operam ſuam conduci paſſus ſit. Qua de re vos procul dubio certiora habetis. Ad Gentilem noſtrum Magnificum ipſemet ſuperiore menſe Octobri ſcripſit de ſua in Angliam transfretatione. De manſione tamen nihil: hoc tantum; a Regina vidua ad bimeſtre commeatum impetraſſe. Bene ſit magno illi viro literarum lumini & columini, ubicunque terrarum ſit. Malchi noſtri exemplar an tibi antehac miſerim, non bene commemini. Hic ecce habes, ea lege ut ſi jam aliud habes, hoc des amico cuipiam, cui talia ὀυκ ἐυκαταφρόνητα eſſe noveris. Iterum atque iterum vale. Altorfii die S. Thomæ Ap. A. 1610.

EPI-

EPISTOLA CLXXVII.

JOANNI KIRCHMANNO S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium,

SCio jam pridem in expectatione apud vos eſſe cæpiſſe Salvianum noſtrum: quem multo ante miſiſſem, ſi typographicæ operæ feciſſent officium. Nunc cum illæ nos tam diu remoratæ fuerunt, habebis me, amiciſſime mi Dn. Kirchmanne, excuſatum. Accipies cum his exemplar ſancti illius & gravis ſcriptoris, mea cura atque impenſa editi, quod rogo una cum literis adjunctis offeras Magnif. Dn. Rectori veſtro. Adjunxiſſem perlibenter plura exemplaria, quorum unum tibi reſervares ad privatos uſus, habereſque a me δῶρον ἰδιόκτητον, cætera diſtribueres aliquot Collegis & amicis. Sed cui faſciculum commendo, is majorem molem recuſat ac deprecatur. Itaque non niſi unum ei committere potui Lipſiam deportandum, indeque ad vos curandum, & hoc ipſum ἀσύνδετον καὶ ἄκοσμον. Et hoc ergo, & illud pro tua humanitate excuſabis, munuſculum licet inveſte verbis exornans quod poteris. Utrumque ut facias, pluribus te non rogabo, ne diffidere videar tuæ erga me benevolentiæ, quam ſcio eſſe eximiam. Inter relegendum ſi quid in Salviano obſervaris, quæſo mecum communica, ut mantiſſæ, quam paro, accedat, debito cum præconio nominis tui. Valde jam deſtituor tempore, præſertim dum ad plures ſimul ſcribendum eſt, ſine detrimento tamen operarum noſtrarum Academicarum. Itaque nec ad te omnia, quæ cuperem, poſt tantum præſertim ſilentium perſcribere licet, nec ad Cl. V. D. Theod. Buſſium noſtrum multa potero. Videbo tamen ne dem nihil, meaſque cum literis Theod. Sitzmanni compatris amiciſſimi conjungam. Sed & tu ipſum meis verbis amantiſſ. ſalutabis. Vale & ſalutem quoque dic Cl. & Ampl. viro Dn. Cothmanno, & aliis Collegis veſtris. Altorfii pridie S. Matthæi, Anno Domini M.D.CXI.

EPISTOLA CLXXVIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Conradus Rittershuſius.

Roſtochium,

LIteras tuas Vir Doctiſſ. Dn. & amice honoratiſſ. quas 10 Martii dederas, ad me miſit. Cl. Remus noſter, una cum iis, quas ad Collegium noſtrum dedit Academiæ veſtræ Syndicus. Non potuimus habere certam occaſionem reſpondendi ante nundinas Lipſicas. Ego igitur has mittam cum Reſponſo Collegii, bona ſpe fretus, inde ad vos probe iſta curatum iri. Commendavi certe diligenter Theodoro Sitzmanno compatri meo, qui Lipſiam a nobis hac hyeme remigravit. Si deſiderio veſtro ſatisfactum fuerit a Collegio noſtro, gaudebimus iſtius officii præſtatione. Dolemus autem vicem veſtram, qui

toties collidamini cum Senatu urbico: quem certe æquum erat magis eſſe ξενικὸν καὶ συμβιβαστικὸν, adeoque revereri aliarum de ſe judicia Academiarum, imo & ſingulorum hominum, qui aliquem habent ſenſum humanitatis, & ἀδεκάστως judicant de talibus actionibus, in quibus certe nos eſſe confidimus. Tuas literas triduo poſt ſubſequebatur Nobilis Adoleſcens Cimber, qui mihi adferebat literas Cl. viri Dn. M. Daſenii Rectoris. P. T. Magnifici, una cum eleganti & pretioſo poëmate, quod nihil minus, quam tale quid, cogitanti Academia veſtra mihi mittendum decreverat, cujus rei indicium in tuis mihi feceras. Itaque tibi hoc nomine debeo εὐαγγέλια. Magnifico Dn. Rectori, & per hunc toti Reverendo Concilio veſtro per literas gratum animum teſtari ſtudui, quas rogo ei reddas. Scripſi etiam peculiariter ad Dn. Daſenium, cum putarem hunc magiſtratu jam abiiſſe. Magno in ære veſtro me agnoſco & profiteor, nec ullam dimittam occaſionem probandi vobis memorem ac gratum animum, omnemque obſervantiam, qua vos colo. Dicto hæc ad te, languens adhuc ex contumaci morbo thoracis, qui me totas jam ſeptem hebdomadas dierum ſatis graviter adflixit, adeoque lecto adfixit, quo nondum carere poſſum aliquot diei horis. Cautio mihi eſt, ne deſinat iſtud malum in Hecticam, aut hujus ſororem Phthiſin. Deus me clementer reſpiciat, meque, ſi ipſi videbitur, liberis meis & ſtudioſæ juventuti diutius ſoſpitet, priſtinæ valetudini reſtitutum: quod te juxta mecum optare ac precari ſat ſcio. Vale feliciſſime, & verbis meis dic ſalutem cum cæteris Collegis tuis, tum imprimis Rev. & Cl. viro Dn. D. Eilardo Lubino, & Ampliſſ. Conſultiſſimoque Dn. D. Erneſto Cothmanno. Altorfii D. 25. April. An. 1612.

EPISTOLA CLXXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Chriſtophorus Colerus.

Roſtochium,

CUm tuæ literæ, Vir doctiſſime, huc adferrentur a tabellario Noribergenſi, peregre aberam, & ſi ſcire cupis, Pragæ eram. Nihil vero illis gratius mihi accidere tum potuit, quæ ex itinere fere trimeſtri contractam omnem nauſeam abſtergerent. Nam & doctæ erant & animi tui φιλοφρονητικοῦ ſigna exſtantia præferebant. Ignatius Hanniel eruditione ſingulari mihi ſatis notus eſt; fide & candore notiſſimus. Unde non vulgariter ejus amicitiam colo. Verum is nimis a nobis abeſt procul, hoc eſt in Academia Bituricenſi Gallica. De Terentio cur me olim amares cauſæ non erat. Puer iſta olim ſomniaveram. Parergis fortean non derogem ipſe diligentiæ & induſtriæ laudem. Alia etiam edidi, ſed quæ magis inſerviant vulgo, quam doctis & tibi placeant; ut Quæſtiones Vaudi & Coſtani a me Jenæ editæ: Sententiæ ex utroque jure conſarcinatæ, excipio tamen Alexandrum ab Alexandro, in quem quædam poſt magnum illum Tiraquellum vidimus. Nunc typographus exſpectat Commentarium in Bellum Catilinarium Salluſtii, quem ſpero me eruditis probaturum. Schioppii noſtri ſuſpectas videbis illic poſt nundinas. Is

jam

jam in Italia eſt, rediturus huc ante hiemem. Ejus loco tibi paravi alium amicum, V. Cl. Conradum Rittershuſium J. C. tui ut vere vice Schioppii interim fungatur, ſcribere potes. Ab eo ſalutem tibi nunciare juſſus ſum. Ne dubita, acceptiſſimus nobis es, ac perge ſis modo, & ejuſmodi literis crebrius me viſe. Vale Kirchmanne doctiſſime. Altorfii XXIIX. Aug. CIↃ. IↃ. XCVII.

EPISTOLA CLXXX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Chriſtophorus Colerus.

Roſtochium,

SErius equidem quam debebam, tuis reſpondeo, mi Kirchmanne, ſed hoc peccatum crebro inter amicos committi ſolet, uti ipſe noſti. Itaque facile veniam apud te ſpero vincibilem. Si tamen iraſceris, puto hiſce te novis demulcebo. Schioppius iſte, quando defecerit, & ubi, puto probe noſti. Illud non item, agere nunc Ferrariæ apud quendam Wakerum D. juris & Cæſaris legatum. Orationem in laudem hujus Pontificis habuit, in qua mirifice adulatur illi Pſeudo-Petro, & ad ſæviendum in nos bonos Chriſtianos, perfide & crudeliter eundem invitat. Eſt ea oratio typis vulgata Ferrariæ, & huc a Giſanio miſſa, ſubſcripſit ſe in illa Oratione Schioppius Aulæ Lateranæ & ſacri Palatii comitem. Hinc illæ lacrimæ. Honores ille homo plane Diabolico faſtu venatur & raptat. Rittershuſius ex morbo diutino & admodum periculoſo pene convaluit. In Gallia ſummum otium nunciatur, & literæ in novum florem creſcunt. Vocavit Rex Caſaubonum Lutetiam & Scaligerum. Scaligero ſua manu ſcripſit. Cum Caſaubono de Academia Pariſienſi inſtituenda per tres horas locutus, ſcribitur a Franciſco Pithæo. Evocabuntur ex Germania ut audio aliqui excellentes J. C. Mirum quid noſter Scipio Gentilis ſit facturus. Suboluit mihi neſcio quæ de ejus in Galliam captatiuncula. Nam eo omnium familiariſſime utor. Giſanius a Pontifice vocatus eſt, ad inſtaurandas ibi cathedras Juriſconſultorum. Ego an adhuc Baſileam ante Paſcha, ad petendos honores Doctoris ſim iturus, addubito. Vale, VIII. Jan.

EPISTOLA CLXXXI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Chriſtophorus Colerus.

Roſtochium.

MEl merum mihi literæ tuæ fuerunt, amiciſſime mi Kirchmanne. De lauru quid mihi narras? Equidem nihil tale me a Reuſnero petiiſſe ſcio. Tu tamen aliquid ex penu Muſico depromas licet. Nam fortean ultro mittet Reuſnerus, quod non ſpernam. De Salluſtio ante haſce nundinas nihil fiet culpa & flagitio maximo typographi mendaciſſimi. Plautinæ æque nihil quam typographum citant. Delibero an has Francofurtum ad Mœnum mittam:

ubi cum quibuſdam typographis antehac notitiam contraxi. Gaudeo te de Magiſtratibus Romanis legere, ſed velim te videre etiam Juſti Lipſii libellum egregium, qui penes me, *De Magiſtratibus Rom*; nunquam editus eſt, & mihi a quodam Lipſii diſcipulo donatus. Nuper cum Noribergæ eſſem, indagavi & reperi tandem bibliothecam quandam optimæ notæ. In qua, præter multas inſignes alias antiquitates, inveni utriuſque linguæ ſcripturas complures in pergameno ſcriptas. Dici non poteſt, quam iſta res me delectaverit. Fuit ea olim Wilobaldi Pirkheimeri, Viri nobilis, & Patritii, & ſummi Hiſtorici. Inveni etiam Plautum & Salluſtium antiquiſſimos, Thucydidem, Ptolemæum, Euclidem, Horatium, Juvenalem, Martialem & alios ſcriptores. Quædam Plinii de Medicina nunquam typis edita. Gaudebis mecum ſcio, & magis quidem ubi ſcis, mihi illa tota Bibliotheca uti frui licere. Vale, & me ama. Altorfii 13. Feb.

Profeſſio mea heic magnifica. Habeo enim ultra 100 auditores quotidie.

EPISTOLA CLXXXII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Michael Piccartus.

Roſtochium.

CUm triga hæc fratrum Buſſiorum pulcherrima & ornatiſſima, Kirchmanne Clariſſime, ad vos viam adfectaret, duplici nomine gravíſus ſum, altero, quod occaſio mihi daretur alloquendi te per certos homines, quique, quod unice habebam in votis, mihi repræſentarent, altero, quod oſtendere liceret doctiſſimis fratribus, conſalaneis diu meis, amicis ſemper ſuaviſſimis, meum de ipſis apud exteros judicium. Utrumque tibi non fore ingratum, mi Kirchmanne, ſpondeo. Illud, quia & præſens amari me abs te non obſcure intellexi, & ejuſdem in abſentem eſſe animi literæ loquuntur ad Cl. Rittershuſium noſtrum. In eo paria tecum me facere perſuaſiſſimum habe, Vir. Cl. & facturum, quamdiu me mei compotem voluerit eſſe Deus Opt. Max. Idem ut tu perſeveres facere non rogabo, quoniam iſtud natura tua auguratur & virtus. Iſtud quoque humanitas tua patietur, ut tibi commendem eos, quos tuapte ſponte commendatiſſimos habiturus es, ubi cognoveris. D. Theodorum natu maximum in jure civili verſatiſſimum deprehendes, ſic ut multos hordeaceos doctores longo poſt ſe intervallo relinquat. Ejus fratres ſtrenue fraternis inſiſtunt veſtigiis. Sed vecors ego, qui in illis commendandis te fatigem, qui ſe, ſat ſcio, & Academiæ veſtræ & tibi probabunt. In cujus mentionem dum incido, recrudeſcit, & in animo meo vulnus eidem inflictum morte ſummi viri Ignati Hannielis JC. amici tui, cujus obitu inſperato, quantum acceperit damni res literaria, non dici ſatis, nec doleri poteſt. Tu, mi Kirchmanne, vides geminum tibi onus hoc caſu impoſitum tuendi honoris Academici, quorum alterum ab amico in te devolutum ſuſtines hactenus ſine querela. Vive modo & perenna cum paucis aliis Academiæ tuæ proceribus, & mitius feremus, quod

Deo

Deo viſum videmus. Honori ſummi viri ſcripſi Epigramma, quod per Cl. Rittershuſium ad vos jam credo miſſum. Vale Cl. Kirchmanne, & ſicubi tibi otium erit quandoque, ad has nugas noſtras diverte. Vale iterum meque, ſi mereor, amare perge. Altorfii, Menſe Octobri die 20 Anni CIↃ IↃC IIX.

EPISTOLA CLXXXIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Michael Piccartus.

Lubecam.

NOn potui non animo commoveri & exſultare, cum intelligerem te nihil immutatum mihi eſſe. Supereſt ut abs te petam, uti deinceps quoque vel conſtantiæ tuæ cauſa affectum illum mihi ſervare velis: Nam ea ſunt tempora, cum penuriam amicorum queri oportet, ita nobis vel fata eos eripiunt, vel alia quædam inſperata. Quot enim meliores animas paucorum annorum ſpatium eripuit? pauci certe ſunt, qui dignitatem noſtri ordinis & literarum cum aliqua fama tuentur: Ego præter Gruterum & te, Heinſiumque noſtrum & Meurſium paucos habeo, poſtquam Caſauboni, Rittershuſii, Taubmanni & alii veri boni nos & hæc mortalia deſeruere, itaque mirari non debes, ſi ſtudeam omnibus officiis & obſequiis veteres amicos retinere. De meis ſcriptis quid tu & viri boni ſentiant, quanquam non ingratum eſt cognoſcere, tamen nolim quidquam affectui dari, & ſi quiſquam alius modice aut, intra etiam modum, ego de me ſentio, & cognoſco indies magis, me velle aliquid, vos poſſe. Itaque cupide exſpecto Syntagma tuum de annulis, in quo vellem aliqua a me te juvare poſſent. Sed ſcio te omnia jam inventa habere. De uſu annulorum in ſiniſtra locum Tertulliani notavi extremo libello, de habitu muliebri, *ſiniſtra* inquit *per ſingulos digitos, de ſingulis ſacris ludit*, quo facit & Plin. *l.* 33. *c. i.* & 2. Rationes ab aliquibus redduntur hæ. I. ut tegatur luxus & ſuperbia, quia ſiniſtra manus magis latet quam dextra, aut certe facilius tegi poteſt. II. ut dextra ſit liberior, quæ plus laborat. III. ut gemma annuli laboribus minus perdatur. IV. ut cordi principali membro honor habeatur, a quo venula pertingit ad digitum ſiniſtræ manus, qui exinde dicitur annularis. V. ut gemmæ vires per illam venulam facilius ad cor pertingant. Ridebisne cor Zenodoti & jecur Cratetis? Alia in meis Adverſariis ſi reperero, ſubmittam. Occaſio enim ſe offert ſæpius ſcribendi, per D. Gulderſtern Baronem Suecum, qui meo convictu utitur, & ad Grunewaldium veſtrum frequenter literas mittit, cui tu & tuas, ſi quas mittere voles, commode tradere poteris. Ruarus à nobis deceſſit aucta eruditione, ſed non famâ: nam & in caſtra Photinianorum cum aliis quibuſdam adoleſcentibus conceſſit, quorum ſocietas non leve vulnus Academiæ noſtræ inflixit. Fuit hic Profeſſor Philoſophus Erneſtus Sonerus, qui venenum in Belgio ab Arminio propinatum transfudit in diſcipulos ſuos, & non niſi optimo ingenio præditos, qui porro plantare poſſent. Hi jam numerum & ſectam trahunt, e quibus aliqui captivi a Senatu noſtro aſſervantur, ſti-

pen-

pendiarii ipſorum. Quid de illis ſtatuatur, forte poſt ſcribam. Ruarus Argentinam conceſſit, alii Witebergam, alii Jenam, alii Helmæſtadium inſederunt, ut plures in partes ſuas pertraherent. Deus illis ignoſcat, & niſi in reprobum ſenſum dati ſunt, juſto judicio in viam regiam reducat. Idem te vir Cl. & Amiciſſime bono publico & literis ac ſtudiis noſtris ſervet, mihi etiam amicum paria facturo pro virili. B.V. Altorfii 6. Cal. Majas Anni 1616.

EPISTOLA CLXXXIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Michael Piccartus.

Lubecam,

Literis tuis, Cl. & Amiciſſime Kirchmanne ad VI. Cal. Jan. datis reſpondi copioſe, reſponſumque commiſi Generoſi D. Guldenſtern L. B. Sueci Ephoro, D. M. Laurentio Olao Wallio, qui ſuis incluſum miſit ad mercatorem veſtratem, virum magni ut intelligo, nominis, & opum non modicarum, D. Grunewaldum, per eum tibi recte curatum confirmabant illi mihi; Factum id ſit an ſecus, tu noveris. Antequam vero illæ tibi meæ literæ redditæ eſſent, venit a te mihi epiſtola viva, florentiſſimus virtute & doctrina adoleſcens Johannes Elsvigius, cognatus tuus, commendatus mihi per literas a viro Cl. D. Theodoro Buſſio JC. amico communi. Ejus converſatio, ſicut & honoratiſſimorum ipſius comitum mihi longe fuit jucundiſſima, quam tamen voluptatem interpellavit fatum meum & ipſorum feſtinatio, venerant enim ut abirent, & unam ſolum noctem hic ſubſtiterunt, Tubingam cum primo ſole contendentes. Aſſiduus fuit inter Elſvigium & me de te ſermo, ſicut & de Ruaro, de quo quæ tibi ſcripſeram, ea narrabam illi vix fidem mihi habenti, niſi Epiſtolam ejus ad me legiſſet. Is Ruarus Argentinæ hactenus cum nobili Marchico a Burgsdorff vixit conditione honeſta. Sed poſtquam illum & publica fama, & complicum judicia Photinianæ impietatis reum peregerant, moniti ſunt ab amicis Nobilis illius tutores, qui res illum ſuas ſibi habere juſſerunt, & magiſterio ejus cognatum adoleſcentem ſubtraxerunt. Itaque ante paucos dies Argentorato ſe movit, quo locorum iverit, neſcio. Hic autem conſtat cum Muſæum ſuum impietati iſti commodaſſe, in quo & Sacramento ſe invicem obſtrinxerint, & cænam adminiſtrarint, ſed minime Dominicam. Hic tamen in literis ad me ſuis cum innocentia de puritate contendere videbatur. Retulit mihi Elſuigius, D. Buſſium, cum hæc de ipſo inaudiviſſet, in hæc verba erupiſſe, *utinam Deus illum cito perdat; niſi enim hoc futurum eſt, magnam ſtragem dabit, ita in animos hominum influere novit, & quæ cupit perſuadere*; a cujus viri judicio meum non abjungo. Sed hoc, cui meliorem precor mentem, miſſo, venio ad literas tuas alteras, quas attulit mihi ornatiſſimus item juvenis D. Hermannus Buſchius, & morum probitate & virtutum ſtudiis ac liberali doctrina ita mihi hactenus cognitus atque perſpectus, ut de ipſo omnia vero minora dixiſſe videaris: quin mirifice amo hominem, affe-

ctum-

ctumque illum qua fovet, qua auget conſuetudo domeſtica & convictus. Recepi enim tua commendatione in domum meam & convictum, frugalem quidem illum, ſed qui naturæ tamen ſatisfaciat, neque illum, quantum intelligo, conditionis pœnitet. Aperta eſt illi mea Bibliotheca, pateo ego, cui illud unice ſtudium, nunquam occupatum eſſe amico operam dare. Id te ſcire volui, mi Kirchmanne, & vel ideo, ut quid de me tibi polliceri deinceps habeas in ſimili cauſa, liquido intelligas. Nova hic nulla habemus, quæ te lateant, niſi id forte novum tibi ſit, quod prid. Cal. Jul. in ipſo Academiæ natali & feſtivitate annua in publico foro oppidi noſtri circumſtante Ampliſſimo Scholarcharum ordine & pleriſque Reip. noſtræ Senatoribus, & præterea corpore Academico, & magna hoſpitum caterva peregrinorumque concurſu libri Photinianæ inſaniæ, reperti apud noſtros male faſcinatos adoleſcentes, concremati ſunt, interveniente voce præconis, quæ impietatem illam dejerabat, & omnes ejus fautores compliceſque exeſſe & ditione noſtra excedere ſerio jubebat, idque brevi. Ubi ad operas conſuetas redibimus, agmine noſtro iterum coacto, quod per has ferias varie dilapſum eſt, edicto promulgato repetetur. Tantum erat, mi Kirchmanne, quod reſpondere nunc tuis viſum, quæ uti non ingrata habeas, omni ſtudio & contentione abs te peto, nam rogare, ut me porro ames, injuriam eſſet facere tuæ virtuti ac conſtantiæ. Literas Ruari ecce commode occaſione oblata, quas lege & ad me redire jube. Accipe ſis Satanæ technas, & ex uno Ruaro diſce omnes. Ovum ovo non eſt ſimilius. Legi enim omnium apologias. B. V. vir Cl. & optimo publico vive ac flore. Syntagma annulorum avide expecto. Altorfii prid. Cal. Aug. 1616.

EPISTOLA CLXXXV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Michael Piccartus.

Lubecam.

CLariſſime & amiciſſime D. Kirchmanne, utque ne ſuccenſeas homini officii tardo, te oro: diu enim jam reſponſum debeo, ſed cauſæ fuere hujus moræ, quas ut ſpero non adſpernaberis; primum differre reſponſum viſum, donec mittere una liceret ἱρεπίσματα noſtra, quæ tamen, niſi tu & alii me fallunt, delectant, ſi non proſunt. Atque hæc cauſa in mea manu fuit, altera a manu illa cæleſti, cui repugnare aut cornua obvertere gigantum eſt, non meum, qui in Chriſti ſchola profiteor diſcipulum. Morbus videlicet, qui mihi, negotioſiſſimo alias in nihil agendo homini, ingratum 5. hebdomadum indixit otium, lectoque affixum tenuit. Nunc cum novo hoc ineunte anno recolligo me paulatim, & proinde viſum inſimul ad te aliquid, indicinam occaſionis faciente Buſſio tuo, meo, juvene optimo, qui quanquam convictu meo, rebus meis ita ferentibus, exceſſerit, nihilo tamen ſecius amicitiam mecum contractam officiis quibuſcunque demerendam & retinendam cenſet, mutuum

me cum eo faciente. Idem & literis facit noſter Elſvigius Tubinga, a quo ante dies aliquot humaniſſimas cum donario chartaceo accepi venuſto & faceto. Fabii Albergati diſcurſus politicos contra Bodinum eruditiſſimos, Latio donatos ex Italico idiomate, miſi Grutero noſtro nuper typis exſcribendos. Recepere Elzevirii Lugdunenſes. Quando lucem viſuri ſint, dicere non habeo. Nunc mitto, quas ſuperius innui, obſervatiunculas noſtras in quibus multi me volunt pergere, multi diſſuadent. Dicto tamen adhuc quædam Hermanno Buſchio noſtro, qui operam ad eam rem ultro mihi addixit. Notata mihi in Excerptis, quæ juventutem forte quorundam admoneant, ad vos ſuperioris ſubſellii, & qui in theatro literario in quatuordecim ſedetis, iſta nihil pertinent, quibus hæc domi & meliora naſcuntur. Addidi & alia quædam, quæ ut grata habeas rogo. Syntagma de Annulis tuum valde expeto. Moviſti ſalivam, exple ſitim, & brevi, quomodo valeas, quid rerum agas, & quo in ſtatu res veſtræ ſint perſcribas. Quædam enim de Dani vicini veſtri conſiliis hic, non ita læta vobis, narrantur. Turbis ille natus videtur, & turbis quidem utrimque pernicioſis. Deus cohibeat hujuſmodi furores. Idem te, mi Cl. Kirchmanne, ſoſpitet & tueatur ab omni incommodo! Tu me autem, quod facis, amare perge. Altorfii 7. Id. Jan. CIƆ. IƆC. XVII.

EPISTOLA CLXXXVI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Michael Piccartus.

Luberam.

ADſperſiſti aquam literis tuis, Cl. Kirchmanne, jam enim ego tantum non in fermento jacebam, & indignabar pertinax & obſtinatum tuum ſilentium. Nam longius anno nihil tuarum videram, neque quid rei ageres, ut valeres, explorare a quoquam licebat. Scripſeram ego tibi & ubertim de rebus noſtris, miſeram etiam quædam noſtra, commendaveramque Buſchio noſtro, cujus fidem an mercatores, hominum genus literarum negligens, fefellerint, dicere non habeo. Jubebat ſane ille bene ſperare, pollicebaturque adeo fore, ut recte redderentur, ſed illud, quod dixi, ſilentium tuum incertum me omnium illarum rerum reddidit. Non memineram aliquid a me commiſſum, quod vinculum illud noſtrum rumperet aut amoris te ambiguum redderet. Nam & Hermannum Buſchium omni officio complexus ſum, & Johannem Elsvigium, proh dolor! olim tuo-meum, eo amore amavi, qui etiam in exemplum venire poſſit. Et quanquam corporibus disjuncti fuimus, tamen per literas ſemper ſua amicitiæ noſtræ jura conſtiterunt tam diu, quam diu ſancta illa animula cuſtos comesque afflicti & exhauſti corporis fuit, quam & defunctam acerbiſſime luxi, & nunc deſiderium illius impatientius fero. Gratulor autem mihi, in locum illius tua commendatione ſucceſſiſſe ornatiſſimum adoleſcentem Johannem a Werlem affinem tuum, quem ob egregiam indolem & modeſtiam, pene dicam virgineam, non minus, quam quia tuus eſt, quia item

per

per te mihi de manu in manum veluti commendatus, amo atque τὸν μακαρεί-την illum Elſvigium. Argumento tibi ſit, quod, ut voluiſti, ſine ulla tergiverſatione in convictum recepi, ubi converſatur cum nobiliſſ. adoleſcentibus pleriſque patritiis Norimbergenſibus, aliiſque egregiis & eruditis juvenibus. Condixi etiam illi operam meam in ſtudiis Ethicis & Politicis ejuſdem provehendis, quorum comitem ſeu ſocium exſpectat Roſtochio contubernalem ſuum Boruſſum quendam. Igitur de eo te Cl. Kirchmanne & lectiſſimam optimi adoleſcentis matrem extra curam & metum eſſe jubeo. Habebo tanquam filium, & commodis ipſius incumbam, & tanto quidem ſtudioſius, quanto magis ille conqueritur de iniquitate cujuſdam Roſtochiani, qui pro inſtitutione fideli nummis illum uſque ad ſanguinem emungere auſus fuerit. D. Henricum Buſchium ſaluto officioſe, & de reditu ipſius ad nos libenter ex Werlino cognovi. Juvenis eſt probus, & quem vellem fundamenta paulo diligentius jeciſſe, antequam in Academias provolaſſet, ſed hæc dies afferet. Tu vir Excellentiſſime plurimum a Piccarto tui obſervantiſſimo ſalve & vale, & de me omnia viri boni officia tibi indubie pollicere. Et ſi quos bonæ frugis huc miſſurus es adoleſcentes, illis omnia humanitatis officia & a me & a meis Collegis pollicere. Altorfii Non Maji 1616.

Syntagma Annulorum tuorum ubi? De Val. Flacco lentum negotium, & in his occupationibus pene derelictum.

EPISTOLA CLXXXVII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Michael Piccartus.

Lubecam.

Reſponſum mihi debebas Cl. Kirchmanne, quod dum ego nimis diu exſpecto fruſtra & in vanum, metus oritur, ne amicitia noſtra inuſu & incultu rubiginem contrahat. Malui ego igitur telam ordiri denuo, quam admittere, ut tu ſilendo, ego ſilentium ſilentio vindicando, dubitare etiam de animis inciperemus. Quod ita interpretabere factum, ut æquum eſt. Nos hic in mediis turbis vivimus, incerti, quo brevi res caſuræ ſint. Cæterum ut nubes has undique glomeratim coire video, tempeſtatem nobis eam dabunt, quam nullæ hiſtoriæ veteres locutæ ſunt, ſecuturæ vix loqui poterunt. Tota enim Europa quaſi in partes ſeceſſit, jamque id Neronis uſurpatur εἰ μ᾽ αἰνάνῃ; ἢ ἐγὼ σέ. Cauſam horum motuum quæris? dicam ſine fuco. Olim Reſp. potentiſſimas Græcorum Demagogi, Romanam Tribunitii mucrones perfoderunt. Hodie prorſus iidem Lojolitæ & Prædicantes noſtri, qui cum ſopire has flammas deberent, oleum ſuffundunt. Neque facio hic diſcrimen, Tros Rutulusve ſint; Calviniſta an Lutheranus; omnes enim æque ambitione laborant, & ſatagei quidam ſunt, qui omnibus rebus ſe immiſcere volunt. Hem! ſic datur! Principes, ſi alienis auribus auditis, alienis oculis videtis, & carnificibus illis conſcientiarum nimium tribuitis. Nunc Germa-

nia alieno milite premitur, opes imperii exhauriuntur, & quod Germanis noſtris quaſi ſuum & proprium, factioſi lingua ſumus, opera inertes. Sedemus, & militem intra viſcera recepimus imperii noſtri, & multa molimur, nihil efficimus, libet exclamare cum poëta,

Heu quantum terra potuit pelagique parari
Milite, quem noſtris dudum ſuſcepimus oris.

Sed ſatis querelarum. Deo eventum permittamus, & Romanorum illud ambitioſum dictum nobis proponamus; *& facere & pati fortia Germanum eſſe.* De literis noſtris: neſcio an inaudiveris de bello Plautino, quod Gruterus noſter cum Pareo gerit, Entellus cum Darete. Doleo ſane rem eo deveniſſe, ut jam conviciis e trivio petitis utrimque agatur. Monui utrumque amice, & Gruterum, ne nominis ſui famam extrema ætate colluctularet hoc ſcribendi genere; illum, ne cum tanto Heroë de literis noſtris præclare merito ſerram reciprocaret, daret quin potius aliquid, cujus πάθει Pauſanias ἐναντιῶσαι νέους docet. Sed ita concitatis animis rem gerunt, ut prius vitam quam rabiem poſituri videantur. Sic publice non ſatis turbarum, niſi privatim quoque inſaniamus. Sed hæc hactenus. Ego tertiam partem obſervationum jam prælo paro; ſed nondum habea typographum, nam qui priores partes typis deſcripſit decoxit, neque ei rei jam ultra par. Novus igitur quærendus mihi, de quo ſpem injecerat Pareus, ſed nihil certi eſt tamen. Molior Lexicon Criticum; rem Herculei laboris, ſed nullius aut modici ingenii, quale meum eſſe noſti. Colligo libros de ſignificatione verborum, de uſu locutionum ex omnibus Criticis, quam veteribus quam recentioribus. An vitam prorogaturus Deus ſit, dum abſolvam, in ipſius manu eſt. Is te, mi Kirchmanne, literis noſtris ſoſpitet, & ſervet etiam mihi amicum. Ita opto, ita voveo. Mitto hæc quædam noſtra, quæ ut boni conſulas rogo. Warlinus noſter officium facit, Politica abſolvit, in Hiſtoricis & Eutropio hæremus. Vale iterum Altorfii 18. Febr. 1620.

EPISTOLA CLXXXVIII.

MICHAEL PICCARTUS. S. D.

Joanni Meurſio.

Nobiliſſimorum Barnefeldiorum Ephoro.

CUm multi his diebus apud me inſtarent, Vir Cl. & Amice Pl. honorande, ut orationem, quam hiſce proximis diebus, te etiam auſcultante, habui, publice typis exſcriptam, omnibus communicem, pene adſenſus tandem ipſis ſum. Idque facere cogito rationibus, mihi domi natis, aliiſque adductus; quam Nobiliſſimis Tuis Barnefeldiis inſcribere, pro more recepto cogito Sed cogito ſolum, neque enim facturus unquam ſum, niſi & tibi & ipſis gratum hoc eſſe intelligam. Itaque pro amicitia noſtra, quam tam benigne mihi obtuliſti, tam humaniter & egregiis documentis oſtendiſti, te rogo Cl. Vir, ut ſincere dixeris, quid de hoc inſtituto meo tibi videatur, tribus verbis aperies. Item

quot

quot adhuc dies Nobiliſſimi tui hic commoraturi ſint, ut editio vel maturetur, vel trahatur, vellem enim in ultimum eorum vale, & diſceſſum oblationem dilatam. Tu, Cl. Meurſi, quæſo libere & candide mone, & a me omnem obſervantiam, omniaque ſtudia, quæ ab amico proficiſci poſſunt, tibi pollicere. Atque heus! ſi Epigrammate me beare voles, quod laboribus Valerianis aliquando præfigatur, magno me mactaris beneficio. Vale Vir clariſſime, & Piccartum tuum, ſi meretur porro quoque ama. Altorfii ipſo die Laurentii An. CIↃ DC VII.

EPISTOLA CLXXXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Martinus Ruarus.

Roſtochium,

PRoximis Lipſenſibus literas ad te Rittershuſii cum exemplaribus Salviani duobus miſi, quæ ſi tam recte, quam ego tuas iiſdem nundinis, accepiſti; uterque ut ſpero valde lætabimur. Serius autem nunc reſpondeo, quod nihil eorum intereſſet, quæ ad te ſcriberem, quæ ne νομίσεῳ quidem ἠξιῶντο Studiorum meorum eadem quæ prius eſt ratio, niſi quod paulatim ſupercilium ab amænioribus ad ſeveriores Muſas ſubducam: cujus conſilii nec auctores mihi deſunt, nec duces. Sitzmannus adhuc apud nos eſt: neſcio quamdiu futurus, aventer enim patriam recogitat: ſi modo peſtis, quæ locis illis hactenus violento imperio dominata fuit, aliquantum remittat. Sollicitaverat eum Patronus ſuus ingentibus præmiis, ut in Galliam & Italiam cum diſcipulis, quorum nunc præeſt ſtudiis, iret: ſed alio trahit ipſum magnes ſuus, Variſca puella forma & moribus, ut audio, inſignis: tum ætas hominis eſt, ut ab hoc deſultorio vitæ genere ad fixam ſedem tranſire debeat. Habet adhuc ſub manu Rutilii itinerarium, quod in publicum cum luculento dabit commentario, quam primum in libertatem, ut ait, a pulvere ſe pædagogico vindicaverit. Vita Antonini Imperatoris Lipſiæ typis nunc deſcribitur, in cujus ſpeculo Rittershuſius ὁ πάνυ imaginem boni Principis, ſed ad Hiſtoriam paulo, quam Antonius Guevara verius, repræſentat. Quod nunc ſcribam, ei præfari liceat, τὴν ἀγαθὴν τύχην. Scipio Gentilis tandem fecit quod ante xx annos oportuerat feciſſe: dedit ſe in vincula (an pungo te? pone metum) Veneriſne dicam an Junonis? parum curans quod poëta occentet, *Turpe ſenex miles.* Noſti cætera. Virgo quam in matrimonium ducet Norimbergæ vivit, nata patre Italo, Calendrino, viro nobili & ditiſſimo, matre Belgica. Ipſa non formoſa magis quam docta, utpote quæ Italice Galliceque tam ſcit, quam Germanice, ac neſcio an etiam Latine. Altorphii a. d. XIV. Kal. Jan. Juliani A. Epochæ Chriſtianæ CIↃ IↃC XI.

EPISTOLA CLXXXX.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Martinus Ruarus.

Roſtochium

Satis tu quidem benigne Cl. Dn. Kirchmanne, qui literas meas vix a te legi dignas tantorum virorum ipſiuſque Doctiſſimi Principis oculis ſubjicis: quod quamvis tenuitatis meæ conſcius ægre fuerim admiſſurus, ſi vetare poſſim, nunc tamen, poſtquam factum eſt, in honorem meum interpretor, tuique vim amoris agnoſco, qui ſecurus aliorum judicii, tui oblitus, me quaſi per vitrum intueris, adeoque vero tibi majorem fingis. Sed tu cogita, quomodo factum excuſes: ego quidem hoc pretio ſæpius ejuſmodi tibi quiſquilias vendere vellem, niſi modeſtia mihi legem aliam ferret. Unum tamen memorare non omittam ſpectaculum Onoltzbachii præterito menſe, cum Joachimus Erneſtus Marchio, Sophiaque Solmenſis Comes, pulchrum ſine exemplo par, nuptias facerent, præter acroamata vulgaria publicæ feſtivitati ſolenniter exhibitum; in quo ſequar narrationem amici cujuſdam mei qui ſpectator interfuit, fidelem magis quam doctam, ut e veſtigio patebit. Certamen fuit ϛοχαϛικὸν, quod annulare fere vocant; id ipſe Marchio ſatis ſplendide obivit. Præter Miniſtros ſcutatos & δορυφόρους, tympanotribas, cornicines, tubicines, fidicines, ludionumque gregem illum procedebat Mercurius anteambulo, mox equitabant tres auguſta forma heroës Achilles, Hector & Ajax, quorum perſonam ſumpſerant Marchio, Chriſtianus Anhaldinus, & Comes Solmenſis. Sequebatur Hercules catenatum ducens cerberum, qui flammas obluctando vomebat. Hinc curru cum omnis generis armis Mars ſomnum capiens provehebatur; cujus veſtigia virgo Pax multum diverſis moribus pedes legens, oleæ ramum manu prætendebat. Arioni quoque delphinus aquis innatans tergum ſubſtraverat, qui tum recte non minus caveæ, quam olim mari circumfuſos populos barbiti dulcedine in admirationem ſuſpendebat. Crederes accenſum æmulatione Phœbum pugnam poſt Marſyæ fatum deſitam majoribus animis redintegrare: ita pone vectus equo, ſonos teſtudinis varios artificio miro acuebat; ac neſcio, an non diffiſus dubio victoriæ eventui Sorores in auxilium vocaverit. Parnaſſus enim αὐτόματος quantum apparebat, totum illum chorum Muſarum adduxerat, quæ juxta Hippocrenen accubantes, cum exſilientium undarum ſtrepitu numeros ſuos exquiſita ſymphonia confundebant. Jam currus ab oloribus trahebatur, in quo Venus Dormiens ſiniſtra manu cor duobus transfixum jaculis oſtentabat. Præcedebant vero Charites in equis habitu partim candido, partim viridi: a tergo mulier cum face Cupidinem, ut ajebant, amiſſum quæritabat: hanc Bacchus Cereſque, demum Juno, Dianaque ſecutæ pompæ celebritatem claudebant. Ter ita luſtrato Circo, mons alius a læva ſe parte diduxit, in eoque conſiſtens Jupiter triſulco pilo fulmen excuſſit, juxtaque

atque Cupido artifices ignes in Martem immiſit, unde conterritus, ſecuto ſimul tormenti craſſioris (Mortarium indigitant) ictu, ſomnum oculis penitus abſterſit. Paulo poſt, cum Venus illac prætervveheretur, Cupido arte intorto telo cor, quod Mater manu geſtabat, inflammavit, ex quo ſtatim evigilans natum ad ſe in currum recepit. Julii vero Wittenbergenſis Ducis apparatus uno trium rotarum curru, quem equi alati a ſingulis anni partibus denominati trahebant, viſendus fuit: de cætero nihil inſigne præ ſe tulit, ut nec Baronis Waldſtenii legati Cæſarei, nec Oetingenſis Comitis. Marchio Durlachius Comites ſuos ad Æthiopum ſimilitudinem colore noctis infecerat, inter quos unus incaſſum ſolus proverbii fidem aſtruebat. Franciſcus Griechingenſis Comes, quem ſuo nomine Auſtriæ Archidux Leopoldus adeſſe juſſerat, venatorio cultu pulcherrimam ſcenam explicuerat, in qua Diana cum Nymphis aliquot, Faunis item, Satyriſque ſpectaculi novitate facile cunctos incenderat. Hiſtoriam habes: nunc aſſem præbe. De comitiorum loco incertus rumor nunc Ratisbonam inclinat, nunc Norimbergam, quæ ſpes Varenholtium meum retenuit hactenus, ne cum aliis, quos Altorphio contages expulit, longius, quam huc, ad aſylum confugeret: cui non difficulter conſenſi. Quod eo modo temporis aliquod lucrum mihi prorogari poſſit, cui alias propria quadra jam eſuriendum eſſet. Nequid enim te celem, mi Domine, videtur mihi Varenholtius, quam primum his ex locis diſceſſerit, id quod adulto vere certo fiet, bonis literis remiſſurus nuncium, ſeque potius applicitururus, tum ad choreas exoticas, equorum agitationem, pugilatum, aliaque exercitia gymnaſtica, tum ad linguæ fortaſſis Gallicæ ſtudium, in quo cum opera mea parum illi prodeſſe queat, futurum metuo, ut ab ipſo dimittar; quamvis nec mihi dixerit iſtud hactenus, & te meminiſſe, cum ad illum ſcripſeris, prorſus nolim. Sed de illo, quod futurum impendet, videat, qui de craſtino nos ſollicitos eſſe vetuit, in quo mea ſpes acquieſcit: interim præſentia lætus capiam, quæ nunc ſe dant aliquanto felicius, poſtquam remittere viſa lues ad ſtationem nos priſtinam conſuetaſque ſtudiorum operas, a quibus per ſex dierum hebdomadas abſumus, tandem revocat. Quamvis equidem non ſine victima noſtra pacem hanc e cælis impetravimus, quoniam proximo tempore, morbi tamen alio genere, quam epidemico, ſublati fuerunt e vivis amiciſſimi Rittershuſii filiola, nondum trimeſtris, & excellentiſſimus Erneſtus Sonerus Profeſſor, cui viro, ſicut faſſus publice fuit Magnificus Dn. Piccartus, cum funus indiceret, in illa ſublimiori Philoſophia parem Germania vix habet, majorem non inveniet. Pæne etiam ipſi noſtro Rittershuſio morbus recidivus aliquid triſte nuper minatus fuerat, quod tamen Deus clementer avertitne dicam, an diſtulit? utinam in aërem mala diſſipentur omina! Is dedit publico nuper conjecturarum reliquias in Panegyricos Veteres, quas fortaſſis, ut exiſtimo, tibi jam tranſmiſit. Cæterum, quod libros hinc nonnullos proximis tuis literis petiveras: mallem Francofurtenſes indices ipſe percurreres, & ſi quid inveni-

inveneris, quod iſtic haberi commode non poſſit, nominatim ad me perſcribas, ne perdam officium judicii temeritate, ea nimirum mittendo, quæ tuo fortaſſis palato minus ſapiant. Et vides alias, quam ſteriles bonarum rerum ſint Typographi, circumquaque nobis vicini: Norimbergenſes vix toto ſemeſtri Heuthneri itinerarium procuderunt, quod mittam fortaſſis ad te nundinis Lipſenſibus brumalibus, ſi probari Doctoribus noſtris prius animadvertero: unus Schonfeldius Ambergenſis hujus Provinciæ laudem ſuſtinere videtur, & in illo præcipue genere lætioris Muſæ cum paucis triumphat. Varenholtius tibi plurimam ſalutem nunciat: tu quæſo meis verbis, cum commodum erit, Clmo viro D. Theodoro Buſſio, cujus literis reſpondebo, quam primum Altorphium reverſus his incertæ vitæ tumultibus exſolvar. Vale columen ſtudiorum meorum. Norimbergæ. a. d. VII. anno Æræ Dionys Novembr. MDCXII.

EPISTOLA CLXXXXI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Martinus Ruarus.

Roſtochium.

SCripſi ad te fere jam ante trimeſtre, cumque nihil literarum ex eo tempore receperim, expectatione diuturna fruſtra luctatus animum induxi mucrone ſtyli tantiſper vos fodicare, donec ab aliis occupationibus, quæ ſunt fortaſſe graviores, excitati priſtinam ſcribendi conſuetudinem repetatis. Ignoſce, Clme Kirchmanne, libertati ſermonis, quem purus affectus mihi dictat, & apud te tam candidum amicum, ut reor etiam permittit. Ne ſint tamen, ut pleræque omnes, inanes meæ literæ, quandam de tranſitu Cæſaris per hæc loca tibi narrationem contexam, mihi quidem, cum e memoria in tabulas retulero, quæ præſentibus antea ſenſibus arbitrabar, jucundam, tibi vero, ut opinor, lectu non plane ingratam. Ab utraque parte plateæ quæ à porta hoſpitali, uſque ad arcem protenditur, ſtabat armata manus peditum quaſi quater millium: equites quinquaginta ſupra octingentos obviam Cæſari proceſſerunt, ſplendide omnes & uniformiter veſtiti chlamyſin albis limbo rubro fimbriatis, pileis item albis criſtiſque rubris. Columnæ triumphales duæ pontem carnarium egregio ſpectaculo decorabant: arcus pendebant tres diverſis in locis: paulo ante ipſam arcem ſplendebat porta triplex, tum imaginibus decem Imperatorum domus Auſtriacæ ſatis eleganter pictis, tum ſimulacris quatuor ſummorum Monarcharum, quatuor partium mundi, quatuor virtutum primariarum e gypſo affabre fictis, inſignibus item Electorum ipſiuſque Imperatoris, multis præterea Emblematis, quæ facilius peniculo quam penna deſcribuntur, ad miraculum exornata. Faſtigium hujus portæ tenebant aquilæ tres, quarum una ſceptrum, altera pomum, tertia eaque media virilis magnitudinis coronam unguibus comprehenderat, ſeque adventante Rege, aliquoties convertere, caput inclinare, & alas quatere poterat.

Ibi-

Ibidem quoque Muſici variis artis ſuæ inſtrumentis aërem uſque ad Syrenum invidiam permulcebant. Rebus ita diſpoſitis urbem eques ingreſſus eſt Imperator poſtridie Kal. Jul. ſubter holoſerico velo, quod portabant Senatores ſex ex illis, qui recens adlecti inter juniores numerantur. Ter in turribus exploſus tormentis majoribus pulvis pyrius fumo & Salmonæo tonitru cœlum pene conterruit. Primo, cum extra urbem Imperator a Senatoribus quatuor rei militari præfectis, quinque item ex iis, quos Septemviros vocant, exciperetur; ſecundo cum a XII. Patribus intimi conſilii ſub Urbis porta, demum cum in ipſa arce a. d. V. Non. Jul. homagium in conclavi præſtiterunt Senatores: ſub dio vero cives; cum prius in editiore theatro extra curiam porrecto Cæſar præſediſſet, Wackerus Cæſaris nomine peroraſſet. Paulo poſt honoraria offerebantur, quinque currus avena, totidem vinis variis onuſti: piſces aliquot orcas impleverant: accedebat poculum aureum ingentis magnitudinis, mille aureis æſtimatum. Hæc ad ipſum Imperatorem ſpectabant: Cæſariſſæ vero menſa ex ebore donata fuit, præter quod argento vermiculati operis præfulgebat, ipſa quoque octingentis aureis ſtipata. Ut autem reliquos aulæ adminiſtros ſilentio præteream, quorum non pauci muneribus mactati ſunt, catenulam certe Nello, qui Cæſari eſt a jocis, datam tacere non debeo propter facetum reſponſum, quod exinde natum eſt. Cæſar occaſione muneris illius ad Nellum converſus dixerat, vides, mi Nelle, quantos honores nobis Norimbergenſes exhibeant, quam vero gratiam referemus? Reſpondens Nellus, ehodum inquit, Cæſar, an iſtud ignoras? crucem in foro excita, Cleſeliumque tuum dierectum in illa age, gratius certe Norimbergenſibus nihil facere poteris. En cor Zenodoti; en jecur Cratetis! eſt vero Cleſelius Epiſcopus Viennæ Auſtriacæ, magna Cæſaris efflorescens gratia, ſed qui ſæpenumero materiam incendiis reipub. Chriſtianæ conflandis contulit. Eadem veſpera artifices ignes per aërem jaculati ſunt, ſatis tamen inauſpicate: ſiquidem ancilla pyrobolo tacta animam exſpiravit; quidam etiam ſenex ab equis repentino fulgore perterritis conculcatus eſt; ſunt & alii vulnerati, nec neceſſe habeo recenſere, quot pilei, aut pallia, pallæve inter furum manus ſtrangulatæ perierint. Tertio iduum Imperator convivium quæſitiſſimis epulis celebravit, cui præter ipſum & Cæſariſſam adfuerunt, Elector Colonienſis Ferdinandus, Epiſcopus Argentinenſis & Paſſavienſis, Leopoldus Auſtriacus (quem cum Cæſare certis hic conditionibus in gratiam redegit Colonienſis) Epiſcopus Bambergenſis Gothofredus Aſihuſius, Marchio Burgavienſis, Carolus ab Auſtria frater Cæſariſſæ conſanguineus, tres Marchiones Brandenburgenſes, Chriſtianus, qui Culmbachii aulam fixit, Joachimus Erneſtus, qui Onoltzbachii, & tertius de cujus nomine mihi non liquet, ultimus denique Princeps Anhaldinus Joachimus Erneſtus. Verſati ſunt alias Norimbergæ eodem tempore nuncius Apoſtolicus Epiſcopus Amelphitanus, Legatus Hiſpanicus Balthaſar de Geniga, Gallicus neſcio quis, alius tamen a Bongarſio, item Florentinus & Bavarus: Comites vero & Barones tot, ut eo-

rum numerum ſubducere nemo facile quiverit. Demum VIII. eid. Pragam rediit Imperator eadem pompa, qua huc eſt ingreſſus. Habes hiſtoriam ſatis prolixam, cui verbum amplius non addam, ſi te prius a Varenholtio meo ſalvere juſſero, qui ſimul interrogat, numquid literas a ſe jampridem datas acceperis? Vale, alpha amicorum meorum. a. d. VI. Eid. Jul.

EPISTOLA CLXXXXII.

L. RHODOMANUS. S. D.

J. Kirchmano.

Roſtochium.

BIennium deccurrit, cum nihil abs te literarum mihi redditum eſt. Ultimas enim ſtatim poſt diſceſſum a Witzendorfiis, accepi. Nec ubi locorum hæreres mihi conſtitit hactenus, niſi quod nuper admodum te Profeſſorium apud Roſtochienſes munus gerere, indicio tamen obſcuro, cognovi. Interverſæ igitur ſunt & deperditæ, ſi quas per intervallum hoc ad me curandas dederis. Mihi per biennium hoc, ex quo avulſa eſt conjux optima, perpetuus cum febribus & ſtomachica fuit agon, imo πόλεμος ἄσπονδος: ubi natura jam ſuccumbit, jam eluctatur. Irritum namque ſubſidium ἐκ τῆς ἰατρικῆς. Interea præclarum opus tuum de funeribus Romanorum cum immortali nominis tui fama exiiſſe audio. Macte novoſque tibi ad exornandam, quam nactus es, ſpartam animos ſume. Et fine carmen hoc tuum aliquid divini nobis polliceri. Diodorus quoque meus & Calaber lucem adſpexerunt: ſed multis in partibus quam deformes & monſtroſi! obſtetricantium incuria ne dicam an injuria? proximis diebus diſticha Catonis, & Publii Syri Mimijambos a Scaligero non redditos verti. Tironibus enim Græci ſermonis libellum adorno, ſtudiis illorum magis aptum, quam ſunt, qui a vulgo Magiſtellorum invitis Muſis obtruduntur: modo a Typographis (ut fortunæ mos eſt meæ) non deſtituar. Vale III. Non. Octobr. A. C. CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA CLXXXXIII.

JACOBO BORDINGO. S. D.

Joannes Caſelius.

Lubecam.

COmmoditatem ad te ſcribendi negligendam non putavi. Hic ab id. Oct. novæ calamitati objecti fuimus: & ab eo principio novam diſſipationem Academiæ metuere cœpimus: & ſi juventus maximam partem hic ad Martium, immo plerique ad Aprilem, apud nos perſeverarunt: qui ceſſerunt, brevi rędituri credebantur, & redire conſtituerant, ſi metus belli tolleretur. Affulſit etiam aliquoties ſpes pacis, nec tamen niſi per denſam nebulam, ut nulla ſequeretur ſerenitas. Cum de compoſitione tot modis tentata deſperatum eſſet, itum eſt ad extremum remedium. Depromſerunt enim legati decre-

cretum Imperatoris, quo ſub pœnam, quæ graviſſima imponi ſolet, & Duci & urbi bello interdiceretur. Aſſenſit Princeps, obſidionem ſolvit, tormenta avexit, militem abduxit, & paſſim dimittere cœperat. Idem bona fide cum Senatus populuſque promiſiſſet, non deſiere ab Albi ſollicitare ad ſe copias, tempus eſſe, patere tranſitum: ut interceptus tabellariorum unus, non ipſe quidem docuit, ſed quas ferret litteras: litteris exciti per ambages profecti illuc venere prohibente nemine. Geſta autem cum alia hoſtiliter, tum hoc, quod Principem cum conſueto, aut non multo majore comitatu intra Schoningam & arcem Guelphiam aliquot equitum turmis & peditum cohortibus adorti pæne interceperunt: ſed dum equites impetum ſuſtinent, vix ipſe ſalvus evaſit: hæc illi triumphabundi magnifice prædicaverint. Sed de toto negotio diſſerere non eſt literarum. Ut relinquam cætera: Academia a Kal. Aprilis demum pæne tota diſſipata eſt: nos domi videmur exules, jam hoſtili violentiæ expoſiti. Ipſi enim tanquam jurati in artes liberales, nobis præ omnibus ſemper minitati ſunt. An non me hac ætate miſerum dicas, qua non intempeſtivum ſit, & optabile potius, placide migrare ex vita mortalium, quam metu torqueri tot calamitatum, in quibus exilium & mendicitas minima ſint. Diripiant ſane reliqua: ſupellectilem librorum tota vita comparatam, ſemel direptam non recuperavero, nec ego, nec mei: quod ſi fiat, forte ſimul crudeliter trucidabimur. Nihil enim mediocre ſperare licet ab hominum iniquiſſimis: qui quadriennio abhinc rura & prædia & arces & oppida deprædati, trimeſtri exilio nos multarunt, quando plurium rerum jacturam fecimus: in quo hoc peſſimum, quod nemo fere fuit, qui illis excurſionibus peccatum diceret: inventi contra, qui talia facta coloribus quibuſdam pingerent. Verum ne a querela in diſputationem digrediar, quod minime velim, finem ſcribendi faciam. Optarem qui animarint ab initio civitatem contra æquitatem, & copias ſubminiſtrarint, ſalubria conſilia dediſſent, & vel reluctantibus impoſuiſſent, quod auctoritate ſua poterant, armis ante ſeptendecim. Vereor autem, ut urbes veram hiſtoriam minime cognoverint: nec eſſe opinor quemquam Principum magis expoſitum calumniis, quam noſter: id adfirmant familiares, qui undecunque peregre domum redeunt: cum ea audierint ſeri & aſſeverari, quæ nos eſſe falſiſſima novimus. Forte fato urgemur nos etiam, ut Belgium. Ego ſi de officio & dignitate Principum & Civitatum ſcribam, quæ ſedulo ab annis quinquaginta conſideravi, nec ab alterutris magnam ineam gratiam, nec niſi paucis, quæ vera & recta ſunt (ſunt autem non niſi quæ ad publicam ſalutem tendunt) probem. Eorum tamen te tuique ſimiles cenſores feram. Et talia a bonis, quos & ſapientia erudiit, & uſus partim emendavit, partim confirmavit. Pravæ enim opiniones, uti ſunt pleræque in populo fere omnium, non pariunt, niſi mala conſilia: unde res male adminiſtrari neceſſe eſt: quod cum fit, tum vero πλείη μὲν γῆ πᾶσα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα: Verum veſtrum qui hoc præſtare valeant, iis vel a negotiis reipublicæ, vel a curatione rei domeſti-

nia alieno milite premitur, opes imperii exhauriuntur, & quod Germanis noſtris quaſi ſuum & proprium, factioſi lingua ſumus, opera inertes. Sedemus, & militem intra viſcera recepimus imperii noſtri, & multa molimur, nihil efficimus, libet exclamare cum poëta,

Heu quantum terra potuit pelagique parari
Milite, quem noſtris dudum ſuſcepimus oris.

Sed ſatis querelarum. Deo eventum permittamus, & Romanorum illud ambitioſum dictum nobis proponamus; *& facere & pati fortia Germanum eſſe.* De literis noſtris: neſcio an inaudiveris de bello Plautino, quod Gruterus noſter cum Pareo gerit, Entellus cum Darete. Doleo ſane rem eo deveniſſe, ut jam conviciis e trivio petitis utrimque agatur. Monui utrumque amice, & Gruterum, ne nominis ſui famam extrema ætate collutularet hoc ſcribendi genere; illum, ne cum tanto Heroë de literis noſtris præclare merito ſerram reciprocaret, daret quin potius aliquid, cujus πάϑει Pauſanias ἐναντιοῦσϑαι νέους docet. Sed ita concitatis animis rem gerunt, ut prius vitam quam rabiem poſituri videantur. Sic publice non ſatis turbarum, niſi privatim quoque inſaniamus. Sed hæc hactenus. Ego tertiam partem obſervationum jam prælo paro; ſed nondum habea typographum, nam qui priores partes typis deſcripſit decoxit, neque ei rei jam ultra par. Novus igitur quærendus mihi, de quo ſpem injecerat Pareus, ſed nihil certi eſt tamen. Molior Lexicon Criticum; rem Herculei laboris, ſed nullius aut modici ingenii, quale meum eſſe noſti. Colligo libros de ſignificatione verborum, de uſu locutionum ex omnibus Criticis, quam veteribus quam recentioribus. An vitam prorogaturus Deus ſit, dum abſolvam, in ipſius manu eſt. Is te, mi Kirchmanne, literis noſtris ſoſpitet, & ſervet etiam mihi amicum. Ita opto, ita voveo. Mitto hæc quædam noſtra, quæ ut boni conſulas rogo. Warlinus noſter officium facit, Politica abſolvit, in Hiſtoricis & Eutropio hæremus. Vale iterum Altorfii 18. Febr. 1620.

EPISTOLA CLXXXVIII.

MICHAEL PICCARTUS. S. D.

Joanni Meurſio.

Nobiliſſimorum Barnefeldiorum Ephoro.

CUm multi his diebus apud me inſtarent, Vir Cl. & Amice Pl. honorande, ut orationem, quam hiſce proximis diebus, te etiam auſcultante, habui, publice typis exſcriptam, omnibus communicem, pene adſenſus tandem ipſis ſum. Idque facere cogito rationibus, mihi domi natis, aliiſque adductus; quam Nobiliſſimis Tuis Barnefeldiis inſcribere, pro more recepto cogito Sed cogito ſolum, neque enim facturus unquam ſum, niſi & tibi & ipſis gratum hoc eſſe intelligam. Itaque pro amicitia noſtra, quam tam benigne mihi obtuliſti, tam humaniter & egregiis documentis oſtendiſti, te rogo Cl. Vir, ut ſincere dixeris, quid de hoc inſtituto meo tibi videatur, tribus verbis aperies. Item

quot

quot adhuc dies Nobiliſſimi tui hic commoraturi ſint, ut editio vel maturetur, vel trahatur, vellem enim in ultimum eorum vale, & diſceſſum oblationem dilatam. Tu, Cl. Meurſi, quæſo libere & candide mone, & a me omnem obſervantiam, omniaque ſtudia, quæ ab amico proficiſci poſſunt, tibi pollicere. Atque heus! ſi Epigrammate me beare voles, quod laboribus Valerianis aliquando præfigatur, magno me mactaris beneficio. Vale Vir clariſſime, & Piccartum tuum, ſi meretur porro quoque ama. Altorfii ipſo die Laurentii An. CIↃ DC VII.

EPISTOLA CLXXXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Martinus Ruarus.

Roſtochium,

PRoximis Lipſenſibus literas ad te Rittershuſii cum exemplaribus Salviani duobus miſi, quæ ſi tam recte, quam ego tuas iiſdem nundinis, accepiſti; uterque ut ſpero valde lætabimur. Serius autem nunc reſpondeo, quod nihil eorum intereſſet, quæ ad te ſcriberem, quæ ne νομίσεως quidem ἠξιῶντο. Studiorum meorum eadem quæ prius eſt ratio, niſi quod paulatim ſupercilium ab amænioribus ad ſeveriores Muſas ſubducam: cujus conſilii nec auctores mihi deſunt, nec duces. Sitzmannus adhuc apud nos eſt: neſcio quamdiu futurus, aventer enim patriam recogitat: ſi modo peſtis, quæ locis illis hactenus violento imperio dominata fuit, aliquantum remittat. Sollicitaverat eum Patronus ſuus ingentibus præmiis, ut in Galliam & Italiam cum diſcipulis, quorum nunc præeſt ſtudiis, iret: ſed alio trahit ipſum magnes ſuus, Variſca puella forma & moribus, ut audio, inſignis: tum ætas hominis eſt, ut ab hoc deſultorio vitæ genere ad fixam ſedem tranſire debeat. Habet adhuc ſub manu Rutilii itinerarium, quod in publicum cum luculento dabit commentario, quam primum in libertatem, ut ait, a pulvere ſe pædagogico vindicaverit. Vita Antonini Imperatoris Lipſiæ typis nunc deſcribitur, in cujus ſpeculo Rittershuſius ὁ πάνυ imaginem boni Principis, ſed ad Hiſtoriam paulo, quam Antonius Guevara verius, repræſentat. Quod nunc ſcribam, ei præfari liceat, τὴν ἀγαθὴν τύχην. Scipio Gentilis tandem fecit quod ante xx annos oportuerat feciſſe: dedit ſe in vincula (an pungo te? pone metum) Veneriſne dicam an Junonis? parum curans quod poëta occentet, *Turpe ſenex miles*. Noſti cætera. Virgo quam in matrimonium ducet Norimbergæ vivit, nata patre Italo, Calendrino, viro nobili & ditiſſimo, matre Belgica. Ipſa non formoſa magis quam docta, utpote quæ Italice Galliceque tam ſcit, quam Germanice, ac neſcio an etiam Latine. Altorphii a. d. XIV. Kal. Jan. Juliani A. Epochæ Chriſtianæ CIↃ IↃC XI.

EPISTOLA CLXXXX.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Martinus Ruarus.

Roſtochium

SAtis tu quidem benigne Cl. Dn. Kirchmanne, qui literas meas vix a te legi dignas tantorum virorum ipſiuſque Doctiſſimi Principis oculis ſubjicis: quod quamvis tenuitatis meæ conſcius ægre fuerim admiſſurus, ſi vetare poſſim, nunc tamen, poſtquam factum eſt, in honorem meum interpretor, tuique vim amoris agnoſco, qui ſecurus aliorum judicii, tui oblitus, me quaſi per vitrum intueris, adeoque vero tibi majorem fingis. Sed tu cogita, quomodo factum excuſes: ego quidem hoc pretio ſæpius ejuſmodi tibi quiſquilias vendere vellem, niſi modeſtia mihi legem aliam ferret. Unum tamen memorare non omittam ſpectaculum Onoltzbachii præterito menſe, cum Joachimus Erneſtus Marchio, Sophiaque Solmenſis Comes, pulchrum ſine exemplo par, nuptias facerent, præter acroamata vulgaria publicæ feſtivitati ſolenniter exhibitum; in quo ſequar narrationem amici cujuſdam mei qui ſpectator interfuit, fidelem magis quam doctam, ut e veſtigio patebit. Certamen fuit στοχαστικὸν, quod annulare fere vocant; id ipſe Marchio ſatis ſplendide obivit. Præter Miniſtros ſcutatos & δορυφόρους, tympanotribas, cornicines, tubicines, fidicines, ludionumque gregem illum procedebat Mercurius anteambulo, mox equitabant tres auguſta forma heroës Achilles, Hector & Ajax, quorum perſonam ſumpſerant Marchio, Chriſtianus Anhaldinus, & Comes Solmenſis. Sequebatur Hercules catenatum ducens cerberum, qui flammas obluctando vomebat. Hinc curru cum omnis generis armis Mars ſomnum capiens provehebatur; cujus veſtigia virgo Pax multum diverſis moribus pedes legens, oleæ ramum manu prætendebat. Arioni quoque delphinus aquis innatans tergum ſubſtraverat, qui tum recte non minus caveæ, quam olim mari circumfuſos populos barbiti dulcedine in admirationem ſuſpendebat. Crederes accenſum æmulatione Phœbum pugnam poſt Marſyæ fatum deſitam majoribus animis redintegrare: ita pone vectus equo, ſonos teſtudinis varios artificio miro acuebat; ac neſcio, an non diffiſus dubio victoriæ eventui Sorores in auxilium vocaverit. Parnaſſus enim αὐτομάτως quantum apparebat, totum illum chorum Muſarum adduxerat, quæ juxta Hippocrenen accubantes, cum exſilientium undarum ſtrepitu numeros ſuos exquiſita ſymphonia confundebant. Jam currus ab oloribus trahebatur, in quo Venus Dormiens ſiniſtra manu cor duobus transfixum jaculis oſtentabat. Præcedebant vero Charites in equis habitu partim candido, partim viridi: a tergo mulier cum face Cupidinem, ut ajebant, amiſſum quæritabat: hanc Bacchus Cereſque, demum Juno, Dianaque ſecutæ pompæ celebritatem claudebant. Ter ita luſtrato Circo, mons alius a læva ſe parte diduxit, in eoque conſiſtens Jupiter triſulco pilo fulmen excuſſit, juxtaque

aque Cupido artifices ignes in Martem immiſit, unde conterritus, ſecuto ſimul tormenti craſſioris (Mortarium indigitant) ictu, ſomnum oculis penitus abſterſit. Paulo poſt, cum Venus illac prætervehéretur, Cupido arte intorto telo cor, quod Mater manu geſtabat, inflammavit, ex quo ſtatim evigilans natum ad ſe in currum recepit. Julii vero Wittenbergenſis Ducis apparatus uno trium rotarum curru, quem equi alati a ſingulis anni partibus denominati trahebant, viſendus fuit: de cætero nihil inſigne præ ſe tulit, ut nec Baronis Waldſtenii legati Cæſarei, nec Oetingenſis Comitis. Marchio Durlachius Comites ſuos ad Æthiopum ſimilitudinem colore noctis infecerat, inter quos unus incaſſum ſolus proverbii fidem aſtruebat. Franciſcus Griechingenſis Comes, quem ſuo nomine Auſtriæ Archidux Leopoldus adeſſe juſſerat, venatorio cultu pulcherrimam ſcenam explicuerat, in qua Diana cum Nymphis aliquot, Faunis item, Satyriſque ſpectaculi novitate facile cunctos incenderat. Hiſtoriam habes: nunc aſſem præbe. De comitiorum loco incertus rumor nunc Ratisbonam inclinat, nunc Norimbergam, quæ ſpes Varenholtium meum retenuit hactenus, ne cum aliis, quos Altorphio contages expulit, longius, quam huc, ad aſylum confugeret: cui non difficulter conſenſi. Quod eo modo temporis aliquod lucrum mihi prorogari poſſit, cui alias propria quadra jam eſuriendum eſſet. Nequid enim te celem, mi Domine, videtur mihi Varenholtius, quam primum his ex locis diſceſſerit, id quod adulto vere certo fiet, bonis literis remiſſurus nuncium, ſeque potius applicaturus, tum ad choreas exoticas, equorum agitationem, pugilatum, aliaque exercitia gymnaſtica, tum ad linguæ fortaſſis Gallicæ ſtudium, in quo cum opera mea parum illi prodeſſe queat, futurum metuo, ut ab ipſo dimittar; quamvis nec mihi dixerit iſtud hactenus, & te meminiſſe, cum ad illum ſcripſeris, prorſus nolim. Sed de illo, quod futurum impendet, videat, qui de craſtino nos ſollicitos eſſe vetuit, in quo mea ſpes acquieſcit: interim præſentia lætus capiam, quæ nunc ſe dant aliquanto felicius, poſtquam remittere viſa lues ad ſtationem nos priſtinam conſuetaſque ſtudiorum operas, a quibus per ſex dierum hebdomadas abſumus, tandem revocat. Quamvis equidem non ſine victima noſtra pacem hanc e cælis impetravimus, quoniam proximo tempore, morbi tamen alio genere, quam epidemico, ſublati fuerunt e vivis amiciſſimi Rittershuſii filiola, nondum trimeſtris, & excellentiſſimus Erneſtus Sonerus Profeſſor, cui viro, ſicut faſſus publice fuit Magnificus Dn. Piccartus, cum funus indiceret, in illa ſublimiori Philoſophia parem Germania vix habet, majorem non inveniet. Pæne etiam ipſi noſtro Rittershuſio morbus recidivus aliquid triſte nuper minatus fuerat, quod tamen Deus clementer avertitne dicam, an diſtulit? utinam in aërem mala diſſipentur omina! Is dedit publico nuper conjecturarum reliquias in Panegyricos Veteres, quas fortaſſis, ut exiſtimo, tibi jam tranſmiſit. Cæterum, quod libros hinc nonnullos proximis tuis literis petiveras: mallem Francofurtenſes indices ipſe percurreres, & ſi quid inveni-

inveneris, quod iſtic haberi commode non poſſit, nominatim ad me perſcribas, ne perdam officium judicii temeritate, ea nimirum mittendo, quæ tuo fortaſſis palato minus ſapiant. Et vides alias, quam ſteriles bonarum rerum ſint Typographi, circumquaque nobis vicini: Norimbergenſes vix toto ſemeſtri Heuthneri itinerarium procuderunt, quod mittam fortaſſis ad te nundinis Lipſenſibus brumalibus, ſi probari Doctoribus noſtris prius animadvertero: unus Schonfeldius Ambergenſis hujus Provinciæ laudem ſuſtinere videtur, & in illo præcipue genere lætioris Muſæ cum paucis triumphat. Varenholtius tibi plurimam ſalutem nunciat: tu quæſo meis verbis, cum commodum erit, Clmo viro D. Theodoro Buſſio, cujus literis reſpondebo, quam primum Altorphium reverſus his incertæ vitæ tumultibus exſolvar. Vale columen ſtudiorum meorum. Norimbergæ. a. d. VII. anno Æræ Dionys Novembr. MDCXII.

EPISTOLA CLXXXXI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Martinus Ruarus.

Roſtochium.

SCripſi ad te fere jam ante trimeſtre, cumque nihil literarum ex eo tempore receperim, expectatione diuturna fruſtra luctatus animum induxi mucrone ſtyli tantiſper vos fodicare, donec ab aliis occupationibus, quæ ſunt fortaſſe graviores, excitati priſtinam ſcribendi conſuetudinem repetatis. Ignoſce, Clme Kirchmanne, libertati ſermonis, quem purus affectus mihi dictat, & apud te tam candidum amicum, ut reor etiam permittit. Ne ſint tamen, ut pleræque omnes, inanes meæ literæ, quandam de tranſitu Cæſaris per hæc loca tibi narrationem contexam, mihi quidem, cum e memoria in tabulas retulero, quæ præſentibus antea ſenſibus arbitrabar, jucundam, tibi vero, ut opinor, lectu non plane ingratam. Ab utraque parte plateæ quæ à porta hoſpitali, uſque ad arcem protenditur, ſtabat armata manus peditum quaſi quater millium: equites quinquaginta ſupra octingentos obviam Cæſari proceſſerunt, ſplendide omnes & uniformiter veſtiti chlamyſin albis limbo rubro fimbriatis, pileis item albis criſtiſque rubris. Columnæ triumphales duæ pontem carnarium egregio ſpectaculo decorabant: arcus pendebant tres diverſis in locis: paulo ante ipſam arcem ſplendebat porta triplex, tum imaginibus decem Imperatorum domus Auſtriacæ ſatis eleganter pictis, tum ſimulacris quatuor ſummorum Monarcharum, quatuor partium mundi, quatuor virtutum primariarum e gypſo affabre fictis, inſignibus item Electorum ipſiuſque Imperatoris, multis præterea Emblematis, quæ facilius peniculo quam penna deſcribuntur, ad miraculum exornata. Faſtigium hujus portæ tenebant aquilæ tres, quarum una ſceptrum, altera pomum, tertia eaque media virilis magnitudinis coronam unguibus comprehenderat, ſeque adventante Rege, aliquoties convertere, caput inclinare, & alas quatere poterat.

Ibi-

Ibidem quoque Muſici variis artis ſuæ inſtrumentis aërem uſque ad Syrenum invidiam permulcebant. Rebus ita diſpoſitis urbem eques ingreſſus eſt Imperator poſtridie Kal. Jul. ſubter holoſerico velo, quod portabant Senatores ſex ex illis, qui recens adlecti inter juniores numerantur. Ter in turribus exploſus tormentis majoribus pulvis pyrius fumo & Salmonæo tonitru cœlum pene conterruit. Primo, cum extra urbem Imperator a Senatoribus quatuor rei militari præfectis, quinque item ex iis, quos Septemviros vocant, exciperetur; ſecundo cum a XII. Patribus intimi conſilii ſub Urbis porta, demum cum in ipſa arce a. d. v. Non. Jul. homagium in conclavi præſtiterunt Senatores: ſub dio vero cives; cum prius in editiore theatro extra curiam porrecto Cæſar præſediſſet, Wackerus Cæſaris nomine peroraſſet. Paulo poſt honoraria offerebantur, quinque currus avena, totidem vinis variis onuſti: piſces aliquot orcas impleverant: accedebat poculum aureum ingentis magnitudinis, mille aureis æſtimatum. Hæc ad ipſum Imperatorem ſpectabant: Cæſariſſæ vero menſa ex ebore donata fuit, præter quod argento vermiculati operis præfulgebat, ipſa quoque octingentis aureis ſtipata. Ut autem reliquos aulæ adminiſtros ſilentio præteream, quorum non pauci muneribus mactati ſunt, catenulam certe Nello, qui Cæſari eſt a jocis, datam tacere non debeo propter facetum reſponſum, quod exinde natum eſt. Cæſar occaſione muneris illius ad Nellum converſus dixerat, vides, mi Nelle, quantos honores nobis Norimbergenſes exhibeant, quam vero gratiam referemus? Reſpondens Nellus, ehodum inquit, Cæſar, an iſtud ignoras? crucem in foro excita, Cleſeliumque tuum directum in illa age, gratius certe Norimbergenſibus nihil facere poteris. En cor Zenodoti; en jecur Cratetis! eſt vero Cleſelius Epiſcopus Viennæ Auſtriacæ, magna Cæſaris efflorefcens gratia, ſed qui ſæpe numero materiam incendiis reipub. Chriſtianæ conflandis contulit. Eadem veſpera artifices ignes per aërem jaculati ſunt, ſatis tamen inauſpicate: ſiquidem ancilla pyrobolo tacta animam exſpiravit; quidam etiam ſenex ab equis repentino fulgore perterritis conculcatus eſt; ſunt & alii vulnerati, nec neceſſe habeo recenſere, quot pilei, aut pallia, pallæve inter furum manus ſtrangulatæ perierint. Tertio iduum Imperator convivium quæſitiſſimis epulis celebravit, cui præter ipſum & Cæſariſſam adfuerunt, Elector Colonienſis Ferdinandus, Epiſcopus Argentinenſis & Paſſavienſis, Leopoldus Auſtriacus (quem cum Cæſare certis hic conditionibus in gratiam redegit Colonienſis) Epiſcopus Bambergenſis Gothofredus Aſihuſius, Marchio Burgavienſis, Carolus ab Auſtria frater Cæſariſſæ conſanguineus, tres Marchiones Brandenburgenſes, Chriſtianus, qui Culmbachii aulam fixit, Joachimus Erneſtus, qui Onoltzbachii, & tertius de cujus nomine mihi non liquet, ultimus denique Princeps Anhaldinus Joachimus Erneſtus. Verſati ſunt alias Norimbergæ eodem tempore nuncius Apoſtolicus Epiſcopus Amelphitanus, Legatus Hiſpanicus Balthaſar de Geniga, Gallicus neſcio quis, alius tamen a Bongarſio, item Florentinus & Bavarus: Comites vero & Barones tot, ut eo-

 rum

rum numerum ſubducere nemo facile quiverit. Demum VIII. eid. Pragam rediit Imperator eadem pompa, qua huc eſt ingreſſus. Habes hiſtoriam ſatis prolixam, cui verbum amplius non addam, ſi te prius a Varenholtio meo ſalvere juſſero, qui ſimul interrogat, numquid literas a ſe jampridem datas acceperis? Vale, alpha amicorum meorum. a. d. VI. Eid. Jul.

EPISTOLA CLXXXXII.

L. RHODOMANUS. S. D.

J. Kirchmano.

Reſtochium.

BIennium deccurrit, cum nihil abs te literarum mihi redditum eſt. Ultimas enim ſtatim poſt diſceſſum a Witzendorfiis, accepi. Nec ubi locorum hæreres mihi conſtitit hactenus, niſi quod nuper admodum te Profeſſorium apud Roſtochienſes munus gerere, indicio tamen obſcuro, cognovi. Interverſæ igitur ſunt & deperditæ, ſi quas per intervallum hoc ad me curandas dederis. Mihi per biennium hoc, ex quo avulſa eſt conjux optima, perpetuus cum febribus & ſtomachica fuit agon, imo πόλεμος ἄσπονδος: ubi natura jam ſuccumbit, jam eluctatur. Irritum namque ſubſidium ἐκ τῆς ἰατρικῆς. Interea præclarum opus tuum de funeribus Romanorum cum immortali nominis tui fama exiiſſe audio. Macte novoſque tibi ad exornandam, quam nactus es, ſpartam animos ſume. Et ſine carmen hoc tuum aliquid divini nobis polliceri. Diodorus quoque meus & Calaber lucem adſpexerunt: ſed multis in partibus quam deformes & monſtroſi! obſtetricantium incuria ne dicam an injuria? proximis diebus diſticha Catonis, & Publii Syri Mimijambos a Scaligero non redditos verti. Tironibus enim Græci ſermonis libellum adorno, ſtudiis illorum magis aptum, quam ſunt, qui a vulgo Magiſtellorum invitis Muſis obtruduntur: modo a Typographis (ut fortunæ mos eſt meæ) non deſtituar. Vale III. Non. Octobr. A. C. CIϽ IϽ CV.

EPISTOLA CLXXXXIII.

JACOBO BORDINGO. S. D.

Joannes Caſelius.

Lubecam.

COmmoditatem ad te ſcribendi negligendam non putavi. Hic ab id. Oct. novæ calamitati objecti fuimus: & ab eo principio novam diſſipationem Academiæ metuere cœpimus: & ſi juventus maximam partem hic ad Martium, immo plerique ad Aprilem, apud nos perſeverarunt: qui ceſſerunt, brevi redituri credebantur, & redire conſtituerant, ſi metus belli tolleretur. Affulſit etiam aliquoties ſpes pacis, nec tamen niſi per denſam nebulam, ut nulla ſequeretur ſerenitas. Cum de compoſitione tot modis tentata deſperatum eſſet, itum eſt ad extremum remedium. Depromſerunt enim legati decre-

cre-

cretum Imperatoris, quo ſub pœnam, quæ graviſſima imponi ſolet, & Duci & urbi bello interdiceretur. Aſſenſit Princeps, obſidionem ſolvit, tormenta avexit, militem abduxit, & paſſim dimittere cœperat. Idem bona fide cum Senatus populuſque promiſiſſet, non deſiere ab Albi ſollicitare ad ſe copias, tempus eſſe, patere tranſitum: ut interceptus tabellariorum unus, non ipſe quidem docuit, ſed quas ferret litteras: litteris exciti per ambages profecti illuc venere prohibente nemine. Geſta autem cum alia hoſtiliter, tum hoc, quod Principem cum conſueto, aut non multo majore comitatu intra Schoningam & arcem Guelphiam aliquot equitum turmis & peditum cohortibus adorti pæne interceperunt: ſed dum equites impetum ſuſtinent, vix ipſe ſalvus evaſit: hæc illi triumphabundi magnifice prædicaverint. Sed de toto negotio diſſerere non eſt literarum. Ut relinquam cætera: Academia a Kal. Aprilis demum pæne tota diſſipata eſt: nos domi videmur exules, jam hoſtili violentiæ expoſiti. Ipſi enim tanquam jurati in artes liberales, nobis præ omnibus ſemper minitati ſunt. An non me hac ætate miſerum dicas, qua non intempeſtivum ſit, & optabile potius, placide migrare ex vita mortalium, quam metu torqueri tot calamitatum, in quibus exilium & mendicitas minima ſint. Diripiant ſane reliqua: ſupellectilem librorum tota vita comparatam, ſemel direptam non recuperavero, nec ego, nec mei: quod ſi fiat, forte ſimul crudeliter trucidabimur. Nihil enim mediocre ſperare licet ab hominum iniquiſſimis: qui quadriennio abhinc rura & prædia & arces & oppida deprædati, trimeſtri exilio nos multarunt, quando plurium rerum jacturam fecimus: in quo hoc peſſimum, quod nemo fere fuit, qui illis excurſionibus peccatum diceret: inventi contra, qui talia facta coloribus quibuſdam pingerent. Verum ne a querela in diſputationem digrediar, quod minime velim, finem ſcribendi faciam. Optarem qui animarint ab initio civitatem contra æquitatem, & copias ſubminiſtrarint, ſalubria conſilia dediſſent, & vel reluctantibus impoſuiſſent, quod auctoritate ſua poterant, armis ante ſeptendecim. Vereor autem, ut urbes veram hiſtoriam minime cognoverint: nec eſſe opinor quemquam Principum magis expoſitum calumniis, quam noſter: id adfirmant familiares, qui undecunque peregre domum redeunt: cum ea audierint ſeri & aſſeverari, quæ nos eſſe falſiſſima novimus. Forte fato urgemur nos etiam, ut Belgium. Ego ſi de officio & dignitate Principum & Civitatum ſcribam, quæ ſedulo ab annis quinquaginta conſideravi, nec ab alterutris magnam ineam gratiam, nec niſi paucis, quæ vera & recta ſunt (ſunt autem non niſi quæ ad publicam ſalutem tendunt) probem. Eorum tamen te tuique ſimiles cenſores feram. Et talia a bonis, quos & ſapientia erudiit, & uſus partim emendavit, partim confirmavit. Pravæ enim opiniones, uti ſunt pleræque in populo fere omnium, non pariunt, niſi mala conſilia: unde res male adminiſtrari neceſſe eſt: quod cum fit, tum vero πλείη μὲν γῆ πᾶσα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα: Verum veſtrum qui hoc præſtare valeant, iis vel a negotiis reipublicæ, vel a curatione rei domeſti-

cæ non vacat. Nam qui illam geritis, neque hanc negligere poteſtis. Ipſe adſpicere illa ſoleo, aggredi non audeo. Canto quæ ſolitus, ut ille ait: eccam modo lucubratiunculam, eam cum olim ſcripſiſſem, in his turbis relegi. De prœmio & epilogo adhuc delibero: forte & alia ſubjiciam. De hoc argumento reſponde aliquid: alterum patior ne attingas. Ignoſce ſi quid perperam ſcriptum ſit, quod hæc mihi relegere nec licuit, nec vacavit. Iterum Vale. Helm. ex acad. Jul. 14. April. CIↃ IↃCVI.

EPISTOLA CLXXXXIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium,

CLariſſime Dn. Kirchmanne amice honorande: ad priores nihil tum reſcripſi: neque tabellarius modo ſe teneri patitur, ut reſpondeam, quemadmodum exſpectes, aut ego velim. Reſcribam hoc diligentius, paucis diebus commoditatem habiturus per Megapol. Hic enim ſub id. proximas futura comitia nationalia, a circulis dicta, nunciant: quem puerilem libellum vis, tum quoque ſi interea invenero, mittam. Apud nos vixit civis tuus Joan. Hovelius, hodie Giſſæ vivit: is mihi perſuaſit ut Patrui ὁμωνύμου laudationem ſcriberem, eam proxime mittam. Sane ſi præmia ſint tuis civibus, emergant alii ex aliis. Mirum ſane in his terris ingenia inclareſcere, ubi non ſolum nihil exſpectandum præmii, ſed contraria omnia. Sunt enim magis in precio & honore, qui ab inſcitia impudentiores atque glorioſiores ſunt. Vale. Helm. ex acad. Jul. pridie non. 1608.

EPISTOLA CLXXXXV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium.

CLariſſime Dn. Kirchmanne, amice cariſſime: Igitur e prioribus tuis cognoſcam, quæ noluerim. Adoleſcens enim a fratre, ut conjicio, aut Parchimii pluribus diebus detentus, nondum rediit. Tunc edam γερουσιάδην, interea ſcripſi, ſive libellum, ſive orationem dicas, φιλόξενον; argumentum quæris? de prærogativa civium in honoribus & commodis, ubi multa de malitia & πλεονεξίᾳ adventitiorum: ſcriptum judicabunt acrius, ut de ejus editione nihil dum ſtatuam. Laudabo quoque elect. Joach. Fridericum. Megapolitanis gratulor, quod otium colunt: quod inter principes bene convenit, quod hi urbibus favent, urbes officium faciunt: hic una parere videri nolit, dominari velit, in quibus poſſit, omnibus. Vale Helm. ex acad. Jul. XVI. Kal. Sept. 1608.

Scripta epiſtola venit mihi in mentem, quod hoc menſe nobis pereruditus juvenis juris ſtudioſus, ex ipſa urbe narravit: litteris Senatum a te flagitaſſe

virum

virum doctum, quem facerent rectorem ſcholæ ad divam Catharinam. Velim ſcias, quam doctiſſ. & opt. virum quibus artibus ſub Kal: Febr. eliſerint M. Joan. Bechman.: relatu hoc quoque turpe eſt, tam nihil, vel a paucis aliquid de recta pueritiæ educatione intelligi: tam injuſte & ingrate virum annos XII. vel amplius de adoleſcentia meritum, nullam ob culpam deturbatum ab officio: odio facit hoc auctoritate ſua apud plebem valens πρωτεκκλησιαστὴς, homo haud dubie non niſi populariter doctus, ſi doctrina vocanda eſt abſque ſcientia, adjuvante ſive connivente Πρωτοσυνδίκῳ. Cum in multa loca ſcripſerint a tot menſibus, ne mediocrem quidem invenerunt, quem ſuo civi opt. doctiſſ. ſubrogarent: non ſine ſtomacho hæc ſcribo. Bechmanni virtus & litteræ exquiſitæ ſunt mihi notiſſimæ: ejus alumnos habui domi meæ multos, qui & probi eſſent, & principia linguarum, & quædam majora pulchre ex eo magiſtro accepiſſent. Sed & περὶ παρέργου τούτου ἅλις. Obſignaturo haſce redduntur aliæ Brunſvega, quibus amicus narrat ad te ſcriptum de ſubrogando Petro Fabricio Roſtochienſi in ſchola Cathar. Brunſvegæ. Hunc Fabricium non novi, nemini ſuaſerim bono & erudito viro, ut illis ſerviat, quibus dubio eventu δουλεύειν χρή.

EPISTOLA CLXXXXVI.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium.

CLariſſime Dn. Kirchmanne, amice colende: Utrumquæ gratum mihi & familiaribus: litteras tuas dico, & quæ mittis. Sequar te in capitibus: de reditu Ducis e Suecia libenter cognovimus: libelli exemplum mitto, uti juſſi: meorum nihil editum, quin exempla proxime miſerim, quamvis tenuium: mittam alia proxime: Laudationem Hovelii Giſſam Jo. Hovelio cenſendam miſi: de Hannide monueram ante, & modo iterum monui Cornelium: pollicetur & ipſe polliceor: ſed lentus uterque: ille ut ſcribat perfectius, ego ætatis vitio. De epigrammatis Græcis a nemine ante acceperam; ea videre admodum velim. Quæ miſiſti nunc legunt familiares, poſtea & ipſe legam. Vale Helm. ex ac ad. Jul. 16. Jan. 1609.

Saluto dn. D. Tarnovium & Lubinum: noſtros veſtroſque Buſſios: primo natu de iis gratias ago, quæ a Remo accepta ad me miſit e vico Brunomo. Iterum Vale.

EPISTOLA CLXXXXVII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium,

CLariſſime domine Kirchmanne, amice honorande. Rarius ſcribo, quod pauci recta ad vos eunt: neque tum ad quos velim omnes, quibuſque de-

debeam: alii ſilentio meo, alii brevitati veniam dabunt: hoc obtinebo facilius, quod plerumque mitto, quæ familiares legant. Neque tamen lectorem multis obruo: neque polliceor ſingularia, ita quemque habebo faciliorem ad cognoſcendum & judicandum. Noſtra autem neque privatim noceant, niſi forte mihi. Non enim paro ejuſmodi, quæ placeant omnibus: cum tot annis calumniæ morſus effugere non potuerim, τὸ λοιπὸν ἀναισθήτως ἔχω πρὸς διαβολάς. Κρυσιάδου aliquot paginæ ἐξετυπώθησαν: abſolvetur ante April. Qui has tibi reddit, autumno vobis a me quoque aliquid attulit: cum in Megapoli fratrem habeat in prædiis Cruſiorum ἐκκλησιαστήν. Maluit iſtuc reverti: ejus ego fidem & diligentiam exploravi aliquoties: hic ſi ſit, in multis ipſum juvem: hinc quid a te fieri velim cogita: fac quod tuis me præſtare jubeas. Vale Helm. ex acad. Jul. XIV. Kal. Ap. CIↃIↃCIX.

EPISTOLA CLXXXXVIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium.

CLariſſime Kirchmanne, amice cariſſime: Animum tuum in omnibus mihi promptum ſcio: fuit ſtatim in veſtibulo notitiæ noſtræ: neque ego non tibi ab initio volui. De Cl. Clingio monueram proxime: unus ille reliquus fuerat omnium, quos offendi primum ad Varnum veniens: ſaltem programma videre aveo, neque tamen non, ſi quid præterea ipſius honori ſcriptum & memoriæ. Miſit ad me ante plures annos D. Chriſtophori Sturzii ſcriptum a ſe editum hac inſcriptione: *AUSA CAROLI.* Ejus exemplum velimus gener meus D. Theodorus Adamius & ego, propter hiſtoriam: quod quæſo erue alicunde, vel a Clingii vel ipſius Sturzii filio; rem gratam nobis feceritis. Audio iſtinc migraſſe Henricum Boëthium: ubi & quo loco ſit cognoveris. Vale Helmæſt. ex acad. Jul. XVI. Kal. Maj. CIↃIↃCXI.

EPISTOLA CLXXXXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium.

CLariſſime dn. Kirchmanne, amice honorande, ſub id. Octob. binas ferebat alter tabellarius: faſciculum enim prior Parchimii depoſuerat: de exemplis Xenophontis reſpondere jubeo Depholdium. A te nihil dum venit quod animi mei moleſtiam leniat: venit interea ab Albi Ἄλκιμος, familiaris tuus, (Starkium Lunæburgenſem dico) elegans juvenis: reddidit mihi quæ ediderat de pulchritudine: ajebat ſe pridem ad te miſiſſe quæ, mihi reddita jam putabat, ſcripta honori filii mei. Quæ nobis narras, haud bella, exponunt etiam alii: de quo facto cenſura mea non eſt. Epiſtolarum cuidam meæ intexui querelam ſive indignationem de injuriis, quibus afficiunt noſtrum

ſtrum ordinem urbes aliquæ Academiarum ξενόδοκοι, ſatis ingrate, cum a nobis habeant, & educationem gratuitam, & a noſtris lucelli aliquid, quidam eſuriant, niſi eas oves mulgeant. Optavi, ut quis cum auctoritate nos utriuſque de officio doceat, nos inquam dociles, populis & rudibus perſuadeat, quid potiſſimum ex re ſit. Multitudo enim neque virtutem neque ſanctitatem capit. Quid exſpectem vides; adde hoc, ut collegas, mihi amicos, ſalutes, quorum de primis eſt Laurebergius. Vale Helm. ex acad. Jul. v. id. Jan. CIↃ IↃCXII.

EPISTOLA CC.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium,

CLariſſime Dn. Kirchmanne, amice cariſſime, neque tu meminiſti, neque quis alius ſcribit de litibus, quæ inter Urbem ſunt & Academiam: fama tamen hic eſt, & confirmatur ab aliquot menſibus: & ſi hoc nihil novi, neque iſtic, neque in aliis urbibus, in quas divertere Academiæ: putate nos hoſpites hic quoque ludibrio eſſe, ne quid dicam durius. Ad Depholdium mittebam: domo aberat: monebitur proxime. Hic Principem abiiſſe ajunt in Sarmatiam. De nato filio Principi J. A. & alii nos docent: utinam pax ſit in veſtra vicinia: utinam in hac quoque vicinia, ubi turbatum fuit, quamdiu hic fui. De Epitaphio vos amo. Vale Helm. ex acad. Jul. x. Kal. Mart. CIↃ IↃCXII.

EPISTOLA CCI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Caſelius.

Roſtochium.

DOctiſſime humaniſſimeque Dn. Kirchmanne, amice honorande. Quo ipſe ſum brevior, hoc tibi plus debere profiteor de accurata epiſtola, qua iſta mihi pleniſſime explicas, quoad quid credendum litteris cenſuiſti: mihi prorſus ſatisfeciſti de utroque capite: atque utinam aliquando iſtarum litium, ſive potius odiorum finis ſit. Recte autem accuſantur ii, qui a nobis acuminis aliquid, humanitatis ſpeciem acceperunt: nihil dicam in eos durius, quos, ut innuere videris, δίκη ἀπὸ τῶν ἀποδημητῶν nihilominus aſſequitur. Non ſunt nulli paſſim, qui honores & divitias adepti, noſtrum novere neminem: æquiores ſint, ſi ſe ipſimet noſſent. Ego quoties reſpiro, non ago, uti vides, nihil. Has tibi reddet Albertus Roſa, Hamburgenſis familiaris noſter ab annis pluribus: perluſtravit Superiorem Germaniam, Gallias, Britannicam, Belgium. Ut noveris hominem audi: quem quoque in amicitiam recipies & conſilio juvabis, etiam commode poteris. Exponet de noſtris miſeriis, ſi has tibi libet cognoſcere. Vale Helmæſt. ex acad. Iul. prid. Non. April. CIↃ DCXII.

EPISTOLA CCII.

JOANNI KIRCHMANNO S.D.

Th. Buſſius.

Roſtochium.

CUm ex Anglia redux Rotomagum, quod ipſis Kal. Aug. erat, venirem, nihil mihi magis optabam, quam literas a vobis, quas ibi apud procuratorem meum offendere ſperabam. Iis enim omnino me nauſeam & laſſitudinem, quam mari partim, partim equitatione per intolerabilem æſtum contraxeram, ex animo ejecturum priſtinamque alacritatem recuperaturum confidebam. Sperabam autem hoc eo certius, quod antequam Lugduno e Batavia diſcederem diligenter hoc a te rogaſſem: quem ſciebam nihil mihi unquam negaſſe, neque qua ſis erga me conſtantia porro quidquam negaturum. Tanto autem majorem dolorem, ex ea re ſuſcepi, quanto impatientius ferre ſolemus inopinato fruſtrari deſideria noſtra. Non credam te non ſcripſiſſe, ne negligentiam tuam potius quam infelicitatem meam agnoſcam: puto enim malo potius fato meo literas veſtras ad me non perveniſſe. Quicquid ſit, ſcias, ſollicitudinem non levem inceſſiſſe aliquid cognoſcendi de ſtatu veſtro: præſertim cum parva ſpes ſit mihi literas poſthac a vobis curari poſſe. Hibernare equidem Monſpelii conſtitueram, ſed conſilium poſtea mutavi, &, ſi fieri per anni tempeſtatem poterit, ſtatim in Italiam pergam. Fornerio literæ tuæ acceptiſſimæ fuerunt, quod ipſe reſponſione ſua teſtabitur. Conſilium ejus in inſtituto meo utile ſane mihi fuit. Et quod bene vortat, ſcias me heſterno die iis honoribus, quos ut ambirem in hac urbe, mihi author fueras, auctum eſſe, non ſine adplauſu fere omnium nationis noſtræ, quod in felicitatis parte pono. Exacto hic menſe ad quem ſex fere dies ſuperſunt, in viam me conjiciam: interea tamen Rotomagum proficiſci mihi neceſſarium, ut viatico meo proſpiciam. Adeoque cras ibo σὺν Θεῷ. Pariſiis etiam menſem unum hæſi: quos volui, vidi, conveni. A Caſaubono reſponſionem ad tuas, ut erat occupatus, impetrare, quamvis quotidie promitteret, non potui: & cum diſcederem febri optimum Virum cum uxore inſubide obrutum reliqui. Exigam tamen reſponſum per amicum quendam, qui curabit tibi. Vehementer mihi gratulaberis, quod in notitiam illuſtris viri J. Auguſti Thuani pervenerim: quæ res tanti apud me eſt, ut ea ſola numos, quos conſumpſi in illa Auguſta urbe, plane redimere nollem. Cum Heraldo de ea re, quam noſti, collocuti ſumus. Is profecto tam inanes facti ſui rationes reddidit, ut credam cauſas iraſcendi nullas habuiſſe, niſi quas iſtis hominibus familiares eſſe, quaſque ſibi fingere conſueverunt, ubi invidia faſcinati alterius honori obtrectare animum induxerunt ſuum. Rigaltius, quem etiam Cl. Rittershuſi noſtri nomine monebam, modeſtior altero fatebatur, ſe juvenili ineptia & ſtyli fervore abreptum quædam effudiſſe potius, quam ſcripſiſſe: de quibus ipſi Rittershuſio quamprimum ſatisfacere in ſecunda editione, quam præ manibus haberet, conſtituiſſet. Cæterum

terum novi quod ſcribam hic carum eſt: ſunt enim pacata omnia, licèt non ſine turbarum metu. Vidua Regina, quæ Regentis nomine & Regi & Regno præeſt, edicto pacem inter partes religionis utriuſque ſancivit, defenſionem omnibus promiſit. Niſi quid Jeſuitæ & Pontificis alia mancipia turbarint, periculi parum erit. Famoſi iſti ſocii publicis ſcriptis auctores & conſcii arguuntur cædis Regiæ: præſertim Petrus Cotto; contra quem editus eſt nuper libellus Anticottonis titulo, quo mirabilia ipſi & ejus ſociis objiciuntur. Huic ſcripto anſam dedit ipſe Cotto, epiſtola ad Reginam edita, qua Jeſuitarum de occidendis Regibus doctrinam purgat, & librum Marianæ de inſtitutione Principis, qui ſententia Parlamenti nuper publice Pariſiis combuſtus eſt, frigidiſſimis præſcriptionibus defendit, nec tamen defendit: vult enim nihilominus videri ſe alienum ab iſtius nebulonis dogmate, quo ſolo parricidium ſuum monſtrum illud Galliæ coram Judicibus palliare potuit, ut plane deprehenderetur iſtorum hominum veneno infectum fuiſſe. Caſaubonus aliquid contra Baronii Annales adfectum habet, quod tamen in Gallia non edet, ſi unquam edet: ipſe enim hæret animi, non tam Pontificiorum, quam ſuæ partis hominum invidiam metuens. Sic enim autumat, ſe parem gratiam Genevæ, quam Romæ ſcripto ejuſmodi meriturum. In Angliam videtur omnino adſpirare, quorum Eccleſiaſticam politiam magis probat, certe ab illa Hugenottarum plane abhorret, quam in ſententiam plurima eſt nobiſcum locutus. Niſi per Thuanum alioſque paucos ſtaret, jam diu abiiſſet: ibit tamen hoc autumno, ſaltem videndi Regis cauſa, qui ipſum vix dimittet. Zinzerlingus noſter Lugduni agit apud typographum, cui operam ſuam in editione corporis gloſſati, ut vocant, addixit. Vale Dabam x Octobris ſtylo novo A. CIƆ IƆCX Aureliis.

EPISTOLA CCIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Elhardus Lubinus.

Lubecam.

QUam conjuncti & veri inter nos amici & collegæ fuerimus, vir Clariſſime, vel hinc apparet, quod communem in pleriſque fortunam experiamur. Ante annum calamitas non exigua te exercebat occiſo a vigilibus Marquardo tuo, eadem hiſce diebus ades meas pulſavit occiſo Chemnitio meo, quem noſti: quamvis enim multa fuerint, quæ in illo ut noſti deſideraverim, quando tamen in latrones hos incidit prope Grapheum omnium mortalium fuit innocentiſſimus, tot amicis verbis illos compellans & ſalutans aperto capite, quæ ſuo tempore ex aliis prolixe cognoſces. Nudius tertius reliquiæ ejus hinc deportatæ & Priſiwaltum a Patre & altero quodam Conſule verſus vectæ, in tanta ſtudioſorum & civium funus concomitantium, per totam, urbem uſque ad extimam portam, quæ a molis nomen habet', multitudine, tantoque concurſu & ſtrepitu hominum, ut ſimile non putem viſum eſſe a

toto illo tempore, quo urbs hæc cœpit. Tota urbs mota fuit, & ingens omnium, quod oculis vidi & auribus audivi, fremitus adverſus latrones illos, quorum unus hic captivus tenetur, & ſine dubio publicum ſuo tempore omnibus dabit ſpectaculum; alter in Aſylo Pulkiorum deliteſcit; tertius Guſtrovii detentus eſt, de quo tamen nihil certi affirmare auſim. Hæ meæ ſunt deliciæ. Corpus ejus ultra 6. dies domi meæ depoſitum fuit. Circa idem tempus & noctem adeo cum Matthias vulneratus fuit, uxor mea ſextum filium mihi peperit. Laus ſit Deo, partu non infelici. De ſucceſſione in locum tuum adfinis mei ſpes tota videtur decollaſſe, cum illuſtriſſimus Princeps Helwigio jam promiſerit rem, ante ni fallor illud tempus, quo tu adhuc incertus eras de ſtatione mutanda. Conamur tamen adhuc aliquid, ſed ſucceſſu & ratione parum felici, niſi Deus aliter qui poteſt dirigat. Valde ſollicitor de adfini meo parvulo, qui apud vos eſt, quod ſi nulla ſpes ipſius apud vos ad conditionem aliquam promovendi, quæſo ad me reſcribe, ut illum ad me revocare poſſim. Quæſo etiam te cum Dno Cantore meo nomine loquaris, ut ſignificet, quid ſingulis hebdomadibus pro victu ab illo dari ſibi poſtulet. Mitto tibi quadratum faſciculum Theſium mearum, pro quo aurigæ eſt ſatisfactum, quem ut in ædes Dni M. Gleſſenſoli adfinis mei, deferri cures, majorem in modum a te contendo. Bene vale, ſaluta conjugem & amicos, etiam Dominum Wittium, ſi in illum incidas. Roſtochii 11 Decemb. Ao. 1613.

EPISTOLA CCIV.

JOAN. à WOUWER.

D. Joanni Kirchmanno. S.

Roſtochium,

NIſi te ſerio amarem, exulcerare poterat mitiſſimum pectus meum, quod ne tralaticia quidem reſponſione nos dignos exiſtimes. Adfirmo tibi, ante aliquot menſes literas ad te miſi, eaſque affini tuo inſcripſeram, & jam ſecurus eram in manus tuas illas perveniſſe. Sed cum hactenus reſponſum expectem, & de animo in me tuo nullus dubitem, induci me patior, ut eas intercidiſſe exiſtimem. Quod ideo gravius animo meo accidit, quia à turpiſſima ſuſpicione, quam ſine cauſa conceperas, innocentem liberabant. Teſtor conſcientiæ meæ fidem, nolui nomen meum libello tuo exciſum, quin imo valde vellem ubique locorum obvia oſtenſione illud ingerere poſſem, ut jucunda noſtri memoria ſemper recentior apud te creſceret. Equidem animus erat infelicem pagellam, quæ nomen meum præferebat, adnectere illi, cui Baudius inſcripſerat; ne amantes divelleremur, ſed vel hac parte lenimentum deſiderii utriuſque noſtrum ſentiremus. Interim dum hoc ago, celerior diſceſſus tuus, & ambitioſus Baudii amplexus conatus meos impediit. Semel dixerim, ſerio te amo, & legitimum tui æſtimatorem me profiteor. Utinam adfectum in te meum officiis approbare tibi poſſem, cujus occaſionem, quamdiu mihi fortuna inviderit, fruſtra de amore tuo mihi gratulabor: Et vero reſpi-

reſpicientem fortunam te præſtolari ais, quæ quidem te ſequi debebat. Ergo inveſtiganda erit, quam comitem trahere oportebat. Hoc erat fatum bonæ mentis & optimorum ſtudiorum. Scio & probe intelligo, quid ingenii tui munera mereantur. Sed velim paulo plenius & apertius ex te cognoſcere, quæ voti tui ſumma; fruſtra enim ex Rumpio quæſivi, quæ hærentem ducerent aut confirmarent. Cave protollas de iſtiuſmodi, quæ me ſcire intereſſe exiſtimas, ad me perſcribere. Polymathiam noſtram propediem ad te mittam. Vale & me ama. Hamburgi XVI Kl. Febr. CIↃ.IↃ.CIV.

EPISTOLA CCV.

JOAN. à WOUWER.

Joan. Kirchmanno S.

Roſtochium.

QUod amantiſſimis tuis libris paucis reſpondeam, dabis ſummis occupationibus meis, quæ me ita involutum tenent, ut non ſine ſumma difficultate hoc quicquid eſt temporis, quo hæc ad te propero, a me impetrarim. Et vero non ſine cauſa iraſceris editionem Commentarii tui de Funerib. hactenus proferri. Dicam quod res eſt; non promittenda erant Frobenio, quæ ſe præſtare poſſe certo non noverat. At ſcire te velim, etiamſi ſanctiſſime recepit, præſtare tamen non potuit, ita operæ negligentia & fraude in diverſa ſenem traxerunt. Quid ſi nos præſentes ita ductent, ut jam integer annus numeretur, quod Polymathiam noſtram orſi, toties interceptum infelix opus nequiſſimorum deſidia, defectu chartæ, & mille aliis impedimentis, quæ ingenioſa ignavia commentari didicit, quid tibi abſenti exſpectandum erat, niſi hoc ipſum, quod evenit: cui vel hæc mora pro expeditione eſſe poterit. Crede mihi, fruſtra accuſabis Frobenium, & ſtomachus tuus ſine offenſa reſidebit, ſi, quam primum licuerit, opus tuum abſolvat, quod, niſi valde fallor, cis pauciſſimos dies fiet: ita enim mihi promiſit, qui non ſine acerrima declamatione cauſam tuam egi. Quod ſi omnino moleſtum diutius exſpectare, libellum ad te remittere parerit, quod tamen ut temere agas non ſuaſerim, ne in eoſdem tricones denuo incidas. Quam vero prætexis cauſam, cur opus tuum ſtatim a reditu in lucem dari nolueris, ea, ſi quid ſentio, nulla eſt; cum omnino mihi conſtet, nihil a te proficiſci poſſe, in quo peregrinatio & vita deſultoria, quod excuſet, habeat, rectius ſane de politiſſimo ingenio tuo judicare didicimus, & in proclivi eſt, quo deſiderio tuo ſuccurri poſſit, ut ſcilicet annus editionis in præteritum tempus rejiciatur. Caſaubonus & Baudius frequentes ad me literas ſcribunt, ut alii omnes, quorum mentionem feceras. Niſi quod occupationes meæ omne otium mihi præſcindant, quo per literarum fomenta ipſorum in me affectum alere debebam. Venio ad alias tuas, quæ me vel hoc nomine mirifice affecerunt, quod occaſionem mihi datam intelligam, qua animum meum tibi probare poſſim. Et ne quid diſſimulem apud pleroſque omnes Holſatiæ Proceres, qui Regi parent, mediocri

gratia, nullo quidem merito meo, polleo, itaque fallor, aut ex parte votis tuis ſatisfaciam, niſi quod occaſio & tempus præſtolandum. Interim non deero tibi, ut civibus noſtris innoteſcas. Benedictus ab Alefeldt Regius præfectus jam multis mecum egit, ut minori natu filio, quem penes ſe habet, de Præceptore proſpicerem, illum hactenus quæro, nec audeo tibi conditionem offerre, cum in initiis diſciplinarum tibi hærendum eſſet: Major natu ejuſdem filius, qui aliquamdiu apud me hæſit, propediem peregrinationi ſe dabit. Neque enim prudentiſſimus Vir quenquam ſuorum in Academiis Germaniæ utiles annos perdere patitur. Quod, quo conſilio agat, inquirere nunquam libuit. Valde autem conſilium tuum probo, quod optimorum cultu ſecedere conſtituiſti; quo ocium animi, ſummam beatitudinem adipiſcaris, quam nos Tantalidæ fruſtra per tos annos quærimus, nec invenimus. Exiſtimo, ut in editione notationum Theophraſti exhibeas vulgarem aptatam textui Græco; cui recte appinxeris Caſauboni emendationes, deinde in expoſitione dabis, ita majus pondus ἀκροάσει tuæ, ac in hujuſmodi διατριβαῖς imprimis ſpectandum. Vale. Hamb. CIↃ. IↃC. IV.

EPISTOLA CCVI.

JOAN. à WOUWER.

Joanni Kirchmanno S. D.

Roſtochium.

DE Theophraſto ad me miſſo multum te amo, & ſerio probo inſtitutum tuum; in quo ut naviter perſiſtas ex animo te hortor. Utinam aliqui meorum adeſſent, & attenta aure audirent Florem illibatum populi, Suadæque medullam. Sed meum erat Theophraſto tuo Polymathiam opponere, quam ad te mitto; opus ſæpius inchoatum, multoties interceptum, & ne nunc quidem perfectum, ideoque nihil magnopere habebit, quo ſe tibi commendare poterit, præter auctoris judicium; quem te amare certo ſcio. Cave aliquid ſuſpiceris de Frobenio, rem tibi auctorem dabit, ſe ea, quæ promiſerat, præſtare voluiſſe. Regii præfecti filius jam in diſciplinam ceſſit doctiſſ. Viro, quæ tamen quam feliciter expetiſſat, hactenus ignoro. Hoc velim tibi perſuadeas; me optimi amici officio nunquam defuturum. Schioppius quid rerum agat, ex quo Italiam reliqui, ſcire non magni feci. P. Danielem obiiſſe ante paucos menſes Puteani ad me perſcripſerunt. Tiliobroga ubi terrarum aut gentium fallat ignoro. Baudius Lugduni Panegyricum Plinii publice interpretatur. Vale. Hamburg. XII. Kal. Aprilis CIↃ. IↃC. IV.

EPI-

EPISTOLA CCVII.

JOAN. à WOUWER S. D.

Frederico Lindenbrogio.

Hamburgum.

LIbros tuos MS. accepimus, integros & ab omni tempeſtatum injuria probe defenſos. Sed utinam nunquam ſuſcepiſſem ea præſtare, quæ promiſeram. Nam quæ ſit ſententia illuſtriſſ. Principis mei, jam ad te perſcriptum intelligo: quæ quidem non tam ipſi nata, quam ab aliis expreſſa, qui plurimum ſibi in his ſapere videntur, & fraudis me inſimulare tacite præ ſe tulerunt, quod prima vice quum pretium indicares, volumina magna aſſeruerim, quæ nunc folia pauca deprehendantur. Ita paulatim eviluerunt, quæ antea legitimo æſtimata pretio. Ego vero, quod ſerio dico, obniti animo & ratione cœpi, uſque adeo ut ſuſpicio nata ſit, me procliviorem in commodum amici, quam Domini. Certo ſcio te mihi obiraſci, ſed ita me Deus amet, ſi tibi nota ingenia Aularum, hæc quidem non te offenderent, ſed ne moverent. Quæ vero tua eſt humanitas me excuſabis, cum facile cogitare poſſis, longe gratiſſimum mihi eſſe explere vota amici ſummi, & artiſſima neceſſitudine conjuncti. Quare quid tibi faciendum ſit ipſe videris; ſi vero animum inducere non potes, ut eo pretio, quod literæ Principis præferunt, vendendos exiſtimes: adfirmo tibi, ſine ulla macula aut damno omnes ad te noſtro ſumtu redibunt. At vero ſi te juvant centum quinquaginta taleri, ſpero paratam fore pecuniam. Ut mihi male ſit, ſi non affligat me mirum in modum, quod hoc negotii ſuſceperim. Vehementer rogo, ut mihi ignoſcas, paratus ſum aliis officii generibus hoc quicquid eſt delicti præſtare, quam citiſſime certiorem me animi feceris ac prima quavis occaſione, incertus enim ſum, quam diu hic moraturi ſimus. Mirifice exoſculor animum affectumque tuum, quem pari amore remunero, & facilitatem illam quovis officio reſtituere paratus ſum. Librum tuum variarum actionum accepi, & prima quavis occaſione remittam, neque enim diutius illo utar. Grimandelam petere non audeo, cum nihil quod velis præſtare tibi poſſim. Te vero munem & amantiſſimum noſtri; nempe ut fatigares humanitatem etiam munera adjicere voluiſti libraria, quoniam ita placet, retinere illos uſque in amplexum meum potes, qui ſi nimis diuturnus, Elmenhorſtio noſtro tradere licebit. Valde autem exacerbavit animum meum, quod te abitum cogitare ſcribis, quid iniquius a fatis proficiſci poterat, quam ut nos dividerent, quos & conſenſus animorum & ſtudiorum ad utriuſque emolumentum aptiſſime jungeret, ego vero tuis votis voveo, & mallem illa tibi expleta potius, quam mei ipſius animo ſatisfactum. Deploro fata bonorum, & quibus illi obruantur difficultatibus quotidie experior in hoc moleſtiſſimo vitæ genere: utinam me interciperet aliqua rupes caprearum, in qua ereptus mortalium contagio, tanquam Deus aliquis, conſeneſcerem. Vale, & me ama. Gottorpii III. Januarii CIƆ IƆ CVIII.

EPISTOLA CCVIII.

JOANNI MEURSIO. S. D.

Heribertus Roſweidus

Lugdunum Batavorum.

VAlde voluiſſem Palladium Græce prodiiſſe, cujus ſpem pridem feceras; quam niſi certam ex ſponſione publica præſumpſiſſem, jam aliunde mihi codicem Græcum comparaſſem. Facit is enim inſtituto meo, qui vitas Patrum, librum vulgo notiſſimum, recenſui, notis illuſtravi. Huic libro addo Palladii Lauſiacam hiſtoriam, Theodoreti Θεοφιλῆ, & Moſchi Evirati Pratum ſpirituale; Latine omnia, quia pleraque Græce deſiderantur; & quia religioſorum quorundam rogatu hanc provinciam ſuſcepi, quibus Latina notiora. Addo & Heraclidis Paradiſum, olim Pariſiis, ſi forte neſcis, editum. Eo autem conſilio Palladium & Heraclidem vitis Patrum adjungo, tum quod uterque pœne eadem habeat, ut alter videatur alterum exſcripſiſſe; tum etiam, quia in vitis Patrum liber quidam occurrit, ex alterutro tranſlatus. Cujus quidem libri auctorem D. Hieronymus Ruffinum facit; ſed Palladium & Heraclidem potius videtur interpretatus. Palladii duplicem verſionem dabo, recentiorem unam Gentiani Herveti; vetuſtiorem alteram anonymi, typographiæ infantia editam. Habes inſtitutum meum, V. Cl. & cur tantopere deſideraverin, Palladium Græce prodiiſſe, vel ejus certe inſpectionem habuiſſe, jam intelligis. Etſi enim ex variæ verſionis pariatione lux quædam dubiis locis accedit, certior tamen Græci codicis fides, quem jam vellem nos vobis debere. In Lexico tuo Græco-Barbaro citas vitam P. Arſenii, item P. Pelagiæ, quas an habeas, an tantum inſpexeris, aveo intelligere. Nam & illorum eſt memoria in Vitis Patrum. Quæ item Martyrologia & Menologia habeas, lubens intelligam. Nec eorum editionem te meditari exiſtimo, ſed excerpere tantum Lexico tuo convenientia, in quem uſum lubens Metaphraſtæ vitas ſubminiſtrabo, quas ſenſim curo Græce deſcribi. Invenies in iis non pauca Græco-Barbara vocabula. Jam penes me Græca hæc habeo.

Vitam Pauli Thebæi	*Vitam Pauli homologitis*
Vitam Onuphrii	*Vitam Matronæ*
Vitam Mariæ Ægyptiacæ	*Vitam Joannis Eleëmoſynarii*
Vitam Eugeniæ	*Vitam Baſilii Magni*
Vitam Melaniæ Romanæ	*Vitam Agathæ.*
Vitam Simeonis Stylitæ	

Quæ, ſi ad uſum Lexici tui inſpicere voles, prompte ſubmittam. Nec gravate ſuppeditabo Gloſſarium unum atque alterum Latinum MStum, ubi in eo genere te verſari intelligam. Non dubito quin penes te MSta. quædam ſint meo inſtituto ſervientia: penes me quoque nonnulla ad tuum eſſe, jam intelligis. Quæ ſi vel inter nos commutamus vel communicamus, alter alterius labori ſuppetias feret. De Palladii Græco loco gratias habeo. Eum expetebam, non quod

quod in textu ulla difficultas eſſet, ſed quod vetus interpres haberet *grutaria*, ubi Hervetus *bellaria*.

Nunc & hunc Palladii locum, ſi eidem ab itinere times, inſpicere ne graveris. Palladius Herveti §. CXXIII. *Similiter etiam quidam nomine Macarius ex Vicaria.* ὁμοίως καὶ μακάριός τις ὀνόματι ἀπὸ βικαρίας. Vale vir ornatiſſime & humanitati facem prælucere perge. Antwerpiæ x. Kal. Martii, CIƆ IƆCXIII.

In Συγκελλῳ citas ex Notkeri Martyrologio *Congellum*, & falli putas eos, qui proprium viri nomen cenſent. Imo vero tale eſt. Patet ex P. Columbæ vita lib. 3. c. 21. Per Adamantium. Et vero cum Notkerus eum Latine Fauſtum dici aſſerat, ſatis inſinuat eum *Congellum* alia lingua, Hibernica videlicet, dictum. Quia in hiſtoria Conſtantinopolitana verſaris, nihilne legiſti de *Praaſtio in Septimo?* quod in vulgo editis etiam pleriſque MS. *Praſtio in Semtino?* Puto *Hebdomum* eſſe, unum ex ſuburbiis Conſtantinopoleos. An *Praſtium* pro *Pratium?* unde *Chalcopratium*.

EPISTOLA CCIX.

JOANNI MEURSIO. S. D.

Ubbo Emmius.

Lugdunum Batavorum.

ALbani ſexennium quod promittis, avidiſſime exſpecto. Non dubito quin ex lectione ejus maximam voluptatem ſim hauſturus. Et quia exemplar ejus ad me te daturum polliceris, habebo munus id cariſſimum, & μνημόσυνον tui perpetuum. Valde autem volui ſcire, an in ea tela texenda etiam longius cogites progredi, & quo cogites uſque. Bene merebitur haud dubie de hominum ſocietate, qui univerſum hoc negotium complexus recte fuerit, & a capite ad calcem deduxerit. Poterit tale opus eſſe nunc κτῆμα ἐς ἀεί, ut ſummus ille hiſtoriographorum de hiſtoria a ſe ſcripta loquitur. Et ſcriptor hic cum maximis rebus tranſmittet illuſtre nomen ſuum, non ſolum ad præſentes gentes omnes, in quibus literæ valent, ſed etiam ad ſeram atque ultimam poſteritatem. Sed quo abeo? ſalutare tantum te brevi epiſtolio volui, & deſiderium meum tibi ſignificare. Boni conſule, & vale, & me in tuorum numero eſſe fateor. Raptim. XVI. Maji Juliani M.D.C.XIIII. Groningæ.

EPISTOLA CCX.

JOANNI MEURSIO. S. D.

Caſparius Gevartius.

Lugdunum Batavorum.

QUamvis inhumanum omnino ac impudens videatur, ab eo novum beneficium petere, a quo multis jam ante beneficiis ſum affectus, fretus tamen benevolentia illa, quam ultra meritum meum jam diu expertus ſum in me propenſum, ſtimulante neceſſitate, ad te recurrere auſus ſum. Notas meas Statianas

nas hic apud nos Hillebrando Ordinum typographo excudendas tradere conſtitueram, at ipſius prela modo tot exemplaribus onuſta ſunt, ut nulla ratione, niſi iniquiſſimo pretio editionem in ſe recipere velit. Textum quidem Statii a correctore quopiam conducto recenſeri patiar, at notas meas non niſi fido & amico credere auſim. Implebunt illæ facile x, aut xii, folia. Qua propter ſummopere te. Vir Clariſſime, rogatum velim, ut, ſi per graviſſimas occupationes tuas fieri poſſit, Gevartii tui gratia, paucula hæc notarum foliola percurrere digneris, efficiam ſane

— — *Officio ne te certaſſe priorem.*

Pœniteat

Et Ampliſſimo noſtro Legato, qui te plurimum ſalvere jubet, res nulla gratior accidere poterit.

Vale, Vir Chariſſime, & diſcipulum tuum hominem tui amantiſſimum, redama. Hag. Comit. xxiii. Novemb. 1615.

EPISTOLA CCXI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Meurſius.

Lubecam.

Litteras tuas, vir clariſſime, recte mihi Maſius tradidit, quem in iſtis commendabas. Volui ſæpe reſpondere, ſed mittendi certa occaſio minime erat: nunc cum iter ad vos caperet Simon Paulli, ejus operam nullo modo negligendam exiſtimavi: Quin acceptæ mihi literæ tuæ fuerint, non eſt tibi dubitandum: quippe cujus nomen dudum uti novi, ſic amavi, tam præclaræ eruditionis ergo. Et qui poſſem non amare hominem tam mei amantem, & amorem in me ſuum in ſcriptis hactenus publicatis ſatis clare oſtendentem? perge, quæſo; & affectum iſtum ſerva, paria in te facturo. Quid præ manibus nunc habeas, ſcire aveo: mihi quædam, elucubrata, dum hic ago, præter iſta, quæ in Batavis Athenis memoravi; verum, quia necdum nobis de typographo eſt proſpectum; premere cogor. Et nidiculum ſi cupis, ecce tibi. *Gorgiæ Leontini; Alcidamantis, & Antiſthenis, quæ ſuperſunt, orationes: cum Diatriba de eorum vita, legibuſque, liber ſingularis. Denarius Pythagoricus; ſive de numerorum, uſque ad denarium, qualitate, ac nominibus ſecundum Pythagoricos. Regnum Atticum; ſive de regibus Athenienſium, libri* III. *Theſeus; ſive de ejus vita, rebuſque geſtis, liber ſingularis. Hiſtoria Danicæ libri* III. in quibus res geſtæ Chriſtiani I; ejus filii, Joannis; ac nepotis, Chriſtiani II. Indicavi tibi mea, ut viciſſim tua elicerem. Quod ſi poſſum, gratum erit. Vale, vir clariſſime; meque, tui amantiſſimum; porro ama. Soræ Danorum, Kal. Juliis CIƆ IƆ CXXIX.

EPI-

EPISTOLA CCXII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Meurſius.

Lubecam.

NOn ſcripſi ad te aliquo tempore, vir clariſſime, quia nec occaſio fuit, nec ſcribendi argumentum: ſed affectum tamen illibatum ſervo, quo virtutem, & eruditionem tuam dudum proſequor. Nunc humanitatem tuam implorare neceſſe habeo. Ante biennium Maſium mihi commendaſti, qui navaret operam ſuam in inſtituendo filio. Hunc quandoquidem promovi ad miniſterium Eccleſiæ, ipſe mihi incommodum dedi, filiumque præceptore ſuo orbavi. Itaque majorem in modum abs te peto, ſi quem habeas, Maſio ſimilem, qui recipere munus illud in ſe velit, eum ut ad me ableges, & id primo quoque tempore: ne, ſi quiſquam ſe interea forte offerat, etiam hoc carere debeam. Erit illi conditio eadem, quæ Maſio fuit: id eſt menſam meam habebit, & triginta annuos Imperiales. Sed hoc te admonitum velim, neceſſe eſt, ut linguam calleat Saxonicam Inferiorem: nam illam Superiorem filius meus non intelligit: & hoc neceſſe foret, uti operam in biennium ſaltem obſtringeret; quanquam mallem in triennium. Ignoſce, quod moleſtus tibi eſſe audeo, ſi quid hic viciſſim tua cauſa potero, utere jure amicitiæ & invenies me paratum, ut officio ſatisfaciam. Vale, vir clariſſime, & me, quod facis, amare perge, ſemper paria facturum. Scribebam Hafniæ, quo negotii cauſa excurri: ad diem xx. Aprilis CIↃ IↃCXX.

EPISTOLA CCXIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Joannes Meurſius.

Lubecam.

VIr Clariſſime, petieram per literas a D. Simone Paulli, ut filio meo ſtudiorum moderatorem procuraret; atque is reſcripſit mihi, permoviſſe Bartholdum Hintzium; uti iſtud muneris in ſe ſuſciperet, atque cum intra menſem affuturum: ipſe quoque Hintzius in literis ſuis, ad me datis, eſt teſtatus, ſe dierum quatuordecim, aut paulo plurium elapſo tempore, adventurum. Nunc cum mora poſtulata protrahatur, maximopere abs te peto, ut cunctantem ſurda oratione impellas; & efficias, ut acceleret deſtinatum ad me iter: quod differtur cum jactura ſtudiorum filii mei, uti pro prudentia tua facile judicare potes. Quod ſi impetro, beneficium arbitrabor: & agnoſcam in qualibet occaſione. Vale, Hafniæ, ad diem XXI. Auguſti. CIↃ IↃCXXXIII.

EPISTOLA CCXIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Joannes Meurſius.

Lubecam,

LIteras tuas, Vir Clariſſime, recte mihi tradidit collega meus, D. Chriſtianus Matthiæ. De ſcriptore illo utroque, quod inquiris, neutrum habemus: Itaque, quantum poſſum, hortor, uti edas. Beneficium debebit ſatis magnum non duntaxat Literaria Reſpublica, ſed & Dania Univerſa, & Norvegia: quam utramque in majorem modum obſtringes. Illuſtris Dus Cancellarius jam ab aliquo tempore in Cimbria cum Rege agit, neque brevi rediturus. Ubi occaſionem ejus ſalutandi nactus fuero, tuis verbis illud faciam. De S. Canuti vita, obituque, item S. Caroli filii; ecce habes. Donum eſt exiguum quidem, ſed affectus in te mei eſſe illud pignus volo; quodque pretio a ſe deeſt, tu benigne æſtimando compenſabis. Addo effigiem, ſi hanc tanti arbitraberis: ut præſentem quaſi habeas, quem abſentem amandum tibi ſtatuis? Vale, & me amare perge, tecum paria facturum. Raptim Soræ, ad diem XIII. Decembris CIↃ IↃC XXXIII.

EPISTOLA CCXV.

GEORGIO SECFELDIO.

Supremo per Scalandiam Judici, & Territorii Ringſtadienſis Præfecto S.D.

Joannes Meurſius.

Ringſtadium.

ADmodum mihi gratum fuit, literas abs te accipere; &, quod petis, intelligere. Equidem cum inter primos e nobilitate veſtra, ob virtutem, & doctrinam, atque ex ea ſtudium in literatos, te obſervem, gratulatus mihi fui, quod gratificandi tibi, ac teſtandæ obſervantiæ, ſe occaſionem offerre animadverterem. Feci itaque quam promptiſſime, quod petebas tam benigne, cum id poſſes, ut debebas, imperare. Certe illud tua in me beneficia effecere, ut ingratum me exiſtimem, & indignum tuo tam propenſo affectu, niſi effectum tibi dedero, quicquid a me poſtulabis, ſi id quidem in me fuerit. Itaque nunc ſcribo Voſſio: & Vilhadum ei tuum, certe juvenem egregium, & favore omnium bonorum dignum, maximopere commendo: atque ille, ſatis ſcio, pro humanitate ſua, ac vetere noſtra amicitia, tum Vilhadi quoque merito, gratum eum, acceptumque eſt habiturus: item ſtudia, ſi qua in re uſus erit, adjuturus. Si præterea unquam quicquam a me petes; mea ſemper opera in promptu. Tu vero Generoſe Domine, quem amare ſponte tua incepiſti, nunquam deſine. Soræ; ad diem XIX Octobris CIↃ IↃCXXXV.

EPI-

EPISTOLA CCXVI.

GOTHOFREDO JUNGERMANNO. S. D.

G. M. Lingelsheim.

Hanoviam.

GRatæ omnes ſcriptiones tuæ, & ultimæ literæ. Gratulor tibi honorem, quem merito tuo tibi defert Pichena, vir magnus meo judicio, certe ἦθος ejus plane ad meum guſtum. Lampugnani imago æque confiĉta, uti auĉtor ipſe, nam neque Mirandulanus Codex ullus eſt, neque Lampugnanus, ſed Lipſio ludos dare voluit., qui hæc inter equitandum meditatus in chartas conjecerat. Si effigiem inter ſcedas meas reperire potero, adjungam iſtis, ut ſaltem abs te nihil confiĉtum Pichena ſentiat. Dolus ſuboluerat doĉtis viris, & M. Velſerus penetravit, cui credo quoque notum eſſe, quis auĉtor ejus fabulæ fuerit. Lipſii Tacitum poſtumum percurri, non eſt ut veſter invideat, niſi ob chartæ præſtantiam. De Nyſſeni editione proxime ſcripſi, quid Bongarſio placeat, itaque credo, te ad ejus deſiderium conformaturum titulum ſeu frontiſpicium. Marnius ſcribit, ſe ejus voluntati obſequuturum. Molinæus cogitaverat addere traĉtatum de Monachis, neſcio an Marnio aut Boeſto miſſurus ſit, omnino addi deberet. Seghetus noſter feliciter evaſit, audaces fortuna juvat: ſi conatus exitu caruiſſet, immerſiſſet ſe in mage majores difficultates, gratulor ipſe effugium: & ſuadeo, caute porro ſibi caveat ab illis, quos offendit. Conſobrinus tuus & Freherus te reſalutant amanter, totaque domus mea. Gratum mihi feceris, ſi miſeris mihi libellum apud vos excuſum, cujus auĉtorem puto Brederodium noſtrum, cui titulus eſt. *Repræſentatio pacis Generalis &c.* Duo velim exemplaria, precium refundam libens. Tu viciſſim jure tuo in me utere, & libere ſignifica, quid a me fieri velis. Jo. Ladiſlaus meus ad patrem ſuum evocatus abiit Ambergam. Vale carum caput. Heidelberga 16. Jul. 1607.

EPISTOLA CCXVII.

HENRICO VAGETIO

Gymnaſii Hamburgenſis Profeſſori. S. D.

Joannes Kirchmannus.

Hamburgum.

DIu ſilui, non tui oblivione, ſed fiducia veteris noſtræ amicitiæ, quam puto tam altas in animis noſtris radices egiſſe, ut nullo quantumvis diuturno ſilentio evelli poſſit. Gronovius, quem ſuperioribus literis mihi commendaſti, fuit certe mihi acceptiſſimus, in quo egregia ſigna τοῦ ἀμείνονος πηλοῦ deprehendi, nec dubito, quin aliquando in doĉtorum luſtro inter primos cenſeri poſſit, modo vitam ipſi Deus conceſſerit. Is coram mihi de

peritia linguæ Græcæ commendavit quendam ſtudioſum apud vos commorantem, nomine Brockmannum M. Schœfleri veſtri p. m., niſi fallor, ex ſorore filium, quem tibi notum eſſe puto. Cum vero Senatus Revalienſis ſollicitus ſit de Græcæ linguæ profeſſore, qui in Gymnaſio ſuo, ante paucos annos erecto, Homerum, Heſiodum & alios ſcriptores Græcos interpretetur, rogo Brockmannum hunc accerſendum cures, & ex ipſo quæras, utrum profeſſionem hanc velit accipere, & primo quoque tempore in Livoniam navigare. Stipendium ipſi aſſignabitur 150. Imperial. in ſpecie, ut loquuntur, præter alia accidentia, ut ex literis Senatus Revalienſis, ad Dn. D. Hunnium noſtrum ſcriptis, videre eſt. Si accipit conditionem, poterit animi ſui ſententiam primo quoque die ad me perſcribere: & tempus ipſi conſtituam, ad quod ſe hic ſiſtere debeat, ut prima quoque nave in viam ſe dare poſſit. Gratum mihi facies, ſi hac in re non difficilem te præbueris: & Brockmannum, quem non alienum ab hoc officio ſuſcipiendo intellexi, non vulgari beneficio devincies. Scripſi in eandem ſententiam ante octiduum ad Gronovium, a quo cum reſponſum nondum acceperim, ſuſpicor eum Hamburgo abiiſſe. Urget autem reſponſum Dn. D. Hunnius, cui Senatus Revalienſis poteſtatem dedit conducendi operam idonei hominis, cui profeſſio hæc recte commendari poſſit. Sumptus itineris ipſi a Senatu Revalienſi refundentur. Non dubito etiam quin talis ſit, qualis a Dn. Gronovio mihi fuit commendatus: de quo etiam judicium tuum expeto. Vale V. Cl. & ſi me amas, negotium hoc in te ſuſcipe. Dabam Lubecæ 29. Martii Ao. 1634.

EPISTOLA CCXVIII.

THEODORO BUSSIO

J. V. D. Ducatuum Sleſvici & Holſatiæ Concellario. S. D.

Joannes Kirchmannus.

Sleſvicum.

CUm hodie aliquid literarum mihi dandum eſſet ad urbis veſtræ Conſulem Bernhardum Munden, cujus filius domi meæ vivit, facere non potui quin ſimul ad te quoque ſcriberem, & amicitiæ noſtræ ignem hoc veluti flabro ventilarem. Jam pridem autem factum eſt, cum tibi ſignificarem, me in Bibliotheca a Senatu noſtro fidei meæ commiſſa reperiſſe Theodorici Monachi cujuſdam hiſtoriam Regum Norvegienſium in membrana ſcriptam, quæ ducentorum & quod excurrit annorum res geſtas complectitur. Ex illo reperi quoque Anonymi cujuſdam autoris ſcriptum de profectione Danorum in Terram Sanctam circa annum Chriſti 1187. tempore Regis Kanuti Woldemari F. ſuſcepta, quam ipſam quoque hactenus lucem non vidiſſe exiſtimo. Capitula utriuſque Tractatus tibi mitto, ut, re cum aliis communicata, conſilium mihi dare poſſis, utrum operæ pretium facturus ſim, ſi utramque hiſtoriam publicarem. Nolim fruſtra me fatigare, ſi ſciam hos Tractatus

alicubi

alicubi in Dania extate, ſive editos ſive manuſcriptos. Si minus, videor mihi egregium theſaurum reperiſſe, & auro contra æſtimandum, modo fortuna mihi amicos conciliet, quorum opera hæc res Regiæ Majeſtati innoteſcat. Te, Vir Ampliſſime & amiciſſime, etiam atque etiam rogo, apud Danicarum rerum peritos inquirere non graveris, utrum fando quid de his ſcriptis audiverint: meque pro veteri noſtra amicitia conſilio tuo juvare, ne oleum & operam in iis deſcribendis & publicandis perdam. Mitto tibi librum noſtrum de Funeribus Auctario locupletatum: utque alterum ejus exemplum Magnifico Dn. Cancellario D. Martino Chemnitio cum plurima ſalute reddendum cures, obnixe oro. Vale Vir Ampliſſime, amicorum ocelle, cum uxore lectiſſima, quam a me meaque plurimum ſalutabis. Dabam Lubecæ IX Maji Ao. 1625.

EPISTOLA CCXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Fredericus Lindenbrogius.

Roſtochium.

EGo vero amicitiæ noſtræ memor ſedulo ſum, & frequens, ubi ubi occaſio eſt, laudator ejus exiſto, ne tu affectum, quem olim in me expertus es, deferbuiſſe putes: de quo ſane ætatem ſecurus eſſe potes. Volupe autem fuit intelligere, quæ de ſtudiis tuis narras: ad quæ continuanda non incentorem modo, ſed qua parte poſſum adjutorem me expecta: Quod ut verum ſcias, collectanea mea de anulis reliquoque mundo, quæ a me petis; qualiacunque illa ſunt, facile nunc ecce mitto: ut & tu & omnes probi intelligant, me bona fide melioribus litteris factum voluiſſe. Quia autem omnia tumultuario opere congeſta ſunt, recte feceris ſi quæ tibi uſui eſſe poſſunt, inde excerpes, meum autem exemplar ad me quam primum remittas. Heliodori Optica te vidiſſe puto. Jam ſub prælo Jornandem habeo, cum aliis quibuſdam ejus monetæ hiſtoricis: Item Cod. LL. antiquarum, in quo Leges Wiſigothorum, Burgundorum, Alemannorum &c. Sed vix intra annum prodibunt. Vale Hamburg. A. D. Kal. April. Ao. CIↃ IↃCXI.

EPISTOLA CCXX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Fredericus Lindenbrogius.

Lubecam.

QUi tibi haſce litteras reddit, nobiliſſimi Benjamini Maurerii, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis ad Ordines Hollandiæ haud ita olim legati filius eſt. Eum de eadem, qua mihi ab Ampliſſimo Hug. Grotio Sueciæ inpræſentiarum Legato commendatus eſt nota, & ego tibi commendo. Tu vero hoc amicitiæ noſtræ dabis, ut reapſe intelligat, & Grotii & meas Litteras

haud inutiles ſibi fuiſſe. Lubeca in Daniam proficiſcetur. Fac, quæſo, ut & ibi amicos reperiat, ſed doctos & quales tutemet ipſus deſiderare poſſes, ſi tibi in Galliam eundum foret. Vale. Hamburg. XXVIII Maji. Ao. CIↃ IↃC XXXVII.

EPISTOLA CCXXI.

JANO GRUTERO S. D.

Fredericus Lindebrogius.

AMica illa ſalutatio, quam in litteris Elmenhorſtii noſtri legi, aurem mihi vellit, ut hac te allocutione ſinceri affectus plena reſalutarem. A quo officio etiamſi per tempus aliquod deſtiterim, non tamen faſtiditor eſſe cœpi tui amoris, quem ſemper magni feci: ſed neſcio quæ me acedia invaſerit, & condolentia, quod tantum laboris rei litterariæ impendi, cum videam ſtudia hæc noſtra adeo nunc contemni, ut eruditi & ſobrii fere pro infauſtis & infelicibus habeantur; quod etiam Ammianus noſter de ſui ſeculi moribus notat. Aliquando tamen vetus illa redit in præcordia virtus; & ſi non dies integros, ſaltem horas aliquot optimorum auctorum lectioni impendo. Nuper in Cicerone fui. Epiſtolarum famil. lib. IIII. Epiſt. V. *Paucis poſt annis ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.* Quem locum cum legerem, in mentem mihi aliorum interpretationes revocabam: quæ tamen ridiculariæ plurimam partem videbantur. Vera enim ſcriptura hæc eſt: *ei moriendum fuit., quoniam hoc modo nata ſunt.* Et tua fide, veriusne quidquam putas? Veteres enim libri habuere *hoc modo* hinc error natus. Enim omnes *hoc modo* naſcimur, ut denaſcamur. Alius eſt locus lib. X. Ep. XXIII. *Vale.* IIII. *Id. Junias. Civarone ex finibus Allobrogum.* Gratianopolis quæ nunc vocatur, olim *Cularo* dicta fuit, ut apparet ex veteri inſcriptione, quæ etiam nunc in portis ejus Civitatis videtur. Quum ergo Plancus ſe trajeciſſe Iſaram teſtatur exercitum, non dubito, quin legendum ſit *Cularone ex finibus Allobr.* neque aliter in Notitia Imperii hæc civitas, ſi recte memini, appellatur, quæ etiam, ut hoc obiter addam, *Acuſiorum COLONIA*, ab Acuſiis populis, quorum in vicinis locis, ſedes fuere, dicta fuit. Hæc ideo ad te ſcribo, quod in Cicerone nunc totum te eſſe lubens intellexi. Et bene Hercle, quod ex hominis illius cum latrante nomine (ſcelus enim viri aliter vocare religio eſt) tagaciſſimis manibus ſit liberatus. Nihil enim boni in illo authore falſiloquum os præſtitiſſet, niſi quod ab aliis furatus fuiſſet, quod pro ſuo venditaſſet. Hanc nimirum ille artem omnium optime callebat: & quem noviſſime edidit librum tenebricoſum, Umbratilis ille, inter doctiſſimi optimique viri Jani Guillelmi ſchedas repertum ajunt. In quo id tantum præſtitit, quod aliam illi veſtem induit, & ſuo more turpavit. Nam carmina quæ paſſim intermixta, non adulteri hujus fuerunt, ſed Scholæ Sleſwicenſis Rectoris viri eruditi & probi: qui etiam nunc vivit, atque id aperte fatetur.

fatetur. Sed ſatis inpræſentiarum de impuro hoc; cujus vitam integro ſcripto in animo habeo divulgare. Vale Vir doctiſſime & me mutuiter ama. Hamburgi XXIIII Aug. Ao CIↃ. IↃCXIII. Achillis Statii librum ad exemplar Rom. hic edi curavi, quem ad te mitto. Addidiſſem etiam Cod. Leg. Antiquar. ſed verebar, ne ſtudii hujus lectione capereris. Dabo tamen ſi illum te ſic deſiderare intellexero, quemadmodum ego Hiſtoriæ Aug. Scriptores a te recognitos, qui hic nullo modo poſſunt haberi, tu videris. Cenſorinum Frater meus (a quo ſalutem adſcribo) ſub prælo habet, in quem ſi quid notaſti, quæſo publici boni cauſa ne grave ſit nobiſcum communicare. Iterum Vale.

EPISTOLA CCXXII.

FRID. LINDENBROGIUS. S. D.

Petro Lambecio ſuo.

Amſtelodamum.

UT verum fatear, haud placet, mi Petre, quod tam derepente Bataviam deſerere ſtat ſententia: habes enim in illa viros præſtantiſſimos, a quibus doctior ſemper diſcedere poſſes. Quandoquidem vero avunculo tuo aliter viſum, credo, ut tanto commodius te Romam mox poſt avocet, ejus voluntati ut morem geras oportet. Lutetiam ubi veneris, ſalutabis meo nomine viros illuſtres, & ſupra captum horum hominum eruditionis fama præclues, Bignionium, Framondum, Puteanum, Rigaltium, Valeſium: qui omnes ſtudiis tuis ſumme favebunt. De Bignionio reſciſces, an Marculfi recentata editio prodierit: de Valeſio, an Amm. Marcellini; de Framondo an βασιλικῶν libris ſuprema ſit impoſita manus. Salutabis etiam V. Cl. Stellam Germanum, & Maurerium Francum. Ad Dan. Heinſium ſcripſiſſem equidem, ſi commendatitiis novis opus haberes: cum vero ex prioribus meis litteris, ad quas reſponſum nondum accepi, ſatis ſuperque illis notus, iterato favorem illius tibi conciliare velle, ſuperfluum arbitror. Qui amor illius eſt erga bonæ frugis mentiſque juvenes, ſuapte ſponte offeret, quæ me precatore ab ipſo impetrare deſideras. Utriuſque Voſſii libros, quos ad me mittunt, nondum accepi: quos ubi nactus fuero, ſtatim ad eos ſcribam. Quicquid vero aut illi, aliive ad me mittere velint, id omne Ludovico Elzevirio Bibliopolæ Amſterodamenſi tradatur oportet, is recte porro ad me curabit. Dno. Salmaſio inſcriptionem hanc veterem, quam adjunxi, exhibeas quæſo. Quam ſi Commentario ſuo, ſicut in Herodis Attici inſcriptione fecit, illuſtrare vellet, viros ædepol doctos, me potiſſimum eruditionis ſuæ laudatorem ſummum, maximo beneficio afficeret. Vale. Hamburgi XXI. Julii An. CIↃ IↃCXLVI.

Gnaviter quæſo inquiras tam Leidæ, quam mox poſt Pariſiis, anne venales habere poſſis, ſed incompactos Renati Choppini de Domanio. Pariſiis. fol. Ejuſdem de legibus Andium ſive Andegavenſium. Pariſiis in fol. ultimæ editionis. Hieronymi Aleandri Commentarium ad vetus Kalendarium

darium Romanum, ſub Valente Imp. Romæ. Eos ubi indagaveris, emas quæſo, & ad me mittas; pretium continuo patri tuo refundam.

EPISTOLA CCXXIII.

FREDERICUS LINDENBROGIUS. S.D.

Petro Lambecio.

Lutetiam Pariſiorum.

MIRABAR ſilentium tuum, neque cauſam ejus comminiſci poteram: quam adeo affatim nunc explicas, ut iterum te ſilere operæ pretium eſſet, ſi iterum tam copi pectore tam grata nuntiare poſſes. Laudo diligentiam, imo felicitatem tuam, quod tam exiguo temporis ſpatio tam præclara ἀνέκδοτα indagare potueris. Niſi Holſtenii auxiliari manu adjutus fueris, qui illa jam olim a ſe collecta tibi edenda commiſit. Quicquid ſit, bonum factum, quod quæ hactenus a plurimis ignorata fuere, nunc opera tua ab omnibus legi poſſint. Agelliana tua hactenus non vidi, neque hic venalia habentur. Ab aliis tamen bene navatam operam intellexi. Si quid porro novorum librorum melioris notæ minimeque publici ſaporis iſthic edatur, quæſo me certiorem redde. Imprimis an βασιλικῶν libris & Amm. Marcellino ſuprema manus ſit impoſita. Et quale illorum pretium, juxta adærationem flavorum de moneta Regia. Quam primum ad virum Clariſſ. Taſſium inviſere commodum erit, illum tuo nomine ſalutabo. Is per menſes aliquot adverſa valetudine uſus eſt, adeo ut metus ſit, ne ubi marcor vires abſumpſerit, ad plures abeat. Tu vero, mi Petre, vive & vale, tuis meiſque votis feliciter. Hamburgi XIII. Febr. An. CIↃ IↃCXLVIII.

EPISTOLA CCXXIV.

LUCÆ HOLSDENIO. S.D.

Joannes Kirſtenius.

Lugdunum Batavorum,

NImium raræ nobis abs te literæ afferuntur, cum ſingulis ſeptimanis tabellarios reperias, qui Hamburgum proficiſcantur. Patronus meus ſingularis ut & vir maximus D. Elmenhorſtius tibi ternas miſit litteras, ad quas ne verbum reſpondiſti, quod demiratur. Num tot es obvolutus negotiis, ut ne unam epiſtolam exarare poſſis? at dediſti nuper ad alios prolixas, qui nec genere, nec moribus, nec eruditione cum ipſo ſunt comparandi. Noli committere poſthac, ut te de negligentia epiſtolarum juſte accuſet, ſed tandem mitte prolixas iſtas, quas jam diu eſt, quod ipſi pollicitus es. Scire avet D. Elmenhorſtius, an Cl. Heinſio Proclum Platonicum, & epiſtolam ſuam obtuleris, quem nuper ad te miſit. Scribe, quid agat Proclus alter, an aliquid ſpei de ipſius editione ſit reliquum. Si iſtic non poteſt excudi, eum prima occaſione remittere debes. Exemplaria Arnobii, Minutii, & Gennadii, quæ 19 Auguſti ad Petrum de Witte, civem Amſtelredamenſem, mitit,

te

te jam accepiſſe non dubitat. An commutaveris iſtos libros cum Elzevirio, & quid de iconoclaſta actum, qui imaginem ipſius cælaret, cupide ſcire cupit. Orat præterea Dn. Elmenhorſtius, ut ad Lactantium, quem miſit, variantes lectiones ſtudioſe appingas, & cum tibi Dn. Heinſius Methonem M. S. in Procli Theologiam commiſerit, eum ad Petrum de Witte diligenter obſignatum mittas, additis precibus, ut recte cum curare velit; non per nautam, ſed per juratum tabellarium, cum quo de pretio pro latura paciſci debet. Cæteros vero libros poterit nautæ bono committere. Inſuper vult, ut diligenter inquiras de *Nonni Dionyſiacis* editis per Plantinum in quarto, græce cum *Scholiis Falkenburgii*, & de *Elucidationibus B. Ariæ Montani in quatuor Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum*, ut & Jani *Druſii in N. T.* annotationibus: quicquid inſumpſeris, ſtatim vel patri tuo, vel tibi reddet. Plura ad te ſcribere non habeo, antequam ipſe reſpondebis. Tu igitur hiſce perlectis ſtatim reſponde, & ad D. Elmenhorſtium, cui hæres in medullis, quamprimum de omnibus rebus quam diligentiſſime perſcribe. Ejus juſſu (quoniam ipſe occupatiſſimus eſt) hæc ſibi ſignificare volui. Vale mi amice, & hæc cura. Hamb. deſubito die 14 Septembris. Stylo veteri & noſtrate.

EPISTOLA CCXXV.

GEVERHARTO ELMENHORSTIO. S. D.

Lucas Holſteinius.

Hamburgum.

QUanquam prioribus meis ſatis prolixe de omnibus ad poſtremas tuas reſponderim, non potui tamen, quin & has auctarii vice adderem, cum hoc menſe proximo forte nulla mihi ſcribendi occaſio futura ſit: hodierno enim die literis Nobil. Vosbergii Hagam evocatus ſum, ut poſt triduum cum privigno ipſius ad prædium hæreditarium me conferam, ibidemque ferias caniculares tranſigam. Ego ſane domi cum Platone & Proclo cæteriſque philoſophari mallem, quam puerum in arundine longa equitantem obſervare. Sed Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Antwerpiam nunc tertium videbo, ſi ab hac chimæra me expedire potero, aveo videre & amplecti humaniſſimos homines Schottum & Brantium: via enim brevis eſt, & exiguis ſumptibus eam conficere licet. Vellem accuratius mihi de rebus veſtris conſtaret, ut coram cum ipſis agere poſſem. Veruntamen cum ſermones cæduntur, aliud ex alio ſubinde incidere ſolet. Si ſcribendi erit occaſio, diligenter me ipſis commendato: nam, ni fallor, literæ tuæ, ſi recto itinere eant, facile me prævenient. De religionis negotio attexerem quædam, niſi ex publicis relationibus ea te jam cognoviſſe putarem. Remonſtrantium cætus edictorum ſeveritate paſſim diſturbantur, jamque & ſpe omni & animis deſtituuntur, ſic ſtudia votaque ipſorum ubique videas in pejus ruere, & retro ſublapſa referri. Ideoque miſelli

Obſtipo capite & figentes lumine terram
Murmura nunc ſecum & rabioſa ſilentia rodunt

Atque exporrecto trutinantes verba labello.

Magna erit horna meſſis ſcriptorum polemicorum, quibus & Synodum & Acta Ordinum orbi univerſo examinanda dijudicandaque proponent. Jamque duo horribiles libelli hic prodierunt, quorum alter nullitates Synodi continet, alter neceſſariam expoſitionem canonum Roterodamenſium complectitur. Sed quamvis ſtudioſe inquiſierim, exemplaria tamen nulla inveni. Rem meam, de qua prioribus ſcripſeram, ſeduloque cum Rumpio ages. Vale. & me ama. Lugd. Bat. ad IV. Kal. Auguſt. Gregor.

J. Heinſius incompactum Apoſtolii exemplar curandum tradidit, quod cum faſciculo commode includere haud potuerim, compactum illius loco mitto. Quod non moleſte te laturum ſpero. Huſwedelio & Lindenbrogio proxime ſcribam.

EPISTOLA CCXXVI.

GEVERHARTO ELMENHORSTIO S. D.

Lucas Holſteinius.

Binas tuas recte mihi traditas ſcito, ad quas reſponſum diutius diſtuli, quod ſcribendi argumentum fere nullum habuerim, niſi tralaticia iſta, & quæ ultro in buccam venire ſolent. De Studita accuratius cum Meurſio egi, ſed nulla verborum vi perſuadere potui, ut editionem ea lege atque omine ſuſcipiat, quo Rev. Schottus ultro eam ſibi depoſcit. Nec enim moris ſibi fuiſſe dicit, ut anguſtiis temporum ſe circumſcribi pateretur, multaque jam ſub manibus eſſe, queis annus proximus edendis vix ſufficere queat. Tum vero ſe Patri Schotto eam provinciam non invidere, ſed hortaturum etiam rogaturumque, ut optimum auctorem curæ cordique habere velit, remque literariam, quam poſſit primum, tam immortali beneficio mactare. Res ipſius adhuc fluctuat, auditorium æque atque antea friget, ego tamen, ne quid mei cauſa detrimenti capere poſſit, frequens ad ſigna ſum, quamvis invitus fere aurium operam ei locem, quod anatomicis prælectionibus eam horam ſubducere cogar. Certe tantum hic juventutis Belgicæ eſt faſtidium, tanta literarum optimarum negligentia, ut ferme ſportulis diſtributis ad lectiones audiendas ipſos inducere oporteat. Cl. Heinſium de reſponſo compellavi, ut & oratiuncula Theologica, quam per Levium ſe miſſurum promiſit. Illa neque edita eſt, neque non edita, ſola enim viginti exemplaria impreſſa ſunt, quæ interioris admiſſionis amicis communicat, a profano vulgo diligentiſſime ſervat atque abſcondit. Credo, ne Arminiani publico ſcripto eam examinent, quibus eam non admodum probari novit. Procopium intra biennium abhinc proximum vix dabit. Quid quæris? nil ornati, nil tumulti, & ut vere dicam, erit quantum video Martialis Scriverianus. Sed commodum de Scriverio tu quoque monuiſti: Ego quæ & tu mandaſti, & quæ ipſe intelligam Apulejo ornando futura, diligentiſſime conquiram & ad te curabo. Scriptis ejus Platonicis

picis hibernas aliquot noctes impendam, illud enim philoſophandi genus ſemper cum ſtudio medico conjungere decrevi. Cluveri Siciliam, cum aliis quæ remitti cupis, per mercatorem accipies. Voſſius plurimum te diligit, & ſalutem amiciſſimam tibi adſcribit. Vale, meque ama.

EPISTOLA CCXXVII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Chriſtenius.

Lubecam.

NEſcio quo fato acciderit, ut cum hactenus reſponſum ad te, quem merita obſervantia proſequi non deſiſto, parare volui, ſemper tamen ex tranſverſo aliquid interveniret, quod inſtitutum animi refrænaret. Exigebat ſcriptionem meam non ſolum officii ratio; ſed etiam, cum non ſemel a tua humanitate literarum honore benigne admodum ſim affectus. Si occupationes ſilentio prætexam, forte putidum videbitur illis, qui ignorant moleſtias, quas in hoc vitæ genere, quod aliis quietem ſpondere ſolet, interdum ſuſtineo. Eas omnes in præſentia recenſere, nimis longum foret. Menſe Julio præterito in Brabantia poſiti vidimus ſplendidiſſimam Antwerpiam, & in ea venerandum ſenem, optime de literis meritum, patrem Andream Schottum, cujus benignitatem varie experti ſumus. Lovanii ſalutavimus manes ter maximi Juſti Lipſii, ejuſque ſucceſſorem Erycium Puteanum, virum ipſa humanitate blandiorem, cujus literas nuper humaniſſime ad me ſcriptas tanquam theſaurum adſervo. In Gallia poſt deditam Rupellam res tranquillius ire nunc incipiunt. Inter diſſidentes animos duorum Regum, Galliarum ſcilicet & Magnæ Britanniæ, reconciliationem promittunt; qua in re operoſam operam navant Ordines. Venit nuper in poteſtatem Hollandorum claſſis Hiſpanica, quæ ex India Occidentali magnos theſauros Regi Hiſpaniarum advehebat. Naves Hollandicæ præda ingenti onuſtæ vi tempeſtatis in mari disjectæ ſunt, adeo ut quædam a reliquis abſtractæ inciderint in Duynkerkanos, cum quibus poſtquam ſatis diu luctatæ erant, tandem Amſtelrodamum pervenerunt. Reliquis quid accidere poſſit, adhuc incertum eſt. Finem hic facio, teque Cl. D. Kirchmanne, ex animo precor, ut me tui obſervantiſſimum perpetuo favore dignari velis. Vale feliciter cum omni familia. Dabam Lugduni Batavorum. 24. Nov. 1628.

EPISTOLA CCXXVIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Joannes Chriſtenius.

Lubecam.

JAm quartus eſt menſis Clariſſime Domine, fautor ac amice honorande, ex quo relicto Belgio in Gallias feliciter appulimus: & cum initio adventus noſtri non ſatis conſtiterit, quonam in loco ſedem per aliquod tempus

pus

pus figeremus, obſtiterunt officio ſcribendi hinc inde impedimenta, quibus diuturnum hoc ſilentium imputabis, mihique libenter ignoſces. Pariſiis poſitus non intermiſi, affectare viam ad viros quoſdam fama eruditionis per Europam celebres, præcipue ad Ampliſſimum Rigaltium, cujus viri ſummam humanitatem fruſtra laudavero tibi, qui oculatus teſtis ante aliquot annos ipſemet eam es expertus, & adhuc memori mente recondis. Non minus gratum ipſi fuit, reduci in memoriam amicitiæ tecum olim Pariſiis cœptæ cultæque: nec diſtantiam locorum obſtare, quo minus is affectus, quo candida pectora ante longum tempus in amicitiam coaluerunt, conſervetur, & interdum data occaſione per mutua officia promineat. Juſſit igitur, cum in præſentia alio pignore animum ſuum teſtari nequiret, de obſervantia ſua, & conſtanti in amicitia ſtudio Clariſſimum Dn. Kirchmannum certiorem facere. Circumduxit nos vir optimus per inſtructiſſimam & tanto Rege condignam bibliothecam; quam perluſtraſſe non minus lætum mihi fuit, quam ſi regiis epulis accumbere dignatus fuiſſem. Ea lætitia mirum in modum eſt adaucta, quod mihi contigit non videre ſolum, ſed adire, idque ſæpius diſertiſſime loquentem virum maximum, virum ſine exemplo, Hugonem Grotium, cujus nomen a tot annis ſumma obſervantia ante venerabar, & mecum omnes, qui didicerunt in uno Grotio exſtare univerſa, quæ ſingula ad perfectam laudem ſingulis ſufficerent. Quicquid eſt præclarum in univerſa literatura, ſacra & profana, ipſe non perfunctorie, ſed penitus novit. Præter linguarum etiam Orientalium exactam cognitionem, nulla eſt diſciplina ſive ſuperiorum ſive inferiorum artium ac ſcientiarum, qua non vir ille non dicam leviter tinctus, ſed penitus imbutus ſit. Hoc demonſtrant ipſius mellei, docti & prompti ſermones, qui de quavis re, quicquid etiam occurrat, ſine ulla hæſitatione diſſerunt exacte, & auditorem in admirationem rapiunt. Si inter loquendum inquirere lubeat, quid rerum publice nunc geratur in hoc vel alio orbe, ex ipſo tanquam oraculo depromas rerum omnium ſcitu dignarum cognitionem. Quicquid dixero, virtus ipſius ſuperat, & oris mei infantia nunquam adſurget ad tanti Herois laudes condigne deprædicandas. Interim rapit me candidus adfectus ad conteſtandam devotionem, erga hunc talem, cujus ingenuus vultus, melleum os, eruditum pectus & ſuaviſſima comitas, hærebunt huic pectori infixa, *Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.* Gallia olim veræ eruditionis ſedes ac theatrum habuit quamplurimos, qui ſuo ſplendore orbem terrarum illuſtrarunt. Sed quemadmodum hodie fere ubivis locorum omnes bonæ artes in exilium agi videntur, ſic etiam in hoc florentiſſimo regno admodum pauci ſuperſunt, qui priſtinam famam ac laudem ſuſtineant. Pro Apolline Martem, pro Minerva Bellonam jam amplectimur. Tanto impetu Barbaries jam ingruere videtur, ut probrum exiſtiment, non dicam diſcere, ſed amare tantum bonas literas. Antwerpiam cum tranſiremus, incidi etiam in notitiam Franciſci Swertii, viri ad elegantiam & urbanitatem facti. Edidit nuper opus, cui titulus *Athenæ*

Bel-

Belgica, in quo multa ad delectationem eruditi lectoris. Lites ſeu potius velitatiunculam habuit cum Cl. Pontano, qui cum nuper aliquid ſcripſerit in laudes Amſtelrodami, D. Swertius non per omnia aſſenſum præbere voluit, adeoque laudibus iſtis publico ſcripto multum detraxit, cui reſpondit erudite D. Pontanus. Optimum ſenem P. Andream Schottum iterato non inveni. Obiit enim ante aliquot menſes cum maximo dolore illorum, quibus viri illius probitas, candor & propenſiſſimus animus erga litteras nota fuere. * *.

Dabam *Andegavi* in Galliis xx. Junii Juliani CIↃ IↃC XXIX.

EPISTOLA CCXXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Georgius Calixtus.

Lubecam.

CLariſſime & eruditiſſime vir, Domine & Amice honorande. Ex quo doctiſſimos tuos de Funere Romano libros videre datum eſt, quod adoleſcenti ante annos niſi fallor xxx contigit, amare equidem te cœpi & colere. Dexteritatem eam judicii cum multiplici lectione conjunctam mirabar & exoſculabar. Occaſionem autem ad te ſcribendi, neſcio quomodo vel hactenus fortuna inviderit, vel ego e manibus elabi paſſus fuerim. Nunc in patria degenti neceſſitatem quodammodo imponit meus e proxima vicinia popularis, & a prima ætate amicus, cui filius ſcholæ veſtræ alumnus, nomine Titus Chriſtianus. Quis hominis in bonis literis profectus, me ſane fugit: laudabilem eſſe & ſpero & opto. Parens autem ſtudiis filii profuturum exiſtimavit, ſi ea tibi paucis verbis commendarem. Quod veteri & officioſo amico atque populari denegare neque volui neque debui. Nolui itaque te ignorare, rem mihi gratiſſimam fore, ſi adoleſcenti quo potes pacto commodes, & ſtudia ejus tibi commendata habeas. Quod, qua es comitate, etiamſi tua ſponte te facturum nullus dubitem, ſi tamen aliquid momenti hæ literæ addiderint, neque parens ſpe ſua fraudabitur, nec ego parum tibi debebo. Præclare vero cum de parente tum de filio mereberis, ſi huic per te gratuito hoſpitio frui contingat. Ille enim, qui in re eſt non adeo lauta, ſumtui ferendo par non erit, niſi ejuſmodi aliquo ſubſidio ſublevetur. Si cui a me viciſſim in academia benefieri velis, tuum erit ſignificare, meum ne voluntati tuæ deſim operam dare. Vale Flensburgi, poſtridie. Kal. Januarias, ineuntis anni CIↃ. IↃC. XXXV, quem tibi felicem & fauſtum, nobiſque omnibus ſalutarem & tantopere deſideratæ pacis feracem exopto.

EPISTOLA CCXXX.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

ANte menſem, Vir Clariſſime, per civem veſtratem literas ad te miſi D. Petro Finxio inſcriptas, quas abs te recte Hamburgum curatas exiſtimo. An eo nomine expenſas feceris audiam & gratiſſimo animo debitum expungam. Cæterum ſi quæris quid agam heic, noris, me profunda torpere deſidia, neque ſaltem muſcas ſuppetere, quas confodiam: neque manum mihi eſſe eruditam, quî cucurbitas pingam. In abſentis D. Zinzerlingi noſtri ædibus veluti ſepultus horas ac dies computo, ac reditum D. Hinzi ex Suecia fervidis votis voco; quem credo mea cauſa cum Illuſtribus Ordinibus auctoritate Zinzerlingi noſtri tranſegiſſe. Tali tempore tam commodam repudiare ſpartam, ſummæ dementiæ eſſet, quandoquidem belli incendium omnes Germaniæ tractus pervagaturum eſſe videtur. Weſtphalia certe tota eo jam ardet, atque utinam ne in penitam Saxoniam exundet. Quo longius homines Septentrio removet, eo majora ac jucundiora acturi eſſe Halcedonia apparent, neque ſtrepitum armorum, qui florentiſſimas Germaniæ oras excutit, exauditu-ri. Morſius noſter competitorem mihi Segethum obducere cogitabat, ſed quin deſtiturus ſit, non ambigo. Doctiorem iſtum Scotum opinio hominum facit, quam re vera eſt: totque erroribus jactatus, ac jam Chymicis addictus priſtinorum ſtudiorum exiguam gerere fiduciam dicitur. In bibliotheca veſtra inſtruenda, an opera Clem. Schleichii locupletiſſimi bibliopolæ uſurus ſis, avet animus audire. Eidem hercle ante aliquot dies ſtudium meum in conciliando ipſo tibi declaravi, ſimulque ut ſe erga te gratum præſtaret ac commodum adhortatus ſum. Excudit crepundiorum meorum lib. II. item animadverſiones in Catullum, Tibullum, Propertium; quas ſi nondum vidiſti, faxo ab ipſo recipias amicitiæ noſtræ contractæ teſſeram. Literas has velim Procuratori Suecico commendes. Vale. Roſtochii 10. Decemb. 1622.

EPISTOLA CCXXXI.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

MItto ad te, optime virorum, literas propediem Hamburgum ad decurſus publici Magiſtrum Joan. Jacobum Klynhauſen dimittendas, quo ocyus Buckeborgum commigrent. Cæterum res heic mihi non ſuccedit ex animi ſententia. Quartum diem in publico diverſorio commoratus, ne minima quidem adhuc fundamenta futuræ manſionis jeci. Neque ſocordia mea ſegnes & ſteriles moras agito. Sed amicorum ſecuritas officii deſiderio meo, qui turgente crumena læti non cogitant hominis exulis ſacculum eſſe plenum

aranea-

aranearum, & quicquid reliquæ animæ ineſt, cauponum ſeu ſtabulariorum ſcopis evehi. Quid porro ad te ſcribam non habeo. Vale, ac me ama. Roſtochii 7. Novemb. 1622.

EPISTOLA CCXXXII.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

LEntis ambagibus, Vir Clariſſime, literæ tuæ ad me devenerunt, quas demum ante triduum Guſtrovio errantes D. Fabricius ad mandatos Lares reduxit: Ex iis autem ſingularem tuum erga me amorem benevolentiamque cognovi, de qua impetrata habeo multum, quod viæ meæ felicitati imputem, qua factum eſt, ut te ad ſolandas hujus exilii miſerias repererim amicum vere ferentarium: cum alioquin non nemo infelicibus gradum notitiæ præcludat, ſuaſque aures lamentis ac querelis indurari nolit. Sed ſic agit nobiſcum Deus optimus maximus, ut perpetuum adverſorum textum aliqua hilaritudinis trama interpellet. Sunt & heic & in aula Guſtrovienſi boni viri, qui rationibus meis pro virili conſultum eunt: verum iis auſcultare nondum potui, donec liquidius abs te rerum Suecicarum conſilium repetiviſſem. Et profecto mire impedita res eſt. Ii, qui mihi hujus ſponſæ antea conciliatores fuere; jam mihi non frivolis argumentis faſtidium illius concitare ac diſſidium ſuadere incipiunt. Præterquam enim quod ſæviſſima peſtilentia totum propemodum Regnum infeſtari atque vaſtari aſſerunt, neminem toleratum iri adjiciunt, qui vel minima Religionis ἑτεροδοξία a præceptis illi Regioni ceremoniis articuliſque abhorreat. Capitale inde facile peregrino diſcrimen exoriri poſſe, tantiſque advenas æmulationibus impeti, ut omnis emergendi via obturetur. Diſputant quoque multa de Cœli horrore ſtrictiſſimo, deque diætæ ſcævitate atque immanitate tremenda fabulantur; quibus dictis non cerebrum, ſed animum eo demigrandi mihi excuſſerunt. Longum foret hoc epiſtolio ſingula complecti; quorum ſi tantum aliqua ſecius ſe habent, per ego te fas juſque humanitatis oro atque obteſtor, ne me celata habeas. Nam ſic amicum novitium, ſed qui conſtantia amoris atque obſervantia adverſum te nulli veterum concedit, ab invitantibus periculis ſubducere potes, ac ſine ulla tua jactura meliori ſorti reſervare. Honeſtiſſimæ quippe ſe mihi conditiones aperiunt vivendi cum Muſis tranquille ac beate, quas utraque manu, ſi mihi Suecicam perfectionem diſſuaſeris, cogito vindicare. Porro Cl. Goldaſtus ante octiduum perſcripſit ad me, ſibi inſtructiſſimam ſuam bibliothecam venalem eſſe, quæritque ex me, num his in tractibus emptor tam liberalis ſupellectilis a me inveſtigari poſſit. Illico reſcripſi. S. P. Q. Lubecenſem de adornanda libraria ſerio agitare, teque ad eam rem conſiliarium eſſe unicum, cujus favore atque opera negotium quam rectiſſime confici queat. Dubio procul hac de cauſa te compellabit; ut auctor fias Senatoribus averſione lectiſſimorum librorum theſaurum auctionandi. Quam res ei cordi ſit ex

amo-

ἀποσπασματίῳ ejus ad me epiſtolæ cognoſce. Vale. Roſtochii 31. Januarii CIↃ IↃCXXIII. Salutat te hoſpes meus Dn. Huſvedelins. Juſſi reſculas meas Hamburgo ad te deferri: velim pro illis ſolvas aurigæ, protinuſque huc cures. Gratiſſimo animo quam celerrime vecturæ pretium remittam. Ibis Gruteri noſtri, junior Pareus, jam correctorem agit in typographeo Hanovienſi apud Aubrios. Carmen meum brevi cum Deo accipies; jam & occupato & non defæcato eram animo.

EPISTOLA CCXXXIII.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

MAle tecum, Vir Cl. amicitiam cœptavi, ſi eam ſilendo tam cito abrumpere cogitas; utpote cui non ignotum ſit, tacitam concordiam inſtar odiorum eſſe. Ipſe equidem ſcripſi atque in literis noſtris opem & conſilium tuum (quod utrumque in hoc Septentrione me deſerit) fidentius imploravi. Si importunitas mea mereri caſtigationem videbatur: attamen hac atroce pœna digna non eſt, ut omni favore tuo, re inter hæc tempora mihi precioſiſſima, caderem; præſertim cum neceſſitas multum excuſationis apud æquiſſimas aures tuas mihi commodare potuiſſet. Quippe fere nullus in hiſce plagis degit, qui elegantioris ſcientiæ ſcriptores curet, aut legat; multo minus in illos expenſas faciat: aut etiam tanta ſit humanitate tamque benigno genio, ut peregrinis hujus vel illius libri copiam ac gratiam facere velit. Idcirco ad te, mitiſſimum caput, preces tetenderam, ne profunda meliorum literarum oblivio animum demergeret, cæterorumque damnorum ægrimonia ſaucium gravius afflictaret. Nunc te de Seneca Tragædo Scriveri abſolvo (Martialem ejuſdem per manus H. Frobenii dudum recepiſti cum magnis meis gratiis) quem induſtria Hallerfordi noſtri ex Lipſienſibus nundinis habiturum me eſſe confido. De obſervationibus Piccarti & Schioppii in Cornelium Nepotem, ab uno ſcholaſticorum tuorum exſcribendis, denuo memoriam tuam verbero, ne propoſiti mei impetus nimia mora torpeſcat. Rutgerſio animadverſa ipſe excerpo. Cæterum crebram apud te mentionem feci mearum in Æliani ποικίλην notarum: eas Francofurto ſartas tectas redditas teneo, donec elimaro accuratius. Quod fieri non poteſt, niſi editionem Geſneri Tigurinam alicunde commovero. Hactenus nec prece neque pretio a me perveſtigari potuit. Denique omnia me ſtudiorum adjumenta in hac humanitatis vaſtitate fugiunt, ut ſerio niſu totiſque cogitationibus, fixam ſedem munemque Patronum ſpeculari mihi incumbat, qui me ad priſtinos auſus ubertate congrua animet ac ſuſtentet. Interea dum heic inopiæ expellendæ facultas interponitur, alibi commodum arbitrandum erit diverticulum. Qua in re vide ne mihi deſis, ut beneficium debeam, aptiſſime enim mei deſiderii ad Cl. Rutgerſium mentione inſertâ, ingentia mihi commoda ſine expenſis, ſine detrimento rerum tuarum concitabis: quod & ipſemet

ipſum & fervide urgebo, modo ex te conſtet, quam regionem, quam urbem iſte Bataviæ ſplendor illuceat. Vale & mei rationem in cunctis talibus habe. Guſtrovii 1623. 5. Octobr.

EPISTOLA CCXXXIV.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

LOngis ambagibus, ſeu lento potius gradu, literæ tuæ ad me pertigerunt, Vir Cl. quas abs te x. die Novemb. exaratas XVIII. die Decemb. demum videre, atque in iis ſuaviſſimi affectus tui conſtantiam, avidius, quo ſerius, exoſculari mihi contigit. In quibus tamen hoc unicum ſubacidulum accidebat, quod ſolicitudinem atque anxietatem, queis pro amore tuo mihi perpetim obtinendo differor; ſuſpicionem ac ſiniſtram interpretationem videris appellare. Adcredas velim candori meo, nihil minus quam ſuſpicionibus erga doctos ac bonos ſum obnoxius: qui ſi interdum cauto verbo præcipitem affectum effundo, viciſſimque amici evoco, ſimplicitate magis quam ſuſpicione delinquo. Sic ipſe nunquam in amicitia ſiniſtra ſuſpicione adſpergar, ut mihi nihil niſi omnia ſumma de benevolentia tua ſim pollicitus, ex quo ſemel pectus tuum eruditione ac fide plenum ſum veneratus. Ac talem perſuaſionem in cumulum confirmas & quaſi obſignas mihi illa epiſtolæ parte, qua te apud ampliſſim. D. Rutgerſium cauſæ meæ oratorem offers. Deus opt. max. cœptis adſpiret, ut brevi ex erroribus atque opaco exilii certæ ſpei ac publicæ luci vindicatus, humanitati tuæ unice gratias agere queam. Æliani editio commode in hujuſmodi momentum protracta videri poſſet, quo in lenioris ſpei auſpiciis nomen meum potentiori Patrono eo monumento commendaretur. Nam recuperandi Patriam ſpem ne per ſomnium quidem mihi fingo, utpote haud ignarus Bethlenicos tumultus Frederici conſiliis imputari, eoque in altius Cæſaris odium eſſe inciſum. Nec ſecius ſe res habet; renovato fœdere artius duo iſti Principes adſtricti ſunt, ut alter alterius commoda velut ſua promoveat, intervenientibus Batavis & Venetis, quorum illi centena millia Joachimicorum; hi centena viginti millia Scutatorum in apparandum bellum erogarunt. Hinc futilitas ſparſi ab Auſtriacis rumoris liqueſcit, dum omnibus perſuadere affectant, Tranſilvanum Palatini Hungarici ſuadela ac promiſſis ſubactum in aliquot menſium inducias conſenſiſſe; copias Cæſarianas, quas velut corte concluſas inopia ac ferro internecare ipſi in proclivi fuerat, intactas atque incolumes dimiſiſſe. Scilicet ideo Gabriel ingenti exercitu aſcendit, ut unum atque alterum oppidulum Ferdinando ſemper Auguſto extorqueret; ſubitoque ad expoſtulationes mancipii Auſtriaci retrocederet. Magnam profecto tanto Principi injuriam faciunt, qui eum tam maccum eſſe divulgant. Ac Dreſda affirmatur vaniſſimam eſſe omnem induciarum famam; contra vereor interceptas eſſe Cæſaris ad Palatinum Hung. literas, quibus injungit, ut quibuſcunque poſſit condi-

tionibus ad Paſchatos cum Tranſilvano inducias conflet. Deinde Berſino adjicitur, Baronis Dhonæi copias Sileſias ab Hungaris juxta Troppavium occidione cæſas, ipſum ducem vix cum ſeptem equitibus Lignicium manibus hoſtis elapſum fuiſſe; cæteros tribunos, ac centuriones, inter quos unus eſt ſævitia atque intemperie in noſtros nobilis Keraus, captos. Cruentæ hæ induciæ ſunt; ſed antiqua diſſimulatarum adverſitatum arte famam, qua ſola Ferdinandi res hactenus ſteterunt, ſartam tectam conſervare adnituntur. Vale. Guſtrovii. 26. Decemb. CIϽ. IϽC. XXIII.

EPISTOLA CCXXXV.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

ADſperſiſti, V. Cl. aquam mihi perpetuo prope mœrore deficienti. Idcirco quod tam amabilem nuncium ipſo hujus anni ingreſſu amico propinaris, & ægritudinem meam ad lætiores ſpes erexeris; qui benevolentiæ tuæ condignas gratias agam, tumens repenti gaudio animus jam non invenit. Certe, ſi fortuna ſolemne ſuum fecerit, aptiori ac meliori, quam ampliſſimo Dn. Rutgerſio, fortunas meas commendare non potuiſſes, qui impenſe bonarum literarum cultoribus favet, atque humanitate ſuccurrendique offenſis fortuna promptitudine reliquarum virtutum, quæ eum ad tantam gloriam ac dignitatem extulerunt, cinnum abſolvit. Beatam lucem illam, qua literarum ejus ſidere contingar, & ad ſalutis portum deducar. Sed niſi accurate per mitiores homines ad me direxerit, qui eſt horum locorum triſtis arrogantia atque incivilitas, tam facile intercident, quam ille mihi comitate ſua voluit eſſe conſultum. Pro munuſculo annulorum tuorum immortales gratias ago; evolvam illum libellum ſedulo, & quicquid ibidem eſt venuſtatis, doctrinæ, elegantiæ (ut ſunt omnia plena inibi) avido pectore epotabo. De excerptis Schioppianis itidem memorem me & gratum fore noris. Verum cum tuas literas amitteres, meas XXVI. Decemb. exaratas nondum receperas? de Palatinatu quid ſcribam niſi luctuoſa. Inter Iberum, Moguntinum, Bavarum diviſus eſt, ejus priſtino Domino vindicandi ſpes cunctæ occiſæ. Nam Mansfeldi copiæ fame, morbis, transfugiis pene totæ evanuerunt. Reliquarium Brunovicenſe interveniientibus Dano, Oldenburgico, Ducis fratre, exauctoratum. Ipſe Chriſtianus, quo facilius præteritorum veniam ab Imperatore impetret, abdicatis partibus Batavis intra Danias ſe occulet. De Grutero noſtro ne gry per longum tempus accepi. Facile anno climacterico poterit inter tot ægrimonias eſſe labefactatus. Si quid certi e Superiore Germania habuero, illico ad te ſcribam. Vale. Guſtrovii 31. Jan. cum tuas heri inter cœnandum accepiſſem. Anno Chriſti CIϽ. IϽC. XXIV.

EPI-

EPISTOLA CCXXXVI.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam;

QUas ante tres ſeptimanas ad te præmiſeram, παλινῳδίᾳ quadam mira hodie mihi referuntur. Nolui tamen concerpere, ut tibi conſtet me neque in ſcribendo neque in affectu aliquid remittere. Ampliſſimus Dominus Rutgerſius ſi interea non ſcripſit, facile tolero moram, ejuſque occupationibus condono: ſed ſi forte pro humanitate ſua celeritate gratiam inire quæſivit, ſine dubio ante ejus adfatus interciderunt, meque hiantem magna ob tantam jacturam ægritudine mactarunt. Sperandum tamen eſt fortuna eximii viri incolumes ejus literas ad me evaſuras eſſe. Cæterum quod ſi tranſit, non deſiſte mei memoriam interſerere, teque eum, quem hactenus præſtitiſti, perpetuare, vere paterno animo ultra hujus ſeculi perfidiam amicum. De novis Hungaricis nihil liquidi huc tranſmeat. Diſpoſiti ſunt obſervatores, qui omnia ſcripta curioſe rimentur; & jam aliquot in magnas difficultates incurrerant, quod veriora ad alios perſcripſerunt. Conſtat tamen, quo majorem in Hungariam militem Cæſar ſit contracturus, eo omnia ſibi difficiliora redditurum eſſe ob penuriam commeatuum, annonæ ac ſtipendiorum. Aliquot legiones jam tumultuantur, neque dicto ducibus ſuis ſunt audientes, ſi contra populabundos Hungaros ducendi ſunt. Interim jam ſpe victoriam præceperant, & ſunt qui Principatum Tranſilvaniæ emercari a Cæſare velint. De Anglo jam mira, ſed (ſi recte præſagio) vana jactantur. Nihil enim ab iſto Rege exſpectandum eſt, niſi deſinat apud ſuperos morari. Non pudet neque piget iſtum Inſulanum repulſæ, & iterum in occulto machinatur an Hiſpanum ad impetrandas nuptias poſſit qualibuſcunque conditionibus delinire. Quod vero proceres Regni congregari paſſus ſit, meræ præſtigiæ ſunt, nam ſperat eos magnam pecuniarum vim pro Frederico collaturos, in quam poſtea ipſe involet atque diſperdat. Sed Ordines ei manum addent. Vale. Guſtrovii 27. Febr. 1624.

EPISTOLA CCXXXVII.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

DEſignare. V. Cl. incipit mihi Divina benignitas certam & (ut confido) tranquillam ſtudiorum ſedem. Invitatus ſum mitiſſimis Illuſtr. Dn. S. Kytte literis in Sueonas, ſalario (ut Legatus Regius aulicis noſtris confirmavit) ſatis luculento, & quo Patriæ deſiderium liceat mitigare. Religionis nomine nulla mihi difficultas ponitur (imo Dn. Cancellarius Academicus, gnarus Patriæ atque inſtitutorum meorum, ne leviſſima quidem mentione hunc ſcrupulum tangit) niſi quod adigendus ſim juramento in confeſſionem Auguſtanam. Quod

quale ſit non ignoras, cum omnes noſtri nihil tale unquam etiam in comitiis detrectarunt. Cæterum reditus noſtri omnes conſiſtunt in proventibus villarum & agrorum, ac quantum ego de cura familiari judicare poſſum, majore emolumento a me ipſo tales fructus colligerentur; præſertim cum nobilium diſcipulorum ex toto Regno confluxus periculum novæ Academiæ facturus eſſe videatur, & mea inter cæteros quoque opera ab ipſis deſiderari poſſit. Porro inſtitutionem illis domi meæ, victum vero alienæ impertiri eſt maximam laboris, ac minimam lucri partem capere. Accedit, quod ipſe homo conſummatæ ætatis omni niſu affectem alieno me eximere arbitrio, & domi meæ Rex eſſe & culinæ modum dare, qui corpuſculo compacto quidem, ſed multis ærumnis concuſſo ſit convenientiſſimus. Quare non diu mihi differendum eſſe cenſeo, qui oculos atque aures amicorum ad arbitrandum mihi honeſtum matrimonium advocem. Hoc caſu conſultus omnium a me primo eſt optimus D. Zinzerlingus; ſed protinus obtendit ſibi alienigenæ de re Pharadinarum puellarum minimum conſtare: idcirco tibi veterano & inquilino honeſtam hanc conciliaturam eſſe delegendam. Optionem talem non defugio vel aſpernor, fretus puriſſima benevolentia tua. Itaque ſi quam probis moribus, honeſta forma ac dotis nitidiuſculæ corollario inveſtigare poteris, quæ mea conditione uti, & blando ductu velit a foco ſuo trans campos Neptunios avelli, operam tuam amicabilem interponas etiam atque etiam rogo. Vale. XXI. Febr. CIƆ. IƆC. XXV. Guſtrovi. Gruterum noſtrum Groningæ docere (forte loco Ubbonis Emmi) mihi retulit D. Gryphius.

EPISTOLA CCXXXVIII.

JANUS GEBHARDUS. S. D.

Janus Gebhardus.

Lubecam.

MAle literas tuas ad me, V. Cl. credidiſti neſcio cui Riebſtahlio, qui eas ſecum adhuc detinet, & contra humanitatem ac leges gentium moram fraudemque amicitiæ noſtræ fructui interponit. Certe ſecus de iſto exiſtimare incipio, qui toties de alieno reddendo interpellatus, nihilominus contatur, & opinionem excitat, quod vel ſcripta tua abjecerit, vel malitioſa curioſitate interverterit. Rectius cuivis aurigarum illud officium injunxiſſes. Peculiola a me tranſmiſſa, quin ſalva in manus tuas pervenerit, non dubito. Nunc alia in re conſilio & opera tua opus eſt. Expetit nobilis & opulentus adoleſcens Holſatus operam meam, ut meo aliquot annis contubernio & inſtitutione per Belgium, Angliam, Italiam Galliamque ipſi frui liceat: ſed exiguam moram ferendam petit, donec anno vertente prior præceptor rite demittatur. Ego qui aſſidua familiaritate nolim cuiquam ſuſpicionem & ſequiorum ſermonum materiam præbere, quaſi alterum ſupplantaverim: & jamdudum occaſionem affectem ſubducendi me ac reſpirandi a continuis propemodum pergræcationibus, ſtatui Lubecam prægredi, ibidemque ad Pentecoſtes me ſubſequuturum

præ-

præſtolari. Itaque ſi comitate tua mihi apud honeſtum hominem de victu & conclavi proſpici poſſet; ubi ſine ſtrepitu & interpellatione incommodorum conventorum affectas quaſdam lucubrationes elimarem, grandi me obligares beneficio. De ſolutione quominus quis dubitet, in anteceſſum argentum numerabo, de quo conveneris. Unam alteramque cauſam, cur heic non ſubſiſtam, percepiſti; palmariam non te celabo, quod hanc hiemem tanto extraordinario ſumptu ſum defunctus, quantum tantiſper Leidæ in omnium neceſſariorum erogationem non ſuſtinuiſſem. Quid ad veris regreſſum futurum eſt, ubi aëris temperies atque amœnitas ad deambulationes aliaque voluptatum diverticula incontinentes invitat. Qui vero tali ſe conſortio eximit, ſtatim propter morum diverſitatem odium habet. Sententiam tuam intra unam alteramque, ſi diutiſſime differas, ſeptimanam quæſo mihi perſcribas: & ſi vel in tuis ædibus, vel apud alium moderatum ac probum virum vacuus locus mihi non dabitur, de publico ſtabulo ne cogitare quidem libet, in quo præter ſordes & turbas pecuniæ quoque & temporis jactura, nec non animi tædium occurrent. Vale. Roſtochii. a. d. XXIIII. Febr. CIↃ. IↃC. XXVI.

EPISTOLA CCXXXIX.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Gebhardus.

Lubecam.

Diutius, quam putabas, aut etiam volebas, V. Cl. librum tuum detineo: non quod promiſſi mei ſim oblitus: ſed qui tibi tuto remitteretur, opportunitas hactenus defuerit. Cur igitur, inquies, non reſtituis? quia fidei hujus pueri diffidebam, ne tædio ædes tuas adeundi forte abjiceret, aut vicariæ operæ alium alligaret, per quem liber inter ignotas manus ſtrangularetur. Commodior ſe offeret lator, per quem brevi, Deo volente, commentarios iſtos ſartos tectos tibi redditum iri fide mea confirmo. Nonnunquam tamen eos hactenus inſpexi, dum eandem Agricolæ vitam honeſtis aliquot adoleſcentibus privatim interpretor: &, ut verum fatear, materiæ abunde ſuggerunt, qua vel in annum hoc argumentum diducere queam; niſi me brevitas magis delectaret, & auditorum, quoquo modo ad exitum properantium, voluntas moveret. Ergo judicio me illis viris interdum compono, imo ſæpius abeo, utpote qui non primum nunc antiquæ Hiſtoriæ ac Taciti penetralia ſaluto. Negotio Franekerano quid fit? quod fortaſſis exciderim, protelatio tale quid portendit. In hac quoque ſchola & Rhetoris & Græci interpretis partes vacant: ſed ſi vel ipſe Quinctilianus vel Ariſtarchus forem, ob cauſam tibi haud incognitam repudiarer. Quare neminem etiam in iſtam ſpem ambio ac prenſo. Ad introſpiciendas eorum voluntates, V. Cl. tralatitie meum ingenium, ſi opera eſt, commendes rogo; unde reſcies, quam recte providerim apud ſurdas aures bona verba non eſſe prodigenda. Vale. & non deſine cauſam meam vel apud D. Schabbel, vel D. Othonem Tank promovere. Roſtochii a. d. V. Novemb. CIↃ. IↃC. XXVI.

EPISTOLA CCXL.

JOANNI KIRCHMANNO. S.D.

Janus Gebhardus.

Lubecam.

LEvis eſt, V. Cl. jactura conditionis Cimbræ: ſiquidem ultra biennium intra hæredii ſepta perdurandum eſt, interea quaſi in Cyclopis antro perpetua trepidatione vivendum fuiſſet. Vitæ neceſſitates quomodo privata induſtria expugnem videbo, donec commodior promotionis ſpes exoriatur. Sed noſtin quem propoſito meo Laurembergi livor obicem oppingere conatus ſit? Cum in Hiſtoricis & Politicis intercedere non poſſet, poteſtate mihi a D. Sturzio data ac literis confirmata, cœpit collegas ſuos in me excitare, qui hominem nullius tituli prærogativa, dein ἑτερόδοξον exercitia Oratoria ac Poëtica in deminutionem illorum inſtituere prohiberent. Eſſe porro periculum ne prætextu talium virus hæreticum animis tenuiorum tacite inſinuetur. Pervici tamen opibus ſuperiorum: quod ſi mihi in poſterum negotium conſciſcere perrexerint, Principum auctoritate eos in ſilentium collocabo. In conventu Guſtrovienſi actum eſſe intelligo nihil aliud, niſi quod Principes palam Dani partes amplexi Provincialibus injunxerint, ut omnibus viribus amicum Regem juvarent. Nobilitas quidem reluctata eſt, ſed præcipuos & Civitatum legatos in aſſenſum traxerunt. Cornelii Nepotis editio jam dudum fortaſſis ab Hondio fuiſſet protruſa, niſi ipſe inhibuiſſem; quia plurima ſubnata ſunt, quibus priora expungerem. Si conditio veſtro typographo placet, ex liturariis meis eis paucas, Dei virtute, ſeptimanas novam editionem inſtruxero. Laborem autem meum primo decem exemplaribus nitidiuſculæ chartæ; dein honorario non pecuniæ, ſed librorum, ſoletur volo, Nimium, nec quantum Schleichium, illum haud poſcam. Si auguſtæ hiſtoriæ Scriptores ſex cum commentariis Claudi Salmaſii & Iſaaci Caſauboni Pariſiis in fol. & Philippi Cluveri Germaniam, decem exemplaribus Nepotis addere, te ſponſore, non abhorret, jam primum mentem ſuam exponat, jube. Intellecta enim ejus ſententia e veſtigio me operi accingam, neque ipſi obſtabo, quo minus nundinis Lipſienſibus auctumno conjunctis venum poſſit exponere. Reduces meas chartas a Batavia non præſtolabor; cum & illæ variæ ſint interpolandæ. D. Schabbelii affinis & nepos collegia (ut vocant) ad Tacitum, Oratorium, Epiſtolare, de Politica Romana quatuor, me præeunte, decurrerunt, neque ramenta plumbea ſum factus propenſior; quo pacto a ſene dignum operæ precium civiliter exterebremus, conſilium ſubjice. Vellem autem pecuniam in tuas manus devolvi, ut detraheres, queis jactura amiſſi libri aliæque pro me expenſæ ſarcirentur. Vale. Roſtochii ad. XXVIII. Mart CIƆ. IƆC. XXVII.

EPI-

EPISTOLA CCXLI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Gebhardus.

Lubecam.

ILle nobilis adoleſcens Holſatus, Cl. D. Kirchmanne, quem præterita æſtate in Belgium deducere cogitabam, proximo Pentecoſtes a me diſceſſionem fecit, revocatus a Patre domum, ut, qui Muſis noluit, veluti auguror, Hymenæo faciat. Itaque proprio ſuccó mihi in poſterum victitandum eſt, movendaque omnia, ut ventris ſaltem deſiderio ſatisfiat. Hanc curam onerat ex inopinato alia: quippe frater meus XXI annorum adoleſcens communi calamitate huc ad me quoque ex Superiore Germania compulſus eſt, & argento quinque Joachimicorum, quod ex naufragio patrimonii ſuperfuerat, nec non pallio in via a latronibus ſpoliatus. Jam mihi ſoli incumbit, ſuamque indigentiam a me ſarciri poſſe ſperat: quod ex facultatum mearum modo ſincere præſtiti, admovique eum menſæ (uti vocant) communi, donec lætior exoriatur occaſio deſtituti adoleſcentis neceſſitates juvandi. Interim abs te peto, ut ambos Ampliſſimis viris Dn. D. Schabbell. & Dn. D. Tanckio de nota meliore commendes; & imprimis illi fortunæ meæ ſcævitatem exponas. Nam qua eſt in noſtrum ordinem prothymia, & adverſus me privatim prolixo affectu, non cunctabitur arctas res meas munuſculo proſequi & ſolari: præſertim cum nepos illius Henricus & affinis Eberhardus, me præeunte, quatuor collegiorum vicibus non ſine inſigni emolumento per eloquentiæ & Rom. antiquitatis ſpatia decucurrerint. Procacitatis atque impudentiæ crimen neceſſitas noſtra, nec non tanti viri æquitas ſortis humanæ incertitudinem animo volutantis diluent, tuque ipſe modeſtia tua, quicquid reſiduum erit ſuſpicionis, purgabis. Nepotis editionem cordi ſibi habent Batavi, urgentibus Voſſio & Scriverio, & ut ſibi acquirat majora, quam a veſtro typographo exegi, pollicetur Clemens Schleichius. Verum hac æſtate mihi non vacat ex liturariis meis novam editionem extruere, circumſtantibus me tot adoleſcentibus, quorum alii denuo eloquentiæ, alii in Græcarum literarum ſtudiis cupiunt exercitari. Vale. Roſtochii a. d. XXIII. Maji 1627. feſtinante Hofmanno noſtro, cum alia de clade ſubſidii Pechmanniani & exuſta Havelsberga addere cæteroquin paratus eſſem.

EPISTOLA CCXLII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Gebhardus.

Lubecam.

QUartus jam lapſus eſt menſis, ex quo nullas abs te literas accepi, unde collegi, te vel morbo vel domeſtico luctu impeditum ſcribendi officio ſupereſſe nequiſſe; vel etiam ſumptuum tædio affectum nolle amplius literarum com-

commercium ſerere & cauſas expenſarum fovere. Etſi minime ignorem ſine nummis committi non poſſe iſta literaria colloquia; tamen ni rationem viderem, qui tuto alioqui ad te meæ perferri poſſent, quicquid id eſt oneris, ſolus libenter ſufferrem. Tabellarii quidem patiuntur heic ſibi ſatisfieri, ſed ubi deſtinato loco pedem intulerunt, fidei & promiſſorum obliti commiſſas literas vel ſupprimunt, vel in duplum mercedem exigunt. Itaque ſi hoc te a ſcribendo abſtinet, in poſterum quoque impenſarum cauſas, quantum ad me attinet, imputabo, rariuſque interpellabo quietem tuam. Nunc talis incidit cauſa, quæ ſi tibi tuo examini ſupponenda omnino fuiſſet, jacturam. 6. ſolidorum compendi facere potuiſſes. Sed, ut præfatus ſum, eſt cauſa, in qua directione tua mihi opus. Leidæ vixiſti, & abſque dubio Claram Bronchorſtiam Icti celebris filiam, de fama, de dote, ſi non de facie, noſti. Illa cum mihi commendaretur de morum probitate & ſtata forma, adjicit proxeneta ille, numerare eam in matrimonio ultra triginta millia Carolinorum. Quod ſi res ita ſe haberet, luculenta conditio utraque manu eſſet aſſerenda. Retuli hanc rem ad arbitrium D. Altingi, qui puellam quidem collaudat, de facultatibus ſibi nihil conſtare adjecit. Non audeo niſi ad pauciſſimos & fidiſſimos tam horribile ſecretum efferre; itaque cum eorum e numero ſis, cum quibus perpetuo amicitiæ nexu teneri velim, quam primum, quicquid in ea re tibi cognitum fuerit, expone. Neque eſt quod metuas præjudicium meum; nondum inter noſtra nomina fax orta eſt. De nuptiis cogitanti plane dotis ratio habenda eſt, & cum Groninganæ ſuper omnes Belgicas faſtu eleventur, illis miſſis, vel Amſterodamo vel Hamburgo vel Brema talis arceſſenda eſt, quæ nulla nobilitatis opinione imbuta boni conſulat mediocrem literati hominis conditionem. Ea eſt veſania noſtratium puellarum, ut quæcunque in peculio vel dote computare poteſt mille vel bis mille Carolinos, faſtiditis omnibus aliis nobis, vel Conſularis familiæ nuptias illico arcanis cogitationibus agitet. Salmaſii notas in Florum quæſo vide mihi compares: paro editionem Flori cum omnium doctorum virorum notis apud Maire in octavo, quam loco Salmaſii, ubi exierit, reponam. Habeo quidem notas in octavo, ſed deſunt tria folia. Hæc raptim. Vale. Groningæ. 10. Novemb. 1628.

EPISTOLA CCXLIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Gebhardus.

Lubecam.

OMnes Academiæ noſtræ turbæ, V. Cl. dudum poſuere, quas non excitare adjuvant Lubecenſes tui, ſed in eas callide pertracti ſunt a bipedum nequiſſimo quodam homuncione, cujus nomini parco; qui nefariis ſtudiis Profeſſores cum ſcholaſticis collidere, & totam Academiam diſſolvere injecerat curam. Deteſtantur impurum iſtud caput omnes intellecta ſceleris magnitudine, imprimiſque cives tui duplicis hominis artes exſecrantur; quandoquidem

dem non tantum publica miſcere, ſed & inter Germanos lites ac ſimultates ſerere cœperat. Deus honeſtiſſimorum ſtudiorum Præſes, & virorum Mercurialium Tutanus cum debitis pœnis iſtam tubam ac facem ſeditionis premet. De turbis in vicinia veſtra magis indies gliſcentibus non tutum eſt ſcribere. Speramus hoc anno notabilem omnium rerum converſionem. Coitus electorum Principum indictus Ratisbonæ dicitur Germaniæ pacem parturire, utinam pariat. Friderici exſulis legatis commeatus ac publica fides data: perſuaſum eſt Eccleſiaſticis Principibus ſolidam & ſinceram Germaniæ nunquam fore pacem, niſi aliquatenus Frederico ejuſque hæredibus ſatisfiat. Præterea Hiſpanus nullam pacem expectare poterit ab Britanno, niſi Sororis filiis rapta reſtituantur. Sed, ſi quid ſapio, formidant Sueci opes ac fortunam; & quam levi momento pendeant ipſorum vires, in conſilio habent. Apud nos de caſtris faciendis altum præter omnium exſpectationem eſt ſilentium. Cornelium Nepotem tertiis curis a me elimatum, atque illuſtratum prælo hac æſtate ſubjecturum eſſe ſe recepit Elzevirius; qui quam primum exierit in vulgus, tibi inter primos mittetur. Parabimus poſtmodo alia. Quid ipſe moliaris, ſcire aveo. D. Voſſius commentariis de lingua Latina impoſuit ultimam manum, niſi moraretur typographus, habere lucubrationes cedro dignas jam fere poſſemus. Curtium & Tacitum jam adorno editioni, & fortaſſe, Deo adjutante, etiam Livium: nam meæ triennales in eum ſcriptorem collatæ operæ, hoſtium manibus elapſæ, ad quendam amicum devenerunt, qui jam a me inveſtigatus ſagacitate amicorum, pipulo flagitandus erit, ut aliena reddat. Quid de iſtis meis conatibus judicet Cl. Gruterus, non diſſimulavit in præfatione ad Patavinum. Vale. Groningæ a. d. VII Maji. CIↃ. IↃC. XXX.

EPISTOLA CCXLIV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Janus Gebhardus.

Lubecam.

EX longo tempore, V. Cl. nihil de te vel audio vel video. Literarum commercium inter nos penitus videtur vel occupationibus tuis, vel viarum longinquitate ſublatum. In me quantum eſt, conatus ſum memoriam mei apud te ſuſcitare ſcripto aliquo Panegyrico, quo lætitiam Academiæ noſtræ ſuper victoria Sueci ad Lipſiam ore meo promere cœpi. Cætera mea ſtudia & affectæ lucubrationes partim cura rei familiaris, partim contemptu & iniquitate ſeculi noſtri pendent interruptæ. Nepos cum tertium interpolato a me ſpicilegio jam quartum annum inter manus avariſſimorum typographorum jactatur atque exagitatur. Parum abeſt, ut melius de Curtio ſperem, cujus a me inſigni opera & cura recenſiti atque exornati editionem Elzevirius de ſemeſtri in ſemeſtre differt, videlicet hujus moræ culpam D. Voſſius imputat Heinſio, qui odio gentis Germanicæ retinet typographi ac ſufflaminat propoſitum: putatque neminem vel ſapere præter Flandros, vel ſcribere præter ſe,

quem ſtolidæ tamen noſtrorum hominum adulationes mirum quantum inflarunt. Non ultima diſceſſus Voſſiani ex Academia Leidenſi cauſa fuit obtrectatio homuncionis, quem frequentiore ſemper auditorum ſtipatum corona tam apud majores, quam æquales variis calumniis inſectatus eſt. Sed mittamus talia, illud ex ore D. Voſſii affirmo, eum non niſi jejune de Germanis judicare & contemptim loqui, & in Joachimo Camerario non niſi pædagogicam agnoſcere doctrinam. De te quid ſentiat, alio tempore tibi aperiam. Ipſe jam ultra biennium viduus perduro, oblectans tædium fracti matrimonii lepore ſcitiſſimæ filiolæ, quæ blæſulo ore multas mihi faciens delicias avertit animum de alia conditione cogitandi, ne forſan noverca imperioſior turbet tranquillitatem & feſtivitatem domeſticam. Studiorum tamen & muneris mei ratio requirere videtur, ut rei familiaris cura transferatur in me & culinæ & aliorum compendiorum peritiorem. Vale. Groningæ. Cal. Sextil. CIƆ. IƆC. XXXII.

Audio D. Zinzerlingum & paulo poſt D. Lindemannum affines his rebus valedixiſſe; & partium Cæſarianorum reliquos ſtrenue emungi.

EPISTOLA CCXLV.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Caſpar Hofmannus.

Lubecam.

GRatæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clariſſime, & Amice obſervande. Non minus gratum fuit munus tuum *χρύσειον ἀντὶ χαλκείου*, ut vetus habet verbum. Equidem Poëtæ nomen uſurpavi nunquam, & vero hi Pſalmi pene invito mihi e manibus exciderunt, longe aliud dedicatione illa ſpectanti, quam publicationem; & ſunt alioqui a typographo miſere deformati, ut me quidem correctionis pæniteat, quod ſpero, præſtabunt boni, quibus plus otii ad talia: ego enim in Galeno totus ſum, facturus quod hominem de ſchola pro ſchola facere æquum eſt, licet de eventu dubius plane ſim: quod enim hic dicendum eſt, Aubrii, qui ſarcinam hanc mihi impoſuerunt, plane Punica fide mecum agunt. De vicino vero tuo D. Laurenbergio, quid ſit? multa ille de ſocietate noſtra *in Lauru ſua Delphica*, quæ mihi plane incomperta, quin talia, quæ fieri non poſſe putem; fortaſſis autem fient, vel propter Morſium, qui primus invulgavit, quantum ſcire licuit. De Epiſtola illa Scaligeri multum te diligo; ſed quid cauſæ eſt, quod ſententiam ſuam ne uno quidem unius auctoris loco confirmet? Ego incidi his diebus in Agoniſticon Petri Fabri, opus, Jupiter! laborioſum & pene divinum; e quo non unum illi locum oppoſuerim. Cupio autem tuam quoque audire ſententiam de *Pede illo Prætorio*. Atque ut amplior nobis colloquendi occaſio, liceat mihi diſſentire a te in antiquitate annulorum, medicis præbitorum; arceſſis tu ab Auguſto Imperatore, adeoque Antonio Muſa, cubiculario ipſius Medico, ut hodie loquimur. Ego vero ab ipſa Aſclepiadarum familia, cui decus hoc proprium fuit ad annos 300, & quod excurrit. Quid enim ſunt *πλεγμάτια* illa *οἷς*

οἱ ἰατροὶ οἱ ἀρχαῖοι τοὺς δακτυλίους ἐνέβαλον, apud Ariſt. lib. 4. Pact. animal: 9. quam annuli? Non diffiteor eſſe difficultatem aliquam in applicatione ſimilis, quo Philoſophus utitur: tamen puto conſiſtere potuiſſe in eo, quod annuli iſti medici facti eſſent quaſi ex multis bullulis, ad normam iſtorum, quos noſtri *Erbisring* appellitant. Conſidera, ſodes, & ſcribe, quid ſequi me velis. Cæterum pro δακτυλοθήκη illa, quid reponam? ſi certus eſſem, gratas tibi fore lectiones noſtras varias, mitterem profecto; ita autem loquor, quia ne ipſi mihi quidem jam placent. Bene vale, mi Kirchmanne, & perenna mihi in amore. Scribo 5. April. 1624. Altorfii.

EPISTOLA CCXLVI.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Caſpar Hofmannus.

Lubecam.

Miratus ſum hactenus pertinax ſilentium tuum, mi Kirchmanne, nec ſatis exputare potui cauſam. Interim ea mihi viſa fuit probabilior, hoſpites quoſdam ingratos aſperſiſſe nomini meo loliginis ſuccum. At vero, ſi ſufficit accuſare, quis erit innocens? Contendam ego cum illis ſub corrupto etiam judice, & vincam procul dubio, adeo non diffido bonitati cauſæ! ſed ſit negotium hoc ſuo loco. Cl. Remum abiiſſe ad plures, jam procul dubio ab aliis habes. Nos cras etiam, ſi volet Deus, terræ mandabimus virum egregium, D. Petrum Saxonem, Holſatum, Mathematicum noſtrum. Hei mihi, quam difficulter carebimus hoc viro publico bono! Auſim affirmare, Europam noſtram huic ſimilem non habere, in hoc, inquam, ſtudii genere. Obiit autem ille maraſmo, cum ſectus eſſet alieniſſimo tempore (in fervoribus canicularibus) ramex ipſius carnoſus. Patavio e diſcipulis habeo, obiiſſe ibi quoque DD. Hadrianum Spigelium, Bruxellenſem, Chirurgum & Anatomicum inſignem, amicum olim meum & συμφοιτητὴν cariſſimum; hac occaſione. Filiam unicam collocarat Nobili Tarviſino cum dote ampliſſima. In convivio nuptiali dum colligit fractum vitrum, vulnerat neſcio quem ex digitis ſiniſtræ manus. Inflammationem concipit, non manus tantum tota, ſed & integrum brachium: quin tumor ſub ala ſe oſtendit inſignis. Hujus curatio cum ad integrum trimeſtre ſe extenderet, rupta tandem introrſum vomica, facit hominem mori empyematicum. Hei mihi, dico iterum, quam difficulter carebimus hoc viro publico bono! Sed ita eſt, optima quæque rapit pars peſſima. - - Ego hactenus in Galeni editione Græco-Latina laboravi, & perveni quidem ad finem ſuperiori menſe, Deus autem ſcit, quid ſit futurum. Si Caſelius ſuo ſcripto addidit textum etiam Græcum, quæſo mitte. Faxo iterum habeas indemne. Interim pignoris loco habe tibi hæc noſtra, & bene Vale. Scribo 16. Sept. 1625. Altorfii.

EPISTOLA CCXLVII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Caſpar Hofmannus.

Lubecam.

MUltum te amo, mi Kirchmanne, qui tam facile veniſti in vota mea, imprimentur propediem typis, ut loqui ſolemus, & redibunt ad te cum gratiarum actione. Quæ ipſa ut abundantior ſit, quæſo te, fac id quoque, quod Cl. Dn. Meibomium rogavi, ſcribe aliquot verſus in Galenum quoque. Celebraſti tu quidem in hac ipſa elegia labores meos: verum ego deſidero peculiare quid, quod cum ipſo Galeni volumine exeat. Adde, ſi placet, verbum unum de loco illo Ariſtotelis, quem in poſtremis meis produxi, e quo evincere volebam, jus aureorum annulorum, quod penes Medicos, longe vetuſtius eſſe, quam ut ad Auguſti benevolentiam referri poſſit. Quid? Cum familia Aſclepiadea, in cujus unius poſſeſſione ultra tria ſæcula fuit Medicina, ad Herculem referrent genus ſuum: cui non ſit veriſimile, Dis genitis hoc licuiſſe? Quæris, qui ſuperſint ex Profeſſoribus priſcis? Ego, qui anno 1607 in Academiam veni, ſupra me habeo Virtungum ſolum, ſed qui ipſe jam in extremis eſt, aſthmate cum orthopnæa ſubinde excruciatus. Reliqui omnes abierunt, & quidem plerique, ut nec nominis veſtigium ſuperſit. De Piccarto quid dicam, aut non dicam? Cum liberos utriuſque ſexus decem, ni fallor, haberet, maſculorum quidem nullus venit ad frugem: fœminæ autem variæ diſperſæ ſunt. Ex reliquorum liberis fere ſoli Rittershuſiani ſunt in pretio. Filiorum enim natu majorum duo ſunt J. U. D. & inter hos D. Nicolaus collega meus eſt, qui meditatur ad te literas. Tertius in Cancellaria Norica eſt. Filiæ duæ bene elocatæ ſunt. Ubi occaſionem habuero, mittam ſyllabum lectionum hoc anno ſcriptum, e quo diſcas licet nomina ſingulorum. Quin illud inprimis, florere pene ſolam Academiam noſtram, reliquis aut dirutis plane, aut graviter afflictis. Quamobrem, ſi vultis, poteſtis ad nos colonias emittere. Habemus enim pacem cum Imp. noſtro, de quo certa nobis ſpes eſt futuræ pacis univerſalis. Deus Opt. Max. qui Germaniam per tot annos acerbe caſtigavit, det illi (Imp.) homines prudentes & fidos, quorum ope efficiat, quod vult. Tu bene Vale, mi Kirchmanne, & bene age: ſcribo 20 Maji 1637. Altorfii.

EPISTOLA CCXLVIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Stephanus Johannis Stephanius.

Lubecam.

DIffuſæ eruditionis tuæ fama, quam divinis ingenii monumentis hactenus in lucem editis tibi paraſti, magnam certe mihi ad te ſcribendi cupiditatem injecit: ſed ab inſtituto hoc meo neſcio quæ verecundia ſubinde me retraxit,

traxit, præſertim quod ſubvererer, ne illiteratis literis meis ingentem tibi moleſtiam exhiberem. Cum vero honeſtus ille ardor gliſceret indies, animumque meum novo ſemper deſiderii æſtu inflammaret; ſatius duxi frontem ſemel deponere, quam diuturna mora irrequietæ mentis impetum ſiſtere ac coërcere. Hac itaque tam opportuna occaſione emergente, non potui, quin rudi hocce & impolito alloquio te compellarem, aditumque mihi ad amicitiam tuam conciliarem; in quam me ſpero te recepturum, modo non ſis alienus ab humanitate illa, quæ proprium ſolet eſſe doctorum virorum bonum & ornamentum. Sed ne longiori circuitu tempora tua morer, caput ſcriptionis hujus paucis verbis proponam. Nempe ante aliquot annos animum induxi Notis uberioribus florentiſſimum rerum Danicarum Scriptorem *Saxonem Grammaticum* illuſtrare. Verum cum multa habeat vocabula ex medii ævi ſcriptoribus deſumpta, quæ in vulgaribus Lexicis non occurrunt: omnino neceſſe eſt, ut auctores ejuſmodi prius diligenter evolvam, quam in Saxonis emendatione progredi poſſim. Inprimis *lexicon* quoddam *Papiæ* deſidero, quem vocabuliſtam vocant; cujus mentionem quoque facit Matthias Martinius in Catalogo Auctorum, quos crebrius in Lexico ſuo ad teſtimonium vocat, & impreſſum ait Venetiis Anno Chriſti MCCCCXCVI. Omnibus igitur abs te precibus contendo, ut ſi Papias iſte, vel tua in Bibliotheca extet, eum ad tempus mecum communicare digneris, aut ſi ullo pretio venalem alicubi nanciſci poteris, meo nomino emas, & quamprimum per internuncium fide dignum ad me tranſmittas. Feceris mihi hac in parte rem longe gratiſſimam, quam nullo non officiorum genere & grati animi benevolentia viciſſim demereri conabor. Mitto in præſens ſpecimen quoddam Notarum in Saxonem, quas hunc in finem edidi, ut diligentiam typographorum in nova Saxonis editione procudenda excitarem. Sed fruſtra fui. His adjunxi Oratiunculam meam; in quam ſphalmata, quæ irrepſerunt, ipſe corrigas rogo. Bene & feliciter Vale, Vir Præſtantiſſime, & me ama, qui te æternum. Soræ. a. d. XIV. Novembris CIↃ IↃC XXXIII.

EPISTOLA CCXLIX.

JOANNI KIRCHMANNO S. D.

Stephanus Johannis Stephanius.

Lubecam.

CLariſſime Vir, Amice exoptatiſſime, non ſolum literæ me tuæ incredibili voluptate perfuderunt, utpote quibus a tanto viro ſcriptis nihil jucundius accidere potuit: verum magna cum delectatione illam epiſtolæ tuæ partem legi, qua penes te eſſe ſignificaſti manuſcriptam hiſtoriam cujuſdam Theodorici Monachi, qui vitam quorundam Regum Norvegenſium breviter deſcripſit. Ejus ut editionem, quantum in te, matures, ſerio hortor; imo totius patriæ nomine obſecro atque obteſtor. Ingenti etenim beneficio eam tibi devincies, edito tam præclaro antiquitatis monumento, quo nos tot an-

norum interjectu neſcio quæ fatorum invidia fraudari ſuſtinuit. Et ut ad conatus tuos acriores veluti faces ſubdam, repræſento hic tibi Chronicon illud Norvegiæ a M. Johanne Martini Slangerupenſi publicatum; cujus tibi copiam fieri petis. Nullus ambigo, quin inſtituto tuo magnopere inſervire queat. Sed ne neſcias, ante biennium Chronicon Norvegiæ luculentius in lucem edidit Cl. Vir, D. Olaus Wormius, Medicinæ in Regia Academia Hafnienſi Profeſſor eminentiſſimus: quod ſi ad manum nunc fuiſſet, lubens tranſmiſiſſem. Ego jam totus ſum in nova Saxonis noſtri editione procudenda: & niſi ſi aliæ me occupationes a grato & jucundo hocce labore tranſverſum abripuiſſent, jamdudum ultimam manum recepiſſet. Tu ſi quid habeas, quo propoſitum meum juvare poteris, communices rogo. De Papia quod omnis ſpes decollaverit, male me habet. Vix etenim alibi tantum vocabulorum rariorum copiam invenire licebit. Exemplar colloquiorum, quæ juſſu Magnifici Dni Cancellarii Chriſtiani Friſii adornavi, una mitto: enixe contendens, ut tuum de illis judicium benevole mihi aperias. Plura ſcribere præceps Bartoldi Hintzii abitus non permiſit. Dn. Georgium Pauli juxta ac Gerardum Meierum verbis officioſiſſimis ut reſalutes velim. Vale. Dabam Soræ, Idibus Julii. CIƆ. IƆC. XXXIV.

EPISTOLA CCL.

JOANNI KIRCHMANNO S. D.

Stephanus Johannis Stephanius.

Lubecam.

CLariſſime D. Kirchmanne, amice fideliſſima gratia conjunctiſſime, communicavit mecum nuper amicorum quidam binos manuſcriptos tractatus: quorum alter Anonymi erat de itinere a Danis nonnullis Hieroſolymam ſuſcepto; cujus initium tale: *Incipit Epiſtola ſequentis operis. Reverendo & diligendo Domino C. Frater X. Canonicus debitam in omnibus obedientiam! Multum mibi fateor contulit ad veſtri notitiam perveniſſe* etc. Incipit prologus: *Superfluum reor novarum rerum eventus inculto ſermone depingere.* Continet XXVII. capita. Et cap. V. occurrit vox illa Barbara *Gemobodia*, de qua te antea me conſuluiſſe memini. Et cap. XI. ubi de civitate Bergenſi, & ſeditione ibi facta per Danos, agit, Sanctæ *Sunnivæ* & piſcium *Screits* mentionem facit. cap. XVI. Proverbium extat antiquum Norvegicum: *Bibande bijr eigo, en brader and' rod'r.* Et cap. XIX. *Faſtr er a foldo foer.* Alter vero Codex complectitur Hiſtoriam Theodorici Monachi de antiquitate Regum Norvegienſium, quæ ſic incipit: *Domino & Patri ſuo Reverendiſſimo, Auguſtino, Nidroſienſi Archiepiſcopo, Theodoricus, humilis peccator, debitæ ſervitutis ſubjectionem & orationum ſuffragia. Opera pretium duxi Vir Illuſtriſſime, pauca hac de Antiquitate Regum Norvegienſium breviter annotare*, &c. Abſolvitur Capitibus XXXIV. Cap. I. de Haraldo

pulchre

pulchre comato. Ultimum de Haraldo Hyberníenſi. Jam nullus dubito, quin iidem ſint tractatus, de quibus ſæpius ad me ſcripſiſti, quod & ex collatione tuorum codicum facile patebit. Sin autem res ita ſe habeat, velim quamprimum id me edoceas, & ſimul, num mature eas in luminis oras edere ſit animus & conſilium. Conſtitui etenim Notis quibuſdam utrumque ſcriptorem illuſtrare, quæ cum tuis quas te paraſſe ſpero, conjungi poſſent. In illuſtri Viro, Magnifico Dn. Cancellario Friſio, heu! nimis mature nobis erepto, ingentem certe jacturam fecit Reſpublica noſtra, juxta ac litteraria univerſa, cui ſe fidiſſimum ſemper exhibuerat fautorem & patronum. Mitto orationem funebrem de ipſo habitam in Academia Hafnienſi a D. Reſenio juniore; cui ad calcem adjecta ſunt, quotquot tum temporis prodiiſſe novi, Epicedia. Ab exceſſu Cl. Meurſii, viri incomparabilis, mihi indigno, mihi, inquam, tanto Prædeceſſori plane impari, provincia ſcribendæ Hiſtoriæ Danicæ a Sereniſſimo Rege noſtro demandata eſt. Quæſo te, apprecare mihi a ſummo Numine fauſtiſſima quæque, & me in precibus tuis ardentibus votis ei, ſine cujus numine nihil eſt in homine, diligenter commenda. Cæterum pauca penes me ſunt in tanti viri obitum Epicedia, præter unum Weitzii mihi, ut vides, inſcriptum, ſed nondum divulgatum. Si tanti erit, velim typis apud vos excuſum prima quaque occaſione reſtituas. Pro iis, quæ nuper tranſmiſiſti, gratias ago maximas, & ἀντίδωρον quaſi heic repræſento *Florilegium Fabianum*, a me anno ſuperiore editum, & nunquam ab alio quoquam, quod ſciam. Antequam finiam, per amicitiam te noſtram rogo, ut *Chronicon Lubecenſe Hermanni Bonni* meam in gratiam illic coëmas, coëmptumque ad me quam primum tranſmittas: & præterea mecum communices, ſi qua vel typis, quocunque tandem idiomate, prodierunt, vel M. S. noſti extare de Republ. veſtra monumenta. Certe ingenue olim profitebor per quos profecerim, ut ille ait. Et feceris mihi hac in parte rem longe gratiſſimam, quam nullo non officiorum genere viciſſim demereri conabor. Literas tuas in poſterum recte curabit Senator antehac Magdeburgenſis, nunc ad tempus Hamburgenſis civis, Oſwaldus Matthiæ, vir illic uſque adeo notus, ut domum ejus, aut plateam, heic adſcribere vix duxerim operæ pretium. Generum hic habet Eloquentiæ & Logices Profeſſorem M. Johannem Rave, collegam meum amiciſſimum. Ei per curſorem ſeu tabellarium publicum amæbæas ad me tuas bona fide committere poteris. Et ſic ſingulis fere ſeptimanis inter nos per literas colloqui licebit. Noli me, quæſo, maturo fruſtrari reſponſo, cujus incredibili teneor deſiderio. Vale optime amicorum & me ſolito amore complectere. Soræ, a. d. XXVII. Januar. CIƆ. IƆ. CXLII.

EPI-

EPISTOLA CCLI.

JOANNI TOBIÆ MAJO. S. D.

Thomas Reineſius.

Jenam.

AMice magne, collocutor ſuaviſſime. Intér familiares perſonas & ſancta charitatis nomina obſervari debere didici, ut in literis diſcurrentibus magis emendatio ſonet, quam reprehenſio; quantum ad mittentes, & quantum ad accipientes magis ſpectetur τὸ σύμφερον, quam ὁ καλλωπισμός; Illud ut tibi præſtem, Ego in hiſce, quas tuis *de filiatione Chriſti*, *ut hominis*, theſibus, de quibus judicium me rogabas, reponere placuit, curabo ſedulo, caute, candide: ſic ut tu mihi videris; iniquus autem ſim, ſi moribus tuis aliqua perſpectis indubitem, & aliud abs te quam benignam ampliſſimæ voluntatis erga te meæ, & candidæ nihilominus, (etſi videri poſſit nonnulli exerceri ſeverius) cenſuræ interpretationem expectem; e qualicunque diſſenſiuncula naſci inter nos ἀψιμισιαν, μη γένοιτο! Argumentum de adoptivi appellatione in Chriſto Dei Filio deſumptum a paganis introductum, ab Ario hæreſiarche fotum, adſertumque a Neſtorio, diſputatum a tenebrionibus Scholaſticis, alienum a revelato & ſcripto Dei verbo, inter quæſtiones querulas & inutiles, ne dicam improbas, ingeniorum luxuriantium adinventiones numerem, & ad ejuſmodi remittam: τὴν πολλὴν φλυαρίαν καὶ τὰς βεβήλους καινοφωνίας τῶν λόγων τοῖς σχολὴν ἄγουσιν ἀποπέμπεσθαι δέον, inquit Greg. Naz. orat. 26. Edit Paris. Græco-Lat. additque generatim ſalubre præceptum hoc, τὰς μὲν περίττας καὶ ἀχρήστους φιλοτιμίας χαίρειν ἐάσατε, itemque alterum ſpeciale de incarnationis & filiationis imperveſtigabili, inadibili nobis & ineffabili myſterio. Μὴ περιεργάζου Πατρὸς φύσιν, Υἱοῦ μονογενοῦς οὐσίωσιν, quæ ipſa etiam τὴν υἵωσιν includit, & paulo poſt μηδὲ τὴν πρώτην χριστοῦ πολυπραγμονεῖν φύσιν, μηδὲ τὴν τελευταίαν οἰκονομίαν. Eſt ſcilicet omni homini melius laudare bonitatem Dei, quam diſcutere potentiam ejus: humiliter obedire præceptis ejus, quam pertinaciter ſcrutari myſteria ejus, & amabiliter venerari illum, quam præſumtuoſe ratiocinari de illo: Alcuinus l. 6. contra Felicem Urgelit: & humana ratione divinæ bonitatis ſacramentum ſcrutari. *Non enim* ait idem lib. 3. *humana poſſibilitate omnipotentiam metiri debes:* ipſe, qui lex eſt naturarum, nulla lege alterius naturæ ſubjacet, nec infirmis humanæ conjecturæ ratiunculis, qui incomprehenſibilis eſt, cognoſci poterit. Qua propter unigeniti Dei nativitatem, vel divinam, vel etiam humanam, deſine ad noſtram mortalitatis poſſibilitatem (qua nimirum homo unus duorum patrum filius naturaliter eſſe nequit) redigere; neque ei, qui extra conceptum humanæ originis natus eſt, humanis definitiunculis præjudicare tentes, quomodo naſci potuiſſet, vel quomodo eſſet proprius filius Dei, dum natus eſſet. Si Deo omnia poſſibilia cognoſcas, & hoc ei poſſibile eſſe ſcito, ut proprium (non adoptivum) filium ex virgine creatum habere valuiſſet, neque enim hac

ſola

ſola nativitate Chriſti defectiva eſt potentia illius, qui omnipotens eſt, ut non poſſet illum hominem, qui ex virgine præter rerum ſeriem natus eſt, ſibi proprium vel naturalem filium contra legem naturæ, per quam nativitas parenti ὁμούσιος eſſe ſolet, creare, & ut, qui ſine peccato e peccatoribus naſceretur, ſingulariter ſine adoptione Dei eſſet filius, facere: Greg. XVII. Mor. Certe, quia unitas perſonæ dualitatem filiationis reſpectu patris in Chriſto reſpuit, unum in eo nomen filii erit; & adoptio locum non invenit, ubi præceſſit proprietas; cum veritas naturæ excludat phantaſiam indultæ adoptionis. In utraque generatione Filii Dei eſt proprietas, non adoptio Alc. l. I. contra Fel. & quem pater proprium genuit ab æterno, eundem proprium quoque ſibi in tempore voluit habere e matre virgine, non minuto vel mutato, quod erat, id eſt proprietate, quam habuit in filii nomine, ſed quod non erat adſumto in perſonam & ſubſtantiam unius filii. Unde quicquid de arrogatione, de adoptione, de emancipatione, de manumiſſione, deſcribitur e principio ſecularis ſapientiæ & profanarum litibus gentium, & huic negotio in gladiatoria iſta Theologia infertur, impertinens plane eſt, & ipſo genere extraneum; Cum Chriſtum hominem e ſervo manumiſſo adoptari potuiſſe; non autem ut ſervum naturaliter filiari, cum termini iſti ſe mutuo tollant, dicitis, Th. XI. p. 3. *cæleſte myſterium conjecturis carnalis diſputationis hebetatis, vos ipſos terrena argumentatione confunditis*, ut, quæ volo, Auguſtini potius ſerm. XI. de temp. verbis eloquar. Tollunt ſe mutuo iſti termini in ſcholis Philoſophorum: horum autem legibus & acumini pravo generationem Filii a Patre ſempiterno & temporaliter a matre utramque μυστηριώδη, & hinc ortam filietatis rationem ſubjicies, & pronunciabis e naturæ regulis de ſupernaturali? *Nulla de Deo rectius conſuluntur, quam divina*, inquit Caſianus: & ad *æſtimandam Dei omnipotentiam earum rerum exemplo uti non licet, quæ ipſæ utique non eſſent, niſi id ipſum ex Deo eſſent, quod ſunt*: l. 7. de Incarn. Ch. c. 2. Servus quem e Philoſopho deſcribunt, origine, natura & neceſſitate talis eſt: Chriſto termini ignobiles, ſervitii conditionalis nomen, ſine impietate non poſſunt tribui, qui voluntaria obedientia implendæ voluntatis paternæ in ſalute humana, non pœna conditionis ſervus vel dici, vel eſſe voluit; eſtque nomen ſervus in ipſo, non ob naturæ proprietatem vel ἀλήθειαν, ut loquitur, Eulog. apud Phot. c. 280, ſed a Prophetis de eo prædicatum, ob rerum ab illo gerendarum ſignificationem: Alc. l. 5. c. Fel. & ep. ad Elipandum: κατ᾽ ἀναφορὰν: quo loquendi genere etiam κατάρα dicitur ad Gal. 3. 13. & ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ποιηθεὶς 2. ad Cor. 5. 21. Et ſi alio modo filius Dei eſt, quam quo fideles; ſi alio modo ſervus, quam quo ſervi apud gentes, quod σοφὸν veſtrum φάρμακον, & πελιδεῖνον eſt, quid ad filiationem ejus intelligendam, & ſervitutem ejus cognoſcendam morem humanæ conditionis, quæ multis modis inferior eſt, & ſphæram humanæ filiationis & ſervitutis non exit, adhibetis? Eſt videlicet hæc adplicatio ſtercus in laterna, & non illuſtrat id, cui illuſtrando profertur. *Adoptivum* ignorant ſcripturæ, non eo modo, quo τὸ ὁμούσιον,

quæ formula etſi ἄγραφος ſit, nihil tamen ponit, quod ſecundum rem ipſam & dogmatis ſubſtantiam in ſcripturis non continetur: quod de *Adoptivo* nemo dum probavit: Confinxit, vel a ſecularibus literis arreptum Eccleſiam introduxit Arius, teſte Athan. in Ep. ad Epictetum: Hilar. l. 12. contra Ar. Paulino l. 1. contra Fel. & Alc. l. 3. adverſus Elipand. An non ergo malis damnare autoris damnati figmentum, quam exploſum ſemel a veteribus in Eccleſiæ proſcenium reproducere, & tot diſtinctiuncularum τεχνυδρίοις πεϑρείαις & lenociniis noxium gramen medicaminis vocabulo & tolerabilitatis præcolorare. Fuerint ſcholaſtici Doctores magni & ingenioſi homines; atqui religionis puritatem ſimplicitatemque ingeniis ſuis, quæ ſpinoſa potius habuere & nugacia, quam elegantia & gravia, eos contaminaſſe palam eſt. Et bene igitur de Eccleſia mereri, qui curioſas & otioſas ab iis agitatas quæſtiones abrumpunt, ſopiunt, ſepeliunt, ante biennium fortaſſe pœnitens male collocatæ operæ, ſcribebat ille, cui ante triennium quæſtionem de filiatione Chriſti adoptiva in palæſtra academica diſcutere libuerat: quid hodie ſentiat, & an inter otioſas eam non habeat, ſcire velim. Certe Jeſuitæ Moguntini hanc ejus διχονοίαν & factum verbis contrarium, ſugillare non omiſere. Si quid video, propoſuerat ſibi Pontificis Romani præſumtam infallibilitatem, & Synodicorum decretorum auctoritatem valoremque ſubruere eo, ſi Pontificis & Patrum Synodi Francofurtenſis in hæreſi Feliciana damnanda erraſſe probaviſſet: id quod magno conatu facit Felicianos a Neſtorianiſmo abſolvens, quod & quoſdam e Jeſuitis & Dominicanis facere docetis §. 1. th. xxix. Sed quod pace veſtrum omnium dicere mihi liceat, verum vidit Dav. Blondellus, cui vos propterea immerito præcipitantiam objicitis. §. 2. th. xviii, nimirum eos aperte Neſtoriaſſe, & ſententiam Neſtorianam & viva voce & ſcriptis editis propugnaſſe. Non producam nunc imputationes Paulini Aquil. & Alcuini, in quorum libris eæ legi poſſunt creberrimæ de Pelagio & Neſtorio præceſſoribus Felicis, de Felice ſequipeda Neſtorii: & quod Neſtorius in numero perſonarum, hoc Felicem in numero Filiorum, & ſimilia, quia adverſariorum de ſuis adverſariis teſtimonia ſuſpecta ſunt; Sententia Felicis ipſis ejus verbis concepta e libello (ſcripſerat autem etiam ante Epiſtolas ad diverſos de re eadem, quarum meminit Alcuinus in ep. ad Elipandum) cui ſeptem libris reſpondit Alcuinus, audiatur. Apud Alcuinum libro 5. contra Fel. qui eſt in parte 2. Operum Alcuini edit. Paris Ao. 1617. f. 854. de verbis Petri Act. 10. 30. *Deus erat cum illo*, ita commentatur Felix: *Non dicit, Deus erat ipſe, ſed Deus erat cum illo: nam ſi ſecundum veram profeſſionem Deus verus eſſet homo ille ſuſceptus a verbo, nequaquam tantus Apoſtolus auderet dicere, Deus erat cum illo, ſed potius Deus erat ipſe.* ibid. de verbis Apoſtol. 2. ad Cor. 5. 19. *Quoniam Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Non ait Deus erat Chriſtus; ſed Deus erat in Chriſto; non quod Chriſtus homo videlicet adſumptus Deus non ſit: ſed quia non natura; ſed gratia atque nuncupatione ſit Deus.* lib. 2. f. 805: *Hominis eſſe tantum filium, qui ex virgine*

gine natus eſt, & non Dei, niſi per adoptionem: quam Felicianorum profeſſionem de vero Deo juxta divinam naturam, & nuncupativo juxta humanam; de vero proprio & naturali Filio Dei juxta illam, & adoptivo juxta hanc repetit Alcuinus ſæpiſſime. Omnium autem expreſſiſſime, l. 4. adv. Elip. f. 982. Paulinus Aquil. l. 1. contra Fel. in operum Alcuin. parte 3. f. 1777. hæc ejus verba recitat, uti & Alc. l. 4. f. 844. *Si autem, uti vos vultis, homo adſumtus a Filio Dei, mox a conceptione virginalis uteri verus conceptus eſt Deus, & verus natus eſt Deus: quomodo ipſe filius prophetice de ſemet ipſe ait; Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero ſervum ſibi. Eſ.* 49. 5. & rurſum, *qua auctoritate homo Dominicus ex utero matris verus Deus conceptus, & verus Deus natus a vobis prædicatur, cum ſit natura verus homo & per omnia ſubditus Deo?* & apud Alc. l. 6. f. 886. *Qui verus Deus eſt, fieri numquid poteſt, ut conditione ſervus Dei ſit, ſicut Chriſtus, qui non tantum propter obedientiam; ſed etiam per naturam ſervus patris & filius ancillæ edocetur?* imo vel e phraſi *dominicus*, & altera *humanatus Deus*, quatenus duo in Chriſto ſuppoſita facit, judicare liceat, quam nihil abſint a Neſtorianiſmo; eas autem lubenter uſurpat Elipandus in Ep. ad Alcuinum, & fatetur aperte, ſe credere Dei Filium ante ſecula a Patre genitum, adoptione non eſſe, ſed genere: a virgine autem natum in tempore non gratia, ſed natura Deum eſſe negaſſe. Omnem autem impietatem ſuperat, quod docuit Chriſtum veterem hominem ſecunda indiguiſſe generatione, quaſi originaliter filium iræ, eoque in baptiſmo adoptatum a Patre in Filium eſſe, ſicut & nos: Alc. l. 2. contra Fel. L. 1. adv. Elipandum. Paulinus Aquil. l. 1. f. 1809. & f. 1777. quaſi purum communemque hominem, cui filii prærogativa gratis conferatur, cuique per lavacrum regenerationis ab eodem filio Dei detur poteſtas, ut & adoptivus ſit Dei filius gratuito munere, & nuncupativus Deus, divina ubique præveniente gratia efficiatur: qui & propterea pro ſe legatur oraſſe, ſicut & pro nobis: Alc. l. 7. Paul. l. 1. f. 1794. l. 2. f. 1822. cum tamen orarit pro hominibus, quaſi verus homo, ſed poteſtatis inſignis, non neceſſitatis dehoneſtate, & proximus paſſioni ſuſcepto in ſe infirmitatis adfectu turbarit ſemet ipſum, & divini favoris ſenſu ad tempus caruerit, pietatis voluntaria dignatione, vel poteſtate, non timoris dedecore. Quæ cum ita ſint, facere non poſſum, quin adfirmem, Jeſuitas & Dominicanos, quos nominatis, libros Paulini & Alcuini non legiſſe cum cura, qua debebant; & male igitur de hæreſi Feliciana judicaſſe ex Epp. Adriani, & Patrum Synod. Francof. & Paulini l. ſacroſyllabo tantum; peſſime vero meritos eos de Pontifice Rom, quem clave errante hic uſum eſſe inſinuant, conſtat e Sociorum contradictionibus, quas tangitis th. 2. §. 2. & 3. th. 19. §. 2. Imperfectum eſt quicquid Annalium conditor ejus Baronius ad t. 3. Concil. & alii de hæreſi Feliciana congeſſere de initiis & progreſſu ejus, totoque adeo negotio. Multo plura & certiora haurientur ex Epiſtola exhortatoria Alcuini ad Elipandum, hujus ad Alcuinum reſponſoria; tum e libris 4. Alcuini adverſus

Elipandum: ex Epiſtola Elipandi ad Felicem Romæ conſiſtentem: & e Confeſſione fidei edita a Felice Aquisgrani, poſtquam in Synodo Romana coram Leone Pontifice, ibi præſentibus LVII Epiſcopis cauſa ejus ventilata, & reprobata fuiſſet: qua profitetur ſe toto corde, non qualibet ſimulatione, ſeu velamine falſitatis, ſicut dudum, reverti ad Eccleſiam; unde error Adonis Vienn: & qui eum ſequitur Marianæ l. 7. Rer. Hiſp. c. 8. Felicem Patrum ſententia relegatum Lugdunum, ibique nunquam errore depoſito extremum vitæ diem obiiſſe, arguitur. Iſta ſcripta Alcuinus uno faſciculo comprehenſa, ne forte ſparſa amitterentur, Epiſcopis aliquot in Galliarum partibus tranſmiſit, & parte ſecunda operum Alcuini e cod. Mſſ. S. Mariæ Remenſis edidit Andreas Quercetanus Turon. Lutetiæ apud Sebaſt. Cramoiſum. Ao. 1617. quæ ſi legere non tædeat, utenda dabo. Mihi certe plurimum profuere in geſtis illorum temporum digerendis, in quo negotio defecit Baronius, quippe qui iſtis inſtrumentis caruit: quod oſtendo in ſupplemento Exercit. Caſaub. ad Ann. Eccleſ. Cardinalis: Nimirum Felix Urgellitanus in Vergetibus Epiſcopus, poſtquam Ao. 792. in Synodo Ratisbonenſi, cui & Paulinus Aquilejenſis Patriarcha, teſte ipſo lib. 1. interfuerat, convictus ſuam de *Adoptivo* opinionem, ſacramento interpoſito & tactis ſacroſanctis Euangeliis, abjeciſſet, Romamque ab Angelberto Abbate S. Richarii in Cartulo, Caroli M. genero deductus, eidem coram Adriano P. M. renunciaſſet, Alc. l. 1. adverſ. Elip. Adhelmus Rhegino, ann. Fuld. ſub ann. 792. & Indices rerum ab Arragon. Reg. geſt. lib. 1. ad ſuos reverſus, inſtigante Elipando Eccleſiæ Toletanæ Archiepiſcopo, eandem iterum profiteri cœpit, plures ad diverſos ea de re mittens epiſtolas, & cum ab Alcuino, nuper a Carolo M. ex Anglia in Franciam vocato, recepiſſet exhortatoriam ad fidem, ei peculiari libello prolixe reſpondit, & ſua quantum potuit propugnavit. Hanc ejus perfidiam Paulinus Aquil. & Alcuinus inſectati ſunt, & libellum ejus, ille quidem tribus, hic vero ſeptem libris oppoſitis refutarunt. Iſtis Catholicorum ſcriptis perſuaſus & acquieſcens Felix, & deciſioni Patrum in Synodo Rom. ſub Leone Pont. congregata ſuper ejus epiſtola, quam ad Alcuinum Abbas S. Martini Turonenſis, Carolus autem Romam direxerat, factæ, venit ad Aquisgranenſe Palatium, auditis coram Rege Optimatibus & Sacerdotibus, poſt multam cum Adriano diſputationem, ſententia altera vice ceſſit, & veram confeſſus fidem in pacem Catholicæ unanimitatis reverſus eſt cum ſuis diſcipulis, qui ibi tum præſentes erant. Ita Paulin l. 1. contra Felic. Alcuinus lib. 1. & 2. adv. Elip. Autor vitæ B Alcuini, dictante Sigulfo Alcuini diſcipulo & familiari intimo, ſcriptæ, repertus a Jacobo Sirmondo §. 1. & poſt hunc editus ab And. Quercetano, faciente imprimis Alcuino, qui de converſo ſua potiſſimum opera Felice gloriatur, ejuſque exemplum Elipando objicit f. 933. 935. 939. ipſaque præterea ejus Confeſſionis formula, aliis hac de re ſcriptis ſuis ad quoſdam Galliarum Epiſcopos elaboratis, annexa. Venerat autem Felix Aquisgranum vocatus a Carolo, ſub cujus ditione tum erant

erepta Saracenis ulteriora montis Pyrenæi, cui inſidet Orgellum, deductus a Laidrado Ep. Lugdunenſi ad conventum Epiſcoporum, anno, ut ait Alc. Caroli trigeſimo ſecundo, qui cum anno Chr. DCCXCVIII. concurrit: quo eodem anno Carolum Hepidannus S. Galli Monachus in Annal: item Annalium a Pithæo editorum Scriptor, & Othelgrimus in vita S. Ludgeri l. I. c. 34. Alcuinum Aquisgrani fuiſſe conſignavit. Quod de tempore Synodi Aquisgrani & converſi Felicis dixi, firmatur etiam inde, quod Alcuinus tum Turonenſem S. Martini Abbatiam regeret, ut eſt in confeſſione Felicis, & quod Turonis a Carolo accerſeretur, ut habet anonymus vitæ B. Alcuini ſcriptor. Eam vero Alcuinus, non primis, cum in Franciam circa annum Chr. DCCXCIII. veniſſet, annis, ſed poſtquam aliquamdiu in aula Caroli ejuſque ſervitio vixiſſet, & in patriam dimiſſus, commeatu a Rege Merciorum Offa & Canbaldo Archiep. Eboracenſi impetrato, rediiſſet, beneficio Caroli adminiſtraverit, eidemque ſenex ann. DCCCIV. fuerit immortuus. Hoc ordine his temporibus illa inter Catholicos & Felicem geſta proceſſerunt. Elipando *Adoptivi* per Hiſpanias ab a. 783. prædicatori, Felici conſentaneo, Beatus Abbas & presbyter & Etherius Epiſcopus Uxamenſis ſcriptis libellis contradixerunt; horum opus ſpiſſum vaſtumque & non inelegans vere potuit laudare Mariana: Vidit enim libris duobus charactere Gothico exaratum in archivo Eccleſiæ Toletanæ Ambroſius Morales, teſte Baronio ad a. 783. extr. ut quod P. Stevartius Ingolſtadii edidit opuſculum eorum parum Latinum, ut aitis th. XXXIII. §. 3. aliud eorundem eſſe intelligere poſſis. Marianam nihil finxiſſe inde colliges, quod in Cœnobio S. Iſidori adſervari hodieque lucubrationes contra Felicis errores, auctore Beato Monacho in - - - - qui idem ille Presbyter eſt, adnotarit Poſſevinus. Iſtum Beatum, qui & legatus a Catholicis ex Hiſpania fuerat ad Synodum Francofurtenſem, Elipandum adpellat Pſeudoprophetam fætidiſſimum inbeatum, epiſt. ad Felicem, uti Alcuinum novum, Arrium in Finibus Auſtriæ exortum, hereticum piceum & nigredine teterrimum, captato e nominibus ludicro. Adverſus iſtum Elipandum veterem hæreſeos Felicianæ in Hiſpania adſertorem & primipilum ſtetiſſe Synodum Francofurtenſem ann. Chr. 794. ſedente Adriano, teſtantur Adhelmus Rhegino, Schafnaburgenſis, Hermannus, Marianus, Scotus, Urſpergenſis, Annales a Pithæo editi, Author vitæ Caroli M. I. Monachus Egeliſmenſis & Rolevincus Cartuſianus. At Paulinus Aquil. epiſtolam Elipandi ad Carolum ſcriptam in Synodo excuſſam fuiſſe dicit, & quidem Pontifice Adriano: locum non exprimit: Alcuinus quoque in ep. ad Fratres Lugdun. Ao. LXIX. erroris ſectæ Hiſpanicæ de adoptione, & de eo ex authoritate Synodali reſponſi meminit, Francofurti nuſquam. Uti nec Elipandus neque Felix, nec Auctor vitæ B. Alcuini, quod ſane mirum eſt, & rem niſi tot teſtibus ἀπὸ μίας firmata eſſet, redderet ſuſpectam. Quam enim difficile creditu Alcuino, familiari tum temporis Carolo, non innotuiſſe celeberrimam Synodum, ſi fuit? Iſti Synodo non interfuiſſe Alcuinum dixerim, tam quod nec ejus neque ſententiæ in

Elipandum latæ, quam tamen eidem objicere & commode poterat & debebat, uſpiam meminerit: quam quod Carolus in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſententias Doctorum de libello Elipandi enarret, expreſſe etiam nominatis Petro Mediolanenſi & Paulino Aquilejenſi inter Epiſcopos Germaniæ, Galliæ & Britanniæ, viroſque alios venerabiles, hunc Alcuinum ſuum delicioſum nominare omiſit. Fortaſſis tempore celebrati Concilii fuit in patria, quo remeandi licentiam a Rege eum petiiſſe, & confecto, quod voluerat, in Franciam rediiſſe lego in vita ejus. Hoc autem certo tenemus, Elipando, dum Francofurti damnaretur, iterum Felicem adhæſiſſe: ambobus autem Paulinus, in lib. ſacroſ. anathema denunciat & cum Adrianus P. M. in ſua epiſtola ſolum Elipandum. *. *. *.

Cætera deſunt in Autographo.

EPISTOLA CCLII.

JOHANNI TOBIÆ MAJO. S. D.

Thomas Reineſius.

Jenam.

DE mente Felicianorum circa adoptivam Chriſti hominis filietatem putabam me tibi perſuaſiſſe, quod authenticis ad eam rem tabulis uterer nitererque. Tu autem eas ſuſpectæ fidei eſſe non minus, quam ipſa Concilii Francofurtenſis acta timide quidem, & cum quadam ἐποχῇ adſeris. Nollem te eo proruere, non enim elabi poteris hoc poſtico. Si quid judicare valeo, ſcripta iſta ἀμοιβαῖα Felicis, Elipandi, Paulini & Alcuini a Quercetano digeſta, ſunt ἀπαραποίητα, ἀνόθευτα & plane eorum, quorum eſſe dicuntur; audiam autem te ἐν ἤθει ſi quid contra poſſis; ſcio quod Ἀνθολκὴ & adfectus hominis patrare ſolet in hoc genere; raro exprimit ſenſa adverſarii vera, ſed ut cauſæ inſerviant διάστροφα, παράχροα, εὐπρόσχημα: in negotio vero noſtro nihil tale deſignarunt vel Paulinus vel Alcuinus (Adrianum non excuſo ſimiliter) quod ex ipſis Felicis verbis, quæ ex ejus libello excerpſerunt integra & prolixis interdum periodis, liquido oſtendi. Quia autem præſertim ea, quæ de regeneratione & adoptione Filii per baptiſmum docuerunt Feliciani, eos docuiſſe nondum credis, in rem ipſam te mitto & codicem utendum affero: e quo ſi voles intelliges, non tantum Alcuinum; ſed & Paulinum, quem id tacuiſſe dicebas, eadem in ipſis reprehendere, ἰδίαις ipſorum λέξεσι productis. Ego audacter provocaveram ad ſcripta, quæ triviſſem, & in manibus eſſent. Tu majori fere confidentia negas, quia non vidiſſes ſcilicet, quod illiberale eſt. Nolui nunc quicquam præterea reſpondere, quod ſuffectura viderentur, quæ ex ipſis Scriptoribus cognoſcere poſſes, quo facto, ſi quid inſuper dubii te coxerit, promere & objicere mihi integrum eſt. Voculam ἐγκάθετον non rejeci ideo, quod Græca non eſſet: ſed quod eam ab auctoribus opponi veteri ἐνδιάθηκος ſcripſiſſes, eos mihi ut nominares poſtulavi; quod fortaſſe necdum potes. Stat interim eſſe vocabulum a Grammaticis exautoratum, & propter-

ea

ea vitandum, tanquam ſcopulum. Idem de *Telamone* ſentio. Vitruvius enim ab Architectis Romanis, & maximam partem idiotis, ſic appellari ſuſtentaculum & ὑποσώθμον quamvis inſinuat. Eum ſecutus eſt Servius ad 1. Æneid. *Atlas Latine Telamon dicitur*, inquiens: at a quibus Latinis Magiſter? Ipſa Vitruvii dubitatio ſeu ignoratio, *quid ita, aut quare ſui adpellant* e medio & vulgi fæce petitum eſſe innuit. Eſt autem, quod Vitruvium docere poſſum, e Græcis deſumpta; hi magna onera ſuſtinentes τλήμονας vocant, tanquam labore & patientia ſua miſeros, ἀπὸ τοῦ τλῆν, quam vulgus architectorum & χειρωνάκτων corrupit in *Telamonas*; ſed quam Latini ſcriptores in cenſum vere Latinarum nondum retulerunt. Quid Græcis τελαμών habes apud Pollucem & Hezychium, id recipitur recte; latinorum, quem Vitruvius introduxit ἰδιωτικὸν eſt, & ſeponitur merito a copia vere Latinorum. Facies, niſi glandibus veſci malis, cum fruges ſuppetunt. Bene vale & ſalve, cum venerando Parente, anime mi. Alcmb. 5. Septemb. a. 1646. Dn. M. Sagittario per te, niſi grave eſt, gratulor de obtenta ſparta, ſimulque ἱερσὸν quantum poſſum, precor.

EPISTOLA CCLIII.

JOANNI KIRCHMANNO. S. D.

Gerardus Joannes Voſſius.

Lubecam.

SIve aliquid in me eſt, quod impellere te potuerit ad me amandum; ſane gaudeo: ſive non eſt, tamen errore hoc tuo lubens fruar. Equidem feci te ſemper plurimi ob excellentem interiorum litterarum doctrinam, atque hoc ſatis per ſe erat ad nos conciliandos. Quanto nunc magis id fieri a me æquum eſt, cum literis tuis benevolentiam teſtatus ſis prior? Quod vero hactenus iis non reſponderim: infortunii potius eſt, quam voluntatis. Gravis enim & diuturnus Uxoris morbus impedit: qui me publico quidem muneri vacare me ſemper ſivit. Juſtiſſimum alioqui fuerat, ut negotiis omnibus reſpondendi cura præverteret, & ſi non aliter, ſaltem ſcriptiuncula tralatitia adfectum viciſſim teſtarer meum. Quid enim inter eruditos, quos humanitas imprimis decet, turpius fuerit, quam ſi ne epiſtolari quidem officio mutuum præſtare honorem ſciant: aut ſi amorem & deferenti & merenti, non eundem pari referant menſura aut majori. Atque eo id magis nunc exigebatur, quia dono etiam obſtringere me tibi voluiſti: monumento nempe ingenii tui, docto ſane & laborioſo. Quod quanto ego accuratius lego; tanto magis jucunda ejus, nec fructuoſa minus lectione oblector. Pluraque de præclaro & immortali hoc opere adderem, ſed quia me meaque literis ipſe extollis tuis: alibi ſane (nam doctiſſimi cujuſque ſcriptis celebrari mereris) commodius id fiet, quam hoc loco: ne videar epiſtolam tuam imitari, mutuoque potius gratificari, quam pro meritis efferre virtutes tuas. Propediem prælo ſubjiciam noſtros de Lingua Latina commentarios: qui partim cenſuram τῶν τεχνογράφων continent: partim origines exponunt. Viciſſim ſcire deſidero, ecquid literarum ſub manibus

bus habeas, quod volitare geſtiat per manus & ora doctorum. Opto equidem, eo impenſius, quia poſt exceſſum Scaligeri, Caſauboni, Lipſii, Gruteri, & quorundam aliorum, paucos adeo reperias, quibus φιλολογία multum debeat. Superſunt Salmaſius, Meurſius, Scriverius (quamquam hic jam ceſſare quodammodo videtur) & duo, treſve alii; ſummum vix totidem, quot *Thebani portæ, vel divitis oſtia Nili*. Tanto magis ſignifica, quid agas, quid muſineris. Nec enim abdicaſſe te ſcribendi ſtudium crediderim. Quod ut eſſet, tamen ſcribe. Nihil enim affatu tuo mihi jucundius futurum. Quod ſi ſæpiuſcule dare ad nos literas non recuſes: minime patiar, ut eo in officio libra præponderet tua. Neque tamen ut crebro me compelles rogo: quia ſcio, modo ego non deero, ſponte etiam te mutua amicitiæ præſtiturum. Vides, quæ mihi de humanitate tua pollicear. Winterfeldium, quem mihi commendaſti, & quoſcunque deinceps commendatione dignos putabis, eos mihi commendatiſſimos fore ſcias. Neque enim committam, ut quicquam in me deſiderent, modo conſilium vel operam noſtram expoſcere non graventur. Hoc tibi certo perſuadeas velim. Non enim exiſtimationem tuam fallam. Hæc habui, quæ ſcriberem. Vale Vir Clariſſime & nos porro ama. Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXVIII. Poſtr. Id. Mart.

EPISTOLA CCLIV.

JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

SI Famæ tuæ ampliſſima celebritas, & ſcriptorum aureorum, quibus hanc debes, illa autem ingenio inexhauſto & edecumato judicio tuo, biga, Joannes Kirchmanne vir clariſſime, nondum tibi ſunt faſtidio, nec dividiæ erunt hæ litteræ, quas iſtis ad cultum tui jamdudum devotiſſimum adactus animus dictavit. Etſi enim magnam fronti vim facere ſum coactus, cujus teneritudo ſuſtinere nolebat alloquium opicum ſane & inelegans Viri omnium elegantiarum pleni, tamen & mentem dedit inveteratus ille mos in Humanitatis ſtudioſis, ut apud vos Epoptas veluti, nomina ſua profiterentur, qui in Myſtarum eſſe cupiebant cenſu, & confirmavit audaciam, de comitate tua opinio, quam experiri mihi non ſpero nequiter quid expetat. Accipe igitur inter nominis tui cultores me quoque, Vir magne, quem diu habuiſti quidem, & ab eo tempore quo primus litterarum guſtus ſalivam mihi movit. Noviſti autem nondum: at impetra ab animo tuo, ut inviſum etiam ames, qui inviſum te venerari voluit. Nec aſymbolus ad te veniam, aut alienus ab iis ſacris, quibus tu jam pridem literato orbi te commendaſti, quod ut videas, age demitte te ad cenſuram pauculorum, quæ aliud nonnunquam agentibus excidunt, & magno acervo conſtipata, quod privatum a ſummis olim viris C Barthio, Virdungo, Pareis, Goldaſto, Grotio, Lindenbrogio meruerunt, publice accupari judicium non verebuntur. Excerpam, quæ non longe abeunt a Funeralibus tuis. Ovid. Lib. I. de Pont. Eleg. X. *Ille*

Ille tibi exequias & magni funus honoris
Fecit, & in gelidos fudit amoma ſinus.

Ita vulgo; alii *vertit aroma.* MSS. Prekhenneri Bib. *vertit amoma.* lego. *Fecit & ingelidos vergit amoma ſi nus*, cujus ſane *fudit* gloſſa eſt. Notum eſt - - - - *in vergit vina ſacerdos*; idque verbum active apud Lucanum, Senecam Tragicum invenis. Benedictus Paulinus de vita Martini lib. IV.

Ut via conſtratis ſolidata atque edita ſaxis
Vergeret effuſos in contava ſubdita nimbos.

Hinc orta vox *Verſer*, quæ hodieque Gallis eſt profundere, infundere. Statius lib. V. Silvar. carm. ultimo, quod Epicedium eſt:

quæ culpa, quis error?
Quem luimus tantis mæroribus, ecce lacertis
Viſcera noſtra tenens, animaque avellitur infans.

C. Barthius noſter legit pro *lacertis*, *laceſſis* lib. XIII. Adverſ. c. X. malim ego - - - - - - *ecce lacertis*
Viſcera noſtra tenens, animamque avellitur infans.

Tyrannorum impotentium eſt lacertis parentum liberos avellere, *natoſque a ſtirpe recentes Abripere altricum gremiis* ut Statius loquitur, & ſub intuitu eorundem trucidare. Tam crudeliter ergo mortem ſævire dicit Statius, quæ, quem ut viſcera ſua habebant, quique ipſorum viſcerum & animæ partem habebant, complexu parentum avulſit, ſic hoc libro:

Sed te, ceu virginitate jugatum
Viſceribus totis animoque amplexa fovebat.

Hieronymus epiſt. ad Marcum præſbyterum Celedrenſem: *jam jam cedo, abruperunt partem a me anima mea cariſſimos fratres.* Martialis lib. II. Epigr. LXXXI.

Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit
Dum tamen hæc tua ſit, Zoile, ſandapila.

Sic placuit Scriverio. MSS. Puckheimeri; proximus bonitate poſt Gruteri Palatinum, cujus & recenſitorem Torquatum Gennadium præ ſe ferebat. *Cum tamen.* Itaque exſtat in editione Bulierii Lugduni Ao. 1565. excuſa. Et Hadrianus Junius in vetere ſuo invenit. *Sandapila eſt.* Nec ſecus Gruterus in ſuo, imo & in ſuis inventum rejecit tamen Scriverius, & ingenue fatetur, adeo obtuſo ſe eſſe ingenio, ut argutiam hanc capere non poſſit. Annon dignum hoc mirari? ſenſus planiſſimus in illo:

Cum tamen hæc tua ſit, Zoile, ſandapila eſt

Quamvis iſta laxiſſima & non decente ſordes ac fœditatem tuam lectica feraris, non tamen ab hominibus lectica ea eſſe judicatur; ſed vilis ſandapila, quia tua eſt, id eſt tu, homo ſpurciſſimus, imo vivum cadaver ea geſtaris. Geminus germanus locus lib. VI. Epigr. LXXVII.

Invidioſa tibi quam ſit lectica, requiris,
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Nolo plura addere, memineris ad Alcioum mittere me poma, & ex paupere tugurio ad faviſſas comportare carbones forte pro theſauro. Potuiſſem autem unius horum ſcriptorum aliquot tentare loca; ſed quia doctiſſimo illo libro tuo non inconvenientia volebam, ita Miſcellas emendationis ſub incudem acuminis tui revocavi: Quibuſcum tibi quid velis agere, ſive preſſo ſive inverſo pollice licet. Quicquid autem velis, ut me amare & ſuaviſſimis litteris tuis non indignum prima occaſione æſtimare, (quævis autem mora mihi hic tarda) non nolis, per omnia ſacra te oro & obteſtor. Salve & vale præcipuum noſtri ævi decus & fautoribus meis non invitus adjungere. Hamburgi IX. Kal. Septembr. A. CIↃIↃCXXXIII.

EPISTOLA CCLV.

JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

NEſcio, vir Clariſſime utrum ego minus conſuluerim pudori meo, cum inficetis litteris auſus fui ſanctis occupationibus tuis moram facere, an vero tu humanitati, qui ad amicitiam a tam devoto nominis tui cultore, qui hujus cauſa pudorem ſuum inſuper habuit, invitatus, faſtum me jubes pati, & tuarum deſiderio torques. Saltem objeceris mihi per tuas: *Odi profanum vulgus & arceo:* & magnis me excidiſſe putarem auſis, nec inter ſpei metuſque divortia animus nec diffidentia nec exſpectatione vacuus diſtraheretur. Nunquam adeo a litteris, quæ plurimum tibi debent, alienatum me ſenties, ut vel male a te habitus famam & merita tua, parvi ducere præſumam, non ſecus ac magnæ impotentiæ vel impietatis potius indicium eſt, Diis etiam ſævientibus & iratis iraſci, quamvis ſine viribus ira. Itaque vide an patientia mea mereatur diutius a te tentari, ſitve dignius una opera te ſalvare & pudorem meum & tuam humanitatem, cujus æſtimium magis me fecit audacem, quam illa ſeculo nota Eruditis. De meo ſive in litteras, ſive in te affectu ſcio, dubitare te non pateretur ſcriptionis noſtræ ſimplicitas, quæ ſine fuco & fallaciis ſic agit, ut bonos inter agier oportet; ſi tamen prudente nimis es diffidentia, de utroque teſtabuntur tibi abunde amici utriuſque noſtrum H. Vagetius & Fr. Lindebrogius. A quibus, ut a me, ſalve officioſiſſime & publico bono vale. Reſponſionem tuam poſtridie craſtini certo exſpecto, deſtinatam in æde M. Joach. Damckeri *auff St Niclas Kirchhoff:* nec ultra octiduum hic morabor, Lares paternos, qui ſunt Bremæ ad Viſurgim, repetiturus Prid. Kal. Septembr. An. CIↃIↃCXXXIII. Hamburgi.

EPI-

EPISTOLA CCLVI.

JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

Reverende & Clariſſime vir, Domine & amice magne, cum ad te priores meas, quas feſtinatiſſime recenti doloris impatientia, atque ideo forte ſatis impolitas extorſi, male conciliato animo, darem, oblitus ſum cauſam dicere repentini abitus mei, qui ne valedicere quidem Tibi patiebatur. Atqui præcipua cauſa, quæ Lubecæ aliquamdiu commorari me velle fecerat, erat te de proximo admirari & frequentiſſime oris tui nectar haurire. Qua me felicitate cito extorrem ſpes falſa reddidit. Jubebat per litteras Dn. Decanus ſine mora me redire Hamburgum, unde adjunctus comitatui ampliſſimo legatorum Reverendiſſimo Archiepiſcopi Francofurtum ire liceret, nec expectandæ eſſent nundinæ. Iſtas cum circiter tertiam pomeridianam acciperem abditus tunc in Bibliothecam Pincieri noſtri, quæ in Eccleſia Cathedrali clauſa; poſt quartam convaſatis momento reſculis Lubeca exceſſi, ſed iniquitas quoque fati hic me invenit: jam enim illi abierant, & parate dederant operam, ne qua eſſent iter facturi, aut ubi prima nocte moraturi innoteſceret. Ita nolens volens hic ſubſtiti, & verterunt interea rationem cognati mei, quorum conſilia præceptorum ſunt inſtar, Argentina Groningam, quo me vertam, quam primum linteis, quæ in veſtitu ſunt, paulo redditus fuero inſtructior. Nam & hæc in Morboniam iniqua ſors detulit cum chartulis. Quarum amiſſionem quod æquo animo ferre me jubes tam amicis literis, velut malagmate mitigaviſti ulceroſum locum, & omen mihi dedit caſus ſimilis, quem recenſes, tuus: quanquam nulla ibi malitia nec incluſa dubio procul habuit faſciculus ille, quæ ſtrabos faciunt furum oculos. Antiquum eſt, aliquid mali propter vicinum malum, & apud Maronem, *Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ!* ut ludendo fallamus ſenſum doloris. Brocmannus commodo ad me inviſebat cum tuæ mihi redderentur. Is ſalute officioſe dicta etiam nunc fatetur proptiſſimam voluntatem Revaliæ provinciam illum ſubeundi, modo de ſumptibus itineris ipſi aliqua fiat proviſio. Itaque cum deſiderio expectabat reſponſum tuum, quod, ſi per negocia licet, ego quoque properes oro. Æternum debebit tibi optimo ingenio, optimeque exculto juvenis, ut in magna jam ſpe eſt ſublevandi fortunas ſuas, ideoque omnibus momentis ad iter *pranſus paratus*, ut loquebantur veteres. Hoc magis quod jamdudum amicitiam colit cum quodam Vialpio, qui ut ipſe ait, Roſtochio Revaliam vocatus eſt. Vale præcipuum Germaniæ decus & me amare perge. Hamburgi. IV. Kal. Mart. an. CIↃ IↃCXXXIV.

EPISTOLA CCLVII.

JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS. S. D.

Joanni Kirchmanno.

Lubecam.

LIbuit pro ſingulari mea tui obſervantia amicitiæ hæc ſalutatoria munera reordiri. Sic enim a te diſceſſi, ut illam ſinceram & perpetuam eſſe vellem: ſic me dimiſiſti, ut penes te noſtri memoriam. Quamquam feſtinatio abitus mei extremam ſalutationem parare mihi non ſineret, iſtarum partium culpa eorum erat, qui falſum mihi gaudium reviſendi ad cupitas academias Germaniæ, & præcipue Berneggerum noſtrum tollebant. Id quod aliter expetiviſſe a Pinciero noſtro inaudiviſſe te puto. Venimus enim Groningam poſtea, locum omni humanitate & humanitatis cultoribus vacuum. Itaque vervecum in patria mihi eſſe rebar. Inde evocatus ſum Hagam Comitis, ut juniori Principi Landsbergenſi Palatino magni Arauſionenſium principis ex Sorore nepoti a ſtudiis eſſem. Sed quia ea res ab Theologis, & ipſorum diſcipulis agebatur, non ſatis feliciter ſucceſſere omnia. Narrarem ſeriem iſtius expeditionis, ſi repetita mihi toties cambre te quoque occidere vellem. Poſt magnos ſumptus fruſtra impenſos, & nonnullas itinerum moleſtias, quæ tamen hæc habuerunt commodi: quod aſpectum mihi & affectum magnorum virorum, Voſſii, Salmaſii, Heinſii, Scriverii donarunt, excuſſi ambitus jugum, nec ſuſtinui inter ambiguam ſpem & metum hærere. Forte Amſtelodami cum eſſem, vir Nobiliſſimus Mich. Pavius me adiit, & quia ex Voſſii commendatione ipſi innotueram, magnidicis promiſſis in ædes ſuas, filii ſui & fratris magnæ ſpei adoleſcentium ſtudiorum ordinandi gratia, pellicere voluit. Itaque cum denuo poſt dimiſſam iſtam cogitationem me repeteret, non potui diutius contraire verbis, *quæ cœlo poſſent deducere lunam*, ſimul ut ratio conſtaret mihi apud cognatos ſumptuum, conditionem accepi. Apud eum jam vivo ſatis liberaliter & honeſte habitus: ſtipendium mihi annuum C. imperialium: menſa cum domino communis: Cætera omnia litterarum otio valde convenientia. Fratrum Heri mei unus advocatus Hollandiæ (quam Oldenbarnevelt ultimam dignitatem ante caſum obivit) nunc legatus illuſtriſſ. Ordinum ad Regem Galliæ Pariſiis agit: alter ad confœderatos Germaniæ Principes cum Suecis Francofurti: Tertius, cujus filius alter ex diſcipulis meis, Senator in ſuprema curia Hagæ eſt: Meus eques eſt D. Marci & Exſcabinus hujus Reipublicæ. Sed quid hæc ad te? non ingratum tamen forte fuerit audire amici fortunam, qui te nihil humanius vidit, niſi pares forte tibi heroes hic litterarum ſtatores. Cl. Voſſii Bibliotheca mihi patet; nec minus ampliſſ. viri Suffridi Sixtini, quondam Mauritio Haſſiæ a conſiliis, qui κειμήλια Gruterianorum pegnatum omnia cum pulviſculis poſt obitum ſummi viri Francofurti coemit: Neque ceſſatur ab iſtis omnibus in re literaria promovenda. C. Salmaſii Arnobius excuſus eſt, & notæ quot horis a typographo exſpectantur. Ipſe interea

terea commentario de re veſtiaria rogatu amicorum quorundam, adornandó iſtum laborem diffidit, qui fere affectus eſt. Heinſius notas in Novum Teſtamentum abſolvit, opus ſummæ expectationis. Voſſii commentarius ſatis prolixus de omni re grammatica editus eſt, ſed præfatio nondum addita arcet umbilicos. Alii alia moliuntur. In amplexu autem tam gnavorum luctatorum an tu putas noſtram omnino alacritatem pigrari? qui poteſt? Reverſi ergo ad inviſas ejuratasque Camænas forte propediem dabimus, quod Phoebi cortinam redoleat. De quo nunc ſilere melius. Interim, tu vir magne, Vale & memorem manere mei litterulis aliquibus oſtende. Ab hac hora illas deſiderare incipiam. Amſtelod. proprid. Kal. Januar. An. CIↃ. IↃCXXXV, quem feliciſſime tibi tuiſque decurrere voveo.

EPISTOLA CCLVIII.

CLAUDIO SALMASIO. S. D.

Joannes Fredericus Gronovius.

MUltum debeo tibi, vir maxime, quod ὑπερβολικὸν illud καύχημα Anteceſſoris, ut appellari malunt, mecum communicaſti. Is ſi eſt, quem ſuſpicor, & legiſti ejus cenſuras in Διονυσιακῶν ſcriptorem, quantus patuit tibi? nam JCtum eſſe hactenus non niſi diſcipulis ejus & famæ credidimus. Ego librum iſtum ſemel apud amicum aliud agendo inſpexi, cum ſtatim ſub oculos veniret, quod ſcribit p. 59. Verba ejus, ſi pateris, referam ex ſcheda, in quam tum, ut domum reverſus attentius examinarem, illa conjeci: *Qui decorare vult aliquem, cum neceſſe eſt ἀπὸ τῦ βελτίονος μεταφέρειν. Ariſtoteles pleroſque Achaos & Heniochos, qui circa Pontum ſedes habebant* Δῃςὰς *fuiſſe memorat, qui horum capacitati honeſtum nomen ponere velit* πορισὰς *eos appellabat. Dionyſium Juniorem tyrannum* μητραγύρτα *dicit Athenaus lib.* XII. *nihil enim vilius quam ſtipem cogere; at Xenophon Calliam, qui itidem famulus erat Idaa matris,* δαδῦχον *vocat lib.* VI. *Hiſtor. Gr. ille ut infelicem Tyranni caſum cum ſplendore tanta fortuna componeret, rem quantum potuit, maxime deturpavit: Hic vero pluſculum ei tribuit, ne contemnere videretur, qui publico munere fungebatur.* Agnoſcis errorum plauſtrum. Habuit ob oculos locum Ariſtotelis lib. III. Rhetor. c. II. quo videri voluit ſapientior. Ariſtoteli enim tribuit λῃςὰς fuiſſe quoſdam, quos vocari poſſe πορισὰς ut ſuum proponit. At Ariſtoteles ait, cum re vera eſſent λῃςαὶ ipſos vocitaſſe ſe πορισάς. Rurſum Philoſophus ait Calliam vocari δαδῦχον, ab Iphicrate appellatum μητραγύρτην, quem ſalem cum non caperet Callias, dixit Ephicratem ἀμύητον εἶναι. Noſter fingit prob. VI. cauſam cur a Xenophonte Callia vocetur δαδῦχος, & fuiſſe famulum Idææ matris, quod utrumque falſiſſimum. Fuiſſe enim revera δαδῦχον, idque in Elenſiniis, apparet ex Plutarcho, Ariſtophane, aliis & hoc ipſo loco Ariſtotelis. Pari judicio notat ab Athenæo, μητραγύρτην vocari Dionyſium. Immo Hiſtoriam narrat, αὐτὸς δὲ Διονύσιος τέλος μητρα-

γυρτῶν καὶ τυμπανοφορούμενος ἐπαιτρῶν τὸν βίον κατέστρεψεν. Ubi inepte interpres. *Cereri ſtipem emendicando.* Hoc primum & ultimum eſt, quod in eo libro legi. Nec te adeo fugere potuit, ſi legiſti. Volui autem hac occaſione proponere, ut tuos potius obelos, & judicium de his meis elicerem: atque hic quidem tolerabiliorem facit alterum illum fungum, qui aliqua tamen bona in tuo deprehendiſſe fatebatur, atque id pro magno tibi imputabat. Sed nimirum veriſſimum eſt, quod ipſe ſenſiſti: urit eos, quod plus vidiſti, pudetque ipſos, quæ perperam olim didicerunt, totque annos docuerunt, in ſenectute dediſcere. Quod profecto homines φιλαλήθεις & probos minime decebat. Scito autem quod ille apud te ambigue minatus eſt, id pro certo fore affirmaſſe heri mihi Phœnicis veſtri Aſcanium. Cui tamen fidem non habeo, utpote facile, quod magno emerent ipſe paterque ejus credenti. De Tacito amici noſtri judicium tuum ſcire aveo. Sane accuratior textus editus antehac nunquam mihi videtur, etſi non pauca ſint de quibus longe aliter ſentio. Imprimis lib. XIII. ann. c. 55. *ſervarent ſane receptos gregibus inter hominum famam: modo ne vaſtitatem & ſolitudinem mallent, quam amicos populos,* ubi ediderunt *receptus* & *famem*, idque commentum conantur aſſerere in notis. Mihi, ſi meminiſti, ſatis placebat vulgata. Ut *recepti agri*, (nam hoc ſubaudiendum ex præcedentibus) *inter hominum famam* dicerent, qui inter ambitum habitabilis oræ recepti eſſent, nec jacerent derelicti. Ubi enim fama, ibi homines & viciſſim. *Recepti gregibus*, quid etſi in illis homines nulli habitarent, ſi tamen agerentur eo pecora, aut paſtum prodirent, homines quoque eodem pervenire neceſſe eſſet. Addideramque exemplum ejus locutionis ex vita Agricolæ. *Nos terrarum & libertatis extremos receſſus, ipſe ac ſinus famæ in hunc diem defendit.* I. ſinus oræ habitabilis. Ut fama *imperii* in Germania c. 29. dixit pro limite & termino. Deprehendi poſtea ſimillimum locum apud Plin. lib. II. cap. LXVIII, *qui latiſſime rura metatus fuerit, ultraque famam exegerit accolas.* Ita enim M S. Chiffletii & Leidenſis uterque, ubi vulgo ignorantia elegantiſſimæ ejus locutionis: *Ultraque fines.* Ubi & *ceſpitem ordiri*, quod habent iidem M S. & mihi certiſſimum videtur capere editores non potuerim. Sunt & alia nonnulla in Tacito; quæ aliquando ſelecta ad te mittam. De loco Iſocratis ſi quid amplius. Interim hoc feram, quod tamen ſenſus frigidiuſculi eſſe videtur. Pars altera de Uſuris an edi cœpta eſt? ita nuper ajebat Elzevirius mihi, & mutaſſe te conſilium, ut latiorem invidendi τοῖς μέλλουσιν ἀνταγωνισταῖς campum aperires. Hæc quæ ſcripſi, nolim tanti eſſe tibi, ut obliviſcaris ſi commodum fuerit Horatii. Fabricii Jambum accipe, qui non dubito aliquid moleſtiarum legenti detergebit. Vale nobiliſſime & maxime vir, meque ama. Hagæ ad prid. Eid. Jun. Ao. CIↃ. IↃC. XXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCLIX.

CLAUDIO SALMASIO. S. D.

Johannes Fredericus Gronovius.

Et ego legi librum tuum, Nobiliſſime domine, & verum de eo tibi dicere neque invidentia neque aſſentatione prohibeor. Imperitiam forte me impedituram putas: tamen & talis ſenſum meum apud te fateri poſſum, quem inſcitiæ peccata, ut nunc hominum vita eſt, plurima quotidie condonare oportet. Sentio igitur poſt multa ſecula tandem in eo genere proditum eſſe aliquid doctum, ſolidum, ſingulare, ex neſcio quo ignei, hoc eſt, puriſſimi & ferventiſſimi, & πανδαμάτωρος animi adito profectum, quod non ſophiſmata aliis non multo melioribus ſupplantaret, non cauponaretur bellum, ſed ad lineam pugnaret, & cauſſæ jugulum & peteret & feriret, quod nec ποτνίαν antiquitatem irreverenter haberet, & tamen myſterio iniquitatis non parceret. Solet enim hæc in extrema ab noſtris peccari, ut nimis Theologi unam vetuſtatem ſacrorum librorum etiam hiſtoricis in litibus agnoſcant, nimis antiquarii vaniſſimis falſiſſimiſque antiquitatis jactationibus reddantur æquiores. Denique infinita me didiciſſe, & ſi quid horumce aut antea didiceram, aut fueram ſubodoratus, id nunc multo perſpectius, liquidius, certius cognitum habere. Quæris admiratores teſtamenti Grotiani (ſic vocavit librum ſacerdos, credo, aliquis, qui ſententias auctoris de dogmatibus inde excerptis, & vernacula lingua verſas publicabit, ut nos hoc præjudicio conſtrictos ad vomitum reduceret, audiſſe te puto, ſi non vidiſſe librum) quid ſenſerint? Quid dicam, ut & tibi debitam indulgentiam præſtem, & jura amicitiæ cum illis non violem? Cum ſene poſt reditum locutus non ſum, quippe qui domo aberat Hagam profectus, & ni fallor, urbem veſtram tranſierat, ibique ὁλκάδα conſcenderat. Minor cætera quidem omnia laudabat & admirabatur: vehementiæ nimiæ parvulam neque ignominioſam mentionem interjiciebat: de deliciolo ſuo ſubdito; id vero concoquere non poterat. Apodicticum illud argumentum de ſige quærebat quomodo eluderet. Scrutabatur pilis Irenæum ea de cauſa & unius, credo noctis pervigilio. Inveniebat ex Heſiodi quodam loco iſtam ſigen deprompptam, & in hac ejus vetuſtate triumphabat; etſi dicerem ego, non tamen de ea Eccleſiam primitivam ſategiſſe, prius quam a Valentino produceretur: nec enim curæ patribus illis, nec opus fuiſſe minutiſſimas quaſque poëtarum fabulas perſequi. Quærebat neſcio quem (ſum enim oblitus) communem Ignatii veri & Valentini amicum, a quo dogma Valentini, antequam illuſtre & paſſivum fieret, prænoſſe potuiſſet Ignatius. Νεωτερικὴν τάξιν non poterit pati eſſe aliam, quam juvenilem ſive juvenis epiſcopi: & multo minus νεωτερικὰς ἐπιθυμίας. Solet eſſe acer, ſi non pertinax opinionum ſuarum defenſor, rarus alienarum adſtipulator, etiam ubi nihil intereſt ſua: quod Lutetiæ memini me non diſſimulaſſe aliquando apud ipſum mihi non placere. Verſabam tum

Li-

Livium Puteanæum, cumque aliquas inde maxime veri ſimiles conjecturas propoſuiſſem, aut contra vitilitigabat, aut ubi non poterat contradicere, ſilebat: nunquam non dico laude, ſed ne minimo quidem verbo, ſeſquid meum, tanquam alienum ſibi, probare conteſtabatur. Sed hoc quicquid eſt vitii, aut moroſitatis, ſemper ſummis ejus virtutibus & totius domus erga me meritis condonavi. Poſt peregrinationem etiam paullo humaniorem factum deprehendi. Nunc vero poſt omnia auctor ei magnopere fui, quantumcunque ſententiæ ſuæ fideret, caveret, ne jam peccaret inepte, ut tantam tuam gratiam, tot invidendis & quo non pretio emendis (ſi ullo pretio æſtimari poſſent) elogiis teſtificatam profunderet, & non metuiſſe ſe oſtenderet: nec in ſua editione quicquam ejuſmodi proferret, aut vexillum quaſi tolleret primus tam divino tuo operi contradicturus. Sed non opus erat multis: adeo ipſe interrupto ſermone meo, etiam omnino ſibi dicebat conſtitutum eſſe, nullam ejus rei mentionem facere, omniaque integra relinquere. Nullum quod meminerim, alium de eo ſermonem habuimus. Aderat aliquando Nihuſius. Noſſe te puto hominem de libro Leonis Allatii de Papiſſa quem edidit, cætera minime malum, ſed ſcriptorem ineptum. Abbas fuit in Germania, nunc monaſterio & patria exſulat. Eum rogabat per riſum & jocum, vidiſſetne librum tuum, & annon Patrem Patrum defenſurus eſſet. Negabat utrumque iterum ridendo ille, ſcire tamen ſe ajebat, & facile alios, qui reſponderent etiam abs ſe excitatum iri. Inde alio vertebat ſermonem, eſt enim non injucundus in congreſſibus, & odioſa mentione controverſiarum ſollicite & prudenter abſtinet. Nihil præter hæc narrare poſſum, quæ nec ſpero amorem tuum erga digniſſimum & cariſſimum juvenem mihi quoque minuent (cui enim mortalium non eſt aliquid φιλαυτίας condonandum) & apud te ſecretiſſima erunt. Dialogum poſteriorem exſpectabo. Habeo enim & priorem, & epiſtolam de Coma ſervo nondum ligatam, ut eaſdem materias in unum volumen compingam. Cognatus meus ſcribit Hamburgo mihi, jam illic venalem eſſe librum Taboris contra te ſatis contumelioſum: inter alia *equitem calamarium* te appellare. Audio quoque Fabrotum volumen confectum adeuntibus oſtentare, & Andegavenſem ſuum edere: & Franequeram parturire. Utinam tu memor ſis eorum quæ pag. 343. Scribis. *Ego etiam ſtultior, qui cum hujuſmodi fatuis:* nec enim aliud quærunt, quam ut credantur auſi cum Salmaſio congredi. Militia potius te occupes & continuatio primatus. Sed exſpecto, ut dicas, ad conſilium ne acceſſeris, antequam voceris. Buxtorfius ſollicitatur ut commigret Leidam, & conſilium quærit ab amico, qui ei, haud ſcio conſulentis, an propria cauſa, magnopere diſſuadebit. Velim ſcire, ſi noſti, qua occaſione, quo potiſſimum auctore, & an conſcio Lempereurio id fiat. Livium noſtrum te boni conſuluiſſe gaudeo: ſed quantum ei defuit, quædam ſcio, quædam ſatis certo conjicio. Si propior eſſem tibi, multa fuiſſent meliora. Sed ſatis nugarum. Reſponde tamen quæſo: in nominibus Punicis, Hannibal an Annibal, Hanno, au Anno, Haſdrubal an Aſdrubal, utrum tibi & Pœnorum & Romanorum pro-

pronuntiationi convenientius videtur. Certe ſi memini, in Palatinis ſemper Hannibal erat. Vale vir maxime & prolixitati meæ ignoſce. Daventriæ XII. Decemb. CIↃ.IↃC.XLVI.

EPISTOLA CCLX.

CLAUDIO SALMASIO. S. D.

Iſacus Voſſius.

Lugdunum Batavorum.

IMmenſum quantum affectus ſum literis tuis, Vir incomparabilis. Puduit ubi legi tantam curam eſſe mei. Eadem tamen & multum priſtinæ ſalutis addidit. Non enim tantum medentium manus, quam cura tua & ſollicitudo, animi mihi dedere, licet indigno & immerenti. Nihil me uſque adeo cepit, ac ratio illa diverſitatis, quæ in Anacreonteis reperitur odariis. Ubi etiamnum Muſicis, præſertim Italis, ſolemne ſit verba ex elegantioribus ejus linguæ Poëtis decerpta notulis ſuis Muſicis accommodare, prout brevitas aut plenitudo toni exigit, & euphoniæ gratia verba ſæpe & ſenſum detorquere, minuere, & contra. De Epiſtolis Caſauboni non dubitandum, quin argutius quam verius ſuſpicatus ſit vir ille Reverendus. Quos enim ita nupere ad nos libros remiſerit Gronovius neſcimus. Imo ne ex eo tempore, quo ad nos Amſtelodamum excurrerat, annus jam eſt dimidiatus & ultra, vel unum recepimus, niſi egregie fallimur. Quos enim habeat novimus. Sunt vero pauci. Magiſter Schoockius Magiſter Ultrajectinus, impudentiſſima illa beſtia, canina ſua mordacitate inviſus Ultrajectinis, in Daventrienſem migravit Academiam, ut ibi apud alios canes eloquentiam illam & maledicentiam liberius exerceat. Mirum non eſſe ibi fuſtes iis compeſcendis. Velim mihi nodum iſtum ſolvi, qui eſt apud Theocritum in ἁλιεῦσι Idyll. XXI. τὸ δὲ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ. φαντὶ χε' ἀιεν ἄχραν τόδ' ἔχειν. Non poſſum Scaligeri & Caſauboni interpretamento acquieſcere. Multo minus Heinſii, qui hoc loco ἄγαν reponit pro ἄχραν: reſpiciens ad Athenienſium lichnuchos, qui in prytanco. Sed melius tum dixiſſet ἀίχρον` At ego ne ita quidem capio mentem Theocriti. In colloquio Daphnidis & Ruellæ, idyll. XXVII. locus eſt, quem ita arbitrabar corrigendum: ἁ σταφυλὶς σταφίς ἐστι, καλὸν ῥόδον ἆυον ὀλεῖται. Vulgo enim pro καλὸν legitur καὶ ὄυ. Ita ἐν τῷ 'δραστῇ,

Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.

Non enim poteſt placere, quod Caſaubonus ex editione Romana reponit; 'Α σταφυλὶς σταφίς ἐστιν, καὶ ῥόδον ἆυον ὀλεῖται. Heinſius interrogandi notam addit. Aliquanto poſt in eodem Idyllis legitur; 'Εις καὶ ἐγὼ πολλῶν, μνηστῆρες πρὸς ἐνθάδ' ἱκάνω. Κορ. καὶ τί φίλος ῥέξαιμι; γάμοι πλήθουσιν ἀνίας. Plane mihi frigidus videtur poſterior verſus: tentabam ſic;

Δαφν. 'Εις καὶ ἐγὼ πολλῶν μνηστῆρες πρὸς ἐνθάδ' ἱκάνω
Καὶ τί φίλον ῥέξαιμι. Κορ. γάμοι πλήθουσιν ἀνίας.
Δαφν. Ο'υκ ὀδύνην, οὐκ ἄλγος ἔχει γάμος, ἀλλά χορείην.

T t Et

Et paulo poſt--- τί ἀν' τρομέοισι γυναῖκες; Κορ. ὀδύνεω τρομέω. &c. Non αἶνι τρομέοισι. Locus eſt in Hyla Idyll. XIII.

Ὡ'ς αὐτῷ κατὰ θυμὸν ὁ παῖς πεπονημένος εἴη,
'Αυτῷ δ' εὖ ἕλκων ἐς ἀλαθινὸν ἄνδρ' ἀποβαίη.

Is multum exercuit viros doctos. Scholiaſtes αὐτῷ interpretatur αὐτόθι. Henricus Stephanus legebat; ἐξ αὐτῷ δ' ἕλκων, ſive αὐτῷ δ' ἕλκων. Heinſius vero αὐτῷ δ' ἐν ἥκων. Et valde gloriatur hac ſua emendatione. Te igitur, Vir Illuſtris, veluti Apollinem & Cenſorem litterariæ Reip. conſulo & rogo num legendum ſit: Α'υτῷ δ' ἶυ εἵκων! Philolaus Cl. Theodati, jam ad umbilicum perductus eſt, necdum tamen is prodiit. Grammaticam Græco-Barbaram Simon Portius edidit, is ipſe qui lexicon illud Græco-Barbarum ex mandato Cardinalis compoſuit, de quo aliquando ſententiam tuam expoſtulavi, cum necdum vidiſſes. Si id habuiſſent linguæ Græco-barbaræ interpretes, & qui Gloſſaria ejus ſcripſere, non tam crebro lapſi fuiſſent. Vale vir incomparabilis cum nobiliſſima conjuge, affine, liberis; quibus tota noſtra domus plurimam ſalutem impertit. Amſtelodami CIↃ IↃC XXXVIII. XIII. Novembris.

EPISTOLA CCLXI.

CL. SALMASIO. SD.

Iſaacus Voſſius.

Lugdunum Batavorum.

MItto tibi priorem partem Carpenterii in Alcinoum, vir incomparabilis. Alterum vero tomum nuſquam reperire potui. Si tamen invenerim, quam ocyſſime mittam. Sed vereor ne fruſtra ſim. Non dubitat Pater, quin penes Heinſium ſit ille liber, cum in Rutgerſiana viderit Bibliotheca. Parentis opus ad aliquot menſes etiamnum trahetur. Salluſtii Philoſophi Romani tractatum, de Diis nondum vidit. Manaſſes Conſtantinopolim petere decrevit, ſi ulla affulſerit occaſio. Præſertim ſi alius legatus in locum Hageni, qui hactenus ibi commoratus eſt, eo mittatur. Hoc pacto enim iter magis cariturum periculo. Multum lucri ſperat ſibi a libris quos apportaturus. Utinam majorem linguæ Arabicæ cognitionem ſibi comparaſſet; diu occupatus fuit in libro, quo verba Arabica ad Hebræas reducit origines. Prodiit aliquando Epictetus apud Lamerium cum notulis ejus, in quem morientis Scaligeri anima tranſmigraſſe jactatur. Certe ne Scaliger tale quid unquam ſomniaverit, ac hic ibi ſcripſit. Nihil præſtitit, quod non e trivio poſſint magiſtelli. Unus tantum eſt locus, cujus vulgatam ſollicitat lectionem cap. XVII. καὶ ὐχ ὕτως ἐςὶν αὐτῷ καλῶς, ἵνα ἐπ' ἐκείνῳ ᾖ τὸ σὲ ταραχθῆναι. *Nonne vero ei bene ſit, ſi tuarum perturbationum habeat ille poteſtatem?* Ille legit ἴςω vel ἄν, cum vulgata lectio Crotone ſanior ſit. Non te diutius detinebo, ne divinos tuos labores interrumpam. Vale vir Incomparabilis, & toto hoc anno cum nobiliſſima conjuge, affine, tuiſque omnibus felice fruere. Amſtelodami CIↃ DC XXXIX. XXIII. Januarii.

EPI-

EPISTOLA CCLXII.

CLAUDIO SALMASIO. SD.

Iſaacus Voſſius.

Lugdunum Batavorum.

EPiſtolium, quod ante aliquot hebdomadas ad te ſcripſeram, vir incomp. non dubito quin jam tibi in manus venerit. Sueco cuidam id ferendum dederam. Adjunxeram ei vitam Antonii Monachi. Miſit ad parentem Heinſius exercitationes ſuas ſacras in Novum Teſtamentum. Vidi & legi partem. Quam pulchre exercitator ille a te exercebitur. Vir equidem ſcio ubinam poſſit manus tuas effugere, niſi forſan in furto ſuo. Jam enim diu ante prædixeras, nihil in iſtoc opere fore boni, quod non ſit dictum antea. Primus in quem incidi locus erat pag. ıɔ cvı. ubi refert ſæculum Noë ab antiquis dici ſæculum gigantum, ex hoc Heſychii loco: Γιγαντία, ἡλικία τὸ πρότερον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Γίγαντες. Quem ille ſic emendare aggeſſus eſt, Γιγαντια. ἡλικία τῶν πρότερον, καὶ οἱ κατοικοῦντες γῆν γίγαντες. Vel puer vidiſſet legendum Γιγαντίας, ἡ λυκία τὸ πρότερον &c. Ceteræ ejus emendationes in Heſychium ſunt ejuſdem pretii, ut appareat eadem incude & eodem malleo eſſe excuſas. Quid non tibi debebit Heinſius, Vir Nobiliſſime, ubi tuæ prodierint; quod tandem ipſum facies ſapere; & quid jam non debet eſſe: pro flagello tuo plusquam Corcyreo, præfixo ſecundo tuo de uſuris operi quam bella eum cœna Helleniſtica excepiſti: vereor interim ne illam poſſit concoquere. Notæ illuſtris Grotii in Novum Teſtamentum brevi prælo ſubjicientur. Intellexi illum reſpondere Petavii diatribæ de conſecratione panis. Mitto ad te Juſtinum, qui jam demum prodit, cum brevibus notulis, quamvis jam ante biennium eas typographo excudendas tradiderim. Jam pudet tam parum præſtitiſſe in tam luculentum auctorem. Multo uberiores notas in eum paratas habeo, ſed eas alias dabo. Vale vir Illuſtris & incomparabilis cum omni familia cıɔ ıɔc xxxix. xix. Octobris.

EPISTOLA CCLXIII.

CLAUDIO SALMASIO. SD.

Iſaacus Voſſius.

Lugdunum Batavorum.

INdies occaſionem quæſivi, vir Incomparabilis, remittendi tibi Agellium MStum. Indies ea fruſtratus ſum. Tandem mihi fidi tabellarii vicem evenit Daniel Eraſtus familiaris meus, qui illud ſecum veheret, Tibique redderet. Quotidianis enim nuntiis vix fidebam tam rarum theſaurum. Multa certe bona ex eo haurire licuit. Remittam, ut ſpero, brevi quoque alia, quæ a Te commodato accepi. Si quoque Strategicis Græcis MSS. indigeas, & illos ex continenti mittam. Jam enim fere omnes exſcripſi. In Ptolemæo ingentes progreſſus facio. Utinam iſtoc regio MS. Pariſienſi aliquot diebus

frui liceret. Vel ſi quis conferendi moleſtiam paratus eſſet ſuſcipere. Quamvis non ignorem tædioſi pariter & longi id fore laboris, adeo ut vix ulla merces pro conferendo eo poſſit placere. Nihil itaque mihi antiquius & carius fuerit, vir illuſtris, quam ubi ad Clariſſ. Bullialdum ſcripſeris, ſi vel unius capitis, vel paginæ, vel cujuſcunque *μοείυ* collationes ab eo exegeris. Ita enim facile judicari poterit de bonitate ejus codicis. Liber Arabicus Ptolomæi Conſtantinopoli (cum multis aliis) mittetur ad illuſt. Britanniæ Archiepiſcopum. Ita ſtudioſus quidam ad parentem perſcripſit. Utinam ne is Almageſtus ſit, quod unice vereor. Pœne exciderat locum Diodori indicare de Zaccharo, ut opinor, qui eſt lib. II. pag. 121. 122. edit. Rhodomann. pag. vero 86. edit. Stephanicæ. Ubi de India agit. *πάντος γὰρ σχεδὸν τὰ κατὰ τὴν χώραν πεδία γλυκεῖαν ἔχει τὴν ἀπὸ τῶν ποταμῶν ἰκμάδα, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ὄμβρων τῶν ἐν τῷ θέρει γινομένων, κατ' ἐνιαυτὸν κυκλικῇ τινὶ περιόδῳ παραδόξως εἰωθότων γίνεσθαι. καὶ τὰς ἐν τοῖς ἕλεσι ῥίζας ἕψοντος τοῦ καύματος, καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων.* Neſcio num de cannis quoque ſaccharinis loquatur Ptolemæus lib. I. cap. 17. Ait enim quod ultra Sinas *ἄγνωστος ἐστι γῆ, λίμνας ἔχουσα ἑλώδεις ἐν αἷς κάλαμοι μεγάλοι φύονται, καὶ συνεχεῖς οὕτως, ὥστε ἐχομένων αὐτῶν πιεῖσθαι τὰς διαπεραιώσεις.* Quod ipſum quoque habet Marcianus Heracleota, iiſdem ferme verbis *pag.* 59. Neſcio quid velit Ælianus Variarum Hiſt. lib. III. cap. XXXIX. cum inquit Indos calamos comedere. Salutem plurimam Nobiliſſ. Conjugi, & affini. Vale vir incomp. CIↃ IↃC XXXIX. XXVII. Decembris.

EPISTOLA CCLXIV.

CLAUDIO SALMASIO. S. D.

Iſaacus Voſſius.

Lugdunum Batavorum.

NUdius tertius, vir Illuſtriſſime, paucula tantum verba ad te exarare potui, propterea quod jamjam tabellarium diſceſſurum eſſe crederem. Utut autem paucula fuere; fuere tamen nimia, vellemque etiam illis ſcribendis defuiſſet argumentum. Heri vero iterum ad te ſcribere debueram uti promiſeram, ſed me deſtituit materies, nam neque aliquid certius de Moro intellexeram, neque etiam de hoc theologo, qui huc ad nuptias venerat. Abiit ille nullo hic ſalutato, neque alius quod ſciam ipſum inviſit, quam Hottonus, a quo mutuo accepit librum, quem contra ipſum ſcripſit Amiraldus. Videbatur autem Hottono noſtro eſſe ſubtriſtior & vultu coactior ſolito, quod an effecerint epulæ triduanæ, an vero potius liber Amiraldi, dicere non poſſim. Liber ille Amiraldi eſt luculentus, & non tantum contra Spanhemium, ſed & Rivetum, & Molineum ſcriptus. Poſterior tamen propter ætatem mollius habetur, alii duo inclementer tractantur, multiſque in locis falſitatis & impoſturæ convincuntur. Quid reponet Spanhemius multi hic videre deſiderant. Miſeret me certe ejus viri, quod tot ſibi reddiderit inimicos, quorum ſi vel mini-

minimum offendiſſet, ſatis ipſi exhibuiſſet negotii. Sed recreat ipſum credo & exhilarat, quod Harderviceni ipſum magno metu liberarunt, academiamque ſuam ex voto ejus inſtruunt. Verum hoc modo non effugiet pœnam, ſed idem illi eveniet, quod febricitantibus ex gelidæ potu, quibus quanto major eſt initio voluptas & levamentum, tanto acrior poſtea dolor & deſperatio ſolet contingere. Miror autem Tollium non mihi ſcripſiſſe rei eventum, quod tamen promiſerat; an forſan ipſum pudet, quod plus efficere non potuerit, quodque Valkenarius & Hornius de ipſo triumphent. Sed magis miror Curatores ita cæcos fuiſſe, ut naſcentem Academiam ſuam tanto viro exornare ſuperſederint, qui ſolus plus famæ ei adferre potuiſſet, quam poſſint omnes illi quos jam habent, quoſque in poſterum forſan ſint habituri. Infelicem eo nomine Academiam eam exiſtimo, ſed non ideo infelix Morus noſter, imo feliciſſimus, quod non inter eos homines ſit victurus, qui virtutis & doctrinæ ejus adeo parum capaces & intelligentes fuiſſent. Vale & ſalve vir Illuſtriſſime & Incomparabilis. XXVI. April. CIƆ IƆC XLVIII.

EPISTOLA CCLXV.

CLAUDIO SALMASIO. S. D.

Iſaacus Voſſius.

Lugdunum Batavorum.

NOn recte facis, vir Incomparabilis, ſi inique de me ſuſpiceris. Exiſtimabam me tot annorum ſpatiis affectum obſervantiamque meam ſatis jam tibi probaſſe, tu tamen, quæ tua eſt diffidentia, nunc demum pignora a me poſtulas. Ais te idoneas habere conjecturas, quibus poſſis ſuſpiciones tuas adſtruere. Sed quænam illæ ſunt? Nempe ut ais Heinſiadem a me vocatum eſſe in Sueciam. Atque ego quomodo ſeſe res illa haberet jam tibi ſignificavi. Veraque ea eſſe quæ ſcripſi, teſtimoniis omni exceptione majoribus poſſum oſtendere. Id ſi Heinſius pater diffiteatur, peſſime facit. Quod vero addis Heinſianos quoſdam amicos aperte dicere ideo a me vocatum, ut junctis viribus benevolentiam, qua te Regina proſequitur, expugnaremus, id vero lepidum omnino & ridiculum. Itane tibi perfidus & nequam videor, ut talia vel ſuſpicari poſſis! Me rogas an mutatus ſim, ſed nonne melius id ipſum de te conqueri poſſim, quod inimicis & hoſtibus tuis plus fidei tribuas quam illis, qui perpetuo cultu & affectu ſe tibi obſtrinxerunt? Quis te amabit, cui impoſterum amicus eſſe poteris, ſi ex inimicorum tuorum voto & voluntate amicos & cultores tuos æſtimes? porro quod iidem dixerunt te in minori eſſe gratia apud Sereniſſimam Reginam, quam olim fueras, & hoc quoque calidum eſt mendacium. Iniquus es erga optimam & ſapientiſſimam Principem, ſi aures ejus calumniis patere exiſtimas. Impatientia, qua adventum tuum expectat, plane contrarium evincit. Sed cum ipſe tot habeas litteras Regias, poſſiſne ultra dubitare? Quod vero ais parum erga te æquos fuiſſe Batavos quoſdam in cauſa Mori, ac proinde nec Batavis, nec mihi poſthac velle fidere, id ſane

ſane non ſatis poſſum mirari. ſi aliqui forſan Batavi mali tibi videantur, quid hoc ad me pertinet? ideone & me talem eſſe arbitraris? Et inter Gallos noſti multos nebulones, nec tamen dubitas quin & inter eos multi reperiantur viri honeſti, de quo ſi ambigeres, injurius eſſes tibi ipſi. Poſtremum quod addis Carteſium quondam amicum, factum eſſe inimicum, ideoque & me poſſe mutari, id ſimile prioribus eſt argumentum. Rogo, Vir Incomparabilis, minus in poſterum indulgeas ſuſpicionibus iſtis vanis & prorſus te indignis. Conſcientiam meam examino, nec tamen invenio quidquam quod te offendere debuerit. Nemo eſt, qui me novit, qui non etiam hoc novit, quam magnifice, quam amanter de te locutus ſim ſemper & ſenſerim, quamque animoſe, forſan & feliciter, illis me oppoſuerim, qui famæ gloriæque tuæ non faverent. Quid dicturi eſſent inimici tui, ſi noſſent, te ne amicos quidem tuos ſincere & ſine ſuſpicione amare. Quare iterum a te peto ut ſuſpiciones iſtas deponas, talemque te mihi exhibeas, qualis ſemper fuiſti, Ego nunquam ceſſabo eſſe tuus ex animo totus & ſemper, XIX. Januarii. CIↃ IↃC L.

APPENDIX

Aliquot

CLARISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM VIRORUM EPISTOLARUM.

EPISTOLA I.

HUGONI DONELLO. S. D.

Albericus Gentilis.

Lugdunum Batavorum.

AUt vinci pudorem a neceſſitate oportet; aut is homo ridiculus eſt, qui vim verecundiæ minus facere poteſt: Cur enim ita non exordiar? ut neſcio quis in hunc uſque diem pudor me, Clariſſ. Donelle, tenuit, quominus, quod cupiebam jam diu maxime, literas aliquas meas ad te darem, captandæ ſcilicet familiaritatis tuæ gratia; ita nunc pudorem frangit penitus, (ac ipſe libentiſſime permitto) difficultas quædam, qua irretitus ſic teneor, ut omnino ſit mihi neceſſe, aut tuum auxilium implorare, aut inepte vel in ignorantiæ tenebris jacere, vel miris torqueri modis, dum multos dies nequidquam contendo, ſi ipſe me ab ea moleſtia liberare poſſim. At quidem, ne te multis morer, id eſt, quod me nunc ſollicitum habet. Nulla mihi verior jam annos quattuordecim in jure verſanti viſa ex iis eſt ſententia, quæ a noſtratibus controvertuntur, quam receptior illa, ut verbis conjunctus re conjuncto præferatur. Nimis enim videtur in eam aperta *l. re conjuncti*, & nimis hujus legis verba contaminantur ab iis quiqui ſint, qui Joannis & antiquiorum opinionem ſequuntur; de quibus hic dicere opus non eſt: & a Jaſone, aliiſque abunde ſunt confutati. Sed & Bartolus, & qui etiamnum a partibus ejus Gloſſatoris manent, ipſi ajunt vel invitis hominis ſententiam tenendam, pares hoſce conjunctos facientis: & id tantum propter unam legem *Mævio. de leg.* 2. Quid tu Donelle eruditiſſime? Ego a Paulo, rem iſtam & ex profeſſo & plenius tractante, ne latum unguem diſcedere ob Javolenum poſſum, & (ut tibi qui ſim fatear) in ea ſum opinione conſtitutus, nullas eſſe in jure antinomias. Quid ergo? ſatisfactum cuperem Javoleno, ac Pauli illam deciſionem manere, qua verbis conjunctum facit altero ſuperiorem. Huic deſiderio meo nullus ex tanto interpretum numero, quos vidi, nec tantillum præſtat: & adii, opinor omnes, quorum ſuppetit copiam Anglia, facto ab Gloſſariis ipſis initio uſque ad Jaſonem: ſed & Alciatum præterea, & qui te inſignibus Doctoratus ornavit, Duarenum. Nam quid facilius, quam omnium dictata commentave

tave juſtis quidem argumentis refutare? Age, obſecro te, vir humaniſſime, poſtquam libri te tui, multorum ſermones, Scipionis fratris mei auditoris tui litteræ Juriſconſultum eximium clamant, & eximia præditum humanitate conteſtantur, age exime me iſta ſalebra. Quod nullum ego non tentem modum, quo me inde expediam, id ſane aut in contrarium facit, aut juvat omnino nihil. Suſpicabar falſas illas eſſe interpretum traditiones, quibus docemur, conjunctos verbis hos dici, qui verbo uno ſint in oratione copulati: & arbitrabar potius eos eſſe, qui non tantum verbo uno, ſed eadem oratione vocati ſic eſſent, ut ſi eorum aliquis ſubmoveretur, verba inepta relinquerentur, & tota oratio vitioſa. Viden' quid facio? Tranſii ſcilicet verecundiæ lineas non modo neceſſario, ſed dum meas iſtas commentationes tibi narro, neſcio, an dixeris etiam, ſponte ipſum a me ac libenti animo fieri. Pergo itaque. Collegi eam definitionem ab exemplo poſito in ipſa *l. re conjuncti.* Et quo ſi alterum nominatorum amoveo, inſulſam hanc relinquis orationem, *Titio fundum æquis Partibus lego.* Confirmabar in ea deliberatione, quoniam verbis, non verbo, conjunctos viderim hos appellari. Accedebat, quod re conjunctorum Paulus definitionem tradiderit; verbis conjunctorum exemplum poſuerit ſolum: ut dicere voluiſſe viſus ſit mihi, exemplum illud alterius conjunctionis definitionem referre poſſe. His ita quaſi conſtitutis, verbis conjunctionem in *l. Mævio.* eſſe, jamjam negare incipiebam, quia ſive Sejum ſive Mævium tollerem ex ea oratione, aptiſſima nihilominus maneret ſententia. Incipiebam credere Mævium & Sejum re eſſe conjunctos, etenim & aliquam adeſſe conjunctionem oporteat, ubi de jure agitur adcreſcendi, & ſeparatim honorati ſoleant dici, quod ibi ſit, qui iſta conjunctione ſociantur. Ita rem totam poteram belle componere, quum ecce irruere iſta videntur. Quomodo re conjuncti ſunt illi, ſi non eadem pars, ſed altera atque altera legata eſt? ſi habent ab initio partes non eas ſibi concurſu faciunt? & ſi iſti ſunt ibi re conjuncti, quidni multo magis illi, quibus res eadem æquis partibus data eſt? Hæreo. adhuc tamen me movebam. Rem eandem datam volui, quia Mævii pars ſic in parte fuerit Seji, & contra; ut nec ille poſſit nec iſte vel atomum ſibi propriam in eo fundo adſerere, confuſa penitus alterius in alterius portione, ut & dictat ſenſus, & ſcribit *Bar. in* §. *duobus eodem cap.* Advocabam huc Q. Mucii opinionem dicentis, appellatione partis rem pro indiviſo ſignificari: & ita pro indiviſo totum fundum relictum credebam, & ad partes has conſtituendas, quæ re conjunctionem impedirent, eam partium nominationem non eſſe ſatis *in l. Mævio.* quod figura illæ partes eſſent, non vi etiam ac poteſtate, nec enim tertium firmum eſſe plane in animum inducere valui. Nam qui re pro indiviſo relicta, ſi verba deinde illa, *æquis partibus*, adjiciat, is videtur omnino voluiſſe rem indiviſam dividere ex altera Servii opinione. Quid enim aliud voluiſſe poteſt. Adjungebam, quod ſi re conjunctionem iſto caſu etiam admiſiſſent auctores, nulla ſupereſſet in toto jure verbis conjunctio; ſed mixta altera eſſet, & realis altera! & illud quidem de mixta ineruditе diceretur, ſi

non

non daremus ſeparatam alteram ſpeciem conjunctionis. Tandem ſic etiam ratiocinabar. Re conjunctio perit admixta expreſſa verbis conjunctione, quia illa ſane fuerit infirmior, utpote quam per argumenta elici neceſſe ſit & conjecturas. Nam quod idem Titio, & idem Sejo debeatur, non aliter quidem cognoſcimus, niſi quoniam partes nullas poſſumus conſiderare, quæ non ſint utriuſque communes. Quid mirum igitur? ſi ſimul manente expreſſa verbis conjunctione, nullius eſt altera conſiderationis? admixta pereunt ſatis multa, quæ ſola manere potuiſſent; & pereat igitur re conjunctio conjunctioni verbis admixta in exemplo *l. re conjuncti*, & maneat, quæ ſola ſtat, in ſpecie *l. Mævio*. Abſolvi antem ineptias meas. Nam quo alio hæc nomine appellem, quæ nec placere poſſunt auctori ſuo? ſed cauſam veriſſimam dixi, cur voluerim ipſa deſcribere. Te iterum atque iterum rogo, ut ſententiam tuam in difficili hac quæſtione mihi exponas; ut amori & obſervantiæ meæ in te cumulus tantus accedat, quantus maximus eſſe poteſt. Interim vale, & ſi quid in Anglia tua cauſa poſſum, id etiam enixe peto ut velis tantum quid valeam ſignificare, nam hoc ſatis eſſe re ipſa cognoſces, quo officio me tibi obligabis. Oxon. V. Id. Febr. M. D. LXXXIII.

EPISTOLA II.

HUGONI DONELLO. S. D.

Albericus Gentilis.

Lugdunum Batavorum.

UT qui diu, magnaque jactatus tempeſtate eſt, nec ſi pedem in littore figat, credere poteſt, non adhuc in mari eſſe: ita mihi (& tu recte litteris tuis conjeciſti) accidit, Donelle eruditiſſ; cum illa *l. Mævio de leg.* 2. a qua exagitatus maxime, ne nunc quidem videor mihi plane liberatus, utut ſim immo tutus per tuam doctiſſimam epiſtolam redditus? quam a Scipione fratre hoc ipſo die accepi, quo Oxoniam hinc Londino cogito. Verum colligam animum, & acquieſcam penitus documentis tuis, quæ & firma exiſtimo, & ſcio indies magis me probaturum. Nec enim potui hic ipſa diligentius conſiderare, ubi libros nullos habeo, & iter meditor totus. Gratias ingentes tibi ago, vir Doctiſſime, & quando ita tibi placuit in numerum tuorum me recipere: ut ego operam dabo, ne ab eo excidam unquam, ita tu pro tua humanitate velis rogo animum iſtum retinere, ac credere, me nemini in te amando atque impenſe colendo cedere. Vale. Londini. die 24. April. ſecundum antiquum morem.

EPISTOLA III.

HUGONI DONELLO. S. D.

Albericus Gentilis.

Lugdunum Batavorum.

NIhil eſt quod aliud ſcribam, & tamen aliam hanc non ſino elabi occaſionem, quando juvenis iſte, Germanus quidem, ſed ſtudioſus Oxonien-

[illegible] Leidam & ad te abiiſſe [illegible] Academiæ Profeſſores, [illegible] venit. Quid igitur? quod videlicet non ante quindecim dies, & quod primis illis meis literis ſcripſi, ut me unum ex [illegible] numero [illegible] eſſe [illegible], ut nulli velim in te amando, colendoque primas unquam concedere. Et pare id quidem: nam unus Donellus ex tribus illis primariis Galliæ juris interpretibus eſt, qui non ſolum doctius & ſubtilius, ſed gravius etiam ſcribat, hoc eſt ſine maledictis & contumeliis, quorum plerumque [illegible] ſcripta: & tamen hæc ſæpius nihil prodentiam [illegible]. Ego certe ſic [illegible] ex eo genere ſcribendi offenſus, ut quos antea amaverim, poſt potuerim etiam odiſſe. Non pervenerunt iſtic ad manus tuas mei quidam Dialogi? ſunt nec digni ſunt, qui oculis tuis ſpectentur. Sed in illis ego hoc tenui, ut iſtis hominibus virtutes has ſuas ſaltem oſtenderem, ſi aliud aliqui datum non erit. Accipe potius hos duos Lectionum libros: qui accuratius editi ſunt: nam Dialogos vel inter imprimendum componere potui. In primo Lectionum eſt epiſtola ad te. Volui ſcilicet lumen aliquod mihi quærere aut ex hoc, quod ad te ſcripſerim. Sic nihil habui, & tamen folium implevi. Vale, Præſtantiſſime Donelle, & me ama. Londini V. Kal. Octobr.

EPISTOLA IV.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Fredericus Sylburgius.

Heidelbergam.

QUia non amplius apud Joannem Wechelum habito, Gentilis elegantiſſime, ideo nuper eum adii, ut ex eo cognoſcerem, quidnam de tuo libro conſtituiſſet: reſpondit ſe jam dudum ea de re miſiſſe ad te literas. Ad quas ſimulatque reſponderis, viſurum ſe quid fieri a ſe poſſit. Ad me quod attinet, jam etſi ante laborum plus juſto fortaſſe ſuſtineo, tamen ſi apud eum adhuc eſſem, interdum aliquid adjumenti attuliſſem ad libri editionem expoliendam. Quanquam ſpero ita utrimque comparata eſſe omnia, ut mea ope & conſilio non ſit opus futurum. Nos inter alia præ manibus nunc habemus Latinos Hiſtoriæ Romanæ auctores eos qui Cæſarum Vitas ſcripſerunt, & viam nobis ad Cæſaream Hiſtoriam præmunierunt: quorum hæc potiſſimum ſunt nomina & ſeries. Caroli Sigonii Faſti, cum ejuſdem commentario: L. Florus, Vellejus Paterculus; Meſſalla Corvinus, Eutropius, Sextus Rufus, Sextus Aurelius Victor, Caſſiodorus, Suetonius, Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Vulcatius Gallicanus, Ælius Lampridius, Trebellius Pollio, Flavius Vopiſcus, Ammianus Marcellinus, Pomponius Lætus, Baptiſta Egnatius. Tu ſi quid ad horum expolitionem velis contribuere, aut aliunde nobis impetrare, facies nobis & reipubl. officium gratiſſimum. Vale. Francofurti in ædibus Joannis Aubrii 20. Jun. 1587.

EPI-

EPISTOLA V.

EVERARDUS POLLIO. S. D.

Scipioni Gentili.

Baſileam.

EX Italia tua, mi Gentilis tandem in patriam redii pene, nec diffitebor, invitus. Multis mihi ea nominibus placuit, tum neſcio quo ingenio regionis, quod mire allicit, nec unquam expletos dimittit. Sæpe dum ibi diſcurro ſubiit vices tuas cogitare, qui ex amœniſſimis terrarum hortis in frigidas has plagas traductus doluiſſem, ſi quæ ſurculorum, eadem ingeniorum ſors eſſet, ſed hæc meliori ſidere inſpirata, ubique vigorem ſuum retinent. Quare nec moverunt te, quæ Heidelbergâ removerunt quorundam invidiæ (de quibus obſcure mihi auditum) imo, ſi recte exiſtimo, promoverunt: omnino enim ut faces vento inflammantur magis, & dilucescunt, ita odiis ignei excelſique animi. Qui quomodo premantur! dum vivida illa vis ſurſum, disjecta quantumvis magna mole, erumpit. Ita ego te cenſere & reverà ſentire confido. Unde autem in iis enatæ occaſiones (abſit a tuo tam ingenuo pectore illud virus) ſi quid facere putabis, tribus verbis quæſo ſcribe. Hæc habebam de tuis rebus, quas apud quoſvis inde venientes diligenter inquiſivi. Non potui tamen certi quid credere, dum per totum hoc, quod abſumus tempus nihil a te literarum ſane habebam, de quo tecum conquererer, niſi D. Verhovius leniiſſet. Res noſtræ publicæ hoc biennio non valde arctantur. Quod in defenſivo bello non parvi augmenti eſt, Berta oppidulum his diebus novis præſidiis ſubſidiiſque refertum, ereptaque hoſti poſt multam cædem decem vexilla, paulum recrearunt. Ego, ut rumor ad nos ſæpe, vix eum ſtatum ſperabam; apud nos, tum in confinibus, turbæ. In Hollandiâ alta pax & otium. Res meæ dubiæ & incertæ, nec ſcio per has nubes, quo ſpectem. Forte iterum evolabimus. De Theodoro varie audivi, nec certam manſionem. Si ibi eſt, velim meo nomine plurimum ſalutes, & reſcribas. Vale, amiciſſime Gentilis, & me ama. Ultrajecti. Id. Octobr. anno. 1589. Stylo veteri Hoſpites tuos a me ſaluta.

EPISTOLA VI.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Franciſcus Junius.

Baſileam.

JAm diu reſcripſiſſem, vir Clariſſime, tuiſque literis (ut par eſt) reſpondiſſem, niſi deterruiſſet me ratio illius militis, qui vos a nobis miſere dirimit; ſed quia plus ſatis ceſſare eum video, infauſtaque hiberna facere, nolui committere diuturniore ſilentio, ut me tui erga me officii immemorem fuiſſe putes. Primum ergo de libro, quem miſiſti, gratias habeo: deinde vero quia judicium meum cupis cognoſcere, de eo ita ſtatuo, quiſquis auctor

nienſis Leidam & ad te alioſque iſtius Academiæ Profeſſores, more ſuæ gentis inviſendos venit. Quid igitur? quod videlicet non ante quindecim dies, & quod primis illis meis literis ſcripſi, ut me unum ex tuorum numero ſic eſſe exiſtimes, ut nulli velim in te amando, colendoque palmam unquam concedere. Et jure id quidem: nam unus Donellus ex tribus illis primariis Galliæ juris interpretibus eſt, qui non ſolum doctius & ſolidius, ſed graviter etiam ſcribit, hoc eſt ſine maledictis & contumeliis, quorum plena ſunt duorum ſcripta: & tamen hæc ſapiunt nihil prudentiam juris. Ego certe ſic ſum ex eo genere ſcribendi offenſus, ut quos antea amaverim, poſt potuerim etiam odiſſe. Non pervenerunt iſtic ad manus tuas mei quidam Dialogi? ſane nec digni ſunt, qui oculis tuis ſpectentur. Sed in illis ego hoc tentavi, ut iſtis hominibus virtutes has ſuas ſaltem oſtenderem, ſi aliud aſſequi tamen non erit. Accipe potius hos duos Lectionum libros: qui accuratius editi ſunt: nam Dialogos vel inter imprimendum componere potui. In primo Lectionum eſt epiſtola ad te. Volui ſcilicet lumen aliquod mihi quærere aut ex hoc, quod ad te ſcripſerim. Sic nihil haberi, & tamen folium implevi. Vale, Præſtantiſſime Donelle, & me ama. Londini V. Kal. Octobr.

EPISTOLA IV.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Fredericus Sylburgius.

Heidelbergam.

QUia non amplius apud Joannem Wechelum habito, Gentilis elegantiſſime, ideo nuper eum adii, ut ex eo cognoſcerem, quidnam de tuo libro conſtituiſſet: reſpondit ſe jam dudum ea de re miſiſſe ad te literas. Ad quas ſimulatque reſponderis, viſurum ſe quid fieri a ſe poſſit. Ad me quod attinet, jam etſi ante laborum plus juſto fortaſſe ſuſtineo, tamen ſi apud eum adhuc eſſem, interdum aliquid adjumenti attuliſſem ad libri editionem expoliendam. Quanquam ſpero ita utrimque comparata eſſe omnia, ut mea ope & conſilio non ſit opus futurum. Nos inter alia præ manibus nunc habemus Latinos Hiſtoriæ Romanæ auctores eos qui Cæſarum Vitas ſcripſerunt, & viam nobis ad Cæſaream Hiſtoriam præmunierunt: quorum hæc potiſſimum ſunt nomina & ſeries. Caroli Sigonii Faſti, cum ejuſdem commentario: L. Florus, Vellejus Paterculus; Meſſalla Corvinus, Eutropius, Sextus Rufus, Sextus Aurelius Victor, Caſſiodorus, Suetonius, Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Vulcatius Gallicanus, Ælius Lampridius, Trebellius Pollio, Flavius Vopiſcus, Ammianus Marcellinus, Pomponius Lætus, Baptiſta Egnatius. Tu ſi quid ad horum expolitionem velis contribuere, aut aliunde nobis impetrare, facies nobis & reipubl. officium gratiſſimum. Vale. Francofurti in ædibus Joannis Aubrii 20. Jun. 1587.

EPI-

EPISTOLA V.

EVERARDUS POLLIO. S. D.

Scipioni Gentili.

Baſileam.

EX Italia tua, mi Gentilis tandem in patriam redii pene, nec diffitebor, invitus. Multis mihi ea nominibus placuit, tum neſcio quo ingenio regionis, quod mire allicit, nec unquam expletos dimittit. Sæpe dum ibi diſcurro ſubiit vices tuas cogitare, qui ex amœniſſimis terrarum hortis in frigidas has plagas traductus doluiſſem, ſi quæ ſurculorum, eadem ingeniorum ſors eſſet, ſed hæc meliori ſidere inſpirata, ubique vigorem ſuum retinent. Quare nec moverunt te, quæ Heidelbergâ removerunt quorundam invidiæ (de quibus obſcure mihi auditum) imo, ſi recte exiſtimo, promoverunt: omnino enim ut faces vento inflammantur magis, & diluceſcunt, ita odiis ignei excelſique animi. Qui quomodo premantur! dum vivida illa vis ſurſum, disjecta quantumvis magna mole, erumpit. Ita ego te cenſere & reverà ſentire confido. Unde autem in iis enatæ occaſiones (abſit a tuo tam ingenuo pectore illud virus) ſi quid facere putabis, tribus verbis quæſo ſcribe. Hæc habebam de tuis rebus, quas apud quoſvis inde venientes diligenter inquiſivi. Non potui tamen certi quid credere, dum per totum hoc, quod abſumus tempus nihil a te literarum ſane habebam, de quo tecum conquererer, niſi D. Verhovius leniiſſet. Res noſtræ publicæ hoc biennio non valde arctantur. Quod in defenſivo bello non parvi augmenti eſt, Berta oppidulum his diebus novis præſidiis ſubſidiiſque refertum, ereptaque hoſti poſt multam cædem decem vexilla, paulum recrearunt. Ego, ut rumor ad nos ſæpe, vix eum ſtatum ſperabam; apud nos, tum in confinibus, turbæ. In Hollandiâ alta pax & otium. Res meæ dubiæ & incertæ, nec ſcio per has nubes, quo ſpectem. Forte iterum evolabimus. De Theodoro varie audivi, nec certam manſionem. Si ibi eſt, velim meo nomine plurimum ſalutes, & reſcribas. Vale, amiciſſime Gentilis, & me ama. Ultrajecti. Id. Octobr. anno. 1589. Stylo veteri Hoſpites tuos a me ſaluta.

EPISTOLA VI.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Franciſcus Junius.

Baſileam.

JAm diu reſcripſiſſem, vir Clariſſime, tuiſque literis (ut par eſt) reſpondiſſem, niſi deterruiſſet me ratio illius militis, qui vos a nobis miſere dirimit; ſed quia plus ſatis ceſſare eum video, infauſtaque hiberna facere, nolui committere diuturniore ſilentio, ut me tui erga me officii immemorem fuiſſe putes. Primum ergo de libro, quem miſiſti, gratias habeo: deinde vero quia judicium meum cupis cognoſcere, de eo ita ſtatuo, quiſquis auctor

 edendi

edendi fuit, cum non vacare culpa. Nam primum non puto eam fuiſſe Eraſti mentem quam ille obtendit, quandoquidem miſera illa controverſia in conſeſſu virorum bonorum fideliſſimorumque teſtium compoſita atque ſedata eſt, & auctor cum iis reconciliatus, qui ſtatim in præfatione perſtringuntur. Si contra hanc pacificationem Eraſtus venit, culpandus: ſi non, qui certe rixas emortuas quocunque ſtudio revocat, reprehendendus eſt. Omnino aut Eraſtum aut heredem in culpa eſſe oportet. De Eraſto non puto: hoc quidem puto rixoſas chartas ab eo ſervatas eſſe, ſed cavendi animo, ac non commovendi & laceſſendi ultro: Deinde nonne jam plus ſatis fervet Eccleſia contentionibus, & propter Deum pacis Eccleſiamque illius, ſilentium ſacrum occupari oportuit? Alia dicerem, ſed hoc viro bono plus ſatis. Ad ſummam: dolet mihi ſine ulla neceſſitate, ſine occaſione juſta, ſine ſpecie occaſionis (jam enim utrique obdormierunt in Domino) iſta obtrudi Eccleſiis, in quibus conſervandis & compingendis nos omnes adlaborare neceſſe eſt, & nævos alienos Spiritu pietatis, charitatis contegere. Quam rem ipſi editionis auctori religioſe dicturus eſſem, ſi me conſuleret. Sed quod factum eſt infectum eſſe non poteſt. Proſpiciat Dominus. Nos tibi, reverendis clariſſimiſque viris Dominis obſervandis ſalutem plurimam dicimus a Domino. Heidelbergæ die Lunæ. XXII. Decembris. CIↃ IↃ LXXXIX.

EPISTOLA VII.

SCIPIONI GENTILI S. D.

Franciſcus Junius.

Altorfium.

Binas a te literas accepi, vir Clariſſime: unas, ante menſes aliquot poſtquam ad biennium & amplius incerto cœlo, incertis manibus oberraſſent; alteras his diebus per adoleſcentem illum, qui ad nos migravit. Illarum erratio inde profecta, quod Leydam inſcripſeras, illi autem Lerdam conſtanter legerunt: ita aſſervatæ ſunt literæ in loco Lerdam, donec curavit ad me perferri quidam vir bonus, qui de nomine meo forte inaudiverat. Vides leviſſimam aberrationis cauſam tam diuturnæ. Quid agas? non reſpondi ad eas, quia tum neſcio quid percrebuerat de migratione tua, quam opinionem mihi poſteriores tuæ exemerunt. De voluntate mea velim te certiorem eſſe erga te & fideli & conſtante. Officium ſi quod fuit, gratum & utile fuiſſe gaudeo, nam mihi quidem illud in votis ſemper, prodeſſe cunctis velim, obeſſe nemini. Sed hæc mitto quæ præterierunt: ad præſentia venio. De tuo tuorumque ſtudio erga me gratias habeo: par de me ſtudium erga vos ſpondeo. Si quid erit quod veſtra cauſa a me deſiderabitur, re ipſa præſtiturus ac lubentiſſime. Interea ego in hoc cælo publica ſtudia curo, ut poſſum, quia ut vellem non licet. Graves ſunt hic mihi auræ maritimæ & venti perflantes, meamque conturbant frequentius valetudinem. In eodem genere lectionum pergo, quam poſſum diligentiſſime: cur enim ad alia tranſvolem? ſtudia in argumentis gravibus,

quæ

quæ offeruntur interdum occupo: nec plane inutiliter, per Dei gratiam. Interea vero me Tertullianus amplius ſeſquiannum tranſverſum rapuit, & ſuis fidiculis torſit. Sed jam per Dei gratiam expedivi me ab iſto equuleo, & ad Typographiam tranſmiſi. Prodibit in publicum (ſpero) ad vernales nundinas. Quid nunc, interſpiro ab illo labore, & meæ valetudini, quam hic afflictiorem audis, aliquid indulgeo. Sero id quidem, poſtquam labefactata eſt pertinace mea contentione; ſed tamen cum aliquo fructu. Montes Germaniæ ad exercitationem corporis interdum deſidero. Scaliger totus eſt in novanda ſua temporum emendatione magno labore atque induſtria: cui a te ſalutem dixi. B. V. Vir clariſſime & vive memor noſtri. Lugduno Batavorum. XVI. Cal. Novembris. CIƆ IƆ XCVI.

EPISTOLA VIII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Franciſcus Junius.

Altorfium.

CLariſſime vir, Literæ tuæ veſtræque omnium mihi tandem ſunt redditæ quarto poſt menſe, quam fuerant exaratæ: nam prope erant Francofurtenſes nundinæ. Sed quid dicam? ea ad amicitiam ſero, ad rem quæ agebatur non adeo venerunt ſero. Nam Tertullianus meus non ita potuit ex prælo expediri, ut ad iſtas nundinas transvolaret. Commode ergo, commodiſſime allata ſunt iſta, ut cum Indice Tertulliani aptari poſſent. Bonam operam navaviſtis mihi, per bonam publico, qui & juvenem illum ad hoc officium adduxiſtis, & tempus exſcriptioni lectionum variarum tribuiſtis, quarum multas Pamelius habuit, alias conjeci, alias a vobis didici. Veruntamen omnia ferme ita ut miſit Schioppius conſtitui edere, cum honeſta officii commemoratione. Nam multa ſunt notæ optimæ. Utinam de aliis habere tantundem contigiſſet. Et voluntatem tuam amo, quod petis, & officium tuum, quod te ſcire intereſt tua & noſtra. Patrum omnium graviſſimum illum & nervoſiſſimum Autumnales nundinæ, ſpero, daturæ ſunt. In quem ſi quid contuli, nihil profecto eſt præquam auctor dignus eſt. Sed voluntatem & ſtudium boni probaturi ſunt. Alii meliora præſtabunt, qui bene cupient publico, & poterunt. Eſt enim κοινὸς ἕρμης, quod ajunt. Nos in hoc maritimo cœlo atque inſolente valemus ut poſſumus, quia ventis acrius infeſtamur. Germanicum cœlum interdum deſidero cauſa valetudinis: ſed ubicumque ſit, non affectaverim moram peregrinationis iſtius, qui patriæ domus hæreditatem exſpecto in cœlis & ſpecto ardentiſſime. Vale. Lugduni Batavorum. XXVII. Aprilis. CIƆ IƆ XCVII.

EPISTOLA IX.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Dionyſius Gothofredus.

Altorfium.

DE urbis noſtræ ſtatu poſtremis ad te meis velut in tranſitu quædam perſcripſeram. Piget præſentia referre, quod & præſentes iſtic coram ſis habiturus, a quibus omnia noſtra omnino cognoſcas. Frangi me putas iſta mutatione miſerrima. Occallui ad iſta. Hic, ibi eſſe mihi non novum, ubivis ſum impellente vento, & ſi ſeveriter urges, nullibi. Deus, opinor tandem mihi otia benigne faciet. Sed cum veſtras ad me ac recentiores tuas literas retracto, video factum quod infectum fuiſſe velles. Ab his nec abludit animus, rebus (uti ſpero) vel integris utrimque, de quo fac (quæſo) ut, conditionibus omnibus adjectis, ex te intelligam quamprimum. Hoc illove modo res ceciderint, præſens abſens tuorum me beneficiorum recordatione oblectabo. Sed tamen ut ſcias non id unum tantum abs te petiiſſe, Generoſum Slupetium Polonum cum Grægorio præceptore & Petro Boëtio, quam poſſum fideliter, ſtudiorum cauſa ad vos euntes, commendo. Et hunc proſtremum quidem iterato, quod a noſtris ædibus recens diſcedit, & (quod lubentius fortaſſis audies) quod in litteris humanioribus progreſſus meo judicio maximos fecerit. His omnibus ſi quid beneficii abs te collatum erit mea cauſa, mihi benefactum ea parte putavero. Vale & me ut heri, hodie etiamnum amare ne deſine. Magnificum D. Rectorem Taurelium officioſiſſime ſaluto, vel hoc nominatim, quod non ita dudum, cum ad D. Sebizium Collegam noſtrum de ſuis rebus ſcriberet, in re certa mihi cautum voluerit; ſaluto & eodem animo cæteros omnes D D. Collegas tuos Clariſſimos amice ac ſincere: ſed te omnium nunc maxime. Argentorato. XXIX. Junii. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA X.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Dionyſius Gothofredus.

Altorfium.

TE mei curam habere, ex tuis ad Brederodium certo deprehendi: nam & meas acriter flagitaſti, & de cenſore quodam novo Ingolſtadienſi amiciſſime monuiſti: ne dedecus ille domus ſciat ultimus. Parum illud tamen, niſi & nomen Catonis mei & locos ab eodem notatos indicaveris, quod cum te facturum per literas Brederodio pollicitus ſis, urgeo quam poſſum maxime. Facies itaque id (ut ſpero) prima quaque occaſione. Nec movebor interim his carptoribus vel ſi conviciati fuerint. Cui ſcribenti non hoſtis aliquis oppoſitus? Ordinis noſtri homines noſti: naſuti ſatis ac momi. Num in omnibus felix Accurſius, quique eum ſecuti majorum gentium interpretes? non ſuos nacti crabrones Alciatus, Cujacius & cæteri noſtri? Quidni mihi quoque

que communis hæc alea ſit, impari & in inferioribus ſubſelliis poſito? Fas ſit iſtis cum canibus hirrire impune, quod ſermone humano uti (propter imperitiam) non poſſint. Illis jus certe notandi eſt, ſive quia liberi, ſive quia artifices periti: ſic tamen ut ſi non injuria cenſuerint, vel palam a me bonam gratiam referant: ſin injuria, modeſtiam a me eandem exſpectent. His acutulis virtus noſtra excitabitur: juvabis me (mi Scipio) ſi res ad triarios redierit, aut ſi qua bellua Africana ferocior occurrerit. De te tuaque humanitate ac benevolentia omnia mihi perſuaſi; ab eadem in poſterum quoque amicitiæ inter nos ſancitæ ac juratæ fructum exſpectabo. Ad publica noſtra venio, de quibus per Cl. Caſaubonum amicum veterem & fidum (cui has abeunti ad vos commiſi) certior multo poſſis fieri. Quod paucis tamen dictum ſit: neque belli gerendi, neque pacis firmiter conciliandæ via nobis patere nunc videtur. Si quid invicem iſtic fuerit, quod me reſcire intererit, monebis tempori: ſic ut tibi omnino perſuadeas perpetuam ac conſtantem mihi tecum fuiſſe, eſſe ac fore amicitiam. Caſaubonum interim tibi quam poſſum diligenter commendo, ut per te aditus ad eos illi pateat, quos & literas & literatos amare tibi certo conſtiterit. Vale. Argentorato. Januarii. XXVII. CIƆ IƆ XCIII.

EPISTOLA XI.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Dionyſius Gothofredus [illegible]

Altorfium.

QUod mea cauſa (vir Clariſſime) tot adverſariis meis te amiciſſime oppoſuiſti, jucundiſſimum mihi fuit ex tuis intelligere. Unus enim tu mihi ſatis pro illis omnibus. Et tamen jam dudum firmiter apud me decretum eſt convitiatores iſtos & admurmuratores famæ alienæ ſilentio præterire: uſque adeo ego audiendo & obdurando, illi adlatrando, ſinguli varie voluptatem capimus. Ingolſtadienſi illi, de quo reſcribis, addo alterum Rixium, qui me hocce mercatu epiſtola quadam 30. Antinomiarum ſuarum præfixa palam diffamarit. Ridebis, ſi dixero, inter præcipuos triumphos ſuos hæc referre, quod primus Cecropidarum majuſculis literis leges vulgatæ editionis a Florentinis diſtinxerit: quod Authenticis Codicis numerum novellarum adjecerit, & in novellis Authenticas Codicis præmonſtrarit. Quid ſi plura præſtitiſſet aut majora, putaſne Thraſonem illum omiſſurum fuiſſe? In his tamen ita gloriatur, ut & meam editionem ſibi vindicet, & interdicto mecum experiri poſſe exiſtimet. Velim tamen omnes ſciant prius illud a Contio cæteriſque antea obſervatum: alterum autem ab Haloandro. Quid amplius? non exiſtimationis aut juvandæ poſteritatis cauſa ſcribere me jactare auſus eſt, ſed lucri aut rei faciendæ gratia: quam calumniam quæſo, qua fronte homo omnium qui ſunt, erunt, aut fuerunt in ea re ſordidiſſimus, inurere mihi potuit? ſcatet pleriſque talibus tanti viri epiſtola, quam, ſi tibi a Muſis vacare contigerit mea cauſa percurrere dignabere. Hæc etſi in animum meum non penetrant, ut afficiant,

ciant, cautiorem tamen in poſterum reddent. Et vero, ſi unquam antea cura ſollicitior a me adhibebitur, ut optimam juris editionem habeamus. Hæc mihi vindicta atque ultio de meis, non alia: in hoc uno totus ſum, mi Gentilis, quod confidentius tibi indico, cum te cupere ſcire de rebus meis in ima tuarum cera reſcribas: at ego invicem aveo ex te intelligere, qua fine augureris hos non ſolum animis ſed & locis & corporibus conjunctiſſimos fore. De Friſia haud diſſimulabo, ſemel atque iterum ab Ordinibus miſſo in id mihi tabellario ſollicitatum me fuiſſe: ſed mutationes iſtæ (ut ſcis) mihi longum agmen familiæ trahenti, non ita expeditæ ac faciles; nunquam ſane, niſi evidenter in melius ſint, de quo tamen mihi tum liquere non potuit. Sic diffiſa cauſſa eſt, cujus maturandæ poteſtas penes eos qui vocant. Id ſi tibi augurium eſt, ſecreti tui partem apud me tantam eſſe patiare: Concors inter nos amicitia & fides eſt. Vides quid actum, agenda poſſis ipſe prævidere, & ſi ita eſt correum facere. Sin aliud eſt quod auguraris, mature monitum voles: Proviſa minus ferient: ſic tamen ut non niſi fidiſſimis hominibus literas tuas committas. Brederodius noſter Genevæ eſt, a parente ſenectutis allevandæ cauſa accitus. Se (uti mea opinio eſt) optimo & meritiſſimo ſeni præſentem dabit. Si ad nos venerit, faciam, ut in tranſcurſu tui ſit memor, dum te nec moleſtiſſime compellet. Tuas interim cupidiſſime expectabo: nonnihil enim ſuſpiciunculæ circa Belgas jam moviſti. Valeo mi amiciſſime Scipio, & me pro animorum & ſtudiorum gentilitate communi ut ſoles amplectere. Argentinæ. xxx. Junii. CIↃ IↃ XCVII. Illud prætermiſeram pene, tuas VII. Junii perſcriptas XXVI. ejuſdem redditas mihi fuiſſe per D. Lobbetium. Moram ſatis importunam vides.

EPISTOLA XII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Dionyſius Gothofredus.

Altorfium.

ADoleſcens a te mihi commendatus tuas ipſe mihi reddidit. Probe commendatum puta, ut & alios qui tuis literis inſtructi poſthac ad me venerint. Eſt inter nos, video, genius quidam communis, qui ſtudiorum morumque ſimilitudine nos conjunxit. Hoc itaque tibi certo perſuade, me χρηϛὸν ϗ κτητὸν tuum eſſe. Iſtic belli metum maximum eſſe ſcribis; ſed in bello pene noſtra jam Gallia eſt, niſi mos ad aliquid Principibus multis, qui fœdus inter ſe boni publici cauſa iniiſſe dicuntur, geratur. Sperant tamen multi rem totam brevi compoſitum iri, legatis eum in finem a Rege ad unitos illos Principes miſſis. Inter legatos eſt Thuanus, Boiſſiſius & Janinius. Homines cordati paciſque ſtudioſi omnes ſunt, noſtra quidem quod attinet, & quidem privata. Vicini veſtri Neoburgici remis veliſque furioſi in unum prope me feruntur, cum primis vero ſenior, Zeſclinus ſcilicet, meum in caput ſæviter admodum bacchatur. His nundinis prodromi mei defenſorem primum habebis: ſequentibus vero, ſi Deus vitam mihi fecerit, ſequentes. Septimum quo-

quoque de tutelis Electoralibus, Synopſi Fridenrichi oppoſui. Dabo operam ut priorem Vogelinus noſter, typographus ſcilicet principis Electoris, tibi reddendum curet: vix enim ante quintum diem liber impreſſus erit. Cæterum poſterioris exemplar huic adoleſcenti, tui ſtudioſo, qui abs te commendato præſens adfuit, tibi tradendum commiſi. Vale vir ampliſſime. Heydelbergæ. XII. Aprilis. CIↃ IↃC XIV.

EPISTOLA XIII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Marquardus Freherus.

Altorfium.

EXemplo fortaſſe novam rem putabis, atque ideo inter prodigia referendam, aruſpicinæ columen Scipio, quod poſt nuptias jamdudum factas, deducta domum ſponſa, & lare conſtituto, ad aruſpices demum & amicos referam; te præſertim hominem in utroque eo ordine mihi primum, imo unicum. Tamen nec aut occupationes varias, aut feſtinationem ſummam ineptiarum ob hyemem ingruentem, aut amoris impotentiam, quæ me omnium amicorum præ tam rara domina oblivisci fecerit, erga te cauſabor: ſed ſolam, incredulitatem tuam, qui cum toties (ita ſcribebas, ſcis ad quem) ſive aliorum rumoribus, ſive jactatione mea deluſus, non jam magis mihi quam Plano illi crurifragium mentienti crediturum te affirmares, eaque re epithalamion etiam ſcribere, imo meditari præfracte detrectares; ita affectus videbare, ut non niſi de ea re tranſacta tibi tandem fidem fieri eſſes paſſurus. Crede igitur tandem, crede aruſpex, Freherum tuum juvenilibus nugis ineptiiſque relictis, ſcyphiſque & pila abdicatis, nucibus denique ſparſis ſeriam vitam ingreſſum, ſponſum, maritum, patremfamilias factum. Crede dignam optimo juveni puellam, ipſiuſque votis & amicorum fide majorem conjugem obtigiſſe: nec crede tantum, ſed & gaude, & vos

Gaudete o ſcioliquе haruſpiceſque
Et quantum eſt hominum ſuaviorum,
Scipique ante alios amate gaude.
Quem tu diligis unice coliſque,
Quemque in deliciis habes ſodalem,
Uxor contigit en tuo Frehero.
At non e media puella turba
Delectu temere expetita nullo:
Virgo eſt eximia atque rara, qualem
Qualem (inquam) bene ſingulis putatis
Votis vix procus improbis deoptet,
Certo numine mi tributa Divum:
Frugalis, pia, & eloquens, pudica,
Dives, nobilis, elegans, puella,
Amans atque ſupra fidem Freheri

Quid his denique majus expetendum?
Quare, ſi modo amas tuum Freberum
Accingare operi, & Thalaſſionem
Indicas calamo ſalaciori.
Felicemque Freberum amante Nympha,
Felicemque Viro canas Vieram.
Et dic, vivat amatus ille nympha
Et hac vivat amatior marito.
Pro quiês officiis uterque conjux:
Gratus Scipiada meo eſt futurus,
Sponſus carmine, ſed puella gemma,
Quam tradet nivea diſerta dextra:
Geſtit dicere gratias Freherus.
Geſtit reddere gratias Viera.

Nec tu jam aut invitus tantæ tanti amici fortunæ applaude, qui id & toties promiſiſti, præſenti, abſenti, & idem officii, cum res expoſcet, a me paratiſſimo es impetraturus, imo expectaturus, aut ſecum tuum officium futurum putaveris: quippe cum res (hac quidem parte) integra ſit, & multorum, ſed bonorum carmina habeam, nullius adhuc excuderim, omnium excuſurus, cum ſociata erunt: inter quos tuum vel potiſſimum expeto, modo ne grave ſit (tuo more) tetricum, Catonianum; ſed liberum, facetum, Catullianum, auſpicinæ denique collegis dignum. Neque enim ego quidquam hac in re aut mihi (homini infra mediocritatem poſito) aut meæ præconii comparare ſtudeo; ſed ſolum ejus amicitiæ, quam cum bonis meique genii hominibus hactenus colui, monumentum extare curo. Noſti qui ſim, nec alius generis fuere majores. Convenit in eo cum mea, quod & ipſa literato genere nata, patre archiatro Treverico, avo paterno Joanne illo Wiero auctore de lamiis & præſtigiis Dæmonum, archiatro Juliaco, materno Johanne Echtio, vero eruditiſſimo, & medico eximio Coloniæ. Verbum non addidero, quam dulciſſimo pariter & rotundiſſimo anagrammate comprehenſum a me heræ nomen, Catharina Wiera

Sic na amo te mea lux ſatis! ah fuge credere quidquam
Vivere ſub patulo carius orbe mihi.
Tu ſola & VERA es, tota quæ CHARA Frehero
IN VITA es, quæ poſt funera chara manes.

Idem etiam officii a Domino Rittershuſio (quo me viro amicorum lectiorum theſaurum auxiſſe ſerio gaudeo) quæſo petas & impetres, & faciet, (ſat ſcio) haud gravatim. Cui etiam haſce literas (quas unas mihi vix jam ſcribere licuit occupatiſſimo) legendas communices, omnino volo. Præſertim cum ab eo etiam certior fieri cupiam de ejus conſilio edendorum pſalmorum a diverſis carmine redditorum, & a ſe diſpoſitorum: quod ſi ita, ut inaudivi, aggreſſurus eſt, ſi res integra eſt, non tantum unum atque alterum pſalmum a me verſibus decantatum ei illic inſerendum mittere poſſim, ſed vero pleroſque

que omnes a nobiliſſimo & ſtrenuo viro affini noſtro Theodorico Viero Burggrafio Starckenburgico tam feliciter & eleganter expreſſos, ut cum Buchanani opera certare ſine periculo poſſe videantur. Quod te ei ſignificare pervelim, meiſque verbis ſalutem quam prolixiſſime dicere. Vale Collega conjunctiſſime, & ſilentio tandem rupto (a me quidem primo, video enim te ea parte cedere neſcium) ſcribe, imo reſcribe, & epithalamia veſtra utriuſque (nec enim aliorum ambio) adjunge. Vale denuo. Data raptim Heydelbergæ IV. Februar Anno. CIƆ IƆXCIV. Paratitulorum Leunclavii & Notatorum unicum, quod adhuc ſupererat mihi, exemplar dono habe. Parergῶν (quo tamen titulo tibi cedam, tanta fides) libros tres recuſos brevi a me exſpecta. Tu in tuis quid ceſſas?

EPISTOLA XIV.

SCIPIONI GENTILI. SD.

Marquardus Freherus.

Altorfium.

Obtundis me & odio enecas, aruſpicum improbiſſime, quod ad te non ſcribam. Quaſi non tibi id ipſum dudum ſolenne; & ego antea, monendo te ut ſcriberes ad me, ut ſcriberes in publicum, & parerga ſaltem tua abſolveres, fere ramices ruperim. Crede tamen æſtate fere tota abſens domo fui, in legationibus, in thermis, in nundinis. Deinde occupationibus publicis & privatis nimium quam diſtrictus. Argumentum etiam ſcribendi invenire non potui. Jam cum ſcribere prolixe vellem, auriga contra quam heri dixerat, ſubito diſcedit, nec ſpatium ullum mihi relinquitur. Itaque hæc propere effudi, ſaltem ut bilem tuam temperarem. Mitto tibi Epithalamiorum meorum 3. exemplaria. Quorum alterum Rittershuſio inſcriptum cum ſalutatione mea habes, tertium cui voles amicorum, arbitrio boni viri. Faciam aliquid epigrammatis in editionem tuam Donelli, in qua operam navatam laudo. Ego nihil jam præ manu habeo, quod edam, totus ignavus, ſupinus, uxorius, ebrius. Ante annum luſi quidpiam de *numiſmatis*, quod præſenti tum tibi monſtravi. Sed ex eo tempore majorem in modum exornavi. Ejus capita excerpſi, & mitto tibi, ut non tantum videas, ſed & perſonam in eo aſſignatam tuearis, id eſt quaternas tuas ſuper hac re obſervationes ex bonis auctoribus ſubminiſtres, ne ſine fœnore hunc Elenchum mihi remittas. Fors & D. Rittershuſius aliquid ad hanc rem ſuppeditare poſſit. Edidit ille non ita dudum orationem de *Lycurgo & ejus legibus*. Cujus exemplar ſi adhuc habet, ab eo petitum velim. Eum rogo & alios amicos prolixe a me ſaluta, & ſalve valeque. Scriptionem meam & raram & malam boni æquique conſule. Brevi plura. Salve a Meliſſo, Grutero! Datæ raptim Januar. CIƆ IƆC LXXXXVI.

ciant, cautiorem tamen in poſterum reddent. Et vero, ſi unquam antea cura ſollicitior a me adhibebitur, ut optimam juris editionem habeamus. Hæc mihi vindicta atque ultio de meis, non alia: in hoc uno totus ſum, mi Gentilis, quod confidentius tibi indico, cum te cupere ſcire de rebus meis in ima tuarum cera reſcribas: at ego invicem aveo ex te intelligere, qua fine augureris hos non ſolum animis ſed & locis & corporibus conjunctiſſimos fore. De Friſia haud diſſimulabo, ſemel atque iterum ab Ordinibus miſſo in id mihi tabellario ſollicitatum me fuiſſe: ſed mutationes iſtæ (ut ſcis) mihi longum agmen familiæ trahenti, non ita expeditæ ac faciles; nunquam ſane, niſi evidenter in melius ſint, de quo tamen mihi tum liquere non potuit. Sic diffiſa cauſſa eſt, cujus maturandæ poteſtas penes eos qui vocant. Id ſi tibi augurium eſt, ſecreti tui partem apud me tantam eſſe patiare: Concors inter nos amicitia & fides eſt. Vides quid actum, agenda poſſis ipſe prævidere, & ſi ita eſt correum facere. Sin aliud eſt quod auguraris, mature monitum voles: Proviſa minus ferient: ſic tamen ut non niſi fidiſſimis hominibus literas tuas committas. Brederodius noſter Genevæ eſt, a parente ſenectutis allevandæ cauſa accitus. Se (uti mea opinio eſt) optimo & meritiſſimo ſeni præſentem dabit. Si ad nos venerit, faciam, ut in tranſcurſu tui ſit memor, dum te nec moleſtiſſime compellet. Tuas interim cupidiſſime expectabo: nonnihil enim ſuſpiciunculæ circa Belgas jam moviſti. Valeo mi amiciſſime Scipio, & me pro animorum & ſtudiorum gentilitate communi ut ſoles amplectere. Argentinæ. xxx. Junii. CIↃ IↃ XCVII. Illud prætermiſeram pene, tuas VII. Junii perſcriptas XXVI. ejuſdem redditas mihi fuiſſe per D. Lobbetium. Moram ſatis importunam vides.

EPISTOLA XII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Dionyſius Gothofredus.

Altorſium.

ADoleſcens a te mihi commendatus tuas ipſe mihi reddidit. Probe commendatum puta, ut & alios qui tuis literis inſtructi poſthac ad me venerint. Eſt inter nos, video, genius quidam communis, qui ſtudiorum morumque ſimilitudine nos conjunxit. Hoc itaque tibi certo perſuade, me χρηστὸν καὶ κτητὸν tuum eſſe. Iſtic belli metum maximum eſſe ſcribis; ſed in bello pene noſtra jam Gallia eſt, niſi mos ad aliquid Principibus multis, qui fœdus inter ſe boni publici cauſa iniiſſe dicuntur, geratur. Sperant tamen multi rem totam brevi compoſitum iri, legatis eum in finem a Rege ad unitos illos Principes miſſis. Inter legatos eſt Thuanus, Boiſſiſius & Janinius. Homines cordati paciſque ſtudioſi omnes ſunt, noſtra quidem quod attinet, & quidem privata. Vicini veſtri Neoburgici remis veliſque furioſi in unum prope me feruntur, cum primis vero ſenior, Zeſclinus ſcilicet, meum in caput ſæviter admodum bacchatur. His nundinis prodromi mei defenſorem primum habebis: ſequentibus vero, ſi Deus vitam mihi fecerit, ſequentes. Septimum

quo-

quoque de tutelis Electoralibus, Synopſi Fridenrichi oppoſui. Dabo operam ut priorem Vogelinus noſter, typographus ſcilicet principis Electoris, tibi reddendum curet: vix enim ante quintum diem liber impreſſus erit. Cæterum poſterioris exemplar huic adoleſcenti, tui ſtudioſo, qui abs te commendato præſens adfuit, tibi tradendum commiſi. Vale vir ampliſſime. Heydelbergæ. XII. Aprilis. CIↃ IↃC XIV.

EPISTOLA XIII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Marquardus Freherus.

Altorfium.

EXemplo fortaſſe novam rem putabis, atque ideo inter prodigia referendam, aruſpicinæ columen Scipio, quod poſt nuptias jamdudum factas, deducta domum ſponſa, & lare conſtituto, ad aruſpices demum & amicos referam; te præſertim hominem in utroque eo ordine mihi primum, imo unicum. Tamen nec aut occupationes varias, aut feſtinationem ſummam ineptiarum ob hyemem ingruentem, aut amoris impotentiam, quæ me omnium amicorum præ tam rara domina oblviſci fecerit, erga te cauſabor: ſed ſolam, incredulitatem tuam, qui cum toties (ita ſcribebas, ſcis ad quem) ſive aliorum rumoribus, ſive jactatione mea deluſus, non jam magis mihi quam Plano illi crurifragium mentienti crediturum te affirmares, eaque re epithalamion etiam ſcribere, imo meditari præfracte detrectares; ita affectus videbare, ut non niſi de ea re tranſacta tibi tandem fidem fieri eſſes paſſurus. Crede igitur tandem, crede aruſpex, Freherum tuum juvenilibus nugis ineptiiſque relictis, ſcyphiſque & pila abdicatis, nucibus denique ſparſis ſeriam vitam ingreſſum, ſponſum, maritum, patremfamilias factum. Crede dignam optimo juveni puellam, ipſiuſque votis & amicorum fide majorem conjugem obtigiſſe: nec crede tantum, ſed & gaude, & vos

Gaudete o ſciolique haruſpiceſque
Et quantum eſt hominum ſuaviorum,
Scipique ante alios amate gaude.
Quem tu diligis unice coliſque,
Quemque in deliciis habes ſodalem,
Uxor contigit en tuo Frehero.
At non e media puella turba
Delectu temere expetita nullo:
Virgo eſt eximia atque rara, qualem
Qualem (inquam) bene ſingulis putatis
Votis vix precus improbis deoptet,
Certo numine mi tributa Divum:
Frugalis, pia, & eloquens, pudica,
Dives, nobilis, elegans, puella,
Amans atque ſupra fidem Freberi

Quid his denique majus expetendum?
Quare, ſi modo amas tuum Freberum
Accingare operi, & Thalaſſionem
Indicas calamo ſalaciori.
Felicemque Freberum amante Nympha,
Felicemque Viro canas Vieram.
Et dic, vivat amatus ille nympha
Et hac vivat amatior marito.
Pro quiês officiis uterque conjux:
Gratus Scipiada meo eſt futurus,
Sponſus carmine, ſed puella gemma,
Quam tradet nivea diſerta dextra.
Geſtit dicere gratias Freherus.
Geſtit reddere gratias Viera.

Nec tu jam aut invitus tantæ tanti amici fortunæ applaude, qui id & toties promiſiſti, præſenti, abſenti, & idem officii, cum res expoſcet, a me paratiſſimo es impetraturus, imo expectaturus, aut ſecum tuum officium futurum putaveris: quippe cum res (hac quidem parte) integra ſit, & multorum, ſed bonorum carmina habeam, nullius adhuc excuderim, omnium excuſurus, cum ſociata erunt: inter quos tuum vel potiſſimum expeto, modo ne grave ſit (tuo more) tetricum, Catonianum; ſed liberum, facetum, Catullianum, aruſpicinæ denique collegis dignum. Neque enim ego quidquam hac in re aut mihi (homini infra mediocritatem poſito) aut meæ præconii comparare ſtudeo; ſed ſolum ejus amicitiæ, quam cum bonis meique genii hominibus hactenus colui, monumentum extare curo. Noſti qui ſim, nec alius generis fuere majores. Convenit in eo cum mea, quod & ipſa literato genere nata, patre archiatro Treverico, avo paterno Joanne illo Wiero auctore de lamiis & præſtigiis Dæmonum, archiatro Juliaco, materno Johanne Echtio, vero eruditiſſimo, & medico eximio Coloniæ. Verbum non addidero, quam dulciſſimo pariter & rotundiſſimo anagrammate comprehenſum a me heræ nomen, Catharina Wiera

Sic na amo te mea lux ſatis! ah fuge credere quidquam
Vivere ſub patulo carius orbe mihi.
Tu ſola & VERA es, tota quæ CHARA Frehero
IN VITA es, quæ poſt funera chara manes.

Idem etiam officii a Domino Rittershuſio (quo me viro amicorum lectiorum theſaurum auxiſſe ſerio gaudeo) quæſo petas & impetres, & faciet, (ſat ſcio) haud gravatim. Cui etiam haſce literas (quas unas mihi vix jam ſcribere licuit occupatiſſimo) legendas communices, omnino volo. Præſertim cum ab eo etiam certior fieri cupiam de ejus conſilio edendorum pſalmorum a diverſis carmine redditorum, & a ſe diſpoſitorum: quod ſi ita, ut inaudivi, aggreſſurus eſt, ſi res integra eſt, non tantum unum atque alterum pſalmum a me verſibus decantatum ei illic inſerendum mittere poſſim, ſed vero pleroſque

que omnes a nobiliſſimo & ſtrenuo viro affini noſtro Theodorico Viero Burggrafio Starckenburgico tam feliciter & eleganter expreſſos, ut cum Buchanani opera certare ſine periculo poſſe videantur. Quod te ei ſignificare pervelim, meiſque verbis ſalutem quam prolixiſſime dicere. Vale Collega conjunctiſſime, & ſilentio tandem rupto (a me quidem primo, video enim te ea parte cedere neſcium) ſcribe, imo reſcribe, & epithalamia veſtra utriuſque (nec enim aliorum ambio) adjunge. Vale denuo. Data raptim Heydelbergæ IV. Februar Anno. CIƆ IƆXCIV. Paratitulorum Leunclavii & Notatorum unicum, quod adhuc ſupererat mihi, exemplar dono habe. Parergῶν (quo tamen titulo tibi cedam, tanta fides) libros tres recuſos brevi a me exſpecta. Tu in tuis quid ceſſas?

EPISTOLA XIV.

SCIPIONI GENTILI. SD.

Marquardus Freherus.

Altorfium.

Obtundis me & odio enecas, aruſpicum improbiſſime, quod ad te non ſcribam. Quaſi non tibi id ipſum dudum ſolenne; & ego antea, monendo te ut ſcriberes ad me, ut ſcriberes in publicum, & parerga ſaltem tua abſolveres, fere ramices ruperim. Crede tamen æſtate fere tota abſens domo fui, in legationibus, in thermis, in nundinis. Deinde occupationibus publicis & privatis nimium quam diſtrictus. Argumentum etiam ſcribendi invenire non potui. Jam cum ſcribere prolixe vellem, auriga contra quam heri dixerat, ſubito diſcedit, nec ſpatium ullum mihi relinquitur. Itaque hæc propere effudi, ſaltem ut bilem tuam temperarem. Mitto tibi Epithalamiorum meorum 3. exemplaria. Quorum alterum Rittershuſio inſcriptum cum ſalutatione mea habes, tertium cui voles amicorum, arbitrio boni viri. Faciam aliquid epigrammatis in editionem tuam Donelli, in qua operam navatam laudo. Ego nihil jam præ manu habeo, quod edam, totus ignavus, ſupinus, uxorius, ebrius. Ante annum luſi quidpiam de *numiſmatis*, quod præſenti tum tibi monſtravi. Sed ex eo tempore majorem in modum exornavi. Ejus capita excerpſi, & mitto tibi, ut non tantum videas, ſed & perſonam in eo aſſignatam tuearis, id eſt quaternas tuas ſuper hac re obſervationes ex bonis auctoribus ſubminiſtres, ne ſine fœnore hunc Elenchum mihi remittas. Fors & D. Rittershuſius aliquid ad hanc rem ſuppeditare poſſit. Edidit ille non ita dudum orationem de *Lycurgo & ejus legibus*. Cujus exemplar ſi adhuc habet, ab eo petitum velim. Eum rogo & alios amicos prolixe a me ſaluta, & ſalve valeque. Scriptionem meam & raram & malam boni æquique conſule. Brevi plura. Salve a Meliſſo, Grutero! Datæ raptim Januar. CIƆ IƆC LXXXXVI.

EPISTOLA XV.

SUPIONI GENTILI. S. D.

Marquardus Freherus.

Altorfium.

MEminiſti opinor Vir Clariſſ. ſermonum quos proxime ante abitum meum habuimus. Ea de re ego non tantum maturius apud me interea cogitavi, ſed peculiari conſilio, & pro meo in te ſtudio, ad affinem mihi a multis annis conjunctiſſimum ſcripſi, ut mentem ejus de filia, quam ego tibi, annuente Deo, collocari optarim, explorem. Habeo ab eo quod volui, dum intelligo animum ejus ad meam commendationem, quam recenſere nil attinet, ab hac re non alienum. Et velim tibi hoc viciſſim perſuaſum, niſi judicarem illam tuo conſortio dignam, ſive animi ſive corporis & fortunæ dotes ſpectes, me haſce partes conciliatoris minime fuiſſe ſubiturum. Illa eſt mea. Pater in dignitate conſtitutus & re lauta. Quod ſi animus huc inclinabit, & affinitas mea & meorum tibi non improbabitur, poteris reliqua cognoſcere ex me vel præſens vel per literas. Ego bona & Germana fide tecum agam, & uti ſpero, de ſingulis ſatisfaciam, nec dubium eſt quin amicus ille meus, jactis primis fundamentis, vocatus a me lubens cum nata prima occaſione huc ſeſe ſiſtet. Hunc te nuncium, quem non ingratum fore confido, celare nolui. Tu pro tua prudentia hæc non vulgabis. Vale iterum atque iterum, & noris me commodorum tuorum ſtudioſiſſimum. Datæ 24. Julii anno 96. Noribergæ.

EPISTOLA XVI.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Marquardus Freherus.

Francofurtum ad Mœnum.

QUæſo, te aruſpicum perſpicaciſſime, ubi in Britanniam veneris (quod te feliciter facere & ſoſpitem ad ſoſpites reverti opto) libellum iſtum jam diu anxie mihi & nequicquam indagatum ibi pro me emere, & duo (ſi poteris) exemplaria afferre velis. Si venalis non reperitur, unum ſaltem exemplar vel furto undecumque affer. Vale & ſalve. Dat. Heydelb. XVIII. Junii cIↃ IↃC. II. Princeps (Dei Gratia) revaleſcit.

Ἀρχαιονομία hoc eſt priſcæ Anglorum leges, ab Ina, Alfredo, Edovardo, Guthruno, Etheſtano, Edgano, Ethelredo, & Canuto Regibus Anglorum conditæ. Cum Latina interpretatione Guil. Lambardi, Londini apud Johannem Dajum anno 1568. Sal. plur. Dno. Alberico Gentili V. C. fratri tuo meis verbis quæſo dicas meaque officia prolixe deferas.

EPISTOLA XVII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Janus Gruterus.

Altorfium.

JAm anni ſunt plures, præſtantiſſime Gentilis, quod alter alterum vidimus Leidæ in prælectionibus Cl. VV. Donelli & Lipſii; & licet arctior nulla inter nos tunc temporis familiaritas, exinde tamen tacito te dilexi ſenſu, tum ex commendatione optimi & intimi mei Donelli; tum quod ego a me pronus in bonos & doctos: ut vero contigit editionem videre aliquot libellorum, qui ad jus noſtrum & antiquitates, amor ille meus immenſum auxit & refloruit, ut enim ſunt res humanæ, ſequius aliquid de ſtudiis imo etiam vita tua ſuſpicabar; ſequius inquam, tanquam aut hæc tibi fato erepta, aut illa ejuſdem malignitate impugnata. Sed & ex quo nuper ex Donelli familiaribus intelligo, ſtationem tibi hic ſatis tolerabilem præbere Altorfium, exſilui gaudio, & gratulatus ſum hanc quietem, utique poſt tot decumanos fluctus, quibus ille neſcio quis obruere te viſus; ſed fruſtra, quippe ex Meliſſi noſtri literis, & ad me odis ſic ſatis intellexi. Sed & funebri oratione communem noſtrum præceptorem a te honeſtatum lubens ſane intellexi; expectoque indies ex Lipſiano mercatu ejuſdem exemplaria. Et quoniam ego quoque minerval aliquod optime de me merito viro rependere geſtio, quæſo te ne graveris ad me per occaſionem ſuper his reſcribere. Quos præcipue profeſſorum Donellus ultime habuerit amicos. Eorum exprimes nomina, cognomina. Quos etiam e Senatu Norico expertus ſumme patronos, eorum etiam edes nomina, cognomina. Reliqua quæ ſcire expeto, ex oratione tua ſpes eſt haurire me poſſe. Ignoſce impolitiæ & brevitati, jam enim unus & totus ſum concinnandæ orationi etiam funebri in honorem Illuſtriſſimi Principis ac Electoris Chriſtiani, quem e medio ætatis & virtutum curſu invida nobis ſuſtulit mors. Id enim munus a Senatu Academio mihi demandatum. Suſpicionum mearum nugas, ſi vidiſti, imperti quæſo & cenſuram ſuper iis tuam. Sed & Dyonyſiana illa Gothofredica contra me ecquid te capiant ſcire cupio. Me ſane vehementer delectant, nec largior riſus mihi quam inde materies. Næ decori veſtræ Academiæ indecore conſuletur, ſi ſinciput illud ſine cerebro in Donelli ſufficietur locum. Cogita cantiones ſelectas Arioſti, ubi ſimilitudo eſt ab enſe ferreo amiſſo, & in ejus locum indito ligneo. Vale, Vale, doctiſſime juvenum, nam interpellor. Vitebergæ die III. Octobris. Recte curabuntur literæ, ſi inſcripſeris Lipſiam Doctori Paulo Vetzero J. C. aut Doct. Matthæo Dreſſero Medicinæ & Hiſtoriarum profeſſori.

EPISTOLA XVIII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Janus Gruterus.

Altorfium.

CLariſſime vir. Tuis amantiſſimis dudum reſpondiſſem, niſi earum lator fidem mihi omnino feciſſet fore, ut intra XIV. dies huc eum inſequeretur communis amicus D. Weſembecius. Cum eo commode reſcribere putabam. Sed me ea ſpes falſum habuit. Itaque ne videar quid præter officium, jam ſaltem tribus ad te verbis itur propter nuncii hujus improbam feſtinationem. Freherus noſter tuas ante aliquot dies legit, jubetque ſecurum eſſe, eo ne te ocreatus penulatuſque in frequenti opprimat auditorio: meditari enim neſcio quos fontes, neſcio quæ ſtagna, & vero ſponſum vocabimus propediem, niſi quid notabiliter turbet contrarium Junoni numen; me certe quotidie interpellat de Feſcennino. Tale quid etiam ut de Meliſſo vere dicatur, metuo. Homo totos dies latet neſcio quo loco: ita nec domi ſuæ eſt, nec videtur ubi videri ſolent probi atque officioſi adoleſcentes. Tua Venus qualiſcunque erit, ut tandem matureſcat, Venerem illam quæſo domiducam. De Epigrammate nimis es facetus; Nicri fontes & lymphas hic videmus & haurimus quotidie, ut poetici ſucci, vel uvam exprimam eliciamve guttam! frustra forſan. Bonum itaque factum, ut exoratis Muſis, quæ procul dubio tuos uſque inſequuntur greſſus, amicum tui animitus obſervantem voti facias compotem. Non multa ſunt quæ oro. Si octo, decem, duodecim impetraro verſus, rem factam habebo, abſque eo fracta ſit oportet, neque eam ipſe reſarcierit Mulciber. Simile quid peterem lubens a collega tuo D. Ritterſhuſio, ſed vereor ne & ille de compacto idem garriat, quod tu. Id ne fiat, in contrarium obtine palmam, & nil mihi excuſes, attamen ipſe exhibe. Quod ſuſpiciones operoſas appelles tibi ipſi imponis: natæ mihi ſunt olim ſub manu ſine libris ſine literis, nec interea quidquam adſtruximus! ita nos diſtinet Seneca, qui nec proximis prodibit nundinis, ut ſaltem ſervet Comelinus illud ſuum antiquum Ἀεὶ σπεῦδε. Vale & ſalve vir amiciſſime, & excuſatam habe epiſtolæ hujus impolitiem. Heidelbergæ die xx. Julii CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XIX.

HUGONI DONELLO. S. D.

Hubertus Giphanius.

Lugdunum Batavorum.

TRibus fere abhinc menſibus ad te ſcripſi V. C. ad quas quia præter morem tuum nihil dum reſpondiſti, quod quidem ego acceperim; vereor ne, ut fit hoc tempore, interciderit. In iis tuum conſilium probabam, quod ceperas de commentariis quibuſdam tuis Senatui Norico inſcribendis. Egeram quoque gratias de §. *veteres* a te quidem diligentiſſime explicato, ſed

in

in quo tamen etiam aqua mihi hæreat. Scripſeram, & ni fallit, de D. Chr. Herdeſſiano, Remp. & Academiam Noricam orbatam eſſe alieniſſimo tempore; is enim anno 75 extremo diem ſuum obiit, paralyſi ictus. Præterea te rogaram, ut ſi quid in XII. tabulas obſervaſſes, mecum communicares, qui eas leges hic in Acroaſi velut παρεργῶς explicare vellem. Quod idem & nunc te rogo. Eoque nomine & Lipſium interpello meis literis, quas tibi mitto. De ſchola noſtra nihil eſt quod ſcribam. Adoleſcit illa quidem & progreditur, ſed lento gradu. Senatus de ſumma re litem habet perveterem cum vicino Marchione, cujus exitus omnes nos habet ſollicitos, expectatur intra paucos dies, aut menſes. Naumburgi, quæ eſt urbs Thuringiæ, 5. dierum itinere diſtans Noriberga, conventus Principum aliquot, in quibus & Regis Daniæ, dicitur hoc menſe futurus. Moſcus præter Auſtricos Polonis commendatur, [illegible]. De ſtudiis quod amplius aut mittam aut ſcribam, nihil jam habeo. Quod a jure & munere mihi reliquum eſt tempus, totum fere impendo Philoſophiæ. Vale vir doctiſſ. & ſalve. Commentarium tuum accepi a D. Pangartero V C. jam redditum eſſe Senatui. Summus ille vir magnopere te amat, tuumque commentarium Senatui diligentiſſime commendavit. quod ab ipſo brevi cognoſces. Iterum vale. Altorphio III. Junii. CIƆ IƆ LXXXVII. Si qua tibi notitia eſt cum D. Hadriano Mylio, præſide Curiæ Hagenſis: velim ut commodo tuo, ſalutem a me illi vel dicas vel adſcribas.

EPISTOLA XX.

HUGONI DONELLO. S. D.

Hubertus Giphanius.

Lugdunum Batavorum.

VIx XII. ſunt dies, cum & literas ad te meas, & iter tibi inſtituendum a me exaratum ſcholarchis noſtris Noribergam miſi, quæ etſi fortaſſe has anteverterint, nihilque adeo habebam quod ſcriberem, nolui tamen hos adoleſcentes mihi familiares ſine meis ad te literis domum redire. Nam ex iis cum de aliis rebus, tum de itinere percommode omnia intelliges, quæ literis neque credi omnia hoc tempore, neque fere peræque dilucide & intelligenter exponi poſſint. Suaſi illis, ut idem iter inſtituant, eoſque Emdæ amico commendavi. Tu ad Senatum habes commendatitias, & ad optimum ac doctiſſimum ſenem Madmanum principem Senatus. Longum eſt iter fateor ac difficile. Oppidum hoc noſtrum obſcurum & ignobile. Sed ea tamen tu ſapientia & virtute facile ſuperabis. Teque amicorum conſuetudine, loci tranquillitate & otio, aliiſque multis commodis, quæ ſcholarchæ & ampliſſimus Senatus Noricus nobis ſuppeditant, conſolaberis, ſive potius recreabis. Vale V. C. & veni, niſi forte quod malim, jam in itinere eris, cum hæ literæ Leidam adferentur. Altorfii Noricorum x. Aug. ſalutem doctiſſimo Lipſio.

EPI-

EPISTOLA XXI.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Hubertus Giphanius.

Altorſium.

LÆtor mihi datam eſſe tandem reſpondendi opportunitatem: quæ ſæpe nobis antea, nunc raro datur, Sannione noſtro domi ſervante; anſerinum illum ſutorem intelligo. Tuæ autem literæ, vir doctiſſime, gratiſſimæ mihi fuerunt, non tam ob oratiunculam illam (viſa enim mihi, quod inter nos liceat εὐτελές τι πρᾶγμα) quam ob animum illum tuum auro contra æſtimandum. Quare id tibi de me velim perſuadeas, nihil eſſe aut fore, quod non tua cauſſa toto pectore cupiam. Retardavit quidem noſtram familiaritatem Donellus ut ego exiſtimo: ſed ejus ut aquæ retentæ impetum & ſtudium acrius jam fore confido. Ad Bongarſium quoque cum ſcribes, quæſo te ut meis illi verbis ſalutem adſcribas. De Petro Veſenbecio nobis gratulor viro graviſſimo & doctiſſimo. De altero miratus fui, potuiſſe eum a noſtris vocari, cujus ut innumerabiles ineptias prætermittam & nævos turpiſſimos, quibus pulcherrimum Juris noſtri corpus fœdavit, videas mihi vel parum ejus libellum *de ratione ordinis in pandectis obſervati:* craſſos & pueriles plane errores reperias. Verbi gratia, ad lib. 4. ubi de reſtitutionibus in integr. *Competunt* (inquit) *ea vel jure actionis, ut quod metus cauſa, & de dolo malo, vel officio judicis, ut de minoribus, de cap. minut. Ex quibus cauſ. major. Vel ex edicto ut de alien. jud. mut cauſ.* Primum quis nunquam τὸ ex edicto oppoſuit τῷ jure actionis, an non & actiones ſunt ex edicto. Deinde reſtitutio ex cauſa capitis demunitionis fit actione, ut reſtitutio ex cauſa metus, & doli, idemque de illa quæ majoribus datur, notum vel ex elementis juris eſſe poterat, in quibus §. *rurſus de act.* actio reſciſſoria explicatur. Idem denique de illa reſtitutione, quam ex edicto ille vocat, dicendum. Nam & ea fit actione. Breviter, omnis reſtitutio fit ex edicto ſive actione, excepta minorum, quæ ſola fit decreto, ſive cognitione prætoria, quam ille cum Gloſſogr. ſuis officium judicis vocat, tam recte quam illud ex edicto. Poſtremo juſtum errorem omiſit inter cauſas reſtitutionis, qui ſextus eſt error ſive per caſum in tam paucis verbis. Leges non adduco; ſunt enim hæc vulgaria, & adoleſcentulis nota. Hæc aliaque ejuſdem modi, id eſt puerilia peccata ejus innumerabilia adferre poſſem, ſi tibi vel ignota eſſe putarem, vel moleſtus eſſe vellem. Unum tantum adjiciam de fide & auctoritate Pandectarum Florentinorum, de qua ſcis controverſiam hodie eſſe inter viros doctiſſimos, quam & ille ſui judicii facit his verbis, ad ea l. 9. §. pen. quod vi aut clam. *Sed ſi quis aliquid adibus adfixum evellerit: avulſerit* vulg. *evulſerit Haloand. Hinc colligere poſſumus vel ipſas pandectas Florentinos oraculi loco non eſſe: ſic corruptos in l. 3. in fin. ibidem ubi ſcriptum intellegerit.* Vides quæ ille ad Pand. Flor. fidem & autoritatem elevandam adfert, eſſe ac facere ad confirmandam. Cui enim hodie

hodie optima hæc eſſe, *evellerit*, & *intellegerit*, ignotum. Sed de his alias fortaſſe jocabimur. Nunc ἀντίδωρον mitto, in quo Theſi 70. pro *ajunt* leg. *negant*, & τὸ *non* trajiciendum ante *impediat*. De Literarum obligatione Juſtinianea vereor, ut tibi probetur, quod attuli; mihi tamen eximi id vix poteſt, tum quia alioqui ex nudo pacto naſceretur obligatio: tum quia alioqui Tribonianus non recte in Pandectas tres tantum contractus, re, verbis & nudo conſenſu retuliſſet, omiſſo literarum: quod tamen Juriſconſulti non omiſerant. Quod reliquum eſt hunc amicum meum tibi commendo Doctrinæ inſignibus modo hic ornatum. Si quid de poſtumis Donelli, aut etiam Cujacii, Briſſonii, Hotomanni noris, quæſo te ut certiorum me facias. Vale. V. C. & ſalve. D. Scerbio & D. Taurello aliiſque amicis a me ſalutem. Ingolſtat. XXVIII. Decembris.

EPISTOLA XXII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Hubertus Giphanius.

Altorfium.

HOc ipſo momento cum nuntiatum mihi eſſet, paratum eſſe tabellarium, qui hinc iret Babebergam, iſtac facturus iter meo inductu, admonere tantum te volui, ut ad priores meas literas reſcribas, tuaſque diſputationes una mittas. De Rittershuſio noſtro ex literis tuis meliora ſperavi, etiamque nunc ſpero: ſed ex recentioribus Molitoris mei Noriberga ad me datis, intelligo nondum convaluiſſe. Quare jam ei moleſtus eſſe nolui, præſertim properante hoc tabellario. Deum oro ut amicum optimum (excepto eo Nigriano Negotio) & doctiſſimum nobis diu conſervet. Mitto carmen Mencelii in Aulæum noſtrum: cujus ad nuptias perendie Æchſtadium, Deo duce, proficiſcar. Utinam & tuum aliquod vel ſcriptum, atque adeo tu ipſe ad nuptias die Martis, vel altero ſaltem repotionis die, occurreres! Vale Vir doctiſſime & amiciſſime. D. Rittershuſio, D. Scerbio, aliiſque amicis a me ſalutem. Ingolſt. VI. Januar. CIϽ IϽ XCIX.

EPISTOLA XXIII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Hubertus Giphanius.

Altorfium.

QUod non ſtatim ad literas tuas V. C. reſcripſerim, non ea re factum, quod συζήτησις illa mihi ingrata vel injucunda acciderit; quæ mihi quo crebrior, eo erit jucundior, ſed quod nullus adhuc tabellarius mihi ſe obtulit. Nunc per Stin breviter accipe: nam & ille præter ſolitum properabat. Ingenioſa mihi ſtatim viſa eſt conjectura tua, quam & orationis genus, & juris ratio illa de pacto ſeu lege adjuvare videntur; cum enim ea lege mutuam Titius acceperit, ut Sejo eam reddat: videri poterat liberari Titium, ſive ſciens do-

natorem mortuum, ſive ignorans, Sejo reddiderit: legem enim contractus exſecutus fuit. Sed hæc lex non ut conditio, ſed ut modus (atqui modus eſt ſervandus *tot. tit. de don. quæ ſub mod.*. deinde lex contractus nuſquam modus dicitur hoc ſenſu) accipi debet, & *proinde* (plane quid ſequatur, non video: nam hac ratione etiam in Adjecto ſolutionis cauſſa dicemus verſari tantum mandatum, nam & adjectio illa eſt talis lex, talis modus. Nec placet Bartolii locutio hæc) *nihil eſt aliud quam mandatum*. Quare recepta ſcriptura tueri poteſt, ut diſtinctioni ſcientiæ & ignorantiæ in mandato receptæ, hic quoque ſit locus. Qui enim ſciens mortem mandantis ſolvit, non tam ſolvere, quam donare videtur. *l. 7. ſervus pro empt.* Sibi igitur Titius imputet, eique non dabitur actio mandati: nec verum eſt quod Connanus Titio dandam putat condictionem ſine cauſa (exemplum aliquod adferri cuperem.) ut alias demonſtratum. Oratio autem illa, *ſed ſiquidem ig.* quaſi præciſa, non eſt nova in jure. Jam illud, *ſi autem*, caſus quidem diſtinguit, ſed non eſt neceſſe ut in jure ſit diſtinctio, quanquam, quod ad priorem caſum attinet, major in eo & juſtior dubitandi cauſa de dominii tranſlatione: cujus tamen in altero nulla fit mentio. Nec ejus hæc fuit principalis quæſtio ibi, ſed hæc tantum de liberatione debitoris in priori; de actione ſive repetitione mandatarii in poſteriori; quos caſus cum manifeſtiſſime diſtinguit Ictus, conſiſtere recepta ſcriptura non poteſt, quæ eandem diſtinctionem in idem jus in utroque caſu ponit. Hæc vix licuit exarare, inſtante viro: quæ velim benigne accipias, & plura ejuſdem modi ſæpe ad me mittas. Paribus te rebus remunerabor. Vale vir doctiſſime & ſalve. Ingolſt. XVI. Junii.

EPISTOLA. XXIV.

SCIPIONI GENTILI S.D.

Hubertus Giphanius.

Altorfium.

MAgnifice D. Rector, mallem cum ſalute literas a te mihi, adde etiam pecuniam Bucinianam, quam nudam illam attuliſſet hic adoleſcens: excuſavit tamen honeſte tuam & Scherbii noſtri opinionem de diſceſſu meo. Et certe jam Pragæ me eſſe oportebat: ſed cum tot impedimentis tam cito movere caſtra non poſſum, id tamen ago, & ut ſpero, perficiam, hoc ut menſe, cujus hodie ſunt Calendæ noſtræ, ſim Pragæ, Deo adjuvante. Intellexi ex hoc adoleſcente, pecuniam Bucinium miſiſſe. Debet ille mihi 70. fere florenos: chirographum habet D. Rittershuſius. Ea pecunia ſi per te auctoritate Senatus Academici inter creditores dividetur, rogo te pro amicitia ut mei quoque rationem habere velis: præſertim cum debitum illud ſit ex convictu, quod genus & prærogativam & privilegium habere ſolet. In Theſibus tuis miratus fui laudari a te Decianum de Principatu & Repub. Romana: cujus ille non magis quam juris civilis (de quo tamen ἀρχῃ reliquit incondita & barbara multa & ingentia argumenta, in quibus τὸ ἐκεῖνο περὶ τῶν Δορικῶν) peritus fuit. Mitto ejus argumenta, quæ prorſus partim falſa, partim inepta.

Sed

Sed de his aliiſque brevi coram (Noriberga certe iter faciam) aut literis Pragenſibus. Vale vir doctiſſ. D. Scerbio, & D. Rittershuſio, quem puto jam dictata mea quædam Philippo ab Oyote Noribergam una cum Oppiano ſuo miſiſſe, ſalutem. Fere omiſeram allatum huc nuncium horribilem de caſu atque adeo morte Electoris Palatini. Spero falſum. Ingolſt. ſalutem & aliis amicis.

EPISTOLA XXV.

JOSEPHUS SCALIGER S. D.

Scipioni Gentili.

Altorfium.

QUum tuæ literæ mihi redderentur, is qui eas mihi tradidit, ſtatim numquid ad te vellem, rogavit, cui per occupationes meas mihi non vacare reſpondi. Quare ſi ſtatim ut debui, aut ut tu ſperabas, non reſcripſi, peto a te, ne negligentia aut oblivione id factum putes. Teſtes poſſum dare familiares, & amicos meos, qui id ætatis hominem mirantur tot epiſtolarum ſcriptionibus quotidianis ſupereſſe poſſe, quæ meliorem partem & temporis & ſtudiorum mihi ſuffurantur. Præterea quæ prælo ſubjicimus omnia manu noſtra deſcripſimus, neque ullum, qui labores noſtros levet; habemus, & profecto, qui poſſit aut ſciat eadem præſtare, hic video neminem. Gratus vero tuus in me eſt amor, & pietas tua; quæ facit, ut omnibus officiis me tibi talem probem, qualem eſſe tibi perſuaſiſti. Nam quod verſiculos a nobis exigis, vereor ut hoc ſit ex dignitate, ſi ætatem ſpectes, aut ex amicitia, ſi non omnia tua cauſa velim. Nam in hac ſenectute verſus facere eſt inſanire, amico vero aliquid negare, eſt pietatem lædere. Scito ergo me nihil magis invitum facere, quam cum reverentia amicitiæ in veterem ludum Poëtices me includere cogor. Et miror quare amici hanc operam a me exigant; qui nullum bonum verſiculum mihi imputare poſſunt. Quis illis perſuaſit me Poëtam eſſe? Non exſpectandus eſt obtrectator, qui mea Poëmata damnet. Ego primus illa traduco, & conſpuo. Ne quid tamen horum ea cauſſa me dixiſſe putes, ut hoc onus defugiam, accipe quæ nunc e lectulo ſurgenti mihi exciderint, ut ſi tibi placent, utaris; ſin autem, ut eorum culpam in te conferas, qui invitum delirare cogis.

In Scipionis Gentilis J. C. librum de donationibus Magno Magnæ Britanniæ Regi oblatum Joſephi Scaligeri. Jul. Cæſ. F.

Culte liber, vigili doctus quem Scipio cura
Secula victurum multa polivit opus.
Hoſpes honorata ſuccede penatibus aula,
Cui ſacras redimit terna corona fores.
Magnanimo miſſus donum ſpectabile Regi,
Materiæ primus præmia carpe tuæ.
Si fas vera loqui, neque fallunt omina vates,
Vana neque eſt, illis numen ineſſe, fides,

 Qui

Qui donare doces, non indonatus abibis,
Qui Regis donum & Regia dona meres.

Tute tibi hoc intriſti, Mi Scipio, tibi exedendum eſt. Parui tibi. Tuum eſt videre an tali dehoneſtamento librum tuum proſcribere velis. Si mihi credis, non facies. Si faxis, non ego ſolus plectar. Rittershuſio amico ſummo meo & Collegæ tuo memini me Jambum Græcum poſtremis nundinis miſiſſe. Velim ſcire, an acceperit. Nam ſi non accepit, perierunt illi verſiculi, quia nullos ſervare ſoleo. Et iſtud epigramma, quod tibi exaravi, perierit, ſi hæ literæ ad vos non pervenient. Audio Giſanium teſtamento ſua opuſcula & lucubrationes Rittershuſio legaſſe ea conditione, ut ab eo ederentur. Memini me ante biennium illi longam epiſtolam ſcripſiſſe, in qua non ſolum locos Lucretii, de quibus conſuluerat me, explicabam, ſed & multa alia adjeceram, quibus editionem Lucretianam exornaret. Quam tametſi accepiſſet, tamen tanta fuit ejus impudentia, ut negaret ad ſe perveniſſe. Idque ſemper ſolebat facere, ut ſibi attribueret ea, quæ ab aliis didicerat, & ſi quis plagii eum poſtulare vellet, haberet ἀπλογίαν paratam, ſe nullas literas accepiſſe. Bis terve auſus eſt apud amicos noſtros queri, ſe nihil litterarum a nobis accepiſſe, qui omnes, quas illi ſcripſi, recte accepit. Sed eum hominem nunquam fuiſſe puto, qui & in illis ſordibus, quas omnes norunt, vixit, & nullum amicum ſibi quæſivit, & qui bene de illo meriti erant, illis ſe quoque nihil debere profitebatur. Intereſt tamen Reip. literariæ, ejus lucubrationes edi. Fuit enim doctior quam probior, & nos ejus doctrinam probamus, mores exſecramur. Vale Lugduni Batavorum. Nonis Martii Juliani. CIƆ IƆ CV.

EPISTOLA XXVI.

JOSEPHUS SCALIGER S. D.

Scipioni Gentili.

Altorfium.

QUanti noſtra intererat Commentariolum accipere, tantæ voluptati fuit nobis redditum eſſe. Hoc ſolum morabatur editionem Menippeæ, quo Scripto non puto abhinc mille quingentis annis feſtivius aliud prodiiſſe. Dignus profecto fœtus patre ſuo, qui vix major xxv. annorum æquavit, vel potius ſuperavit gloriam ſuperiorum omnium ingeniorum. Pietas & amor in me hoc expreſſit ab illo, ne ſceleſtiſſimus omnium bipedum impune bonis malediceret. Gratias agimus tibi, vir præſtantiſſime, quem non piguit tam juſtos conatus adjuvare. Nam abſque hoc immortali beneficio tuo foret; non illo ornatu proditura fuit ſatira, quo nunc culta eſt, quam nunquam deponent de manibus ii, quibus cordi eſt nihil niſi comptum & ingenioſum legere. Tanta ejus elegantia eſt, tantus lepos. Curabitur vero a nobis ſedulo, ne vel minima harum rerum ſuſpicio in vos cadat. Tametſi enim nullus monuiſſes; tamen non minus ad nos, quam ad vos pertinebat hæc ſilentio obrui. Adeo vero impudens fuit illa Furia, ut homines probos in me teſtes produceret, in

qui-

quibus & tibi locum dedit: quum quidam Itali nuper ad me ſcripſerint, de ſe illum non minus, quam de te mentitum fuiſſe. Profecto nullum ſæculum tale portentum tulit. Dum illud exſecrandum opus Moguntiaci excuderetur, non pauca de ſuis nartheciis in illud infulſerunt, homines inſigni pietate Lojolitæ, etiam ipſo inſcio. Itaque non mirum eſt, in tantam molem excreviſſe, dum in illud plus quam quinquaginta nebulones ſtipem illi æruſcatori contulerint. Si quæras cauſam odii, profecto aut nullam proferre poterunt, aut non niſi ridiculam. Neminem unquam offendi. Maledicentibus ita; uti digni erant, reſpondi. Si ſolis ſibi jus eſſe injuſte obtrectare, nobis juſte injuriam repellere non licere putant; hoc modo ſane vicerint. Et certe in hoc illis herbam tradimus. Quandoquidem proborum non eſt maledictis certare. Multi ad me ſcripſere, ne vel minimo reſponſo carnificis illius contumelias proſequerer. Sane juſte judicant. Sed uno, aut tribus verbis mendacium de Burdonibus profligare non erit infra dignitatem noſtram. Sunt enim quidam, quos falſæ contumeliæ magis, quam veræ laudes oblectant. Itaque propter illos hoc fiet; non propter probos, quibus carnifex ille tam portentoſam fabulam perſuadere non potuit; cujus auctores quoſdam Italos ſcimus, cum interea longe plures in Italia ſint, qui contra ſentiunt. Vale vir optime & eruditiſſime. Lugduni Batavorum. VI. Kalendas poſteriores Martii Juliani. CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA XXVII.

ISAACUS CASAUBONUS S. D.

Scipioni Gentili.

Altorfium.

PErjucundæ mihi fuerunt, quas a te proximo mercatu Francofordienſi accepi. Nam ex eorum numero, quorum amicitia gloriari ſoleo, es profecto tu, Vir præſtantiſſime, merito tuo inter primos. Equidem ſingularem tuam eruditionem & in utroque genere ſcribendi facultatem admirabilem, pridem noram: ſed me iſta minus afficiebant, quam illa, quæ poſtea ſumma eſſe in te deprehendi, cum de facie te novi, & ut ſermones tecum ſererem mihi contigit. Pietatem dico, & elatum longe animum ſupra iſta caduca & inania, * quæ hodie quis non miratur, quis non ſectatur? δεινὸς γὰρ τῆς ματαιότητος ἔρως ἐντέτυκε ταῖς ἁπάντων, ὀλίγου δεῖν ψυχαῖς. Itaque περικοπτέον τὸ ψεῦδος: illa vero lux quam patres noſtri videre immortali Dei opt. max. beneficio excitatam e denſiſſimis tenebris, ne ingratis auferatur, cautio eſt. Quo audentius conſpirare inter ſe oportet eos, quibus dedit ὁ πατὴρ τῆς ἀληθείας υἱοὺς εἶναι τοῦ φωτός: ut mutuis allocutionibus ſeſe invicem ſolentur, & ad veram conſtantiam hortentur. Ad illorum numerum cum & me & te pertinere confidam ἐν Κυρίῳ, Clariſſime Scipio, nihil poteſt mihi gratius contingere, quam ut vel tuas legam, vel ipſe ad te ſcribam. Atque utinam

* In Autographo Scipio ad Marginem adſcripſerat. *Intelligit conditiones Biturigibus & Aurelia ſplendidiſſimas, quas repudiavi cum Papiſtica* &c.

non eſſent ἄγεα τινα μεταξύ, non tenerem me, quin te aliquando inviſerem, quo poſſemus una de præſenti rerum ſtatu, qua gemere, qua lætari. Verum id quia nobis ne ſperare quidem licet, certe quod ſupereſt, ac licet, crebris literis te, ἐπιαγερφῶμεν, quæſo te, τὴν πυρκαΐαν. Ex tuis didici, eſſe iſthic Judæum gente, profeſſione Chriſtianum, qui edendis Rabbinorum libris det operam. Beaſti me, Mi Gentilis, hoc nuntio, nam ego, qui in elencho Francofordienſi libri ab eo præmiſſi titulum legeram, cum neminem invenirem, qui aut librum illum edidiſſet, aut de eo quicquam haberet compertum, miris modis angebar. Eſt enim ejus generis liber ille, ut nihil poſſit mihi ejus lectione aut optatius aut jucundius contingere. Quare te per omnes Muſas oro, obſecro, horteris illum meis verbis, ut quicquid nactus fuerit magiſtri illius, quem ipſi *Rabben Haccados* nominant, publici juris quam primum faciat. Sequantur velim *R. Haccanas Nebumia F.* & incomparabilis *R. Moſis Maimonis F. More Hannebukim*. Habet divinus Scaliger hoc opus & Hebraicum & Arabicum, quomodo eſt ab auctore editum. Horum & ſimilium auctorum editione mirifice literarum meliorum ſtudia iri adjutum nos quidem judicamus. Quod me hortaris ad obſervationum ſacrarum ſcriptionem, agnoſco & pietatem ergo Deum tuam, & amorem erga me. Nam quod tibi perſuades poſſe me in eo genere aliquid, benevolentiæ eſt tuæ adverſum me, non mei meriti, etſi non iverim inficias, pluſculas vigilias noſtras ei curæ fuiſſe impenſas: atque adeo hoc unicum eſſe jampridem ſtudium, quo capimur, quo paſcimur. Sed ubi locorum ſim vides, Mi Scipio, neque ignoras quam odioſa res ſit veritas iis, quibus ultro ſe fecere obnoxios, qui nos alunt. Sed de hoc genere toto proximis literis, Deo favente; plura habeo enim quæ tecum velim communicata. Vale Clariſſime Scipio. Lutetiæ Pariſior. a. d. II. No. Jan. CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA XXVIII.

ISAACUS CASAUBONUS S. D.

Scipioni Gentili.

Altorfium.

CUm hæc ad te exarabam, vir præſtantiſſime, ita curis variis diſtringebar, ut nemo magis. Sed hoc quaſi ſolenne tempus ad ſcribendum ſilentio tranſmittere religioni mihi fuit: cum præſertim faciam nihil libentius, quam ut tecum per literas confabuler. Quod ſi non deficerer otio, amplum ſcribendi argumentum Italia veſtra ſuggerebat. Nam obſecro, vidiſtine, quæ ſuperioribus menſibus Venetiis prodiere ſcripta? ego vidi, ſi non omnia, certe maximam partem. O viros! O exactam earum rerum cognitionem, quas in illis oris nemini putabant plerique eſſe notas. Multa legi, imo pæne omnia, quæ vidi inde profecta. Probavi omnia & laudavi. Sed inter omnes, mirum dictu, quantum judicio Paulus excellat: quem ſcimus virum eſſe doctiſſimum, vitæ innocentiſſimæ, judicii limatiſſimi. Hujus ſi ſcripta legiſti, ecquid de

de veſtra Italia bene ſperare incipis? Videtur enim veritatis ſtrictura aliqua illic affulſiſſe: quæ volente Deo clarum lumen olim ſit ibidem accenſura. O ſi me vivo hoc fieri videam! τότε μοὶ χαίνοι εὐρεῖα χθών. Sed obliviſcor occupationum mearum. Quare deſinam, & ut ſilentium meum apud Doctiſſimum Othonem excuſes te orabo. Vale vir Clariſſime. Lutetiæ Pariſior. a. d. XV. Kal. April. CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XXIX.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Gothofredus Jungermannus.

Altorfium.

HEri quæ fuere ipſæ Kalendæ Auguſti adpendicem ad notas tuas, Vir ampliſſ. accepimus, cum literis tuis ad me, & alteris a Cl. Ritterſhuſio. Sic eſt vero, & me ipſum moleſte valde tuliſſe has fruſtrationes, quæ literis noſtris accidere. Et illæ vero, ut jam intellexi, quas tum Rittershuſio noſtro ſcripſeram interierunt etiam. Repetii tamen pleraque in alteris, ubi & locum illum, quem amanuenſis tuus non totum deſcripſerat, ad oram adpoſueram, in alteris inquam ad eundem Rittershuſium noſtrum, quæ, ut ſuſpicor, ad illum quoque non ſunt perlatæ. Nec enim reſpondet quidquam ad eas. Iratos itaque Deos viales putem meis literis, & tam ſiniſtro uti Mercurio tabellarios? verum ſi hæ modo reddantur, locum infra ſcripſi, quem in tuis notis non perfectum inveni. De ceteris mehercule non recordor amplius. Si quid erit, leve ſcilicet erit & in quo ego ſolum & mei ſimiles minime acuti ingenii homines hærere ſolemus. De crucibus quod attinet, profecto ego mihi ipſi & animo jam cruces fixiſſe experior. Conſulueram te ſane prius ſuper hac re. Ita tamen doleo, ut vix credas, quod id tibi diſplicere videam. Quid meritus ego? ait ille apud Comicum, & tu ſane alterum, quod ibi ſcriptum, mihi reſpondere potes, ſi agere velles ſevere. Ceterum ſines me ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ' ἀπωθεῖσθαι ψόγον. Quod faciam libens, ubicunque te id velle intellexero. Jam cogito in adpendice denuo præfigere numeros, ab unario repetens. Paginis vero, ut ipſe feciſti, margini additis, ad quas nempe addendæ hæ notæ ſupernumerariæ. In indice vero, ne ea res ſit non ſatis explicata, literam *a*, ad illos numeros addam, ſub quibus notæ adpendicis: *m* ad illas, quibus Meurſiana epiſtola exornatur. Indices duos jam confeci: rerum unum, alterum authorum, ubi novas & recentiores pono tantum abſque numero: niſi ubi laude adficiuntur: ubi notantur, & id indicare, neſcio an ubique tuæ humanitati placeat. Quod meæ valetudinis ita curam geris, id gratiſſimo animo adgnoſco, & loco amoris magni erga me, quo quidem amari a tanto viro me non dignum reor, habeo. Ceterum negotia mea ejus curam habere mehercule interdicunt; & parum etiam certe, Mi Ampliſſime Domine, in me ſitum eſt, adeo tenuis opera a nobis Reip. literariæ poteſt dari. Oculus tamen dexter, quo unice valeo per aliquot hebdomadas male valde habuit, adeo ut medicus noſter

ſter mallet me aliquantiſper λιποτακτεῖν, quamvis ego mentem alio, & alio dividam aures. Quas vero grates tibi agam, Mi Ampliſſ. Dn. quod tam honorifice mei mentionem in illa Notarum προθήκη facere volueris, ſicque me tollis humo tecum in ſublime? grates perſolvere dignas, non opis eſt noſtræ. Nil poſſum niſi devotam animi mentem tibi reddere, qua ſis quæſo contentus interim. Si titulus in tempore nobis afferatur, δεῖγμα quamprimum ut habeas, operam dabimus, quod valde vellem. In talibus enim ſua cuique ſententia eſt. Nec plura jam, quam ut valeas ex animi tui ſententia vir ampliſſ. Dn. honorande. Scribebam raptim. a. d. IV. Non. Aug. e typographio Wecheliano.

EPISTOLA XXX.

SCIPIONI GENTILI S. D.

Gothofredus Jungermannus.

Altorfium.

ITerum itaque conquerendum de literis noſtris, vel potius earum latoribus, qui vel non curant, vel ſero curant. Tuæ enim ultimæ, datæ ſecunda die Septembris, ut ex ſubſcriptione adgnoſco, octava ejuſdem menſis mihi redditæ fuerunt, quum jam die antecedenti tui commentarii a prælo eſſent abſoluti, & Francofurtum ad Mœnum tranſvecti, adeo ut re non amplius integra minime illos defectus ſupplere potuerim. Sed tuæ quidem, mehercule, ultimæ inquam, non moram duxerunt in via: meas vero qui tulit vel curavit, adcuſandus eſt, cujus tarda opera tam ſero ad te pervenerunt. Fuit vero ille defectus ipſiſſimus in litera S. quem petivi aliquoties, & literas iſtas, quibus jam antea ſuppleſſe te dicis, periiſſe ſcias. Ego ſane illas non vidi. Interim ſic rem geſſi, forte nimis temere; juſſi totam Periodum illam: *quibus ſane conſentit &*, &c. uſque ad *Martialis* omitti. Nec enim ex tui animi ſententia opus in nundinas protrahi amplius putavi poſſe: imo nec conſultum id erat, ne præli ſodales dilaberentur, ut ſolent cum nundinis, quum ſe ne dieculam ulterius obligatos norint: niſique Marnius id prima nundinarum hebdomade habuiſſet, e re ipſius plane non fuiſſet. Ceterum mi ampliſſime Dn. Amice & Patrone Magne, nil me tam male habet, dicam enim verba ut res eſt, quam quod ſemper adeo metuis, ne mihi ſis moleſtus. Ita enim rurſus ais, te ideo dolere, & ut ignoſcam petis. Ita me Deus amet, erubeſco nimis ad hæc verba: quum præſertim ſciam quam nihili ſint ea quæ in tuis præſtiti, immo non præſtiti: & mihi nihil jucundius poſſe accidere, quam ſi vel innuas, qua re tibi gratam opellam navare poſſim. Quod profecto a nobis, tenue quibus ingenium & eruditionis curta ſupellex, ut optatur, ita excogitari non poteſt, niſi indicetis ipſi, ita opes noſtræ ſunt inopes. Utere itaque tuo Jungermanno pro lubitu, ſi illum modo gaudere vis, & voluptate affici. De exemplis mittendis & diſcribendis, quæ mandas excerpſi, & Marnio nunciari juſſi: oculi enim valetudo mala, cui adhuc medicinam facio, mihi Francofurtum ire vix permittet, niſi ſero, & quum jam nundinæ ad finem ſpectabunt. Dn. Bongar-

ſius

ſius Francofurtum ſalvus jam pervenit. In præfatione tua ad ipſum ea ſicut voluiſti, repoſui. Spero alias titulum, & quæ commentarios præcedunt ita curata, ut tolerari queant. Teſtimoniorum ſane de Apulejo ſingulorum titulos mandaveram minoribus literis adornari: ſed ſolemni more noſtri feſtinabant eo magis, quod nundinæ jam advenerant. De indicibus utinam tibi ſaltem non improbarentur, in quibus Meurſiana omnia omiſi. In ipſius emendationibus nulla mihi placuit, magis quam illa de *fanatico*. Quod ad D. Stok attinet, ea de re ſcripſi ad Marnium, ſcilicet me reſciviſſe, illum habere exemplar commentariorum Donelli perfectum, & quiſnam ille eſſet me ſcire cupere, quidque Marnius haberet in animo. Reſcripſit ille inter alia hæc tantum. *Ille Doctor Stok ante aliquot menſes mihi ſcripſit de defectu in Donello, quem Dn. Scip. Gentili miſi, de quibus ut & aliis rebus tecum in nundinis conferre volo.* Ita enim verba Latine ſonant, quæ mihi Germanice perſcripſit. Cæterum ut tandem ad illud veniam, quod ſcribis te cum Rittershuſio meo ſollicitos ob functionis meæ incommoditatem, velle ut vobiſcum eſſem loco honeſto, ſi non ſim a profeſſione alienus: voſque ideo cogitaturos & conaturos, quas tibi grates agam, mi Ampliſſime? Non opis id noſtræ eſt. Quamvis enim ſatis honeſto ſtipendio ſim apud Marnium, tamen laborum nimia eſt moles, quæ nullam refectionem admittit, omnemque valetudinem negligere cogit, quod alias fere facere ſoleo. Accedit hoc, quod ita penitus abſtrahar a jucundiſſimis ſtudiis utriuſque linguæ, & bonis auctoribus verſandis, cum tamen ego id unice in votis habeo, ſi talem quietem & otium nanciſci poſſem, quod illis tranquille tribuerem. Otium enim abſque literis, mihi mors revera. Utut tamen ſit, non facile avelli me patior a loco, ubi ſemel aſſuevi: niſi oculorum πάθος etiam accederet, & Lingelsheimus meus (cui hactenus id occultavi, reſcivit vero per alium) mihi inclamaret ſerio quid agerem, an me velim perdere. Variis quidem modis Marnium hic commoratus expertus fui, an labores mei minui poſſent, quum me invito ideo amici magni Marnium objurgarent, quaſi me oneraret nimis. Suſcepi itaque primum duo præla, dein per aliquod tempus tria, mox tria cum dimidio, dein tantum unum in illo difficili Concordantiarum Græcarum & Hebraicarum veteris Teſt. cum pauculis aliis, & conſtitui per hanc hiemem, ſi hieme pergent, unico prælo ſaltem inſervire, ſed varia ſimul aliorum ἐλλείμματα mihi ſupplenda ſunt, niſi Marnius velit damnum facere, & itur ad me de ſingulis quiſquiliis, ubi hærent. Hæc vero omnia ut me de recreatione cogitare non facerent, ita aliud tamen facit. Biennium jam eſt quod præla bina e noſtro typographio ad majorem Aubrium tranſlata fuerint, cum & ipſe hanc artem tractare velit. Incidunt tamen inter illum imperitum profecto & minus aptum ad gubernandas operas, & noſtrum ſenem, quem Marnius præfecit, quique fideliſſime & diligentiſſime omnia adminiſtrat, variæ lites, dum quicquid ille corrumpit & peccat, in noſtrum transfert: & alias etiam Aubriani rationes reddi ſibi Marnio volunt, & hereditatem prorſus dividi, adeo ut aliquoties officina claudi debuerit, quum alias

inter has occupationes ad calculos ſedere quiete nequeant. Unde neceſſario ſorte mihi de alia conditione cogitandum. Nec tamen ullam præoptarem, quam de qua ſcribis. Fuit enim mihi in votis, & id non occultavi prorſus apud alios, jucundiſſimam vitam mihi fore, ſi Deus me aliquando Altorfium transferre velit, ubi Philologia (quæ Dea in patria mea heu! eviluit & ſpernitur) ſuam ſedem fixit. Sane probare cogitarem σὺν θεῷ vobis tenuia officiola mea, ut videretis me id unice ſpectare, ne ingratus mori aliquando viderer. Unum eſt, quod conſiderandum vobis relinquo, nec audax ſum nec facundus. Quamvis & Rittershuſio duce quidvis audendum videatur. Sed nec doctrinæ eruditæ ulla apud me copia, quamvis vobis magnis doctoribus de ea conſequenda aliqua minime prorſus deſperare poſſim. Cæterum moleſtus fui tibi plus ſatis. Jam adgredior idem Rittershuſium meum. Vale atque ſalve mi Ampliſſ. Dn. & amice, atque patrone unice. Hanoviæ. x. Septembr.

EPISTOLA XXXI.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Gothofredus Jungermanus

Altorfium.

NOn potuere libro tuo manus admovere operæ noſtræ, occupatæ hactenus in Philippi Mornaii reſponſione ad Perronium Cardinalem, ab alio nobili Gallo in Latinum ſermonem tranſlata (quamvis ſtilus mihi ipſum Mornaium ſapiat) quæ abſolvi prius debet. Brevi vero id, Deo volente, fiet, & ſtatim ſuccedet tuum; literas vero tuas accepi, & gratias tam largas ab amico mihi actum iri pro officiolo, quod ſuſceptumus ſum in tuis, non ſperabam. Nihil tamen alienum facis ab humanitate tua. Cum vero non mihi ipſi liceat ad prælum corrigere totum illud ſcriptum tuum, vir Ampliſſime, iterapior, dum obiter & quantum temporis Lexico Græco ſuffurari licet, numeros in illo ſigno. Sic enim eſt. ζωὴ καὶ ψυχὴ mihi, non illæ de quibus Juvenalis, ſed ſcripta & ὑπομνήματα talia, quale tuum edecumatum ſane & nitidiſſimis emblematibus varium. Sed nolim quid dare tuis auribus: ad alia pergo. Miror in tuis nihil de tranſmiſſis ad te, Vir ampliſſime, & Rittershuſium noſtrum literis cum faſce librario, me legere. Tradidi illa omnia in nundinis Martino Preu, jam apud Marnium commoranti, qui vobis credo notus, uti qui ſe diu olim in veſtra Academia ſtudiis operam dediſſe ait. Erant aliæ occaſiones mittendi, ſed ille volebat ut per ſe curarem. Marnius alias quinquagena exempla edet charta meliore & lætiore. Nec tu ſolus conquereris de intolerabili charta, quam hodie typographi abutuntur in libris excudendis. Illuſtriſſimus Scaliger graviter quoque illis ſuccenſet, cujus verba ex literis, quas hiſce nundinis ab illo accepi, non poſſum omittere quin adſcribam: *Fideliſſima ait totius Europæ Germanorum natio fidem decoxit in edendis libris. Princeps illa aliis viam praivit, male de bonis auctoribus merendi, cum omni pudore poſthabito in libris excudendis ea charta utantur, qua ne ad ſua ſalſamenta involvenda*

cetarii

ootarii uti volent. Hoc incivile exemplum omnis Europa nunc ſequitur, præter Belgium & Lutetiam. In illis locis ſuperſunt adhuc veſtigia veteris pudoris, & reverentiæ literarum. Hæc ille. Noſter tamen videtur ex parte excuſandus, quod commoditas è proximo bonam chartam curandi illi deſit: non vero Baſileenſibus & Pariſienſibus, nec Batavis credo. Noſter cogitur poſcere ultra quinquaginta milliaria: unde facile conjectari, quantum pro vectura pretium exſolvendum. De Characteribus vero nihil verearis, Vir Ampliſſime. In illo ſpecimine charta non adeo imbibit, ſcilicet τὸ μέλαν. Nec ſolent literæ bene nigræ apparere, niſi poſt decem vel duodecim paginas prælo abſolutas: tum magis accipere ſolet charta typorum formam & nigrorem. Sunt certe eædem literæ in tuo ſpecimine, quas vidiſti & in indice. Sed narro tibi, Vir Ampliſſ. & amice magne, cum forte acciperem Apulejum (editio eſt Vulcanii a Raphelengio in 16 cuſa 1594) invenio me quædam Heidelbergæ, dum ante triennium animi cauſa illam θαυμασίαν Apologiam percurrerem, notaſſe ad libelli margines; quæ cum bona venia liceat me facere judicii tui, & raptim enotare. Scilicet dies hodie ἡ κυριακὴ feriandi tempus concedit. Video te vero notaſſe, quod Eraſmus citet librum de Magia. Sic fere & Valla 5. Elegant. 42. *Apologiam de Magia laudat.* Sed ad rem ipſam. Locus ille p. 260. in ed. Vulcanii. *Ego adeo ſervor. Tu an abeas ad agrum colendum, an ipſe mutuarias operas cum amicis ambias, neque ſcio neque laboro.* Hic varie varii. Tibi & Caſaubono noſtro placet *ſervior.* Eſt & qui *cernor* voluit. Sane τὸ *ſervor* pro obſervor non malæ notæ videtur: & alicubi ni fallor eo ſignificatu Caſaubonus in ipſa Apologia reponit, Mihi omnino placuit emendare, omnibus literis ſervatis. *Ego a te obſervor.* Quæ conjectura mihi nondum diſplicere poteſt. Opponit enim clare ſe obſervari ab illo nebulone: quem ipſe tamen nec curet nec obſervet. Statim ibidem v. præced. *cum ipſe humilitate abdita & lucifuga non ſis mihi mutuo conſpicuus.* Non probabat ὁ μακαρίτης Putſchius meus mutantem Caſaubonum in *abditus*, accipiebatque τὸ *lucifuga* adjective, putabatque ſe legiſſe apud Lucilium *Lucifugus Nebulo.* Pag. 262. *Maxima quæque ſcelera* &c. *ubi contra hanc temere inter illuſtres viros divites compareat.* Vulcanius *hac temere.* Putſchius *haut temere*, ut & a te optime edi video. Illud dein *paucioris habeo*, quod habet vetus editio Florentina non neceſſe erat mutare Fulvium in *habito*, quum *habeo* idem valeat: verum phraſim tecum non adſequor, niſi ſi putes tamen, ut *pluris* ita *paucioris* dici poſſe commode. p. 266. *quin inquam vana* &c. *Scelera immunia & inconceſſa* &c. An potius *immania?* 211. *Quod ſi nihil remanet ſuſpicionis, neque in piſcatoribus mercede invitatis, ad quod ſolent* [*ad piſcem capiundum*] Iucluſa Putſchius putabat Gloſſema. 216. *Ceterum quamobrem plurimos jam piſcis cognoverim, quorundam adhuc neſcius eſſe nolui, diſcat*, &c. Placebat mihi: *nolim*, *diſcat.* Sic enim mox ante p. 27. in fine ait, ſe negotium piſcatoribus & amicis dediſſe, ut ſi quid minus cogniti piſcis inciderit, ipſi oſtendant & commemorent. Dein in Ennianis etiam ſtatim vidi ibi. *Surrenti fac emas glaucum Cumas apud. at*

 quid?

quid? deeſſe piſcem: & blandiebatur valde, quod de apua veniebat in mentem, cujus veteres menſas non exſortes fuiſſe patet ex Athenæo, qui tamen ſaltem Rhodios & Athenienſes laudat. Emendabam itaque proxime ad literas, *Surrenti fac emas glaucum, Cumis apuas, quid?* Nec mihi alterum magis probaretur, ſi fundum meæ ſententiæ haberem, apud Cumas ſcil. eum piſciculum in pretio fuiſſe. Sed bonos auctores evolvere mihi operæ meæ interdicunt. Ibidem *Ambraciam* pro *Umbracio* etiam olim reſtituit Mercurialis 1. Var. 25. p. 280. ſi *cocto ventrem rusparer bepetia ſuſtoderem*. Sic quos vidi, ſed cur non potius hepatia. ἡπάτια ἤγουν ἡπατίσκοι. p. 284. *Cujus pueritia etſi nihil ad religionem ſuffragaretur, tamen accuſatio fidem derogaret*. Hærebam & ego hercle hic, & putabam forte *mihi* pro *nihil* legendum. Pueris ſcil. ad ſacra illa opus fuiſſe, & quamvis itaque pueritia ſuſpicionem de illis ſacris magicis movere poſſet, tamen ad accuſandum fidem habere non poſſet. 285. *Magia iſta quantum ego audio, res eſt legibus delegata*. Male; cogitabam, *relegata* jam capio ex tuis illud alterum 288. *Ariſtoteles adeo in problematis ſcriptum reliquit, quibus aque caducis a dextero*. Omnino puto τὸ *aque* tranſpoſitum, & ſic repono. *Ariſtoteles adeo in problematis ſcriptum aque reliquit, quibus caducis* &c. tu conſiderabis p. 291. *quippe omnibus ſicut forte negotium Magia faceſcitur, quidquid omnino egerint, objicietur*. Meliſſus veſter rectiſſime *ſi cui forte*. Ibid. ſtatim. *Præſertim quod conditum cunque, quod obſignatum quod* &c. Emendabam, *conditum cuique*, 294. *Non inſimulet Craſſus ſervum ſuum? ſed ipſe hac potius de fuligine & pinnis mentitus eſt*. Omnino deleverim notam interrogationis, & repono: vel;. niſi tamen ex Florentina editione quæ habet: *Nonne ſimul & Craſſus*, &c. quis legat *nunc ne inſimulet Cr. S. ſuum. Sed.* &c. p. 295. *Iſte cum maxime præſens per libellum loquitur, non quin* &c. Hic vero indicabo palmariam correctionem quæ profecta a Putſchio meo ſcilicet leg. *Is tecum maxime præſens* &c. Nihil verius. 297. *Id munus cumprimis gratum mihi fore. Sed ea ſe feciſſe, perinde ut loculi ſuppetebant*. Tu edis *ex ea*. Neſcio an non hic menda ex compendioſa ſcriptura lateat. Ajunt enim Philomathis codicem habere, *ſecundum ea* quod mihi videtur germanum, *ſecundum ea*, ἐπὶ τούτοις poſtea: quod etiam Scaliger Varroni reſtituit; Ubi ſecundam partem faciunt. p. 301. *Ibi omne virus totis viribus adnixi effudere. Ibi maxime angebantur*. Mallem: *effudere, ubi m. a.* Nihilne levius habes, inquis? imo hoc. p. 302. *Conſilium iſtud cum alii approbarent, tum maxime*, &c. Me neſcire an non melius, *approbarunt*. Et hoc. p. 305. *Nonnihil a me in communibus ſtudiis adjuvantur*, an *adjuvatur*? Ut ſaltem de fratre puero intelligamus. Nec hoc prætercam libens ead. p. 305 *quoniam mihi ſoli, ait, rerum omnium confidere ſeſe & credere*. &c. Caſaubonus ibi hæret. Ego dudum puto *ſolus rerum*, ut *dulciſſime rerum* apud Horat. 1. Sat. ix. Ovid. 1. de Art. Am. & ibid forte hoc modo *latiſſima rerum*. p. 316. *præterea ut conviviis multis ac moleſtiis ſuperſederemus*. Mallem *ac moleſtis*, niſi rectius putes *conviviis ac multis moleſtiis*. ibid. *vel enim ſub ulmo marita cubet in ipſo gremio terræ*. Video hic quoſdam

conjectare, quibus & me aggregavi, legens *marita accubet*. p. 320. *ego vero quietis & concordiæ & pietatis auctor, conciliator, favisſor*. non poſſum probare Caſaubonum, qui *fautor, ſuaſor*, quod & ſibi diſplicere....... terna enim opponit ternis, quietis auctor, concordiæ conciliator, pietatis fautor p. 322. *quemne ille bonum virum ait, cujus animi diſputationem tam plene ſuis literis collaudat*. Caſauboni illud Aviti hic locum habere non exiſtimo: legendum forte *diſpoſitionem*, quod tamen mihi ipſi non probatur ſatis. p. 327 *adeſt etiam tutor, auctor mulieris, vir graviſſimus* &c. hærebam, putabamque transpoſita & legendum *auctor, tutor mulieris*: quo me ſcilicet ſequentia inducebant. Et eadem p. *an uti rem familiarem ſuam meo adhortatu pleramque filiis condonaſſet*. Suſpicabarque *& ubi rem*, ſuſpicabar & *condo*..... p. 328. *ſaltem fingite aliquid, reminiſcimini, quod reſponderatis, qui vos ita rogarit*. *Et quoniam* &c. non recte puto Caſaubonum legere *comminiſcimini*, ſic enim ſupra p. 290. *finge aliquid, reminiſcere, excogita*. Dein legerem *reſponderetis qui vos ita*. Enecas me tuis ineptiis, inquis, & παῦε tandem φλυαρῶν. Sic eſt, vir Ampliſſime & amiciſſime, imitari didici iſtos criticos, quamvis in eorum conſeſſu vix imi ſubſellii virum me profiteri audeam, qui ſic amicos ſuos ſolent beare. Ignoſce, ignoſce, quæſo, quod meas quiſquilias adeo tibi ante pedes ſpargo. Notavi iſta, ut dixi, Heidelbergæ, nec potui recenſere. Et (malum) fere oblitus ſum, quod ad tua pertinet. Scilicet in textum me inſeruiſſe tales ἀστερίσκους ubicunque ad notas tuas lectori recurrendum eſt, ſi rectius velit omnia intelligere & clarius. Id credo me non feciſſe tuis ingratiis. Sed vidiſtine partum, quem ὁ κακόφωνος σκώψ edidit contra incomparabilem Scaligerum? omnes docti, in quibus Gruterus noſter, judicant, nullum librum ab orbe condito prodiiſſe tam diabolicum; ego non tanti putabam emere τὸ pœnitere: charo enim vendebat bibliopola. Sed ſatis eſt tandem a me litatum nugis, quas tibi jam plenis literis oggero. Tu iterum iterumque rogatus amico velis ignoſcere. Saluto officioſe Clariſſimum Hubnerum & Ritterſhuſium, & te quoque Vir Ampliſſime οὐχ ἥκιστα valere atque ſalvere jubeo. Scribebam Hanoviæ e typographio Wecheliano. A. D. VI. Idus Maj. CIϽ IϽC VII.

EPISTOLA XXXII.

SCIPIONI GENTILI S. D.

Petrus Brederodius.

Altorfium.

ETſi nuper tibi, clariſſime & amiciſſime Gentilis, pro jure conjunctionis pauca de noſtris ſcripſerim, nolui tamen officiis communis amicitiæ deeſſe. En tibi literas a parente tuo viro Clariſſimo, recens mihi a Medicinæ doctore, qui ante paucos dies ex Anglia Francofurtum venit, traditas; is quædam præterea ſibi a parente tuo credita, quæ tibi nuncupative referre debebat, ſe habere dicebat, quæ tum expiſcari licuit; tangebat negotium aut ipſam perſonam Pacii, a quo tibi cavendum putat. De Lipſio etiam quædam adſcripſeram ſuperioribus, & nunc etiam de Clariſſ. Gothofredo neſcio quid auſim

quid? deeſſe piſcem: & blandiebatur valde, quod de apua veniebat in mentem, cujus veteres menſas non exſortes fuiſſe patet ex Athenæo, qui tamen ſaltem Rhodios & Athenienſes laudat. Emendabam itaque proxime ad literas, *Surrenti fac emas glaucum, Cumis apuas, quid?* Nec mihi alterum magis probaretur, ſi fundum meæ ſententiæ haberem, apud Cumas ſcil. eum piſciculum in pretio fuiſſe. Sed bonos auctores evolvere mihi operæ meæ interdicunt. Ibidem *Ambraciam* pro *Umbracio* etiam olim reſtituit Mercurialis 1. Var. 25. p. 280. ſi *cocta ventrem rusparer bepetia ſuſtoderem.* Sic quos vidi, ſed cur non potius hepatia. ἡπάτια ἤγουν ἡπατίσκοι. p. 284. *Cujus pueritia etſi nihil ad religionem ſuffragaretur, tamen accuſatio fidem derogaret.* Hærebam & ego hercle hic, & putabam forte *mihi* pro *nihil* legendum. Pueris ſcil. ad ſacra illa opus fuiſſe, & quamvis itaque pueritia ſuſpicionem de illis ſacris magicis movere poſſet, tamen ad accuſandum fidem habere non poſſet. 285. *Magia iſta quantum ego audio, res eſt legibus delegata.* Male; cogitabam, *relegata.* jam capio ex tuis illud alterum 288. *Ariſtoteles adeo in problematis ſcriptum reliquit, quibus aque caducis a dextero.* Omnino puto τὸ *aque* tranſpoſitum, & ſic repono. *Ariſtoteles adeo in problematis ſcriptum aque reliquit, quibus caducis* &c. tu conſiderabis p. 291. *quippe omnibus ſicut forte negotium Magiæ faceſcitur, quidquid omnino egerint, objicietur.* Meliſſus veſter rectiſſime *ſi cui forte.* Ibid. ſtatim. *Præſertim quod conditum cunque, quod obſignatum quod* &c. Emendabam, *conditum cuique,* 294. *Non inſimulet Craſſus ſervum ſuum? ſed ipſe hac potius de fuligine & pinnis mentitus eſt.* Omnino deleverim notam interrogationis, & repono: vel; niſi tamen ex Florentina editione quæ habet: *Nonne ſimul & Craſſus,* &c. quis legat *nunc ne inſimulet Cr. S. ſuum. Sed.* &c. p. 295. *Iſte cum maxime præſens per libellum loquitur, non quin* &c. Hic vero indicabo palmariam correctionem quæ profecta a Putſchio meo ſcilicet leg. *Is tecum maxime præſens* &c. Nihil verius. 297. *Id munus cumprimis gratum mihi fore. Sed ea ſe feciſſe, perinde ut loculi ſuppetebant.* Tu edis *ex ea.* Neſcio an non hic menda ex compendioſa ſcriptura lateat. Ajunt enim Philomathis codicem habere, *ſecundum ea* quod mihi videtur germanum, *ſecundum ea,* ἀπὶ τούτοις poſtea: quod etiam Scaliger Varroni reſtituit; Ubi ſecundam partem faciunt. p. 301. *Ibi omne virus totis viribus adnixi effudere. Ibi maxime angebantur.* Mallem: *effudere, ubi m. a.* Nihilne levius habes, inquis? imo hoc. p. 302. *Conſilium iſtud cum alii approbarent, tum maxime,* &c. Me neſcire an non melius, *approbarunt.* Et hoc. p. 305. *Nonnihil a me in communibus ſtudiis adjuvantur,* an *adjuvatur?* Ut ſaltem de fratre puero intelligamus. Nec hoc præteream libens ead. p. 305 *quoniam mihi ſoli, ait, rerum omnium confidere ſeſe & credere.* &c. Caſaubonus ibi hæret. Ego dudum puto *ſolus rerum,* ut *dulciſſime rerum* apud Horat. 1. Sat. IX. Ovid. 1. de Art. Am. & ibid forte hoc modo *lætiſſima rerum.* p. 316. *præterea ut conviviis multis ac moleſtiis ſuperſederemus:* Mallem *ac moleſtis,* niſi rectius putes *conviviis ac multis moleſtiis.* ibid. *vel enim ſub ulmo marita cubet in ipſo gremio terræ.* Video hic quoſdam

com-

conjectare, quibus & me aggregavi, legens *marita accubet.* p. 320. *ego vero quietis & concordiæ & pietatis auctor, conciliator, faviſſor.* non poſſum probare Caſaubonum, qui *fautor, ſuaſor*, quod & ſibi diſplicere....... terna enim opponit ternis, quietis auctor, concordiæ conciliator, pietatis fautor p. 322. *quemne ille bonum virum ait, cujus animi diſputationem tam plene ſuis literis collaudat.* Caſauboni illud Aviti hic locum habere non exiſtimo: legendum forte *diſpoſitionem*, quod tamen mihi ipſi non probatur ſatis. p. 327 *adeſt etiam tutor, auctor mulieris, vir graviſſimus* &c. hærebam, putabamque tranſpoſita & legendum *auctor, tutor mulieris*: quo me ſcilicet ſequentia inducebant. Et eadem p. *an uti rem familiarem ſuam meo adhortatu pleramque filiis condonaſſet.* Suſpicabarque *& ubi rem*, ſuſpicabar & *condo*..... p. 328. *ſaltem fingite aliquid, reminiſcimini, quod reſponderatis, qui vos ita rogarit. Et quoniam* &c. non recte puto Caſaubonum legere *comminiſcimini*, ſic enim ſupra p. 290. *finge aliquid, reminiſcere, excogita.* Dein legerem *reſponderetis qui vos ita.* Enecas me tuis ineptiis, inquis, & παῦε tandem φλυαρῶν. Sic eſt, vir Ampliſſime & amiciſſime, imitari didici iſtos criticos, quamvis in eorum conſeſſu vix imi ſubſellii virum me profiteri audeam, qui ſic amicos ſuos ſolent beare. Ignoſce, ignoſce, quæſo, quod meas quiſquilias adeo tibi ante pedes ſpargo. Notavi iſta, ut dixi, Heidelbergæ, nec potui recenſere. Et (malum) fere oblitus ſum, quod ad tua pertinet. Scilicet in textum me inſeruiſſe tales παρέργους ubicunque ad notas tuas lectori recurrendum eſt, ſi rectius velit omnia intelligere & clarius. Id credo me non feciſſe tuis ingratiis. Sed vidiſtine partum, quem ὁ κακόφωνος σκὼψ edidit contra incomparabilem Scaligerum? omnes docti, in quibus Gruterus noſter, judicant, nullum librum ab orbe condito prodiiſſe tam diabolicum; ego non tanti putabam emere τὸ pœnitere: charo enim vendebat bibliopola. Sed ſatis eſt tandem a me litatum nugis, quas tibi jam plenis literis oggero. Tu iterum iterumque rogatus amico velis ignoſcere. Saluto officioſe Clariſſimum Hubnerum & Rittershuſium, & te quoque Vir Ampliſſime οὐχ ἥκιστα valere atque ſalvere jubeo. Scribebam Hanoviæ e typographio Wecheliano. A. D. VI. Idus Maj. CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XXXII.

SCIPIONI GENTILI S. D.

Petrus Brederodius.

Altorfium.

ETſi nuper tibi, clariſſime & amiciſſime Gentilis, pro jure conjunctionis pauca de noſtris ſcripſerim, nolui tamen officiis communis amicitiæ deeſſe. En tibi literas a parente tuo viro Clariſſimo, recens mihi a Medicinæ doctore, qui ante paucos dies ex Anglia Francofurtum venit, traditas; is quædam præterea ſibi a parente tuo credita, quæ tibi nuncupative referre debebat, ſe habere dicebat, quæ tum expiſcari licuit; tangebat negotium aut ipſam perſonam Pacii, a quo tibi cavendum putat. De Lipſio etiam quædam adſcripſeram ſuperioribus, & nunc etiam de Clariſſ. Gothofredo neſcio quid auſim

ſcribere, video illum magis magiſque in veſtras partes inclinare. Veſtrum erit hiſce tam bellis occaſionibus oblatis frui, & veſtræ ſcholæ tam robuſta fulcra ſuffulcire. Ego ſi inſtetur, aliquid auſim polliceri, dummodo veſtram ſuper hac re voluntatem & deliberationem agnovero. Ex Gallia rumor defertur, Regem Chriſtianiſſimum in agro & in continenti Rotomagi eſſe, & militem Rotomagenſem, cum in Regios impetum faceret, cæſum partim, partim repulſum fuiſſe, ac ex ea ſtrage urbem ipſam in poteſtatem Regis perveniſſe: hæc hodie Colonia ad nos perſcripta: uti & hoc, quod Parmenſis Valencenis in Belgium revertitur, & conſilium de profectione aut expeditione Gallica mutaverit. Noſtri præparant ſe ad recuperandam poſſeſſionem Comitatus novæ Aquilæ vel de Meurs, a qua per Capitulum Colonienſe Vidua dicti Comitis dejecta fuit. Hos etiam rumores hac occaſione ad te ſcribere libuit, ne tibi papyrum mundam pro tegmine literarum tuarum emitterem. Tu ſolita tua & mutua benevolentia tuum Brederodium complecti perge & Vale. IV. Kal. Decembr. CIƆ IƆ XCI. Francofurti.

EPISTOLA XXXIII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Petrus Brederodius.

Altorfium.

Binas te mihi ſcripſiſſe literas, Clariſſime Gentilis, ex poſterioribus, quas heri accepi, percipio; priores nondum vidi. Scripſeram tibi de ſtatu doctiſſimi noſtri Lipſii, cum a noſtris veniam petitam obtinuiſſe; ac nunc omni vinculo liberum eſſe; eumque ſi forte hoc ab illo expeteretur amicorum ſuaſu poſſe exorari, ut ſcholæ veſtræ reſtaurandæ ornandæque operam ſuam tribueret. Quare veſtrum erit diſpicere, utrum placeat illius rei apud illum mentionem facere, & expiſcari illius in Noricos animum. Puto optime inter vos, Gothofredum & illum conveniret, voſque velut ex tripode omnia oracula ederetis. De Gothofredo, ſi petant Ampliſſimi veſtræ Scholarchæ, non dubito, quin voti fiant compotes, illius enim animum vobis deditiſſimum eſſe ex ultimis illius literis perſpexi; quibus ſe mirari ſignificabat, tantum veſtrum tamque altum ſilentium. Vos itaque pergite & literatos pro more tuo promovete, inde & ad te aliquando cum ad ſupremum gradum, cui nunc aſtas, adſcendes. Significavi Chariſſimo noſtro pectori ſtudium tuum & amorem, cujus etiam fructum ab illo ſenties. Clariſſimus D. Doctor Sixtinus te officioſe meis verbis ſalutat; is intellexit vobis deeſſe, qui vel pandectas vel inſtitutiones legant; commendat vobis Juris doctorem virum doctiſſimum Marpurgi promotum cognatum ſuum, qui aliquot annos Magdeburgi publice cum laude profeſſus eſt; hujus ſi forte occaſio ſit, commendationem tibi cordi eſſe rogat, ille viciſſim omnia ſtudia tibi veſtræque ſcholæ defert. Rerum novarum ex Gallia nihil habemus. Rotomagum obſidetur a Rege, ſed neque urbs neque arx capta, cuniculi tentati in arcem, ſed fruſtra, intermedium inter urbem & ar-

cem Monaſterium Rex occupaſſe fertur, in quo ille tutus a præſidio arcis urbi graviter impendit, eamque ex illo majoribus machinis arietat. De Parmenſi varius rumor, alii illum ad fontes Spadanos ægrotum rediiſſe, alii nunc Lutetias ingreſſum & mortem Briſſonii, atque aliorum ſeditione populari interfectorum, ultum eſſe ferunt. Lotharingi ab oppido Stenæo per Vicecomitem pulſi cæſis 1400. militibus, tormenta novem hoſtibus erepta Sedanum deduxerunt. Hæc ſunt clariſſime & amiciſſime Gentilis, quæ ad poſteriores tuas literas reſcribere licuit. Tu nos amare perge tibi amiciſſimos, & doctiſſime & feliciſſime vive & vale. Francofurti ad Mœnum. XXVI. Decembr. CIƆ IƆ XCI.

EPISTOLA XXXIV.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Petrus Brederodius.

Altorfium.

QUid in negotio Clariſſimi Gothofredi cum Ampliſſimo viro Domino Bennero actum ſit, prolixe tecum agerem nunc, ſed temporis ratio non patitur; hæc rei ſumma eſt; ut vix ſperem D. Gothofredum ad vos commeaturum; nam paulo ante nundinas Argentinæ eo beneficiorum vinculo recens devinctus eſt, ut facile inde avelli non poſſit. Integrum trimeſtre ille exſpectavit, ut certi aliquid in illo negotio ſtatueretur; ſed cum rem lentius promoveri videret, præſentia pro incertis amplexus eſt. Interea ampliſſ. Dno. Bennero illius verbis gratias habui, teſtatuſque ſum promptam ejus erga Ampliſſimos, prudentiſſimoſque Noricorum Dominos voluntatem. Nominavi illi alios, D. Weſembecium primarium Wittembergenſem & Pandectarum Profeſſorem Erfordiæ, deinde Iſaacum Caſaubonum Græcæ linguæ Profeſſorem Genevenſem. Hæc univerſitatis nomine inter Clariſſimum & Ampliſſimum virum Dominum Bennerum & me acta ſunt. Mitto tibi corpus juris in folio Gothofredi. $6\frac{1}{2}$ fl. & Hotomannum de re nummaria $7\frac{1}{2}$ batz. ſolvi Wechelo 8. flor. ſumma 15. fl. quos mihi numeravit vidua D. Donelli. Tres fl. nondum a Caſſiodoro accepi; ſed quam primum ſolverit, reddam viduæ; hodie ipſum adibo. Doleo profecto Clariſſimum Gothofredum Argentinæ detineri, nam ſcio conſuetudinem illius tibi jucundam futuram fuiſſe, famam & eruditionis & probitatis Academiæ utilem. Brevior nunc eſſe cogor, propter meam ab hac urbe profectionem, nam Argentinam excurro, inde intra paucos dies huc rediturus. Interea rogo, ut me inter tuos habeas tui amantiſſimum. Vale Clariſſime Gentilis & meis verbis, ni grave ſit, meum popularem Dominum Camerlinum ſaluta; cujus pecuniam ex mandatu Donellinæ viduæ ab mercatore accepi, ac viduæ tradidi. Iterum vale. Francofurti. XXVIII. Martii. CIƆ IƆ XCII.

EPI-

EPISTOLA XXXV.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Petrus Brederodius.

Altorfium.

Literas tuas, amiciſſime Gentilis, ſuperiore angario recepi, ſed temporis brevitate excluſus nihil tum iis reſcribere mihi licuit: interea fidelitatem tuam in tuendo communi amico eidem multis commendavi. Hodie ejuſdem mihi literæ redditæ ſunt, quibus ſignificat proxima occaſione Argentina ſe tibi pluribus verbis ſcripturum. Neſcio an recte capiam ſtatum quæſtionis: illene minoribus ſolum beneficium illud prætorium, quo illæſi ſerventur, competere dicit? hoc argumento ſolo videor mihi probare poſſe in eadem læſione duo ſimul remedia parata eſſe, Reſtitutionem in integrum & condictionem indebiti *L.27.& 57. 1.pr. ff. de cond. indeb. 25. ff. de minoribus*, pluribus aliis legibus ſi errem in ſtatu, mone, & retrahe errantem. Quod ad Neoburgum attinet, en mitto tibi illius literas & ad Ampliſſ. Senatum Academicum & ad te, quæſo ut patrocinium ejus negotii in te recipias. Vides facile illum duplici cauſſa intricari, violatione arreſti & debitorum mole; de priore ſi peccaverit, veniam precatur; in poſteriore paratus eſt ſolvere, modo illi competens dilatio ſub cautione juratoria de ſolvendo concedatur, nam ut hoc beneficium illi, qui immobilia multa & magna ure dominii poſſideat, impartiatur, juri conſentaneum eſt; quæſo itaque ut in utroque, quantum per te fieri poterit, illi faveas, & ſica ingenii tui illum defendas. Omnia hic tranquilla & in alto ſilentio ſunt. Exſpectamus eventum conventus & actionum Argoratenſium. Speratur pax. Cuperem per te meo nomine plurimum ſalutari Clariſſimum & Conſultiſſimum Virum D.D. Weſembecium, cæteroſque doctiſſimos & excellentiſſimos Viros Dominos Profeſſores Dominos & amicos meos plurimum honorandos. Tuque cariſſimum caput diu vive & vale memor tui Brederodii. Baſileæ. Kal. Februar. CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XXXVI.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Petrus Brederodius.

Altorfium.

A Poſterioribus meis ad te, clariſſime & conſultiſſime vir Domine & amice honorande, quibus tibi conjugium tuum, licet fortaſſis tardiuſcule, felix fauſtumque comprecabar, literæ mihi a Nobiliſſimis magnificiſque DD. Curatoribus univerſitatis Lugdunenſis in Batavia ſcriptæ fuerunt, quibus rogor, ut ipſis conſilio & ope adeſſe velim, quo primo quoquo tempore eos de Magni nominis Juriſconſulto, qui in ſupradicta univerſitate operam ſuam primariæ profeſſioni ſuſtinendæ addicere vellet, certiores reddere non gravarer. Scis conſultiſſime Domine, quid ſuper hac re coram atque etiam per literas ante-

te-

te hac rerum egerim; Fidem tibi meam & animi erga te ſinceritatem ulterius probandam eſſe putavi. Ad hoc enim vetus noſtra amicitia, & quæ nuperrime a te honorifica gratiſſimaque cum antiquis amicis meis affinitas inita eſt, me obſtringunt. De conditionum bonitate nihil mihi fas eſt dicere, antequam ſciam, an tibi inde, ubi nunc es, diſcedere per pacta conventa liceat: deinde an etiam inde abire, & in Bataviam tuam familiam transferre animus tibi ſit. Diſpice itaque ſi placet tecum, cum lectiſſima tua, & honoratiſſimis ſocero & ſocru tuis, quid vobis facere conſultum fuerit, meque quam primum fieri poterit, libere de animi tui ſententia certiorem reddas. Non enim a me ſtabit quo minus meliore, ſplendidiore, & longe gratiore loco conſtituaris. Voluntatem itaque tuam mihi ut primum commodum erit, ſignificabis; de qua ubi curatores ipſi per me certiores facti fuerint, mox citra ullam moram mentem ſuam ulterius aperient, de qua deinde vel per literas, vel coram tecum agam, ſic ut me velut tibi amiciſſimum, utilitati tuæ promovendæ deditiſſimum eſſe, agnoſcere poſſis. Eadem opera etiam ad anteriores meas reſponſum exſpecto, ut ſciam, an omnia tibi in hoc novo vitæ genere ex animi ſententia ſucceſſerint. Quod etſi omnino confido, nihilominus tamen per te de eo certior fieri cupio. Aliunde haud dubie intellexiſti, quod Aula hæc Palatina, imo Reſpublica Chriſtiana Hippolitum de Collibus, virum incomparabilem amiſerit. Quanto dolore omnes bonos ejus obitus affecerit, verbis vix exprimi poteſt. Sed parendum eſt mortalibus omnibus, ubi ſummus ille vitæ moderator imperat. Nunc pluribus tecum non agam, vir Præſtantiſſime, quam ut, ſicut & conjunx mea, Deum rogemus, ut te tuumque corculum diu lætos, concordes & incolumes ſervet. Heydelbergæ. XXI. Februarii. CIƆ IƆC XII.

EPISTOLA XXXVII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Petrus Brederodius.

Altorfium.

HÆremus incerti, Vir Clariſſime & conſultiſſime Domine & amice plurimum colende, quid tandem literæ illuſtriſſimi Principis Mauricii & Illuſtrium Dominorum Ordinum Hollandiæ apud ampliſſimum & Nobiliſſimum Senatum Noribergenſem, pro tua dimiſſione effecerint. Rogaveram te per Nobilem & honoratiſſimum ſocerum tuum, ut nos quam primum de ſucceſſu illius negotii certiores reddere non gravareris; quod mora ulterior univerſitatis Lugdunenſis utilitati plurimum obeſſet. Nihil interea hactenus abs te literarum ad me relatum. Facile, ut mihi quidem videtur, tibi fuerit, vel verbulo nobis indicare, an ſpes aliqua adfulgeat veniæ a Senatu veſtro impetrandæ: nam id pro ea qua es ſingulari prudentia & perſpicacitate conjicere potes; etiamſi id nullo Senatus decreto fuerit conſtitutum. Eximas itaque nobis, ſi nondum abs te factum, hanc negotii hujus incertitudinem, & vel de venia tibi conceſſa, quod utique optamus & ſperamus, nos ilico certiores redde: vel ſi aliter res ſe habet, noli

nos ulterius ſuſpenſos tenere; uti enim non ultimus mihi in hac re curanda finis fuit commodi & honoris tui amplificatio: ita invicem abs te, vir Clariſſime, tuaque humanitate mutuo mihi ſemper pollicitus ſum, te omnem lapidem moturum, ut exſpectationi de te apud noſtros ſuſceptæ facere poſſis ſatis. Quod ſi inclyti veſtri Senatus vel vetera, vel etiam nova in te collata beneficia, id non ferant, id ut literis tuis ſignificare prima quaque die non graveris etiam atque etiam abs te peto. Deus te, Vir Clariſſime, diu cum lectiſſima conjuge & filiola dulciſſima incolumem ſervet. Heidelbergæ. 17/27 Octob. CIↃ IↃC XIII.

Vir quidam præclarus, qui in Gallia operam dat excudendis literis Scaligerianis, me iterum atque iterum rogavit, ut eas quas Rittershuſius piæ memoriæ aliquando promiſit, ab hæredibus impetremus, rogo te vir Clariſſime ut hac in re operam tuam interponere non graveris.

EPISTOLA XXXVIII.

AD SCIP. GENTILEM. J. C.

Die XIII. *Decemb. Juliani.* Anno CIↃ IↃ XCIV.

Æmilia Æmilium peperit mihi. Plaude Meliſſa,
Lætaque natali concipe vota die.
Jamque novum Patris ex tabulis ordire vetuſtis
In ſubolem durans fœdus amicitiæ.
Sic tibi ſe Genius felicibus inſerat aſtris,
Ingenio faveat Pallas amica tuo.
Sic tibi perpetuo fons Aoniæ Aganippes
Suavidicum in carmen, Scipio clare, fluat,
Fallor; an ex animo totoque ex pectore jam nunc
Diligis ut Paulum, diligis Æmilium?

PAULUS MELISSUS FRANC.

Ne perirent verſiculi in calce epiſtolæ poſiti, ſic eos ſtatuminare placuit, ut meliores abs te elicerem.

EPISTOLA XXXIX.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Paulus Meliſſus.

Altorfium.

TAnta molis erat Latiare extrudere carmen
A Gentile meo.

Quid ſi ceſſaſſem? nihil utique impetraſſem. Itane extorquendi fuere verſiculi pauculi? Ecce jam Muſæ furcillis arreptis, ob ſtomachum meum, refractario minitabantur præcipitem ejectionem ex montis Pimplæi adyto: ac feciſſent ſane, niſi manus earum a me fuiſſent cohibitæ, parcendum rato teneritudini tuæ delicatiſſimæ; tractari aventi, quam medullula anſerina, eo mitius, eo mol-

mollius. Sed jam bene res habet. Domus Davidica nec janua nec tecto caret. Architecto gratias habendum agendumque. De quo antea ad te ſcripſeram, abitionem ita celante & locum, ut nemo quicquam fere reſciſcere potuerit, is ſupellectile & liberis ſubito amandatis, poſtea ſeſe (nam cautio illi præſtanda fuerat ob litem pendentem) clam ſubduxit, Spiræque tantiſper hæſit, donec & uxorem ante luno tempore eo ex loco, ubi hactenus maxime inviſus fuit, reda accitam ſubmoviſſet, magna & ſplendida minantem de opiparo & exquiſito, quod vir ſuus ante abitum præbiturus eſſet, convivio. Ita eluſere hiantes corvos. Inter quos vel me vel Freherum ne numeres cave. Olores ſumus, ſi tu Cycnus es, ut te eſſe opinamur; imo credimus. At evaſit, erupit ille, creditoribus per totum oppidum debitorem inclamantibus, ſtomachantibus, atque nationem ipſam totam inſectantibus.

Der weliſch Schelm iſt auch außgeriſſen / wi ſcheſſen leder.

Ita indignantes loquuntur. noſti autem tutemet; quam vulgus iſtud oppidanum libere, quicquid in buccam venit, effutire ſoleat. Nolim mihi fraudi ſit, quod hæc tam aperte ad te perſcribam more meo. Dolebis, ſat ſcio, homini tibi amiciſſimo injuriam talem fieri, qui te pro amore libenter devoraſſet, ut cuculus currucam. Sparſerant rumorem ante fugam fore, ut manerent in oppido uſque ad nundinas Francofortenſes. Nunc quidam prætexunt amicum illum tuum rurſus adfore circa illud tempus. Sed non ego credulus ollis. Sedanum ire & redire, non deambulandi fit gratia. Sumptibus parci poteſt. At homo liberaliſſimus omnem in loco pecuniam negligere didicit: cujus omnia proverbia & adagia, omnes provinciæ, tantummodo de auro, argento, collybo, uſura, uſufructu & hoc genus aliis, parietes & aures feriunt. Propempticon illi adornes ſuadeo: nam is jam pridem te carmina popoſcit. Nunc ego mihi demum vivere videor, trabe iſta ruinoſa a cervicibus noſtris remota. Neminem profecto adhuc ex Academicis omnibus audivi, qui non apprime gaudeat, umbram illius non amplius turbare ſolem. *Muſæ* tamen tuæ illum uſque ad *Moſam* perſequentur, nec interquieſcent, donec Sedanum appulerint, ubi & *Moſes* Quadratus Profeſſorem agit Phyſices. Beati colles, beatæ valles, quibus tui audientur cantus! Beatioribus tamen eſſe noſtris liceto, in quibus haruſpices de extis cadaveris vivi hariolentur. Sed jam fulgurat & tonat Juppiter. Serva, bona eſt, ſi a læva. Tu dextere hæc omnia interpretare, & non ſiniſtre. Iterum paginam verto: tu poculum ut abſenti propines, in Mediolani confinibus hac ipſa hora, ut autumo peregrinanti, vertito, & cottabum facito.

Id pietas hominis virtuſque antiqua meretur
Ficetinum atavis orta ab Onocrotalis

Vide quæſo Attius an Pacuvius hujus ſe diſtichi auctorem profiteatur. Fragmenta veterum Poetarum non ſunt ad manum. Et tabellarius ſcripturientem interpellat: tu ſi bonum tibi nuncium fero, mihi applaude & vale. Dat. die XXII. ſextilis.

EPISTOLA XL.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Paulus Meliſſus Callidromus.

Altorfium.

TUne unus & unicus omnes nos ac ſingulos ſilentii alligas, Gentilis muſſitabunde? tibine ſoli datum garrire eloquenter & diſerte? tuane vox tanti ut Ficetinos ejicere urbe valeat? noſtra contra ne hilum quidem? ſi neſcis, canes hirrire incipient; nam faſtidiunt ficorum: canes inquam cauſicrepi; rabulas ne dixeris, ſuadeo. Cynice loqui videmur, quando Cratippum exuimus. Tu vocem nunc ferream adſume, ut codicillos ulciſcaris. Audin' Catullum ad fores ſtantem? Vibii præſentia nos hoc menſe Aprili exhilaravit, curiæ præfecti. quid vis ulterius? planius ne planus quidem. Lingo tibi favet & Girlandus. Comenſis ad finem nondum ſua: nam primum ille ex nundinis eleutheriis; quæ te valde exſpectabant, ut Mœnadas tecum adduceres, vel potius Eumenidas. præfiſcine addant amici, ne vel tibi vel ipſiſmet noxint, cum furere occœperint ſcævæ fortaſſis bonum ob'itus. A te Paphlagonia credo ita te a verſibus ſcribendis deterruit, ut ne ſodales quidem iis digneris. Pax: prænuncio tamen tibi maturandum citius eſſe pro Apiano Epithalamion, quam pro Haruſpice noſtro, qui Fabio nuper nomen dedit. cunctatur enim & ſua differt in annuum gaudia. Serio itaque *Roſinæ* nomen intexe, & mel ex alvearibus deprome, quantum libuerit. Bene vale, & nos ama, qui te ſupra amores. Iterum vale. Dat. pridie Calend Maji. Ao. CIↃ IↃ XLIII. Epo in nupt. Rittershuſiii. *Spirantque eteſia flabra.* Corrigendum: nam *Eteſia* primam habet correptam, *aquilonia* voluiſti dicere. Eteſiæ autem flant certo anni tempore poſt caniculæ exortum. Itaque hic non locum habent amice & candide moneo.

EPISTOLA XLI.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Petrus Weſembecius.

Altorfium.

SAlus, mi Cl. Gentilis, cum benedictione anni ſerius ineuntis. Paulo ante allatas cum Rittershuſii tuas, accepi exempla Pii veſtri ſexaginta quinque ſine literis. Omnino autem habeo perſuaſum faſciculum non a typographo, ſed a vobis miſſum: quo magis gratias aliquoties jam viva voce actas, hac nunc epiſtola repeto, vobiſque ago immortales pro tanto honore & tam illuſtri teſtificatione conjunctionis amicitiæque noſtræ, quæ ad ſummam pervenerunt benevolentiam, & cujus teſtis locupletiſſimus etiam ad poſteritatem illud ſcriptum veſtrum eſſe poterit. Curavi per D. Strasburgum a typographo peti plura exempla oblato pretio, ſed nulla potui nanciſci amplius, cauſante typographo omnia a ſe ad vos tranſmiſſa. Cum autem huc a fide dignis nunciatum ſit, paſſim in Miſnia & terris Electoris & Ducum Saxoniæ: dici, ac

cupide credi, me ob cauſam religionis ab Ampliſſimo Senatu, & Academia veſtra dimiſſum, & tantum non ejectum, peropportuna fortaſſe fuerit talis calumniæ vel nugamenti refellendi ratio, ſi ſcriptum vel libellus ille veſter recuſus amplius cum amicis communicetur. Publice certe expedire, & non tam mea quam patrum & Reipub. Noricæ laudatiſſimæ intereſſe videtur, ne tale mendacium radices agat. Si Kauſtmannus nolit officium facere, ſignificate mihi. Curabo ut hic vel alibi prælo ſubjiciatur denuo. Rittershuſium ex graviſſimo morbo jam recreatum ſpero, in eam enim ſpem & lubens ac ſponte propendeo, & cum tuæ, tum ipſius ex lectulo doloris datæ literæ me erexerunt. Sed audi de Pacio, ſi forte ita plene & clare nondum accepiſtis: ſpectatæ fidei vir nobis expoſuit, ab Electore Illuſtriſſimo hominem ſæpius evocatum præmiis luculentis, paratumque illum culinam ſequi unctiorem; cum Nemauſenſes arreſto ipſum ibi detinuere, & jam tunc, hoc eſt, Novembri menſe legatum Heidelbergæ adfuiſſe ab iiſdem ad principem cum literis a Rege Galliarum, qui Nemauſenſium nomine intercederet, illic relinquatur. Et hunc quidem inter alia narraſſe miſeram ſuam civitatem impendiſſe in illum ultra coronatorum quatuor millia. Relator ſive auctor meus addebat, quid eventurum eſſet ſibi non conſtare, pleroſque tamen precari Heidelbergæ, ut legatus voti fiat compos. Sic mi Humaniſſime Gentilis hoc quoque exemplo docemur nimis verum eſſe illud vulgatum: *Mundus vult decipi.* Ad meam hic conditionem & rerum ſtatum quod attinet, non habeo profecto vel quod querar, vel cur me jactem aut efferam, quanquam interdum non omitto ingemiſcere adeoque indignari, unquam mihi datam anſam ad cogitandum de Academia veſtra, & muneribus, quibus iſtic tenebar, abdicandis; neque poteſt non illa cunctante dormitanteque veſtrorum ſapientia, quæ me impulit tandem ut exequerer, feriri animus meus: cum veſtri deſiderium an temporis longinquitas mitigatura ſit, valde dubito, memoriam profecto nulla delebit oblivio. D. Rittershuſio, tuo hoſpiti, ejuſque Junoni cæteriſque Collegis tuis omnibus ſalutem opto cum anno proſpero. Eandem etiam tibi ac illis omnibus & ſingulis adſcribit uxor mea liberique. Dno. Baroni, Rectori Magnifico ſcripſi ſub finem anni elapſi, quas literas puto recte redditas, nihilominus eum verbis meis reverenter ſalutabis cum opportunum erit. Vale & ſalve. Coburgi. VI. Januarii. Anno CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA XLII.

SCIPIONI GENTILI. S. D.

Joannes Caſelius.

Altorfium.

NObiliſſime & doctiſſime Dn. Scipio Gentilis, amice plurimum colende. Et alia a te elaborata legi, non abſque fructu, & proxime perlibenter verſus pauculos, quos ex Oppiano divinitus convertiſti ſubjectos exequiis Cl. Berſmanni filii, cujus obitus magno mihi quoque dolori eſt. namque &

illum noveram, & cum patre in hac vicinia ſingularem amicitiam colo, cujus initium fecimus, cum olim ad ipſum hoſpes Lipſiam veniſſem. Verum ad te redeo, de cujus etiam animi integritate mihi conſtat e ſermonibus amicorum. Hi enim te, quæ ſincera ſunt, & ipſum facere, & in aliis admirari, uno ore affirmant, qui ſic non ſint, iis te amicum non eſſe. Nec ſane mancipia ſive opinionum ſive honorum, ſive pecuniæ ſive quarumcunque cupiditatum, vir bonus amet, blandiuſve demulceat. Nihil autem non fieri putabis, ſi cum te iſta doctrina & virtute magni faciam, brevi quoque epiſtola compellem. Cujus ſcribendæ hæc eſt occaſio, quod hic adoleſcens Jacobus Wachsmut Hallenſis, quaſi ex ædibus meis ad vos iter inſtituit. Digreſſus enim in patriam, ſalutatis parentibus, id ipſum ſuſcipiet. Eum etiam non multis verbis & tibi, & collegis tuis, quos iſtic amicos habeo, commendo: nihil petens aliud, niſi quæ hoſpitibus, literarum cultoribus, ultro præſtamus. Idcirco autem ſum & eſſe debeo brevior. Vale Helmſtadii ex Academia Julia. XII. Kal. ſextil. An. CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA XLIII.

SCIPIONI GENTILI. S.D.

Philippus Camerarius.

Alterſum.

CLariſſime vir, Domine & amice obſervande. Mirifice me perturbavit improviſus & quidem acutus atque periculoſus morbus Dn. Rittershuſii noſtri. Quemadmodum enim is verum ornamentum Academiæ noſtræ dici poteſt, ita & eum amittere, talis jactura eſſet, quæ non facile reſarciri poſſet, cum præſertim noſtrum collegium ob diſceſſum D. Weſenbecii, amplius integrum non ſit. Equidem D. Rittershuſio noſtro opto vitam proſperam, utque ſit longævus: & non dubito, quin veſtra vota omniumque bonorum noſtris correſpondeant. Recreavit me aliquantulum fratris mei filius Joachimus, qui ægrotantem inviſit, & deprehendit nonnulla ſigna, quæ illum bene ſperare jubent, amicum noſtrum meliuſcule habiturum. Utinam ita ſit. Ideoque ipſius incolumitatem Deo commendemus, is curabit quæ optima erunt. A tua autem præſtantia peto, ut D. Rittershuſium, oblata occaſione, ſi non moleſtum eſt, moneas, ne gravetur mihi ſignificare, quid fiat de libello Arythmologico, opera parentis mei jam pridem edito, & de ejus additionibus, quas ipſe collegi, quæ omnia a ſuperiori æſtate, a filio meo, ad ipſum miſſa ſunt: pergratum enim eſſet, ut ſi morbus illi non eſſet moleſtus, mihi ſuam ſignificaret ſententiam, vel ſi commode id fieri non poſſet; mihi tam edita quam ſcripta remitteret. ſin diutius ſervare cuperet, ut ſaltem curaret, ne in alterius manus pervenirent. Tua igitur præſtantia curabit hæc, ſicut petii, ita tamen ne alicui moleſtia aliqua inde eveniat. Literas quoque incluſas in ædes D. Taurelli mitti curabit. Mea opera T. P. viciſſim in majoribus erit parata. Vale & ſaluta Generoſum D. Doctorem meo nomine officioſe, nec non & reliquos collegas tuos. Raptim. XXIII. Novembr. Inter multiplices occupationes. EPI-

EPISTOLA XLIV.

SCIPIONI GENTILI S. D.

Philippus Camerarius.

Altorfium.

CLariſſ. & præſtantiſſ. Vir, Domine & Amice obſervande. Recordor paulo ante iter meum ad hæc comitia, a te obiter cognoviſſe, te conſtituiſſe oblata occaſione, ad nos excurrere; ut autem hoc facias, ideo te moneo, quod nuper a Magnifico D. Wackero cognovimus, te Legato Regis Hiſpaniæ, qui hic cum magno comitatu, ſplendide & Regie, cum ſua conjuge commoratur, librum quendam dedicaſſe: quod munus tuum & officium tam gratum illi fuit, ut ſolummodo præſtoletur tuum adventum, quo animum ſuum gratum munuſculo aliquo erga te declarare poſſit; videlicet aurea catena cum imagine Regia. Hæc ut ex relatione alterius cognovi, tibi ſignificare, teque admonere volui, ne tibi deſis, ſed in tempore ea, quæ tibi parata ſunt, auferas. Tuus adventus erit nobis longe gratior, quam Intonſi illius, qui neſcio qua curioſitate, ſe in lites Bibracenſes intrudens hic nugatur, & more ſuo, ineptiis ſuis, ſibi & aliis negotium faceſſit. Si commodius diverſorium non habes, poteris apud nos divertere. Hoc & meis collegis & mihi erit gratiſſimum. Noſtrum diverſorium noſcitur ex tabula infixa januæ, directe e regione portæ cœnobii Auguſtani. Hæc tibi ſignificare volui, ut cognoſceres me tui nominis & exiſtimationis ſtudioſiſſimum eſſe. Vale & ſaluta ſocerum tuum vel coram vel literis, nec non & tuos collegas viros doctiſſ. ſalutant te mei collegæ amanter. Ratisbon. XXI. d. ſextil. Ao. CIↃ IↃC XIII.

EPISTOLA XLV.

JACOBO AUGUSTO THUANO S. D.

Scipio Gentilis.

NIſi quæ voluntas tua & qui animus eſſet ergo omnes bonos & literarum amantes jampridem cognitum haberem, & niſi me pietas erga optimi fratris liberos ſtimularet, non ſcriberem ad te, nec denuo rogarem, ut cauſſam honeſtiſſimæ viduæ, quantum fides dignitaſque tua patitur, defendendam ſuſciperes, quod nunc, præſtantiſſime Thuane, ita te rogo, ut majori ſtudio, cura, affectu denique nihil poſſim. Fortunulas parvorum liberorum Cl. viri in hoc judicio agi vides: de iis enim magis quam de ſe ipſa, & ſalute ſua angitur honeſtiſſima fœmina. Neque vero aliud ei præſidium in cauſſa, ut ſperamus, optima, quam in authoritate, æquitate, benevolentia tua, & qui ſimiles tui in iſto auguſtiſſimo conſiſtorio, ſed maxime tamen tua. Scio quid poſſis, quid velis, &, niſi te violari putas, quid etiam debeas. Uno tuo verbo, & prope nutu audebit afflicta cauſa ſeſe erigere contra opes & gratiam adverſariorum, & ut ita loquar, [illegible]. Nec dubia erit victoria, aut etiam difficilis.

Ita

Ita enim mihi de bonitate cauſæ perſuaſi, neque adfectu ullo, cui non eſt in jure apud me locus, ſed judicio, & diligenti totius controverſiæ examinatione inductus. Fieri poteſt, ut fallar. Sed ſi quid ego in jure civili intelligo, a quo non diſcrepare hac in parte conſtitutiones Regias exiſtimo, ſi quem etiam uſum in reſpondendo & judicando habeo, ſi vitæ & communis naturæ ratio charitaſque parentum & voluntatis erga liberos nemini ſunt vel ignota vel obſcura, non video, qui apud ſanctiſſimos judices vinci poſſimus. Finem rogandi faciam, ſi illud adjecero, ſi tibi perſuaſeris dignos nos eſſe, quos reſpicias, quos in tam honeſto negotio juves, tantum cumulum ad eam quam de tua virtute opinionem habemus, ſi quid forte id ad te pertinere exiſtimas, adceſſurum, ut amantiorem atque obſervantiorem tui quam me, habiturus ſis plane neminem, ne eos quidem, in quos ſunt præſtantiſſima tua merita. Idque ut certo tibi perſuadeas etiam atque etiam te rogo. Novum hunc annum & quam plurimos deinceps adfluentes tibi feliciſſimos & fortunatiſſimos a Deo immortali precor. quod faciens in communem me id humani generis utilitatem facere intelligo. Norimbergæ. VIII. Januar. CIƆ IƆC X.

EPISTOLA. XLVI.

DIONYSIO GOTHOFREDO S. D.

Scipio Gentilis.

Jam dudum & ad te ſcripturio & tuas expecto literas. Fateor debui ego ſilentium iſtud rumpere, cum tu poſtremo ſcripſeris: ſed me ſpes quædam jam diu tenuit tui coram alloquendi. Ita de nundinis in nundinas traho. Tuæ autem illæ literæ quam mihi jucundæ fuerint, non queo dicere. vide magnum illum ad Nicrum Juriſconſultum ita publice triumphare de punctis ſuis & notularum diſtinctionibus, quas primus (ſi Deo placet) in libros juris civilis intulerit! tecum etiam audere interdicto contendere: cætera ejuſmodi. Te vero per prudentiam tuam hortor, ne illius hominis illa jactatione æquum animum tuum perverti ſinas: incitari te ad novam & omnibus numeris abſolutam editionem libenter intellexi. In qua cur non expungas aliquot locis ejus nomen? Abiturire illum Heidelberga audio, Julium in Juliam, ut ajunt. Mirum ſi te amor illius loci non tangat. Scripſi ego & ſæpe antea de te ad amicos illic meos, qui iidem & tui, Hippolytum a Collybis, Lingelshemium, Freherum, alios. De Friſica conditione non poſſum tibi author eſſe inter tubas turbaſque; quanquam te Gallias tuas nunc ſpectare arbitror, percrebeſcentibus undique pacis nunciis. Ego adhuc ἄγυνος, & eo nulli glebæ adfixus. Ubi autem Brederodius noſter; Genevæ an in Italia? Dives eſt quoniam non interpellat: nec ego ſcio cui æs illud non magnum tamen perſolvam. Quæſo te ut ſæpius ad nos ſcribas: nihil poteſt literis tuis mihi eſſe jucundius, amore charius. Utrumque mutuum a nobis fiet. Vale. Altorph. XV. April. CIƆ IƆ XCIV. Audio iſthic eſſe, ſi noſti, Joh. Binardellum, Altorphienſem. Cui pro tua

pru-

prudentia nihil credes de nobis, cum ſit apud nos ruptæ fidei, calumniæ atque injuriarum condemnatus ſolenniter ac publice, ſcias ſingularem improbitatem eſſe, quæ apud humaniſſimos & gentis noſtræ amantiſſimos talem pœnam invenerit.

EPISTOLA XLVI.

JUSTO KRIEXIO S. D.

Claudius Salmaſius.

ACcepi tuas, Doctiſſime Kriexi, quæ mihi gratiſſimæ fuere; ſi plus otii habuiſſem, jam reſponſum haberetis ad ineptias Boxhornii, quas tamen miror laudatores, imo admiratores inveniſſe. Gratiſſimum feceris, ſi quæ ad eas notaſti, ſubmittas. Oro te etiam plurimum ut omnia monumenta, quæ ad eum confutandum facere videbuntur, colligas & corradas, mihique primo quoque tempore mittere digneris. Etſi nunc ſum occupatiſſimus partim in domeſticis negotiis, partim aliis, aliquot tamen horas ſuffurari conabor ſubceſivas, tuendæ meæ opinioni. Brevitatem Epiſtolæ excuſabis in optimæ voluntatis prolixitate, quæ nunquam tibi defutura eſt. Vale & me ama ad omne officium tibi paratiſſimum. Lutetiæ Pariſiorum. XXII. Mart. CIƆ IƆC XXXI.

EPISTOLA XLVII.

JUSTO KRIEXIO S. D.

Claudius Salmaſius.

INſtitueram tuis non reſpondere, quia putabam brevi abſolutum iri opus, quo aliquot Doctorum & Profeſſorum Juris diſputationes de mutuo refutavi. In eo ſperabam te habiturum ad ea dubia, quæ poſuiſti, ſolutionem, cui poſſes acquieſcere; ſed quoniam caudam adhuc trahit illa editio, non potui diutius differre, quod debui repræſentare. Quod attinet ad leg. XXIV. D. *depoſiti*, vix poteſt aliter accipi, quam quomodo exponendam tibi ſignificavi, cum hic eſſes. *Notiſſimi iſti termini depoſiti, quos excedi* dixit Papinianus, ad uſurarum incrementum referendi ſunt, non de illo genere depoſiti, in quo tantundem redditur. Quod cum pluribus confirmarim in diſquitione, quæ ſub prælo eſt, ſuperſedebo hic ea repetere. Paulus leg. XXVI. eod. ſimiliter reſpondit, uſurarum pactionem in depoſito *pecuniæ depoſitæ modum excedere.* Non eſſe axioma generale, quod habetur in leg. I. *Cod. de fundo dotali*, ſed reſtringi debere ad tralationem dominii in rebus dotalibus, multis probavi in confutatione Theſium Wiſſenbachii, ubi etiam oſtendi illud axioma incruſtationem eſſe Triboniani, cum aliud jus circa alienationem fundorum dotalium obtinuit ætate Severi, cujus illa eſt conſtitutio. Non etiam ignoravi dominium minimum transferri in ea acquiſitione naturali, qua feras noſtro dominio vindicamus: transfertur enim dominium ab altero in alterum, & feræ quæ capiuntur, nullius in dominio fuerunt. In dote deinde an negabis dominium

transferri in maritum? An dices hanc dominii tranſlationem eſſe alienationem? Quomodo id dices, cum mulier domina dotis maneat, & quidem jure naturali. Mitto tibi opus de Coma. Quæſo, reſcribe quid homines veſtri vobis de eo judicaturi ſint, & inprimis quid Voetius ſentiat, ſi qua arte id poteris expiſcari. Vale & me amare perge. Leydæ. XIX. Aug. MDCXLIV.

EPISTOLA XLVIII.

JUSTO KRIEXIO S. D.

Claudius Salmaſius.

LIbros meos tandem abſolutos de mutuo cum obſervationibus ad jus Atticum & Romanum tibi mitto, Kriexi Clariſſime. Ingratus omnino eſſem, niſi tui meminiſſem, præcipue cum tam bonam operam contuleris ad illam opinionem de mutuo defendendam. Nunc velim ſcire, quid de his judicium ſit tuum. Gratias ago maximas pro Theſibus, quas ante aliquot ſeptimanas a te mihi attulit van Zorchius junior. Vidi & quas nuper edendas curavit veſter Dematius, contra quem neſcio quis dialogum de Coma ſcripſit, & quidem primam: cum enim adhuc plures theſes ejuſdem Dematii ſuper eodem argumento expectentur, reſponſionem ad omnes ſperare nos jubet iſte, quiſquis eſt, dialogiſta. Propediem niſi fallor, hic liber in veſtra urbe viſetur. Gratum mihi feceris, ſi reſcribas, quid de eo homines dicent. Idem van Zorchius ſpem mihi fecerat de tuo adventu, ſed, ut video, falſam, ſi non re ipſa, ſaltem tempore: nam intra paucos dies te huc venturum affirmabat. Vale & me amare perge. Leydæ. XXIV. Aprilis. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA XLIX.

FERDINANDUS

Dei Gratia Princeps & Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Imperii locum tenens Generalis &c. S. D.
DESIDERIO ERASMO Sacræ Theol. Profeſſ.

HOnorabilis dilecte. Si colligis e ſilentio tui oblivionem, falleris. Nos enim tui habemus memoriam, & merito quidem, qui hac & majori dignus es memoria. Quod autem interpellamus rarius, tute in cauſa es. Nec enim libet peccare in commoda publica, ſanctis tuis lucubrationibus obſtrependo, quas avide vel legimus ipſi, vel audimus a prælegentibus. Habemus enim & nominis tui & vigiliarum tuarum ſtudioſiſſimos præcones, quos minime arbitramur judicio falli. Hi quicquid librorum ex te naſcitur nobis offerunt, ſcientes nos, quando per ocium, quod a publicis negotiis ſuffuramur, licet, cum nemine libentius quam cum Eraſmo loqui, a quo non hæreſes, non ſchiſmata, non antichriſtos audimus, nec, quam impudentiſſimi tui calumniatores impingunt, adulationem deprehendimus, ſed manſuetudinem, moderationemque

illam

illam tuam vere Chriſti plantis reſpondentem agnoſcimus. Et ſimul ubi oportet virgulam quoque cenſoriam, qua oſtendis, qui deceant & vere Chriſtianos Pontifices & Principes mores, quod cum non facias ſeditioſe, adulator non eſſe judicaris, ſed ab impiiſſimis hæreticis, leviſſimis apoſtatis, perfidiſſimis deſertoribus, memineris id tibi jure eveniſſe, non quidem commune cum Regibus & Principibus, ne noſtri ordinis rem agere velle nos putes, ſed cum illis ſanctiſſimis tuis patribus, quos ut feliciſſime imitatus es ubique, non potes non referre hac in parte. Non ignoras, quas ignominias illi, quos cruciatus, quæ tormenta, quæ convitia ipſis tormentis & mortibus acerbiora ſuſtinuerint, donec adveniret dies ille, qui eripuit illos malis. Sic repoſita eſt merces in cœlis operum tuorum. Suſtine igitur & viriliter age, donec cum Paulo tuo conſummaveris curſum, quod te alicubi optare videmus. Nos autem ut id fiat ſerius precamur. Quo abundare liceat iis authoribus & Doctrinis, qui Chriſtianæ profeſſioni proxime accedunt. Tu enim non ſolum repurgatos dediſti aliquot ſanctos patres, qui depugnarunt adverſus Eccleſiæ vaſtantes hæreticos, ſed etiam hæc tempora noſtra, quæ impuriſſimi hæreſiarchæ infelicia reddiderunt & ſeditioſiſſimi quique perturbarunt, cum paucis (ut horum numerus ſemper minor eſt) adjuvas, non tam obſcure, quam Catholice quid ſentias, & fieri oporteat, indicans. Servet itaque te Chriſtus & det nobis ille occaſionem, ut aliquid benevolentiæ tibi impartiri queamus. Nam ſi quid ejus alias accepiſti, id certe pro merito minimum fuit, neque agnovimus hoc adulationem, ut illi tibi impingunt falſo, ſed ſancta tua ſtudia in communem uſum promovere voluimus. Et hodie ſi non eam, qua dignus es, eam ſaltem quæ opis erit noſtræ benevolentiam offerimus. Hyreneum avidius exſpectamus. Et quid a te fieri cupimus ex Frobenio cognoſces. Datum in civitate noſtra Vienna die XII. menſis Octobris. Anno Do. M. D. XXIV.

EPISTOLA L.

NICOLAO EVERARDO
PRÆSIDENTI HOLLANDIÆ S.D.
Deſiderius Eraſmus.

SI Lutherus moderatius ſcripſiſſet, etiamſi libere, & plus laudis ipſe tuliſſet ſibi, & plus fructus attuliſſet orbi. Sed aliter viſum eſt fatis. Neque quicquam magis admiror quam hominem adhuc ſubſiſtere. Gravi invidia oneravit Reuchlinum, graviore me: denique & litteras, quod quidem in ipſo fuit. Rurſus qui illum impugnant tam ſtolide rem gerunt, ut videantur cum Luthero colludere. Si eſſent capitales hoſtes Jacobitis quibuſdam & Carmelitis, non optarem illis aliam mentem, quam habent. Nuper Antverpiæ Minorita quidam attractus in conjurationem cœpit inſanire apud populum; nomen homini Matthias; Hollandus eſt. Juſſus eſt a Magiſtratu prædicare Euangelium; in concione proxima dixit. *Euangelium vos docet Paſtor veſter, etiamſi pridem dormiviſſet cum ſcorto.* Has belluas alit mundus, uſque ad delicias,

imo uſque ad Tyrannidem. Ad uſque hoc non video aliud remedium, quam ut ſubducatur illis liberalitas, nec admittantur in ædes bonorum virorum. Adoleſcentes a parentibus, fœminæ a maritis edoceantur, ut paſtoribus ſuis confiteantur. Deſtituantur concionantes ab auditoribus. Tunc cum ſic incipiunt debacchari, ſurgant plerique, & abeant domum. His rebus fiet ut certe moderatius inſaniant. Adfirmant hic diploma quoddam apparatum, multo ſævius, quam fuerat bulla Pontificia. Neſcio quid metus obſtat, quo minus edatur. Quin & illud demiror, Pontificem tale negotium per tales homines agere, partim indoctos, certe impotentis arrogantiæ omnes. Quid Cajetano Card. ſuperbius aut furioſius? quid Carolo a Milticis? Quid Marino? Quid Aloandro? omnibus placet illud juvenile conſilium, *minimus digitus meus major eſt dorſo patris mei*; Aloander plane maniacus eſt, vir malus & ſtultus. Antonius Puccius apud Elvetios homo mire eſt fraudulentus & impotens. Pariſiis dico potiſſimum impugnant Lutherum. Querco Normanus ſeniculus, virulentus & Beda **** truncus verius quam homo. Res ut audio nunc agitur venenis. Pariſiis ſublati ſunt aliquot, qui Lutherum manifeſte defendebant. Fortaſſis hoc mandatum eſt, ut quoniam aliter vinci non poſſunt hoſtes ſatis Romane, ſic enim illi vocant, qui harpyis illis non per omnia obſequuntur, veneno tollantur cum benedictione Pontificis. Hac arte valet Aloander. Is me Coloniæ impenſiſſime rogabat ad prandium; ego quo magis ille inſtabat, hoc pertinacius excuſavi. Adverſus condonationes hoc erit remedium, ſi nihil detur, donec dabitur melior occaſio explodendi has impias cauponationes. Hoc liberius apud te effudi, vir optime. Cavebis ne hæc epiſtola aberret in manus multorum. Nam Germani evulgant, quicquid nacti fuerint. Bene vale cum tuis. Saluta M. Jacobum Mauricium ac Sasboutum. Mechlini. Raptim in diverſorio, cum hic forte fortuna eſſet oblatus.

EPISTOLA LI.

NICOLAO EVERARDO

PRÆSIDENTI HOLLANDIÆ S.D.

Deſiderius Eraſmus.

MAgnifice Domine Præſidens, viſam hac æſtate Hollandiam, niſi quid aliud inciderit. Interea mitto Celſitudini tuæ plumbeum Eraſmum, ab artifice non vulgari effigiatum, nec mediocri ſumptu. Mitto duos libellos, quibus reſpondeo Leoni Anglo, quo nebulone nihil adhuc produxit orbis nec arrogantius, nec indoctius, nec virulentius. Ipſa Anglia ſuum fœtum execratur. Audio & iſthic eſſe prædicatores, qui ſtolidiſſime deblaterant apud indoctam multitudinem, & populum ad lapides provocant. Quorum improbitati niſi principes obſiſtant, res tandem exibit in ſeditionem. Prædicent ſacras literas & taceant de rebus hiſce, quas non intelligunt. Tertius liber exciditur, is brevi veniet iſthuc, niſi prius continget te Lovanium reviſere, id

enim accepi ex filio tuo, qui nuper cœnavit apud nos Antverpiæ. Is mihi viſus eſt non veſte tantum, ſed & animo candidus. Salutabis cæteros amicos, quibus nunc non vacat ſcribere, Sasboutum, Carolum, Mauricium, Bernardum Decanum: & ſi adſunt homines, quibus ego debeo plurimum, Naſſauwen & Vecienſis. Bene vale. Antverpiæ xv. Cal. Majas.

EPISTOLA LII.

EVERARDO NICOLAI

CÆSAREÆ MAJESTATIS IN MAGNO CONSILIO CONSILIARIO FRATRI SUO OBSERVANDISSIMO S. D.

Joannes Secundus.

Mechliniam.

SUperioribus quibuſdam literis noſtris vobis indicavimus in bona me ſpe eſſe obtinendæ hic non pœnitendæ conditionis, qualis autem ea eſſet hactenus ſupprimendum duximus, non quia celare vos volebamus cogitationes noſtras, ſed quod verebamur ne ſi res exitu ſperato careret, tanto gravius doleretis, quanto impenſius eam ipſam rem ſuccedere mihi cupiiſſetis. Non enim timebam ne fruſtratus ſpe mea riderer a vobis, quos de diligentia mea ac modeſtia in perſequendis hujuſmodi rebus diffidere non arbitror, tametſi id ab aliis quibuſdam iſthic, in quorum forte notitiam res veniſſet, exſpectare poteram. Nunc autem quoniam concluſa res eſt, diutius fraudare vos nolo voluptate, quam e proſperitate mea maximam ac pleniſſimam accepturos vos certo ſcio. R. D. Archiepiſcopus Toletanus, qui pridem Cardinalis Sti. Jacobi fuit, & præſidens eſt ſupremi Senatus ac totius Hiſpaniæ Primas, vir optimus, doctiſſimus ac in ſuos liberaliſſimus nudius tertius me honorificentiſſime in familiam ac tutelam ſuam recepit, Secretariumque me ſuum deſignavit. Splendide prorſus ero, & ſi bene me geram, ut certe geram, inter primos ejus aulæ brevi numerabor. Quidvis mihi de Domini mei comitate, humanitate, potentia polliceri poſſum. Ad ſtipendia non contemnenda favores ac honores eximios ſpes mihi beneficiorum ampliſſimorum pene indubitata accedit. Nam quia Cardinalis eſt, omnes Eccleſiaſticæ dignitates ac beneficia per totum annum vacantia ad ipſius ſolius collationem ſpectant. Ita ut ſingulis ſeptimanis alicui ex ſuis optime providere poſſit. Non ego nunc vereor, ne conſilium meum non approbes, quod Hiſpano me addixerim, id quod in epiſtola quadam tua mihi diſſuadebas. Generali enim Hiſpanico vocabulo hunc Hiſpanum comprehendi non arbitrabar, cui nemo non Aulicorum inſervire malit, quam ipſi Cæſari. Adde quod ingenium meum cum illius optime conventurum videtur. Cujus rei hoc argumentum habe, quod vir eſt omnium artium ſtudioſiſſimus, hilariſque & amœni ingenii. Denique facie ac moribus ſimillimus feſtiviſſimo illi homini noſtro D. Petro de Capella. Omnibus his unum accedit ſane maximum. Si quid ſummo Pontifici humanitus accidat, non video quis præter hunc in eum

locum ſit evehendus. Vide quantum ita familiæ noſtræ ſtabilimentum accederet, ſi duorum fratrum apud duos mundi Dominos æque utrobique polleret auctoritas. Sed hæ ſpes ſunt Alchimicorum. Jam vero grave mihi putas fore, ſi patria ad aliquot annos exulabo? cum ſatis certo ſperem, me ſi eo aliquando recurrere velim cum tali compendio recurſurum, quo me ad extremum uſque tempus ſenectutis ſuſtinere potero, quod malo, quam ut dependere aliquando debeam a quoquam eorum, qui illhic cum imperio ſunt. Plura ſcriberem, ſed obtundunt ſenſus meos tintinnabulorum campanarumque ſtrepitus, qui ad ſepulturam quorundam nunc exercentur, eorum qui heri ex magno juvenum numero, non minus quinque plurimos fortiter tauros in harena exagitantes confodienteſque, (quod hic eſt celebre, ſolemne & feſtum imprimis ſpectaculum) reliquis aliquot vulneratis occubuerunt, & perpetuo per gloriam vivere intelliguntur. Bene vale & me D. Matri (cui & proſperos meos ſucceſſus imprimis communicabis) ac uxori tuæ fratrique Hadriano, ſororique Guilielmæ, aliiſque omnibus amicis officioſiſſime commenda, & excuſa: peregrinamur enim Secoviæ. Prid. Cal. Junias. CIƆ IƆ XXXIV.

EPISTOLA LIII.

EVERARDO NICOLAI S. D.

Joannes Secundus.

FRater Chariſſime obſervandiſſimeque, nondum quartana liberatus ſum, & tamen ad verna ſigna ſol redit: Ego tamen uſque adeo fortiter & animoſe illius inſultibus reſiſto, ut non modo non in lecto me aut domi contineam, ſed extra Hiſpaniam etiam ipſam evagari mediter, ne quis forte torpor meus torpidam febrem alat. Cæſar Barchinonam perendie proficiſcitur, ut exercitum, quem illic ingentem paratum habet quocunque tandem illi viſum erit, vel emittat, vel ipſe traducat. Et quoniam primum in Italiam trajecturus creditur, mittit me Cæſareæ Aulæ comitem Cardinalis meus primum Romam, ut Pontifici ſupremum hunc honorum apicem gratuler, ac alia quædam ipſius nomine exponam. Deinde quocunque tandem Cæſar ibit, ut Hiſtoriam rerum memorabilium, quæ in hoc itinere ab Invictiſſimo Imperatore gerentur, carmine Heroico contexam, cujus jam nunc initium quoddam furore Martio incitatus effudi, id tale eſt.

Rurſus bella parat Cæſar; Patientia rurſus
Manſueti Juvenis longo devicta dolore eſt,
Et violata gravem pietas erumpit in iram.
Fervere jam video canis maria omnia remis,
Telluremque armis, cœlum ſplendeſcere flamma.
Quid tantum fortuna moves? cui fata minantur
Tam dirum excidium? quantove cruore redemptam
Æternam furiæ pacem conceditis orbi.

Omnes

Omnes homines cum Cæſare & pro Cæſare pugnare geſtiunt, neque nos, ſi res ad arma venerit, imbelles aut ignavi arguemur, ut tale aliquid in Hiſtoria mea locum habere poſſit, quale eſt illud Æneæ, *Et quorum pars magna fui.* Quod de Bekerkio ſcribis de tua diligentia nihil dubito, num vero ille ſatis ex fide verſetur, ignoro, vix enim arbitror non aliquid in rem meam tanto tempore ceſſiſſe. Agnoſco etiam diligentiam tuam in eo, quod ad fratrem de ſororii reſponſo ſcribis. Quod autem ille ſcire cupit, qui ſint illi, qui in ordine Rotæ me antecedant, primus quidem vocatur Magiſter Adrianus Thiebault *Le Maiſtre de la Chapelle de l'Empereur*, qui jam nunc locum acceptaſſe dicitur, qui vacavit in Winnoch. Secundus eſt filius Magiſtri Laurentii du Bhouth, qui num aliquid & ipſe acceptaverit, diligenter inveſtigandum eſt, nam nuper admodum per mortem Præpoſiti Caſſellani vacavit Cura Harlemenſis, quam ſi ille non arripuit, aut etiamſi arripuit & aliam quæ prius vacavit, obmiſit, ita ut tertia cura, quæ poſt datam Rotæ hoc eſt XIX. Septembris vacavit ſit Harlemenſis. Ego videlicet ſum curatus Harlemenſis. Obſecro te mi frater, ut diligenter quantum fieri poteſt hac in re verſeris ac procuratores meos harum rerum certiores reddas, ipſumque imprimis ſororium meum, cui obſecro ut me excuſes, quod illum procuratione harum rerum non oneraverim, quem ſcirem ſemper in legationibus eſſe ſolere, quodque illi non ſcribam: vix enim hic licet, tanta ſub hoc iter negotiorum moles nobis incumbit, nec minus, imo multo magis frater occupationibus obruitur, ita ut conſtitutum nondum habere poſſit, utrum non dico ad alios amicos, ſed ad te quoque, quod maxime cupit, ſcribere aliquem omnino characterem poterit. Opinor Cæſarem non Italiam modo, aut Germaniam, aut Hungariam, ſed Flandriam quoque hoc itinere peragraturum, quo poſtremo matrem conſolaberis, ſi forte noſtri deſiderio cruciabitur. Frater uxore amiſſa, ac jam expeditior, non videt quomodo Cæſari, eum a ſe dimittere recuſanti, parere non debeat aut poſſit; itaque utrique nos in omnes caſus præparamus, decus acceſſurum familiæ noſtræ magnum arbitrantes ſi ex iis fratribus, qui jam pridem bonis artibus nomen ſibi pepererunt, duo etiam ſtrenue militaſſe intelligantur. Non vacat nunc ſcribere nec D. Pauw nec item D. Archidiacono Nigri, quos mihi ex animo bene velle intelligo, quare me illis quam humillime commendes obſecro. Vale. Madriti.

EPISTOLA LIV.

NICOLAUS S. D.

Nicolao Everardi a Middelburgo Patri omnibus modis honorandiſſimo.

NOn ſum neſcius, Parens obſervandiſſime, quantum tuæ debeam Magnificentiæ. Neque rurſum ignoro, quam nulla ex parte tuis in me officiis reſponderim. Et tamen rurſum eſt quiddam, quod te orem. At qua tandem fronte (inquies) iterum me precibus petis, cui uſque adeo obſtrictus es, ut ſolvendo eſſe nunquam queas? nempe quod pudentis, planeque liberalis ingenii eſſe judicem, ei, cui multis nominibus addictus ſis, fieri etiam velle longe

longe addictiorem. Sed cui obſecro devinctior ſum, quam tibi, Pater beneficentiſſime? profecto nemini: quippe cui (cætera tranſeo) ipſam etiam vitam acceptam feram. Quod cum ita ſe habeat, cuinam libentius nunc quoque debere cupiam, quam cui hactenus debentur omnia? Quorſum autem hæc tendunt inquies? Eo nimirum Domine Pater, ut me tuum opus informatum adhuc (id quod reſtat) perficias. quid enim fuit Nicolaum hunc naſci? quid educari? niſi & in poſterum illi conſulatur, ut commode vitam hanc, in quam deductus eſt, degere valeat? Porro eam ad rem plurimæ tibi occaſiones in manu ſunt: tantummodo opus eſt eas ut apprehendas. Quid enim eſt quæſo? quod T. D. apud maximos quoſque non poſſit? nihil præter operam abs te flagito, eamque non multam. Atque ut rem ipſam petamus, animo ſum in meliora ſtudia multo majore, quam T. P. fortaſſe credat: aut ego facile explicare poſſim, nihilque æque cupio, ac (quod cœpi) per omnem vitam in literis verſari. quam ad rem nullum video magis appoſitum vitæ genus, quam Canonicorum aut alioqui Eccleſiaſticorum divitum. Siquidem expetunt (ut ſcis) recta ſtudia, vitam tum liberam, tum minime ſordidam. Nunc opinor quo tendam vides. videlicet ut nobis tua opera pinguior aliqua præbenda contingat: qua fretus animo omnibus curis vacuo totum me ſtudiis in finem uſque vitæ poſſim impendere. Sed huc quo pacto penetrari poſſit accipe. Dominus Conſervator Wemelingius dies jam aliquot febricitat: & ut maxime abſit febris, conſentaneum tamen non eſt illum diu admodum poſſe vivere, cum illum jam diu urgeat ſenectus, morbus (ut ſcis) perquam præſentaneus. Velim (niſi ſi quid tamen aliter cenſes) cum homine literis agas, ut Decaniam illam ſuam Bruxellenſem nobis cedat. Impetrabis haud dubie ab amico tibi tam charo. A pueris convixiſtis una: eadem vos invicem patria conciliat, ut taceam beneficia inter vos mutua: ſtudiis iiſdem inſudaſtis ſemper, nam & hoc ad amicitiam facit plurimum: jam quod eſt omnium longe maximum, doctoralem pileum ſimul adepti eſtis, id quod non amicos modo, verum & fratres facit. Quid? quod hoc videberis tuo quodam modo jure poſcere, ut qui hoc ipſum illi olim conceſſeris. Quod ſi Decaniam hanc non fore in rem meam putabis, omnino tamen cupiam ut Canonicatum aliquem opimum nobis diſpicias. Ita enim futurum eſt, ut qui tibi hactenus ſumptui atque oneri fui, ſim & uſui in poſterum & honori. Nam quicquid ex ea re nobis accedet dignitatis, id omne tibi tranſſcribetur, quum ego, quatenus ſum, tuus ſim. Obſecro igitur quantum queo D. Parens, ne hoc operæ in filium tui (ut par eſt) longe amantiſſimum collocare pigeat. Pluribus tecum agerem, Pater obſervandiſſime, ni ſedulo te curaturum meam ſalutem conſiderem: tantum id T. D. ſignificare volui, me ſententiam in melius commutaſſe; nam ſolebam non nihil a ſacerdotiis abhorrere. Tuum erit gratulari filio reſipiſcenti. Ego (quod in me erit) viciſſim curabo, ut te nunquam laboris ſuſcepti pœniteat, imo magis contra ut gaudeas. Sed hac de re ſatis, ne tuæ bonitati diffidere videar. Nunc operæ pretium puto, ut de migratione noſtra nonnihil tibi ſignificem. Migravimus jam pridem in

ædes

ædes Caſtildii, hominis non ridendi quidem quod ad jus pertinet: ſed aliquanto etiam plus Cynici, quam fuit noſter Hondius. Sed ne te longius literis onerem, latius ſcribo fratri meo M. Everardo hac de re; is tibi omnem rem narrabit. Te honorandiſſ. D. P. quam diutiſſime valere cupio. Scriptum Lovanii apud M. Roaldum Caſtel. xx Junii.

EPISTOLA LV.

EVERARDO NICOLAI:

Sacræ Ceſ: M. Conſiliario in Magno Conſilio apud Mechlinienſes & Fratri Amiciſſimo S. D.

Nicolaus Nicolai.

Mechliniam.

EX literis tuis 13. Februarii ad me ſcriptis intelligo, te jam officii tui novi poſſeſſionem cepiſſe. Id quod ut gratiſſimum mihi eſt, ita & ut felix ac fauſtum, tum publicæ tum privatæ quoque rei eſſe velit Deus, teque quam diutiſſime in eo cum gloria verſari, oro. Gratulor autem tibi novum familiæ augmentum ex filio Petro: quem ut ſui nominis duritie hac certe in parte reſpondeat, longævum morbiſque omnibus infractum fore auguror & opto. Cupiam vero & illius habere nativitatem, ut cum aliis per ocium aliquando fata illius explorem, qui mea ipſius fata exploro. Nam ut libere fatear, de vulnere illo accipiendo nunquam metui, in capite quidem: nam de auris vulnere, & caſu cum equo, navigationiſque periculo, jam olim ſubtimui. Neque vero non ſæpius in his itineribus cecidi cum equis, neque ſine periculo Danubium navigavi, alioſque fluvios tranavi. Et neſcio quomodo hujus anni mei, qui in Decembri incepit die 20. revolutionem facere neglexi, aliis impeditus, & Ephemeridibus una cum ſcriniis ad Genuam præmiſſis: ſuperioris enim anni ſtatum ac revolutionem, ut vocant, feceram iſthinc diſcedens, ex qua permulta veriſſima inveni: ut morbum Ratisbonenſem, novam dignitatem, pruritum mentulæ, quo certe multum laboravi; caſum geminum ab alto, qui mihi contigit Bononiæ bis diverſis in locis, ſed uterque ſine periculo: item perditionem pecuniæ, atque alia nonnulla. Et quoniam nugari cœpi, ſcito me Bononiæ a vetula didiciſſe aliud divinationis genus, longe quidem magis compendiarium, ſed minus certum, quam Aſtrologia, meo judicio, quanquam tamen illam prædicere res abſtruſiſſimas ac ſecretiſſimas vidi, tum aliis pluribus, tum vero & mihi. Neque quiſquam unquam fuit, quem docere vellet præter me unum. Neſcio qua cauſa. Ipſa certe nullam aliam cauſam reddidit, niſi quia ex divinatione, quam de me fecerat, cognoverat me eſſe rerum mirabilium & ſecretarum inveſtigatorem atque amatorem artium omnium, nec indignum, quem doceret ipſa ſuam artem; quare & ultro obtulit ſuam operam: nam ea tantum gratia acceſſeram, ut viderem quid eſſet dictura, quidve poſſet per artem ſuam præſtare. Fit autem ea divinatio per fabarum jactum in manu, & quantum ego

judico ex chiromantia tota dependet. Scribo tibi nugas, quoniam nihil habeo ſerium, quod noſtrà referat, quodve ſit ſcriptu dignum. Nam & nos hic, & ipſe Cæſar nihil aliud quam nugamur. extamenim aut ſeptimum diem jam ſe recreat venatione, quæ hic certe amœniſſima eſt & plurima, & adeo ut me ſæpiſſime eliciat in ſylvas, quoties eo properat Cæſar. Dominus de Briarde (ut & aliis meis ad te literis indicavi) ad Regem Romanorum miſſus eſt: neque venturus (opinor) ad vos eſt ante quinque aut ſex menſes, propter multitudinem ac varietatem, adde etiam difficultatem, negotiorum, quæ illi ſunt cum Rege ac Principibus Germaniæ tractanda. Nam ipſe ſcripſi illius inſtructionem. Ego jam plane confirmata ſum valetudine, & vulnus capitis, cujus hiſtoriam tibi nuper ex Mediolano ſcripſi, prorſus coaluit, & cicatricem fecit. Quod mirum omnibus videtur fieri potuiſſe tam parvo temporis ſpatio, utpote intra 16. dies. Nihil autem incommodi inde retinui gratia Deo Opt. Max. cui te cum uxore noſtriſque omnibus commendo. Ex Veglevena, oppidulo ducatus Mediolanenſis. XVIII. die Martii. CIↃ IↃ XXXIII. Perendie dicimur hinc abituri Alexandriam indeque Genuam aut Savonam, portum maris Liguſtici, & ut fama eſt, ante feſtum Paſchæ trajecturi Barchinonam, quo ventura eſt Imperatrix. Vale.

EPISTOLA LVI.

EVERARDO NICOLAI S. D.

Nicolaus Nicolai.

Mechliniam.

AMiciſſime frater. Placuit mihi vehementiſſime quod e poſtremis tuis literis intellexi, te uxorem ac familiam omnem remque domeſticam e Friſia velle Mechliniam traducere, ejuſque rei gratia in Friſiam jam ultro, ut ſperamus, viſendam excurſurum. Itaque te jam reducem eſſe opinor & ſtabiliiſſe rem apud noſtros. Fortunatus tu quidem, cui cum matre optima, uxore, liberis, fratribus, ſororibus, domi licet conquieſcere, dum ego interim non modo per ignotas urbes, ſed per inacceſſa ſaxa, perque maria etiam continuo vagari longe a patria, uxore, parentibuſque ac amicis cogor inter mille vitæ pericula. Intra dies, ut Cæſar proponit, V. aut VI. naves conſcendemus, navigaturi Barchinonam: Precor ut Dominus Deus hanc navigationem nobis velit felicem eſſe: Quod ſi faciat, facile in poſterum a ſimilibus navigationibus me ſpero temperaturum. Neque nunc ſponte navigo. Sed quia ſalvo honore, quod ridiculi quidam faciunt, per Franciam ire non poſſum. Ergo quum aliter non licet, animoſum me præbebo. ed boni ominis loco accipio nomen triremis noſtræ, cui ego cum Domino de Grantvelle adſcriptus ſum, quod eſt *Victoria*: quanquam omnia cætera diſplicent, non remiges modo catenati, ſed & ipſa triremis tota, ob id præcipue, quod locus ibi prope nullus eſt dormiendi, præterquam inter pediculoſos adſcriptitios; & pædorem intolerabilem. Hæc ſunt aulæ commoda. Felicem Johannem fratrem noſtrum, qui poſt omnes has

mi-

miſerias in Hiſpaniam veniet nullo incommodo aut labore, victurus ſine moleſtia. Sed quid queror? invocandus eſt mactato tauro Neptunus, ut paucis diebus faveat, dum tranſcurrimus: poſtea ſæviat ut lubet. Eſt hic inter remiges quidam Epiſcopus, fuit & nuper, ut ajunt quidam Cardinalis, qui dimiſſus eſt: quod ut intellexi, dubitavi an ad id alluſerit Eraſmus in dialogo quodam ſuo, cui *Carontem* titulum præfecit, ubi dicit, *remigant & Epiſcopi & Cardinales, ſuam quiſque vicem:* certe alter egregie ac diu remigavit, alter adhuc remigat, una cum multis aliarum nationum hominibus, tum etiam noſtratibus compluribus. Quæſo ut me de ſingulis rebus tuis certiorem mox reddas, amiciſque me commendes. Vale ex Genua. III. Aprilis. CIↃ IↃ XXXIII. ſtylo veteri. Cæſar, ut ipſe adhuc hodie dixit, cras mane conſcendet. Ego hæreo marine me concredam, an per Franciam proficiſcar.

EPISTOLA LVII.

EVERARDO NICOLAI S. D.

Nicolaus Nicolai.

Mechliniam.

FRater animo meo Clariſſime. Tametſi Dilfi mei fama, non cæterarum modo virtutum, ſed & abſolutiſſimæ eruditionis nomine clara, nuper etiam non vulgari Cæſaris teſtimonio reddita illuſtrior, omnibuſque jam olim longe notiſſima, tibi nequaquam poſſit eſſe incognita, præſertim qui & Eraſminis in libris, quos frequentiſſimos in manibus habere ſoles, inter primarios ille viros celebretur: ac proinde ad ineundam tecum amicitiam, nihil arbitrer meam ipſi commendationem eſſe neceſſariam: quippe qui uſque adeo præbere te cuique probo difficilem ea in re non ſoleas, ut illorum expetere etiam atque ambire neceſſitudinem ultro ipſe conſueveris: Attamen quum ille hinc ad vos ſine meis litteris abire nollet, ſeque optaret commendari tibi, neutiquam ſane potui, quod ipſe ſponte alioqui ultroque facere mecum jam conſtitueram, id longe optimo ſummeque amico homini denegare: Tum ne quid omnino amici cauſa recuſaſſe viderer, tum etiam, quia illius propiorem notitiam multo omnium jucundiſſimam tibi futuram eſſe nihil addubitarem. Itaque de Dilfo ſic judicato, mi frater, digniſſimum eſſe illum & tua & bonorum omnium, qui ubique ſunt, arctiſſima familiaritate firmiſſimaque amicitia. Ac quoniam ego a vobis hac mea peregrinatione una cum uxore ac fratre jam abreptus ſum, illum tibi pro nobis omnibus ſubſtitui patiaris. Agniturus haud dubie permutatione iſta non modo abunde compenſatum eſſe tibi quicquid id eſt vel damni vel moleſtiæ, quod ex noſtra hac longinqua ac diutina abſentia accipere poſſis, verum inſuper etiam debere te mihi quiddam longe maximum, ubi certius tibi ille ac propius occœperit eſſe notus. Nihil enim aliud dicturus ſum in præſentia: ne vere diligentior hæc commendatio oratioque mea prolixior, quam nihil aliud niſi propenſiſſimus erga illum & vere ſyncerus animus ita protendit, fuci neſcio quid aut ſupervacuæ habere curæ videatur. Nam alioqui neque tu ignoras fra-

ter, veritatis orationem eſſe quam ſimpliciſſimam, & ego illud certiſſimo ſcio, Diſſum ſe tibi vel pauculorum dierum conſuetudine exactius longe atque efficacius eſſe commendaturum, quam ullius oratio vel vehementiſſima, nedum calamus hic meus, ut aliis in rebus omnibus infans, ita hic pro illius dignitate omnium infantiſſimus ac prope mutus, poſſit. Illius orationem panegyricam videbis, & laudabis. Non addam nunc ego meum judicium, quoniam Cæſar bene de illa præjudicavit, auctore in celeberrima nobilium ac Senatorum frequentia in equeſtrem ordinem honorificentiſſime tranſſcripto. Vale & his ipſis ſimulque aliis meis literis reſponde. E Barchinona Cataloniæ pridie Calendas Junias. CIƆ IƆ XXXIII.

CLAUDII SARRAVII

Senatoris Pariſienſis

EPISTOLÆ

E X

BIBLIOTHECA GUDIANA

AUCTIORES.

SACRÆ MAJESTATI
SERENISSIMÆ
CHRISTINÆ
SUEDIÆ REGINÆ

SIBI qui ad Reges aditum ſtudent patefacere, PRINCEPS SERENISSIMA, morem hunc fere plerumque habent, ut ſi quibus illos muneribus venerari decreverint, ea potiſſimum conquirant, quæ tantæ dignitatis, & quam omnes poſt Deum illum omnium moderatorem, primam agnoſcant, faſtigio non indigna videantur. Quid autem eos facere par eſt, qui non aliquem e vulgo principum adire ſtatuerunt, ſed præclarum aliquod ingenium, & ad omnia ſumma factum, & infra cujus magnitudinem totum illud regalis opulentiæ choragium ſit? Heroinam aliquam, cui regiæ dignitatis fines viſi ſint anguſtiores, quam ut iis contineatur? Te, inquam, ipſam CHRISTINA PRINCEPS AUGUSTISSIMA, quæ tanto ſupra cæteros Reges evecta es, quanto illi quemlibet e populo dignitate ſua ſuperant? Mihi certe veterem ſuperiorum ſæculorum memoriam repetenti, & eorum, qui olim imperio relicto ſibi vixerunt, exempla colligenti, nemo prorſus videtur jure tecum poſſe comparari. Quid enim, quæſo, tibi cum iis commune ſit, qui magnam partem meri tyranni fuerint: atque adeo, ſi Dionyſius ille Siculus, mirus hac in re artifex, audiendus eſt, non ſatis prudenter feciſſe videantur, qui cum tyrannide noluerint ſepeliri? Itaque multi etiamnum dubitant, an ſe dignum fecerit Sylla,

cum ſuam illam Dictaturam, fatalem Romanæ Libertati peſtem, depoſuit. Certe a nonnullis propterea NESCISSE LITTERAS *dictus eſt; qui cum juſtiſſimo omnium flagraret odio, in eum tamen locum deſcendit, qui nemini niſi innocenti tutus eſſe debebat. Nam Auguſtus ipſe, tanti præceptoris diſcipulus (quod Satyrice olim, ſed vere tamen ſcriptum eſt) quia de relinquenda dominatione tantum cogitarat, hodieque culpatur. In nonnullis vero aliis ingenium crudele & efferum, atque odii conſcientia fecere, ut ex hominum conſpectu in hortos ac villas ſuas conceſſerint, ibi ut ignobili otio conſeneſcerent. Alii porro, iique ſatis multi, idem conſilium ſequuti ſunt, quod animum diuturnis laboribus fractum, vel luxu & deliciis, aut etiam ſenecta ætate debilitatum, tanto rerum ponderi ſuſtinendo imparem eſſe ſentirent. Alii denique quod rem tam arduam, quæque varios & ancipites eventus ſæpe habuit, haud ſatis perpendiſſent, adeo præclarum conſilium ceperant quidem, ſed illud, cum ſummo ſuo periculo, turpi deinde pœnitentia mutarunt. In te autem,* SERENISSIMA PRINCEPS, *quid tale? Nam, ſi ab ultima rerum origine veterum monumenta revolvantur, quando erit ut liceat Reginam aliquam reperire, quæ cum a bellicoſiſſimo parente tranſmiſſum haberet imperium, illudque integra atque incorrupta juſtitia adminiſtraret, ardentiſſima in ſe populorum ſuorum haberet ſtudia; ſingulari meliorum litterarum cognitione eſſet expolita; nil unquam in ſuos crudeliter, nil iracunde feciſſet; egregia forma eſſet atque ætate integra; acerrimo ingenio, vegetis animi & corporis ſenſibus, (quæ omnia in Te ſumma ſunt,* SERENISSIMA PRINCEPS,) *Quando, inquam, reperire licebit Reginam aliquam, quæ cum tot & tanta a natura, & artium præclararum cognitione, adjumenta haberet, regni ornamenta neglexerit?*

rit? Nimirum Tu una poſt innumerabilem annorum ſeriem exorta es, quæ perſpiceres quam male conveniat & Diademati & Sceptro cum animi tranquillitate & vera vita. Recte Tu quidem ac ſapienter animadvertiſti, nos non Reipublicæ tantum, ſed nobis potiſsimum valere & vivere debere; neque belluæ iſti multorum capitum populo bonos principes perpetuo mancipari. Vidiſti ſcilicet fieri vix poſſe, his moribus, ut Reges patriæ parentes eſſe poſſint, quod tu velles. Hoc præterea agnoviſti, Reges, qui ſibi liberrimi omnium videantur, exiguo tamen mundi limite claudi, neque ipſis ferme e finibus egredi licere, niſi ut aliis bella, clades & luctuoſam funerum materiam importent. Itaque adeo quid aliud ſuperſit, niſi ut, quod olim a prudentiſſimo principe dictum fuit, REGIA DIGNITAS SERVITUS GLORIOSA HABEATUR? *Quid quod, ut hodie vivitur, vix eſt, ut ingenua fides, ſinceruſque ille fortis animi candor cum regia dignitate poſſint ſociari? Unde & aliquot abhinc annis, & vere, & ut ſublimi illo animo tuo dignum erat, dixiſti,* REGIIS VOLUNTATIBUS NON SEMPER TUTO CREDI. *Quæ omnia ſi quis maturo judicio, non autem vulgi temeritate ponderarit, næ ille, approbantibus univerſis, qui unquam extiterunt, Sapientibus, pro vero affirmare poterit, nunc illud eſſe, cum* REGUM REGINA *vocari debes. Quem titulum non urbes, non caſtra, non ſatrapiæ, & reguli ſubditi tibi, ut olim Perſarum & Parthorum regibus, proprium faciunt, ſed, quod miſeræ ambitioni prorſus incredibile videatur, regni contemptus: qui omnibus mortalibus oſtendit, quam excellens ille tuus animus ſit, quam pæne Deus, cum ea pro levibus ducas & Sapientis cura indignus, quæ cæteris hominibus tanta videntur, ut depeciſci mortem non dubitent, modo ut*

tantis ornamentis, tanto ſplendore ac gloria frui pauliſper liceat. Verum quo me virtutis tuæ, SERENISSIMA PRINCEPS, admiratio rapuit, & repentinus perculſæ mentis impetus! Quæ enim a me ſunt uſque adhuc commemorata, quemadmodum non ſine omnium & ſtupore & aſſenſione dicta ſunt, ita mihi nunc quidem, in primis obeſſe quis non videat? Ii enim omnes, qui ad te hinc illinc ex univerſo eruditorum orbe certatim in Suediam venerabundi antehac confluxerunt, Oratores, Poetæ, Philologi, Scientiarum Mathematicarum Profeſſores, Theologi denique, atque adeo artium omnium chorus, illi, inquam, longe meliori conditione quam ego nunc ſum, fuiſſe videntur. Nam & longe præſtantiora ad te deferebant ſcripta, neque tunc ſupra Reginam eras: At nos, Parentis Epiſtolas dedicamus, Opus per ſe tenue; Et id a nobis fit ea potisſimum tempeſtate, qua multo quam unquam alias, major facta es atque auguſtior, ac vere, ut Homerus diceret, ΥΠΑΤΗ ΚΡΕΙΟΝΤΩΝ. *Id etſi perquam eſt veriſſimum, PRINCEPS SERENISSIMA, a meo tamen conſilio deterritus non ſum, hac fretus fiducia, eſſe in te ſingularem animi bonitatem, mirabilem benignitatem, facilitatem denique prorſus incredibilem, qua ſupplicum pietatem non aſpernaris. Qua in re illam, quam omnes jampridem agnoſcunt, animi tui excellentiam atque magnitudinem facile probare vel ignotis poſſes. Ejus eſt, muneribus exiguis & grati animi teſtificatione ſe exorabilem præbere. Non enim ſemper ſumptuoſa hoſtia Divinum Numen placavit. Sæpe farre litatum eſt; ſæpe lacte, aut thuris mica. Quid quod Libello noſtro quiddam inſerere neceſſe fuit, quod Tu, ſat ſcio, non improbabis? Non amœbæas, quod quis fortaſſe ſuſpicari posſit, Litteras* CL. SALMASII, *quem ultra Balthicum ſinum paucis ante quam e vita decederet menſibus, & jam omnia mirari deſiſſet, in-*

cre-

credibilis virtutis tuæ contemplatio pertraxit? Non illas, inquam, non ſi quid fortaſſe aliud erit, quod cum legentium utilitate editum ſit: Sed tuas SERENISSIMA PRINCEPS, Tuas, inquam, ipſius Epiſtolas, in quibus mirabuntur poſteri, ad quos jam dudum non tua facta tantum, ſed & dicta & ſcripta ſpectant omnia, mirabuntur, inquam, ut mittam cætera, lenem illam & inelaboratam ſermonis noſtri elegantiam, quæ vel ſummos Galliæ ſcriptores posſit fallere. Itaque Libelli noſtri partes cæteras ut improbes, hanc certe, quæ Tua ſit, non potes non probare. Quod autem a me editæ ſunt, hanc veniam primum meæ ſummæ in Parentem optimum pietati concedes; cujus gloriæ ingens ex illis cumulus accesſit. Quem cum ſpirantem tanti feceris, ut ei ſæpe victrice illa tua dextera ſcriberes; Quem extinctum luxeris; Sacriſque ejus Manibus hoc tribueris, ut Matrem obitu illius dolentem, in luctu ac ſqualore jacentem, ſcripta ad eam epiſtola erexeris ac recreaveris, non potui ſine meo ſummo flagitio facere, ut tam illuſtre, tam glorioſum virtutis illius teſtimonium præterirem. Dein non ſine meliorum ſæculorum auctoritate atque exemplo feciſſe me ſpero. Fuit enim hic mos apud veteres, ut clarisſimorum Principum Epiſtolæ colligerentur; unde pasſim apud Scriptores qua Græcos qua Romanos, teſtimonia afferuntur ex Litteris Philippi, Alexandri, Eumenis, Cæſaris, atque aliorum, quos prætereo ſciens; neque id haud dubie factitari deſitum eſſet, niſi deſiiſſent bene ſcribere Principes. His accedat hoc quoque: etſi mea in te pietas, & illa plane ſingularis veneratio, quæ mihi a Parente jure quodam hæreditario relicta eſt, conſilium meum non tuerentur, at certe poſterorum cauſa facere debui. Nolui quippe committere, ut cum tam luculentum domi cimelium haberem, illud ad ſe tranſmiſſum non fuiſſe jure queri poſſent. Hunc itaque Libellum propitia ac volens accipias, PRINCEPS

AU-

AVGVSTISSIMA, ſupplex precor, eumque tui nominis amplitudine ac ſplendore circumfulgentem in manus hominum venire ſinas. Scio quidem illum tantæ tuæ gloriæ faſtigio non ſatis convenire, neque ſatis multa in ſe habere, queis tuæ de ſe ſpei reſpondere poſſit: Verum ſi nulla alia re, at certe puro quodam & candido genere dicendi, varietate & novitate ipſa, quæ hominum animis ſolet adblandiri, eum tibi non injucundum fore confido: Tibique perſuaſurum, atque adeo omnibus, ad quos ex eo utilitas reditura eſt aliqua, nihil me unquam facturum enixius, quam ut æternum ſim

SACRÆ TUÆ MAJESTATI

Lutetiæ Pariſiorum Idibus Septembris CIƆ IƆCLIV.

Deditiſſimus atque devotiſſimus

IS. SARRAVIUS.

CL.

CL. SARRAVII
Senatoris Pariſienſis

EPITAPHIUM
AUCTORE

JACOBO PALMARIO
A GRENTMESNILIO.

O Quiſquis ades, adverte animum, Viator, intende oculos, te lapis alloquitur, oculis audiendus. Hic jacet CLAUDIUS SARRAVIUS, imo CLAUDII SARRAVII quod fuit. Si non omnino a litteris alienus, ſi Muſarum ſacris initiatus es, Viri nomen non ignoras, quem tota novit Europa, univerſa litteratorum reſpublica ſuſpexit, & impenſe coluit. Is nobili proſapia oriundus, in Aquitania natus, optimi Patris cura litteris humanioribus, Philoſophiæ, & Juriſprudentiæ ſtudiis optime excultus, in ipſa ſuprema Rothomagenſi curia purpuratus, tirocinium juris exercuit. Inde in ampliſſimum Senatorum curiæ Pariſienſis ordinem allectus, per XVI. annos jus dixit aſſidue, ubi & ingenii & morum ſpecimen egregium identidem exhibuit, leniſſima æquitate Summi juris auſteritatem ſæpiſſime temperans, malis artibus ſemper iratus, hominibus nunquam: quorum litibus componendis meliora vitæ momenta lubens impendebat: licet toto mentis impetu ad nobiliores li-

teras excolendas raperetur, quas in curarum ſolatium & animi relaxationem adhibebat quotidie. Sic inter bonos optimus: inter doctos doctiſſimus exiſtimatus, & magnam & optimam famam bonis artibus aſſequutus eſt, litterarum heroibus ubique terrarum notus, & viris principibus; ſed præcipue Sereniſſimæ CHRISTINÆ Suedorum Gothorum & Vandalorum Reginæ, virtute inſita, & acri judicio, morum & alienæ virtutis juſtiſſimæ æſtimatrici, merito cariſſimus. Talem virum bono publico, & noſtri Sæculi gloriæ natum publice lugeri debere nemo negat. Igitur eum acutiſſimo morbo raptum luxere capita coronata, viri principes, cives & exteri: luget ampliſſimus ordo, lugent omnes boni, omnes litterati, totus Parnaſſi conſeſſus, ubi feralibus cupreſſis obſitæ marcent laurus. In ejus denique funere Themis genas radit, comas lacerat, novem Muſæ leſſum canunt. At tu Viator, ſi quid juſtitiam, & bonas litteras, & piorum memoriam curas, ſortem publicam luge, SARRAVIUM ne luge: nam felix eſt. In Chriſto enim obiit Maji XXX. Anno Chriſto Dionyſiano CIↃ. IↃC. LI. Vale.

CLAU-

CLAUDII SERRAVII
Senatoris Pariſienſis
EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.
CL. SARRAVIUS.
Hugoni Grotio.

Lutetiam.

BOnum virum Treſellium noſtrum ad te proficiſci cogitantem rogaveram, ne me inſcio iter inſtitueret. Verum apud Caletes aberam, Provinciali noſtrarum Eccleſiarum Synodo delegatus mandato Regis ἔφορος, quando Lutetiam perrexit. Quod tunc itaque non licuit, modo breviter perſtringam. Summa me cumulavit lætitia tuus in Galliam adventus, cum multis rationibus, tum hac maxime, quod ampliſſima ornatus dignitate te totum orbi exhibeas. Scilicet inter privatos excelſa tua virtus, majori digna theatro, latere diutius non poterat. Tu nunc apud Optim. Maxim. Regem, maxima Europæ negotia tuis conſiliis promoves. Tecum Germanicus Atlas magnus Axelius, ingentes partitus curas habet a tua ſolertia ſolatium, quod fruſtra ab alio quovis expectaſſet. Utrique veſtrum debere nos credimus, quod aperto Marte cum ventoſis & inſolentibus hujus regni perpetuis hoſtibus Hiſpanis bellum geramus; quod ut juſtum, ita & Deo acceptum, noviſſima de iis tropæa ſatis produnt. Faxit Deus exercituum ut bene cœpta feliciter procedant, & feliciſſime deſinant. Te vero precor obteſtorque, ævi noſtri maximum decus, ut me cultorem & admiratorem tui præcipuum veteri & ſolita benevolentia proſequaris. Rothomagi III. Non. Jun. CIↃ IↃC XXXV.

EPISTOLA II.
CL. SARRAVIUS.
Joanni Freinshemio.

Argentoratum.

MAgnam a me iniit gratiam Ampliſſimus Senator Mareſcotus noſter, cum nudiuſtertius me rogaret, numquid te vellem. Ex quo enim ejus bene-

ficio Rothomagi primum mihi innotuiſti, ſemper animo meo obverſatus es; & ingenii tui eximias dotes, eruditionem ſolidam & omnigenam, moreſque candida ſimplicitate illuſtres, feci, ut debui, plurimi. Gratiſſimum ergo fuit te compellare, ut intelligeres quantum te colam, quantaque obſervantia doctrinam tuam complectar. Ex eodem Mareſcoto noſtro intellexi, te poſt Taciti textum, magna ſolertia & diligentia caſtigatiſſime emendatum, & luce donatum, conſtituiſſe eumdem auctorem uberioribus annotationibus inſtruere & ornare, in quibus omnis Politices ſcientia contineatur. Magno iſto animo aude τȣ̃ πάνυ Caſauboni Polybianarum curarum defectum ſupplere. Dic quæſo an opus affectum, an confectum & editioni paratum: quidve in eo præſertim moliaris. Eo enim inſtituti tui penitius cognoſcendi deſiderio teneor, ut vixdum his epiſtolis exaratis, tamen tuam ad eas reſponſionem habere deſiderem: qua ut me dignari velis καὶ ἀντιβολῶ σε ϗ δέομαι. Si virum Clariſſimum Berneggerum ſocerum tuum meo nomine ſalutaveris, magno me beneficio abs te affectum exiſtimabo. Cumulet te ὁ ἐπὶ πᾶσι ſuis bonis: conjugiumque tuum fortunet ὁ γαμήλιος; teque ea prole donet, quæ virtute referat avum & parentem. Vale ϗ τὸν φιλȣ̃ντα ἀντιφίλει. Lutetiæ Pariſiorum XIV. Jun. CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA III.

CL. SARRAVIUS

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

HAſce Notulas & Emendationes ad Statii Papinii Sylvas, cum adjunctis Epigrammatis, miſit ad me Burdigala Peyraredus noſter; ut ea tibi, Vir Illuſtriſſime, cenſenda offerrem. Ea ego præſens preſenti obtuliſſem lubens, ni veritus eſſem frequentiori aditione ſeria tua interpellare, ſive otia ſive negotia. Satius ergo duxi hæc tibi per famulum allegare, quæ quando vacabit, ſi tamen id tanti, pro tuo critico acumine expendes. Hanc meam ſubitaneam ſcriptionem æqui bonique conſulas rogo precorque. Vale, Vir Magne, & vive diu quam feliciſſime. Lut. Pariſ. XVI. Junii CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA IV.

CL. SARRAVIUS

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

ECce habes, Vir Illuſtriſſime, doctiſſimi & diligentiſſimi Blondelli noſtri ſchedas, ad Concilii Nicæni canonem ſextum, operoſas ſane & luculentas. Poſtquam decretoriis armis egit cum Cardinali Perronio, de Suburbicariis Regionibus & Eccleſiis etiam ipſi res fuit, cum amiciſſimis Salmaſio & Gothofredo; ſed adeo modeſte cum iis ſe geſſit, ut neutrum vel appellaverit, vel ulla circumlocutione deſignaverit; ſolo veritatis ſtudio rationes rationibus oppo-

oppoſuiſſe contentus, plane ut *inter bonos bene agier* dicas. Strenuam alio in loco navat operam Rufino, contra Hieronymum & alios. Liberior excurſus unus tantum de Euſebio Pamphili Arriano, quod hodie conſtet, quidquid plures, etiam ex noſtris, argutentur. Alias habeo fere totidem de ſecundo canone Concilii CP. quas faciam etiam tui juris poſtquam iſtas, cum libuerit, commodo tuo, remiſeris. Cæterum pro tuo jure in univerſos hujuſce Viri literarios fœtus, quod tibi minus placuerit, in ſpongiam incumbat: & magno beneficio autorem, cujus nomine hoc te rogo, obſtrinxeris. Hæc mihi, qui te ex animo colo & ſuſpicio, gratiſſima tui compellandi occaſio. Vale literarum & ſæculi decus, meque, quod facis, amare perge. Lutetiæ Pariſiorum x. Julii CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA V.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Palmario a Grentmeſnilio.

Vandoperam.

PEndeo animi, quid in eximia tua & vere aurea Epiſtola prius laudem. Adeo enim omnia ἐξωνυχισμένα exactiſſima diligentia, ut merito illud uſurpem divini vatis, τί πρῶτον τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; Sive enim advertam mentem ad ſummam humanitatem tuam, ſive ad ἀκριβὲς illud diſquiſitionis tuæ, de loco Polybiano, in qua mirus verborum delectus, mira rationum pondera; ſive ad fiduciam tuam, qua audes pugnare duobus, neceſſe eſt me omnia iſta tua ſuſpicere. Præcipue tamen amorem erga me tuum amplector: ſolis laudibus, quibus me oneras, imparem me agnoſcens. Abſit enim adeo Suffenus ut ſiem, quin agnoſcam eas omnino a benevolentia tua proficiſci. De exercitatione tua ſuper Caſaubono & Livio paucis habe ſententiam meam. Totus ego tuus cum illuſtriſſimo Sueonum Legato incomparabili Hug. Grotio, qui εἷς μύριοι. O te beatum cui procul negotiis vacat hæc accurate exequi. *Nobis non licet eſſe tam beatis*, certe οὐ σχολὴ ἡμῖν. Itaque τὸ κατὰ λεπτὸν noli expectare. Tu vero potes ſæpiuſcule eruditis hujuſmodi ferculis laute nos excipere, quod ut facias etiam atque etiam rogo precorque. Eliges autem poſtea argumentum quodcunque libuerit: Sed patere ſemel tibi a me præſcribi: Mitte cito quæſo cenſuram tuam de loco Demoſthenicæ Syngraphæ ἐν τῷ κατὰ Λακρίτου a Sam. Petito in Commentario ad Leges Atticas explicato. Quod poſtulo duabus de cauſis. Prima, quia quotidie expectamus Petitum huc venturum; & gratum erit mihi tuis armis inſtructo cum illo decertare: Altera, quia ὁ πάνυ Salmaſius poſtremis ſuis ſcribebat, ſe in ſuo noviſſimo Libro de Modo Uſurarum, totum illud Petiti caput de Uſuris Atticis perperam ab eo intellectis confutaſſe. Et juvabit videre quid illi præripueris. Dabis veniam meæ temeritati, cui locum facit incredibilis tua comitas. Bochardus ad vos rediit negotio ex animi ſui ſententia confecto pro ſe affinibuſque ſuis, uti ab eo cognoſcere potuiſti. Stipulanti ſpopondit Diatribam de

Paradiſo terreſtri, de qua ſodes aurem velle. Lannæus avunculus aliam poſcit de Mandragoris. Cæterum pro tuis erga me meritis, accipe me totum, qui deinceps uſu & mancupio tuus. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum XIV. Jul. CIϽ IϽC XXXIX.

EPISTOLA VI.

CL. SARRAVIUS

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

MItto, Vir Illuſtriſſime, quas pollicitus ſum Blondelli noſtri Obſervationes ad ſecundum canonem Concilii CP. Qui tot tantaque hujus viri legiſti, neceſſe eſt te hanc adhuc πραγματείαν ἐφόσειν, ut cognoſcere poſſis, num ille par ſibi, & reſpondeant ultima primis. Hic enim eſt finis prioris partis de Primatu. Secundam quæ de Conciliorum convocatione, in iiſque πρωτοκαθεδρίᾳ & de Appellationibus, inchoabit poſtquam paululum reſpiraverit; ſed lingua, ſi me audiet, Latina. Noli autem has chartas mihi remittere ſine tuis miniatulis ceris. Habeo a Salmaſio literas, ipſis Calendis Juliis ſcriptas; quibus video fixum immotumque ejus animo ſedere conſilium diſpungendi Notas Heinſianas ad N. T. ipſum vero Heinſium vocat Vetus idolum Academiæ Leydenſis, quod vix ac ne vix quidem poſſit θαυματουργῆσαι. Vale, Vir Maxime, noſque, qui te ſine modo colimus, amamus, velis ἀντιφιλεῖν. Lut. Pariſ. XV. Jul. CIϽ. IϽC. XXXIX.

EPISTOLA VII.

CL. SARRAVIUS.

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

MAgni illius Pauli Veneti aliquot Epiſtolas nactus, Vir Illuſtriſſime, rem tibi non ingratam facturum me exiſtimavi, ſi eas tibi legendas offerrem. Scriptæ ſunt ad noſtrum Philippum Mornayum, utriuſque Palladis, ut noſti, ſtudioſum. Videbis, his auctoribus primum fœdus initum inter Batavos tuos & Adriatici Pelagi regnatores. Sed quanto zelo reparationis divinæ domus uterque flagrabat? Num admota manu invocabant Dominum? Perficiat tandem opus ſuum ὁ πατὴρ τῶν ἐλεῶν. Interpellat iterum Peyraredus; Statiumque, ſed jam totum, ad partes vocat. Vale, Vir Illuſtriſſime, mihique plurimis nominibus colendiſſime. Lutet. Pariſ. XXVII. Jul. CIϽ IϽC XXXIX.

EPISTOLA VIII.

CL. SARRAVIUS.

Jacobo Palmario a Grentmeſnilio.

Vandoperam.

ALteram tuam Epiſtolam, prioris plane geminam germanamque, parique elegantiæ & eruditionis ſale conditam reddidit nudiuſtertius amiciſſimus noſter Vallea. In ea

Quam lepidæ λέξεις, compoſtæ ut teſſerulæ, omnes
Arte, pavimento atque emblemate vermiculato.

Amœnitatem ingenii tui, verborum vocumque copiam, certe non poſſum ſatis mirari. Si jam audet congredi Petitus, ſpondeo ipſum ad te deductum iri victum, vinctumque ὀπίσω χεῖρας ἐϋτμήτοισι ἱμᾶσι. Puſillum ſuique nominis virum eum præſtabo, ni ſubmiſſe ſe gerat. Quam vellem rependere τὸ ἴσον καὶ κατὰ τὸ Ἡσιόδειον, αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον: Verum

Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris.

Gratiam itaque quam referre οὐχ οἷός τ' εἰμι, habeo, unde, quæ tua eſt humanitas, abunde tibi factum iri confido. Neſcio qui fiat, ut in tuis de Bochardo οὐδὲ γρῦ. Eum ego virum Neuſtriæ veſtræ, heu quondam meæ, Clariſſimum jubar appellare ſoleo. Non agat modo mecum eo jure municipali quo vos, homines alioqui fideliſſimi, vulgo male auditis. Me enim quod attinet, promiſſorum memorem experietur. Vale φίλτατον κάρα, & nos amare perge, qui te in oculis ferimus, literariiſque iſtis lautitiis ſemper nos bea. Lut. Pariſ. IV. Non. Aug. CIↃ IↃC XXXIX.

EPISTOLA IX.

CL. SARRAVIUS

Vincentio Fabricio.

Bituriges.

EGo quidem, Mi Fabrici, te primum viſum mihi ex Salmaſii commendatitiis ambabus ſum amplexus, καὶ μάλα πρόφρονι θυμῷ in animum meum admiſi: Quod autem nunc te impenſe coloque & amo, & inter nos amicitia coaleſcit, id ingentibus tuis meritis, & benevolentiæ erga me tuæ acceptum fero: nihil enim eſt in me, quo te demereri potuerim; niſi forte candidam & apertam vereque Gallicam, præfiſcini dixerim, mentem meam, Germanicis tuis ſuaviſſimis moribus ſociare voluiſti: Unde me tibi obnoxium cum agnoſcam, me totum meaque omnia ecce dedo. Abs te enim omnis virtutis & eruditionis candidato cognoſci, magno honori cedit, diligi, gaudio. Legi cum voluptate quos miſiſti ἐπιταφίους στίχους; quibus tu ſociuſque tuus homines humaniſſimi, Bituriges jam veſtros excuſatum itis, quod nullo ſepulchri titulo, Cujacii cineres ſint dignati. Carmen aliud tuum de Bibliotheca Thuana, cujus ſpem facis, avidiſſime expeto: Ita, *quicquid calcaveris,*

id

id roſa fiet. Cæterum cave credas, te apud Illuſtriſſimum Grotium mea aut alterius cujuſquam egere opera, ut quam de te concepit opinionem retineat, & augeat. Novi enim apprime quanti te faciat ille vere Magnus. Quod alii fruſtra tentaverant, ipſe ſibi tandem perſuaſit, nempe opera ſua hic edere. Initium faciet a libris de jure B. ac P. quos, exemplis ex hiſtoriis, præſertim recentioribus, petitis longe fecit auctiores. Sequentur poſtea Veritas Religionis Chriſtianæ cum teſtimoniis luculentis & appoſitis. Tum demum Notæ in Novum Teſtamentum, & Hiſtoria Belgica prodibunt: Fruſtra ab hæredibus ſuis gloriam expectaret, quam ipſe ſibi ſæculoque ſuo invidiſſet. A Leydenſibus Curatoribus in Cunæi locum poſcitur Jacobus Gothofredus Dionyſii filius, qui Genevæ olim magna cum laude Juriſprudentiam profeſſus, poſtea in urbis Senatum cooptatus eſt: quare vereor ut Academicum ſuggeſtum velit denuo conſcendere. Heinſius ſuas in N. T. Notas in publicum prodire paſſus eſt. Noluit Salmaſius extremam manum imponere Præfationi libri ſui de Modo Uſurarum, donec eas vidiſſet: vult enim iſtas Notas ſerius ocius notare. Vale. Lut. Par. XXIX. Aug. CIↃ IↃC XXXIX.

EPISTOLA X.

CL. SARRAVIUS

Vincentio Fabricio.

Sancerras.

QUare relictis Biturigibus, Sancerras te receperis, quod a Puteano nuper intellexi, valde aveo ex te cognoſcere. Vereor enim ut te hoſpite ſatis dignum ſit illud caſtrum: Hoc enim, non alio nomine, eas dignatur Sigebertus. Sed quid iſtic tibi eſt cum loco ſola ſua fame famoſo? Quin potius redis in urbem? Habemus enim unde te laute & opipare excipiamus. Apponemus primum Exercitationum in N. T. libros viginti, illas ſcilicet περιϐοήτυς Incomparabilis Herois, qui Sæculi Phœnix, literarum unum decus & columen, (ita enim Heinſium velle ſua plenis & diſtentis buccis laudari docet Salmaſius in eximia Præfatione De Modo Uſurarum, quæ tibi erit pro bellariis) Ecce unde abunde te ſatiem. Si tamen adeo ſis faſtidioſus ut acidi aliquid recreando ſtomacho poſtules, dabit Gronovius noſter Elenchum Antidiatribes Emerici Crucei, in quo miſer ille cruciarius miris vapulat & torquetur modis. Nihil mihi dudum lectum eſt amœnius hoc poſtremo amici noſtri opere, quod jam ſub prælo ſudat. Et ſane is eſt, qui poſſit cum erudiſſimis ad æternam aſpirare gloriam: parum dixi, quidni enim & de palma contendere? O te beatum tanto pupulari & amico. Ego certe utrique veſtrum innotuiſſe, in maxima felicitatis meæ parte repono. Vale Vir Clariſſime & Amiciſſime. Lutetiæ Pariſ. XV. Nov. CIↃ IↃC. XXXIX.

EPI-

EPISTOLA XI.

CL. SARRAVIUS.

Frederico Gronovio.

Lutetiam.

QUomodo ceſſerit tibi heſternum iter ad CL. Heraldum, & an aliquas, an multas Caſauboni Epiſtolas domum reportaveris, ſcribe quæſo, & ſi ullas, mitte. Vides tuum Heinſium miſere angi de Parentis ſui exiſtimatione & honore: quæ, ſi verum fateri volumus, a Salmaſio in ſummum diſcrimen adducuntur? Vereor ne ad extrema res deveniat. Quantumvis acerbe Satyræ reſponderi poterit ab adverſario; ſed heus tu quid fuſtibus? Num qui ita ſe tuetur, ad incitas redactum ſe profitetur? Eſtne hoc conſilium boni viri, eſtne hoc Chriſtiani? An ejus qui Novo Teſtamento noviſſime tractando, commentando, edoceri debuit (certe potuit) de eo qui Λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει? Scirem libens ad quod Sacrarum Exercitationum caput iſtud referret. Apage tam ſceleratum facinus; quod ſi in ejus animo reſedit, certe Heinſius tuus, nullius erit apud me, nec apud bonos & graves, pretii. Mollius dixi; illum ſane probi omnes abominabuntur. Ad filii quæſtionem de Opere paterno quid ſentiant in Gallia viri docti, poteris inter cætera ex veris reſpondere, omnes ex animo dolere, quod tam acerbe inſectatus ſit Clariſſimum Bezam, cujus eximii pro vera Eccleſia exantlati labores merebantur, ut, ſi quid ei humanitus accidiſſet, mitius cum eo ageretur. *Exorietur*, proculdubio, *ex ejus oſſibus aliquis ultor*, qui Exercitatori Batavo Rhadamanthi δίκαιον reponet, & tunc *non ſibi dictum*, *ſed reſponſum* putet. Vale Lut. Par. prid. Idus Decemb. CIↃ IↃC XXXIX.

EPISTOLA XII.

CL. SARRAVIUS.

Frederico Gronovio.

Lutetiam.

QUæ ſolvam tibi εὐαγγέλια, pro nunciato gratiſſimo Fabricii noſtri adventu? Ergo nobis redditum eſt tam carum caput, tam optatum; Verum quid nobis? quandoquidem proximum tuum diſceſſum etiam ſcribis; adeo ſemper ſolliciti aliquid lætis intervenit. Sed unde tam ſubitæ profectionis conſilium? nondum enim e Batavia tabellarius, qui poſt duos demum dies eſt adventurus. Non omnis ſaltem moriar te abeunte, & aliqua pars mei Libitinam vitabit, ſi modo hiemem in urbe tranſigat popularis ille tuus. Miror Heraldum cæteroſque ὁμοιοτρόπους adeo ſibi blandiri, ut non cognoſcant ex Caſauboni amicitia, orbi publicata, magnum ſuis laudibus cumulum acceſſurum. Quod ab iis pene convicio poſcimus & efflagitamus, ipſi deberent nobis obtrudere: forſan ubi nolemus, volent ultro. Certum eſt tamen ab eo aliquid extorquere. Quod me in partem tui laboris aſciſcere volueris ſo-

ſocium, magno me devinxiſti beneficio. Quam potui diligentiſſime mandata tua executus ſum: An ex animi tui ſententia, inſpice & operi tuo bene cedet. Credo enim adhuc nonnulla pumice egere: Sed ſecunda cura caſtigatiora omnia præſtabo: amplam enim hic ſegetem errorum demeſſui. Remittat ergo typothetes circa undecimam: ad quam me in palatinum piſtrinum dedo. Vale ὦ σεβασμιώτατε Lut. Par. Idib. Decemb. CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA XIII.

CL. SARRAVIUS

Alexandro Moro.

Genevam.

EGo vero neque te inſimulo, neque mei immemorem magis eſſe puto, quam ego ſum tui. Exilui tamen gaudio ad amicam manum, & quam profiteris tui erga me amoris conſtantiam, legi magna cum voluptate. Verum conſcius egomet mihi tenuitatis meæ, iſtas, quibus me ornas, laudes deinceps quæſo ſeponas. Summa ſane perfuſus ſum lætitia, ubi accepi te in ea urbe fixiſſe pedem, quam purioris Reformationis Metropolim appellare ſoleo: eamque palæſtram nactum, in qua eximium tuum ingenium ſe jactet, & ſolidam veramque conſequatur gloriam. Tot inter magnos viros, non poteris non eſſe magnus. Tantum excole ſollicite raras illas dotes, quibus te ornavit, & cumulavit ſummus ille τῶν πάντων τῶν ἀγαθῶν δωτὴρ καὶ χορηγός. Quod de Caſtrenſibus tuis purpuratis & eruditiſſimo Petito narras, magnopere placuit: illos ego impenſe colo & veneror, hunc etiam amo. Accedit me aliquando Samuel Sorberius ejus nepos, qui eſt adhuc ἐν τοῖς μικροῖς πολιτείας miniſterii Eccleſiaſtici: quem ego cum ob doctrinam ſingularem, tum maxime, ob patrui magnam & ἐκ δικαίου ἐρριζωμένην famam magni facio. Sed heus tu! quid ais? Unde ego ſemipaganus Gothofredo notus, unde Spanhemio? Ego certe unus e multis, eorum ingentia erga literas & Eccleſiam merita ſuſpicere & prædicare non deſino: quæ cum apud me tacitus aliquando revolvo, exclamo ſubinde: Nemo Juriſprudentiæ palmam Gothofredo præripiat: Pauci, imo pauciſſimi Theologi Spanhemio pares. O te beatum tantis collegis! quidni, & iſta tua ætate adhuc, magiſtris. Ὀναίο τῆς τύχης quæ te ad iſtas oras appulit. Gratiſſima etiam ſunt, quæ de iſtorum Senonum laboribus explicuiſti. Sed quis illorum venerabili Bezæ feret ſuppetias? An impune feret Batavus Exercitator turbulentam obtrectationem tam ſancti nominis? Multa illic habebit Spanhemius de quibus DUBITET; multa Diodatus quæ NOTET. Tu quoque Juvenis ſpecta lacertos tuos, aude contra ſtare, aude concurrere. Juvabimus omnes, re, opera, conſilio: *regnabis tu quoque votis.* Habeo unde te excitem & ſpem faciam non dubii eventus. Hercules ille Gallicus Salmaſius ὁ μέγας dixit Riveto, dixit Hugenio Heinſianæ glebæ quaſi adſcriptitiis, nullam novam cogitationem plane & omnino Heinſianam inſigni aliquo vitio non laborare: nullum locum ab

eo

eo præter aliorum ſententiam ſic expoſitum, ut in eo ſecure acquieſcas. Si legiſti Præfationem ἁλοπόρφυρον De Modo Uſurarum, rem non adeo factu difficilem videris. His te præludere decet auſpiciis, non Heſychio, non Æſchylo. Ad tua tamen quæſita ſic habe: Ante quadraginta annos ille Heinſius, magnæ tunc, quam non implevit, ſpei adoleſcens, totum ſe eſſe prædicabat in Heſychio adornando: ejuſque editionem, ut opus confectum putares, proxime ſequentibus ſcilicet nundinis, ut moris erat, pollicebatur. Credibile eſt illum eam provinciam Nicolao filio dudum demandaſſe. Sed nunc hic tantum cogitat de Ovidio emaculando: itaque occupa: Dignus enim Grammaticorum ille Juppiter, in quo tua deſudet induſtria: tum quia multa habet peregrina, quæ non ſunt cuivis obvia, tum quia tot tantiſque ſcatet lectionum monſtris, ut in his debellandis non poſſis exiſtimare operam tuam male poſitam. Omnes certe linguæ Græcæ ſtudioſos iſto labore tibi devinxeris. Æſchylus MS. extat aliquis in Bibliotheca vere Regia: ſed ex ea libri non egrediuntur niſi magno paratu. Magnus Grotius hic quartùm recudit aureum libellum De Veritate Religionis Chriſtianæ, cui adjunxit amplam teſtimoniorum ſegetem; quibus quæcunque in fidei noſtræ commendationem a veteribus, Ethnicis præſertim, ſcripta ſunt continentur, opus quantivis pretii. Sequentur brevi Notæ in quatuor Euangelia. Milleterius pergit deſipere: Imo furere ἀλλ' ὁλοῶς μανίαις. Urbem libellis parvis, pravis, χυδαίοις, obſcuris, & inficetis replet. Omnino πεπτορμανεῖ, & ſerius aut citius meretricem ἑπτάλοφον adorabit. Gronovius Elenchum edit adverſus πυρρεύτριον Crucetum, quo ſuam ad Statii Sylvas Diatribam it vindicatum. Heraldus poſt diuturnum, id eſt viginti ſeptem annorum ſilentium, veteres ſuas chartas, amicis obtorto collo trahentibus, excuſſit; unde prodibit poſt aliquot menſes De Rerum Judicatarum Autoritate ſatis amplus Commentarius. Pergit Fabrotus in legendis & explicandis Baſilicis; quæ poſt vicennalia ajunt mature demum proditura. Si tuis commodis prodeſſe poſſim, dic & factum puta. Summatibus illis Diodato, Gothofredo & Spanhemio, quæſo plurimam a me ſalutem. Vale. Lut. Par. XXVI. Dec. CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA XIV.

CL. SARRAVIUS.

Jacobo Palmario a Grentmeſnilio.

Vandoperam.

DEbentur tibi ἀριστεῖα, νικητήρια. Viciſti quippe inclytam victoriam, Ὄναιο τῆς πράξης. In loco Petiti de Demoſthenica Androclis ſyngrapha vidit errorem Salmaſius, non pervidit, quamvis proxime acceſſerit. Exiſtimavit enim locum eſſe in Boſporo Thracio Ἐφίερον: & quod mireris, autores ſcilicet locupletes habet ſuæ ſententiæ an potius erroris? Harpocrationem & Suidam. Sed iſtis Gloſſographis non eſſe temere credendum jam pridem docti monuerunt. Neque etiam nomen iſtius loci intellexit Scylacis Caryandenſis

denſis noviſſimus interpres, Iſaacus Voſſius, magni Gerardi filius: Vertit enim *ἐφ' ἱερὸν ad fanum*, deinde *ἀφ' ἱερῦ a fano.* De errore modeſte monui & locos tuos addidi: ille vero nihil ad iſta reſcripſit: ſed qui potuiſſet? in ſinu gaude. Numquid habes amplum tui laboris præmium? Heinſius poſt Præfationem Salmaſiano libro præfixam mutire non audet, quamvis in ea totus quantus cubet. Si Cadomum, ut puto, quietum eſt, quare ſilet Bochartus, nec ſtat promiſſis? Ei a me ni, grave eſt, multam ſalutem. Vale & me ama. XXVII. Decembr. CIↃ. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA XV.

CL. SARRAVIUS

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

Ecce iterum Blondellus, & eſt tibi ſæpe legendus. Aggreditur amplam & luculentam materiam De Conciliis; quatenus ex illis vel in illis Pontifex Romanus primatum ſibi arrogat. Quando vacabit inſpicies, & acri perpenſa judicio ſcribes. Non enim is eſt amicus noſter cui ſit *χαλεπὸν μεταδιδάσκεσθαι*. Interrogaveram Bochartum Cadomenſem De lingua Novi Teſtamenti Helleniſtica: reſponſum ejus vides, quo plane tecum ſentit. Ego certe non invitus in poſterum vobis accedam, donec alius meliora & certiora attulerit: quamvis magno meo incommodo, Novum Fœdus deinceps niſi meticuloſe ſua lingua non ſim lecturus. Verum *τὸ ἐν νικάτω*. Addidi elegantiſſimi Fabricii carmen, quod, quia me amas, cum voluptate leges. Vale Vir Illuſtriſſime. Lut. Par. Id. Jan. CIↃ. IↃC. XL.

EPISTOLA XVI.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Andegavum.

Verum fatebor, Vir Amiciſſime, a diſceſſu tuo, inter inſomnia mea nullus mihi viſus eſt Gronovius. Sed totos quantos dies animo obverſatus eſt meo; nec etiamnum eum deſiderare ceſſo. Ex binis tamen tuis aliquantulum recreor, qui videam me non ei penitus excidiſſe: nec ſane id unquam formidavi; adeo ejus in fide & amicitia conſtantia mihi eſt perſpecta. Certe donec reſciverim te ſalvum Andegavum adveniſſe, ſollicito timore non carui. Neſcio autem quo malo meo fato factum ſit, ut tantum poſt tredecim dies tuæ litteræ mihi redditæ ſint, quas poſt tres habere debebam. Iter feliciter ceſſiſſe gaudeo, & aliquam te nactum quietem tum tua cauſſa, quia poteris facilius & cum otio tractare literas, tum etiam mea; quia ſæpius fiam certior de tua valetudine, & amore erga me tuo. De tui Elenchi perfecta editione gratulor tibi. Additamenta ſerius venerunt, quam ut ſuis locis inſeri potuerint: itaque inter errata ad calcem operis rejecta ſunt, ne tibi opera periret.

periret. Fabricius noſter verſum addidit elegantem & σκωπτικὸν, licet brevem. Itaque ejus amori non tuæ poſtulationi eum imputabis, ut & ſolidam emendationem typographicam. Da veniam, Amice, ego tibi vacare non potui, coactus continuo adeſſe fratri, quem Deus magna plaga tetigit. Uxorem ejus ad ſe recepit vix annos viginti duos natam, forma eximiam, moribus ſupra ætatem firmis & caſtigatis, pietate & prudentia ſenili præditam. Qua fortitudine calcaverit omnia terrena, qua in Chriſtum fiducia ſuis ſe exuerit peccatis, quam ſiccis oculis, marito, liberis, familiæ, mihi valedixerit, faxit Deus nunquam obliviſcar, ut de ejus noviſſimis ſæpe cogitantem me quoque par maneat exitus. Habes hic Epiſtolas a Salmaſio & Nicolao Heinſio. Binas ego accepi ab Hercule noſtro Gallico. Prioribus inter cætera laudat, nedum damnat, temeritatem meam, qua aliquot verba delevi in ejus ad te edita jam Epiſtola. Immo vellet, inquit, ut totam induxiſſem, utpote properantius exaratam, dum promiſſi memor tibi morem gerit. Poſterioribus prolixis, ideoque gratiſſimis, oſtendit quomodo τὸ χάφειν, ἀντὶ τῦ γλάφειν quod eſt γλύφειν ſcriptum ſit. Quomodo intellexerit *rem alienam teſtamento relinqui non poſſe*; quæ quia longiora ſunt non exſcribo. Sed ea explicabit ipſe pleniſſime in Tertio *De Uſuris Juſtinianeis*. Addit de ſua circa linguam Helleniſticam ſententia nihil ab ullo metuere, nedum a R. Thyſio, qui aqua intercute laborat: nec ſi valeret, is eſſet, qui vellet cum ipſo hanc ſerram reciprocare. Nihil ab Imperatore, qui licet purum putum ſit mancipium Heinſii, tamen ſe nuperrime inviſerit, poſteaque amicum communem miſerit, quo fidem daret de ſincera amicitia ſecum ineunda. Itaque omnino neceſſe erit Batavo Exercitatori ſe contemptu vindicare, vel alium quærere optionem. Quæ de Anteceſſore Florente, Amyraldo, Cappello, Piterſio narras, non erant inaudita: Sed noli eorum amicitiam, quam tua tibi conciliavere merita, mihi adſcribere. Immo honori ſummo mihi cedit a te cognoſci. Etiam me immortalitate donaſti, quando in Opere noviſſimo mentionem mei adeo honorificam feciſti, ut præ pudore ſanguinem ſuffuderis. Profecto niſi veritus eſſem amicitiæ noſtræ luculentum teſtimonium repudiare, offenſionemque tuam incurrere, nonnulla tua verba delecta, deleta fuiſſent a me. Vale, & me ama tuum κηρόθι μᾶλλον. Lut. Par. Idib. Jan. CIↃ. IↃC. XL.

E P I S T O L A XVII.

C L. S A R R A V I U S.

Samueli Petito.

Nemanſum.

EA ſunt tua in Rempublicam Literariam & Eccleſiam merita, ea pro utraque conſilia, ut ſanctos conatus tuos debeamus omnes juvare & promovere. Ego certe equidem in his, qui te doctrinamque tuam eximiam colunt & ſuſpiciunt, nomen profiteor meum ὡς ἀσμενέςατα. Egi cum ampliſſimo Senatore mihique amiciſſimo Petavio, ut MS. Joſephi codicem tibi impetrarem.

Ille vero nullo negotio ſe paſſus eſt exorari, itaque eum hic habes. Si voto tuo reſpondeat, habeo quod tibi gratuler, mihi gaudeam. Sed ut ita ſit vereor, quandoquidem deſiderantur libri contra Applonem, quos præcipue expetere videris. Quicquid id eſt utere, fruere tuo arbitratu. Me ſane omnia tua cauſa velle, perſuade quæſo tibi: *Tuus eſt explorare labor.* Cæterum cum ſeſe offerat occaſio tecum agendi, patere me quæſo libere tecum expoſtulantem. Ægre enim, imo ægerrime fero, quod a Critica Sacra, eruditiſſimi Cappelli Opere eruditiſſimo, tu vir doctus & æquus adeo mentem avertas, ut ab eo magnum timeas noſtræ puriori Eccleſiæ damnum, ὃ μὴ γένοιτο οὐδ' ἔςαι. Noli enim credere, eum id agere, ut Sacrum Textum, quaſi pumice Critico egeat, pro libitu mutet & interpolet. *Heu cadit in quemquam tantum ſcelus?* apage facinus tam atrox, tamque inſignitam audaciam & protervitatem. *Non obtuſa adeo geſtamus pectora*, ut hanc ſententiam probare poſſimus. Eſſet hoc κινεῖν ἀκίνητα. Hæc duo intendit præſertim Vir iſtarum rerum peritiſſimus. Quandoquidem Maſorethici apices utpote ἀνθρώπινον εὕρεμα, nos non ligant, ubicunque diverſa punctorum ratio meliorem & commodiorem fundit ſenſum, nihil vetare, quin priori neglecta poſteriori adhæreamus: quod magno cum fructu fieri poſſe infinitis exemplis, per ſingula puncta decurrendo, demonſtrat. Deinde, cum mirum quantum codices Græci & Latini a ſe invicem & ab Hebræo fonte abeant diverſi, oſtendit unde manarit iſta diſcrepantia: quod ſcilicet affines litteras, & affinia verba Scriptores & Lectores male confuderint. Sed ſedulo dat operam, ut Hebræi Textus Sacro-ſancta ſit ſemper Autoritas: quem licet alias inextricabilem, *melius non tangere clamat:* liceat tantum in margine & in notis modeſte de obvia difficultate monere, & ſuam ſententiam promere. An hoc de genere malorum? an novum & indictum ore alio? Utinam opus ipſum oculis uſurpaſſes: ſat ſcio editionem urgeres. Si fallor, mone errantem, nec invitus tibi accedam. Vale Vir Excellens & nos ama. Lutetiæ Par. XIX. Jan. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XVIII.

CL. SARRAVIUS.

Jacobo Palmario a Grentmeſnilio.

Vandoperam.

TRes omnino accepi a te literas, tu jam nunc a me quatuor; non eſt itaque quod mihi facias ἀργίας δίκην. Certe ut aliis vitiis tenear, de negligentia hujuſmodi facile abſolvor: nec enim in reſcribendo ſoleo eſſe ὑπερήμερος. Cæterum cum cogito de hujus Provinciæ ſtatu, tum quem mihi deſcribis, tum quem ipſe præſens cognoſco, cogor ire in lacrymas, quæ mihi pene ſingulis momentis effluunt. Invitum certe me huc adactum eſſe ſcias, vir amiciſſime, ſciant boni omnes, quibus nomine tenus notus ſum. Sed habui parere neceſſe: ita vivitur ſub regno. Quoties per urbem ambulo, cerno plurimas ædes ſuis dominis, ampliſſimis Senatoribus, viris probis & bene circa

Regem

Regem & Regnum animatis, deſtitutas. Mene oportuit in Veterum Collegarum meorum locum ſuffici? Utinam quam habui in hac civitate ſtationem numquam deſeruiſſem! hunc ſaltem inde fructum colligerem, quod ea nunc abeſſem, & cum centum præclaris Senatoribus honeſtum exilium exularem; & me ſolarer innocentiæ conſcientia. Sed inter injurias ira Principis annumeranda eſt. Punior hic ego, qui non dicor deliquiſſe. Uno ſane die plus vixi quam oportuit: eo nempe, quo huc delegatus ſum; ubi ego non miles quotidie excitor truci claſſico. Mitius feram hunc meum dolorem, ſi te ſcivero mihi condolere, & tua cauſſa hic aliquid poſſim; quod, amabo te, moneas. Procul a libris meis noli expectare a me aliquid literarium: non enim habeo in numerato, unde tibi ſatisfaciam & tuis quæſitis reſpondeam. Sane quod tu in ſeria meditatione non pervidiſti, qui ego ſemipaganus inter arma explicem? Languet animus, languet ſtylus, ipſa etiam manus ſcribere refugit; nec ego bene mei compos. Erige me venuſta & eleganti ſcriptione, quam te mihi benigne impertiri non pigeat. Vale. Rothomagi in hoſpitio Sciuri. Prid. Cal. Febr. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XIX.

CL. SARRAVIUS.

Vincentio Fabricio.

Aureliam.

HEri & hodie unam & alteram a te accepi Epiſtolam, Dilectiſſime Fabrici. Prior debuerat mihi tempeſtivius reddi: ſi enim ante quindecim dies, quando hic erat Cancellarius, fuiſſem ab amico tuo compellatus, ejus confectum fuiſſet negotium. Jam vero expectandus eſt ejus reditus Lutetiam, qui vix ante Paſchales ferias ſperandus eſt. Ejuſmodi enim Conceſſiones Regiæ, corroborandæ ſunt Magno, ut vocatur, Sigillo, quod perpetuo apud Cancellarium cubat. Poſtquam fuerit reverſus, iſtam rem agam, ac diligenter. Hic ego miſere crucior. Quî aliter? procul a te, procul a Libris meis, ſine quibus omnis mihi vita acerba. Procul a magnis illis amicis noſtris, ſine quibus πᾶς μοι βίος ἀβίωτος. Vale. Roth. XXI. Feb. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XX.

CL. SARRAVIUS.

Frederico Gronovio.

Andegavum.

QUid me querelis exanimas tuis, Amicorum Suaviſſime. Accuſemus uterque malum fatum noſtrum, cujus inclementia factum eſt, ut gravis faſciculus meus ad te non pervenerit. Ejus jacturam pene inconſolabiliter lugeo. Sic undecunque coacervati luctus animum crudeliter afficiunt. Reſciviſti proculdubio de Parlamento Neuſtriæ omni ſua functione interdicto. Centum & amplius Judices Lutetiæ Regia juſſa expectant, dum ex noſtro Pariſienſi

ſi Senatu Sexdecim huc delegati, an relegati? ſunt qui eorum vices implerent. Eos inter hic ego ſedeo non ſine magno animi mei mœrore, qui coactus fui invitiſſimus veterum Collegarum meorum, præſtantiſſimorum virorum, locum occupare; procul a Lutetianis deliciis, fori inſanis jurgiis miſere diſtrahor. Si tamen valere te, & me ſemper abs te, amicorum purpura, amari intellexero, non parum inde recreabor. Vale XXII. Feb. CIƆ IƆC XL.

EPISTOLA XXI.

CL. SARRAVIUS

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

QUod mei olim beatam, nunc lacrymabilem ſub oram ſemoti, adeo oblitus non ſis, Vir Illuſtriſſime, ut volueris inter primos, imo ut ais primum eſſe aurei tui libri lectorem, non potuit non eſſe jucundiſſimum. Mihi certe ſummo honori cedit, a te totius eruditionis ſacræ & prophanæ Coryphæo, cognoſci & amari: quod quoties cogito, id autem uſu venit ſæpiſſime, facere non poſſum, quin toties prorumpam in eximiæ humanitatis tuæ laudes. Cum enim me meis intueor oculis, ſentio nihil eſſe in me, quod tuam poſſit allicere benevolentiam: niſi forſan animum erga te meum aſpicis, qui ſane, & in hoc liceat gloriari, non magnus tantum, ſed ſummus. Grates itaque ago gratiſſimas de tanto tuo munere: in quo effecit tuus hic poſtremus labor, ut doctrinam cum pietate conjunctam haberemus. Conſuluiſti nimirum ſæculi vitio, cujus palato ipſa pietas per ſe vix ſapit. Sed quod tam immenſam teſtimoniorum ſegetem collegeris, conſtet inde neceſſe eſt, Chriſti gloriam tuo ſemper animo obverſari: cum tot tantaque, quæ aliorum ſagaces oculos effugerant, ſancta tua diligentia & induſtria erueris. Faxit *ὁ δώτωρ ἑάων* ut diu ſuperſis, omnibus bonis cumulatus: Sanctumque tuum propoſitum abſolvas, Novum Teſtamentum perpetuis tuis Annotatis explicatum excudendi, ſæpius recudendum. Me, rogo te, Vir Illuſtriſſime, inter nominis tui cultores præcipuos cenſere perge. Vale. Roth. Idib. Mart. CIƆ IƆC XL.

EPISTOLA XXII.

CL. SARRAVIUS.

Vincentio Fabricio.

Bituriges.

NOli credere, Suaviſſime Fabrici, quidquam mihi potuiſſe gratius accidere tuis poſtremis. Tum quia ex illis intellexi, te, cœlum licet ſæpius mutantem, animo tamen eſſe erga me conſtantiſſimo: tum quia me beaſti nuncio illo recuperati mei ad Gronovium noſtrum faſciculi; quem amiſſum auro contra redemptum voluiſſem. Nihil habeo quod rependam pro tam inſigni beneficio. Ipſe exige quod libebit jure tuo, nihil negabo, & me reperies acceptæ gratiæ gratum & memorem. Quod a me conſilium quæris,

de

de carmine circa Bibliothecam Thuanam, humanitati tuæ id acceptum fero. Tu hujus Sæculi Poetarum facile Princeps, cujuſquam conſiliis, nedum mei, ſi egere te putas, næ tu tibi es ignotus. Ut libere tamen, quando ita vis, apud te ſententiam meam promam, malim proſam & vorſam orationem ſejungere, quam modo hac, modo illa ſcribere. Quicquid hiſtoricum tantum erit & metri leges aut numeros non patietur, Præfationis vice poterit præmitti, ut Muſis ſua illibata & integra Sacra ſerventur. Perfice quæſo illud opus, quocunque libuerit modo: certe ſollicitius aliquid deſideraſſe aut expectaſſe me non memini. Cæterum ægerrime fero, omnem fere tuam per Gallias peregrinationem tibi abſumi in iſto Bituricenſi tractu. Verum ferendum eſt, quia cogitare te ulteriora, vetat ſocii adverſa valetudo: tuam ut Superi tibi firmam ſemper præſtent enixe ab illis contendo. Scribebat nuper Salmaſius rabularium quemdam adverſus ſe Apologiam edidiſſe pro Manibus Cunæi, quos queritur ab ipſo violatos. Addebat ſibi propter parentis obitum neceſſe eſſe in Galliam venire, & hac, quod anxie rogaveram, ſe tranſiturum. Quanto autem gaudio perfundar, cum ibo in ejus amplexus? Ego ſcilicet ante Magnas illas Pariſienſes Animas, ſanctum illud caput adorabo, *Ut mos eſt meus, applicabo collum, Jucundum os, oculoſque ſuaviabor.* Sed vereor ut ἐφήμερον ſit illud meum gaudium evanidique inſtar ſomnii. Is eſt ſane, in cujus ſententiam omnes boni doctique libenter eant, adeo in literis ſuo merito principatum tenet. Miſit nuper Illuſtriſſimus Grotius Editionem Pariſienſem libri ſui de R. C. cum Annotatis, ὥς ἁπλῶς εἰπεῖν, Grotio digniſſimis. Habeo quod addam nihil, niſi tædere me hic vitæ meæ, adeo ab omni literario conſortio vivo alienus. Tu Vale feliciſſime. Roth. III. Cal. Apr. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XXIII.

CL. SARRAVIUS.

Frederico Gronovio.

Andegavum.

GRatæ mihi fuerunt tuæ litteræ, hiſce Nonis Apr. datæ. Gratiſſimas dixiſſem, ſi parcius tu te in meas effudiſſes laudes, a quibus inpoſterum, etiam atque etiam rogo, manum abſtine. Si quid enim eſt, quo ego jactari merear, certe unum illud, quod ſumma aliquot Literarum numina, inter quæ tu, Magne Gronovi, maxime conſpicuus ſedes, religioſe colo; quod tanti eſſe non debet, ut me quoque Achivis principibus permiſtum videam. Iterum vota fundo pro peregrinationis tuæ ſecundo itinere: cui favens adſit perpetuus comes Ἑρμῆς ὁ ὁδηγός. Vereor ne in Urbem ocius redieris, quam ego Neuſtriam hanc reliquero. Perſtat enim Rex agnomine Juſtus in duro adverſus Provinciales hoſce propoſito, ut ſcilicet Lutetiæ adhuc morentur miſeri illi mortales, quorum adverſa fortuna in caput recidit noſtrum; aliorumque, ſi Diis placet, ſcelerum nos quoque luimus pœnas. Sed hæc aliquando fuerint. Non hoc ineunte vere, ſed æſtate demum præcipiti expectandus eſt mi-

hi Salmaſius ὁ μέγας: antequam enim Lugduno diſcedat, ὐχ ἱέμενος ſcilicet νόστοιο, urget Typographos, & ab iis urgetur ut ſuſcepta orſaque pertexat; in quibus habebis τὸν τειπόθητον illum Simplicium; niſi conſilia ſua ad exitum perducere feſtinat Heinſius tuus cum ſuis Heinſianis, qui de eo mactando, quoties περιπόλια ſolus vel cum famulo perambulat, & in foſſas dejiciendo cogitant. In eam adducti illi rabiem, ex quo ejus imperterritus animus, Satyris & levidenſibus ſcriptionibus cedere neſcius, iis plane perſpectus eſt. Ita Salmaſius ipſe ad me ſcribebat IX. Cal. April. addebatque ſe ſatis acerbe ſtrinxiſſe calamum adverſus J C. quemdam, quem vocari Cyprianum Regneri me docuiſti, libello edito, in quo inter alia haud pauca penitius diſquiritur, *An mutuum ſit alienatio:* quod ab eo factum, quia dixerint ὂν ἐξ ἐναντίας ſe ei excitaſſe adverſarium cui par, in hoc genere, non eſſet. CL. Berneggeri obitum ex animo defleo. Quo nunc loco Tacitus? *Quid brevi fortes jaculamur aevo multa?* Plura non addam ubi apud te conqueſtus fuero, quod de tua Juſtinianea Laurea non monueris, in quo adeptos plauſus tacere non debuiſti. Patere hoc convicium, & de rebus tuis ſcribe diligentiſſime. Vereor ne diutius morari me hic oporteat: hic, id eſt, procul ab omni literarum elegantiorum commercio. Vale & me ama, qui te colo, veneror, amo. Roth. Idib. Apr. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XXIV.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Andegavum.

QUas tibi jam agam gratias, Cariſſime Gronovi, pro illa tua diligentia, qua me tam prolixo, tamque grato reſponſo beaſti? Tantum abeſt, ut excuſationem moræ tuæ accipiam, ut contra me in ære tuo agnoſcam libens: reponis enim χρύσεα χαλκείων. Gaudeo voluiſſe te Elenchi tui perpurgandi a mendis noſtris tædium devorare. Culpam olim ſum deprecatus adjecta cauſſa, quam, quæ tua eſt humanitas mihi, indulſiſti. Miſi ad heroem noſtrum quam ad ipſum dirigendam per me voluiſti, & curabo ut ejus reſponſo, quod ab eo tibi flagitavi, quamprimum potiaris. Antequam e Batavis diſcedat, ſedet ipſi perficere inchoata vel affecta opera hæc ſua. Notas ad Arnobium, Philoſophiam Stoicam ad Simplicium, Diſſertationem de Saccharo & Manna, & Achillem Tatium. Penes me eſt *Diatriba De Mutuo, Quod non ſit alienatio, adverſus Cyprianum quemdam Juris Doctorem Autore Alexio a Maſſalia Domino a Sancto Lupo.* A *Maſſalia* id eſt a *Salmaſia. Salmaſia* Pagus eſt hujus nominis in Burgundiæ Ballivatu, qui vulgo vocatur *l'Auxois*, cujus metropolis Autiſſiodorum vulgo *Auxerre*, e quo gens Salmaſia Nobiliſſima originem ducit, inde hic dici vult *Alexius*. Quare a *Sancto Lupo*, quia non explicavit, interrogavi; nec dum accipere reſponſum potui: Jure merito clamabit foriarius: *O Crudelis Alexi!* adeo male habe-

tur

tur εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς. Voluit ſcilicet Heros noſter ceteros ab hujuſmodi conſiliis deterrere & expectata gloria fraudare: dum ne quidem eos agnoſcit adverſarios ſilentio involutis eorum nominibus ſuoque. Scriptum hoc bonæ ſane frugis plenum, theſin ſtrenue tuetur, nec a poſita Quæſtione latum unguem diſcedit: Nec ſolemnem copiam deſideres: & quod magis mirere, vix totis quindecim diebus conceptus formatus & editus ille partus a patre podagra laborante, quæ ejus bilem aliquando intendit. Sed quid ais de Magno Legato, qui Amſtelodami curavit edendam *Commentationem de locis N. T. in quibus mentio ſit vel fieri videtur de Antichriſto*, *Eruditis*, ita inſit, *expendendam*. Vult Virum illum peccati, cujus mentio in Secunda ad Theſſalonicenſes, eſſe *Caligulam*, alterum de quo in Prima Johannis eſſe *Barchosbam*, tertium de quo in Apocalypſi eſſe *Trajanum*, cujus nomen Ὀυλπιος, dum ſedet ad calculos, aſſerit eſſe τοῦ θηρίου ὄνομα μυστηριῶδες 666. Poſtremam literam vult ſenarium denotare numerum quæ ducenteſimum arguit, confundendo τὸ σίγμα cum epiſemo βαῦ, de quo tam multa Magnus Salmaſius ad eum ſcripſerat. Jam credo, intelligis qua de cauſa adeo ſedulo inquirebat de *Nota ſenarii numeri apud Græcos*, quod licet edoctus ſit, maluit ignorare, quam tam bellam cogitationem abjicere. Magna ſane ab eo libro famæ ejus labes infligetur; addunt enim multa præterea dogmata Fauſtinam Scholam olere. Sed ohe! jam ſatis. De Exemplaribus Elenchi tui in Angliam nec ne miſſis nihil affirmare auſim: poſtremum tamen verius credam. Hic adhuc diſtinemur quatuor, ut ajunt, Collegis addendis, qui ſuppetias ferant. Nulla ergo copia vel ſpes prompti reditus. Si mei ſemper memineris, ſolabor me incomparabili tuo beneficio. Vale Roth. Non. Majis. CIↃ IↃC XL.

Andreas Ducheſnius nobiliſſimus Regni Geographus & Hiſtoriographus hac ſeptimana miſerabiliter obiit: e curru decidenti baculus ilia ingreſſus eſt, unde magno cum cruciatu, poſt unam aut alteram horam expiravit.

EPISTOLA XXV.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Andegavum.

ACcipio eximiam illam tuam epiſtolam, qua Frondatorem tuum iterum crucias; nec reſponſum differre debeo, licet alias forenſium negotiorum mole obrutus. Qui fit ut de Magni Salmaſii χρυσοῦ χρυσοτέρῳ literis nihil reſcribas? An hoc eſt fatum meum, ut quæcunque ab illo heroe per meas manus ad te deſtinantur, ſerius nec niſi poſt tardiſſimas moras habeas? De Pace Leydenſi, ab iſto Triumviratu utcunque procurata, nihil dicam, quia procul dubio ab aliis cognoviſti. Cæterum non poſſum non laudare conſilium tuum nihil reſpondendi Muſcario illi, de quo nihil prorſus audiveram. Hoc eſſet bonas horas male perdere: & omnino indignus ille ira tua. Notas tuas avidiſſime percurri: inſulſiſſimum oportet eſſe illum Scriptorem, qui ea, quæ arguis, publica-

blicare ſit auſus. Næ ille lectores ſuos fungos & ſtipites putat, ſi fidem habituros exiſtimat. Sueonum Legatus *De abſoluto Reprobationis decreto* Commentationem Amſtelodami edidit, qua Remonſtrantium ſuorum dogmata non tam defendit, quam adverſariorum ſententiam infamat. Vale, & amorem erga te meum credas velim ita ratum eſſe fixumque, in virtute tua fundatiſſimum, ut nulla ratione convellatur. Roth. III. non Jun. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XXVI.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Palmario a Grentmeſnilio.

Vandoperam.

VIx, ac ne vix quidem, ullis commendatitiis, quæ ad me ſcribuntur reſpondere ſoleo: & in fori litibus enarrandis continuo occupatus, potuiſſem etiam aliquid cauſſari, quod excuſationem mereretur. Is tamen eſt τῶν σῶν συςατικῶν lepos, ea gratia, ut ſolemne & vetus propoſitum meum cogar abrumpere. Bene eſt ſi in hac Provincia poſſumus aliqua ratione afflictis opitulari. Credas enim velim me nulla pari affici lætitia, quam ſi quando litium ſinuoſos nexus reſeco & amputo. Deus, ut affinis tuus cæteros tam faciles ac benignos experiatur Judices, quam me habiturus es promptum ad omnia tibi tuiſque officia præſtanda, Ἀυτὸ δείξει. Doleo tantum, quod non ego futurus ſum ſolus Hercules iſtius Antæi: nihil enim, ut noſti, ſinguli decernimus, nec aliquid poſſumus niſi numerus ſumus & collegium facimus. Quid autem agas, quid mediteris ſcire deſidero. Næ tu ludis ſuaviter, cum me ſententiam rogas de Grotii Antichriſtiana Diatriba. Tu ſolus harum literarum κριτὴς ἀδέκαςος, & Commentatione adverſaria illi os obleveris: niſi forſan ſummum Bochartum pateris tibi adjungi ſocium. Ille nuper ea de re a me interpellatus divinam Epiſtolam reſcripſit, eo rationum pondere & momento, ut nihil validius ſubtiliuſve poſſit in eo genere cogitari. Urge quæſo ut ſcriptionem perficiat & publici juris faciat: ex qua magnum autori decus, & Puriori Eccleſiæ compendium maximum accedet. Vale. Roth. ipſis Calendis Aug. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XXVII.

CL. SARRAVIUS.

Frederico Gronovio.

Andegavum.

NOn eſt quod improbum facinus, quo Summatis noſtri Epiſtolam deſcripſi apud te excuſem; quandoquidem adverſo fato meo, tuoque res eo recidit, ut de temeritate furtove meo gratiam mihi ſis habiturus. Ecce enim, adeſt ipſa illa gemina & germana, non meis, ut ſatagebas, cogitationibus recentata, ſed ipſiſſimis Autoris verbis. Sola venerabilis & divina manus abeſt, quam ſera licet dies, ita auguror, & opto, repræſentabit. Hæc auri ramenta latere & perire nequeunt. Ut ænigma de Leydenſi Pace a III.

Viris

Viris Leidenſibus procurata, certe tentata, tibi pateat, diſcriptum habes ἀποσπασμάτιον ex prolixiore ad me Epiſtola, in qua nihil addidi aut detraxi. Poſtremis ſcribebat novum ſibi procedere certamen cum clariſſimo doctiſſimoque medico Beverovicio de ſenſu Aphoriſmi Hippocratis LXXIX. Sect. IV. quem aſſerit Heros noſter nulli ex recentioribus ἰατρῶν ποιοῖ intellectum, nedum Beverovicio, qui in Libro de Calculo eundem errorem erraverit. Ita autem proceſſit negotium. Interrogatus Salmaſius a Beverovicio, num recte acceptus ille locus in citato Libro, reſcripſit male acceptum; rationibus quibus adductus ita ſentirer, levi manu, & ut apud familiares ſolet, tractatis. Operoſam & prolixam replicationem Epiſtolicam miſit reſignatam Beverovicius uni ex Ordinibus qui tum Lugduni, ubi olim habitavit, aderat, a quo Salmaſius eam acciperet. Nomen ſiluit quia ille mihi ignotus. Quoniam autem Vir ille Nobiliſſimus Heinſio privatim utitur, non injuria credidit Salmaſius eam illi viſam, nec tutum fore aut etiam honeſtum aliter quam publice reſpondere. Præterea, cum nimium ſibi confideret adverſarius, conſultum viſum eſt, tantam fiduciam modeſta ſcriptione retundere. Vale. III. Non. Aug. CIƆ IƆCXL.

EPISTOLA XXVIII.

CL. SARRAVIUS

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

PLeniſſime nuper ſatisfaciebas, Vir Illuſtriſſime, dubiis quæ tibi proponere auſus eram, circa Divinitatem & Satisfactionem D. N. Jeſu Chriſti, de quibus extare nihil in aureo tuo libello, nonnulli male feriati criminabantur: eoque nomine, quodque mihi tela ſuppeditaveris, quibus eos confecero, ingentes habeo agoque gratias. Aliud autem ſupereſt, de quo quia tunc non ſuccurrit, iterum, veniam dabit tua humanitas, te interpello. Pagina LIV. noviſſimæ editionis, dicis; Deum conſilium ſuum de Mundi Exitio, celaſſe Apoſtolos; quinimo illos quaſi imminens illud expectaſſe, & in ſcriptis ſuis docuiſſe: citatis in hanc rem pag. 369. in Notis 1. Cor. XV. 54. & 1. Theſſ. IV. 15. 16. quibus ex locis probare ſatagis credidiſſe Paulum, diem Domini eſſe in proximo. Hæc autem opinio attentius ad calculos revocata, omnem ſcripturæ autoritatem elevare videtur. Si enim iſtud crediderint & docuerint Apoſtoli, certe in eo falſi ſunt. Si autem in hoc perperam nos docuerunt, in quo procul dubio, quemadmodum in reliquis, eos a Deo afflatos credere par eſt; qui conſtabit in aliis Religionis capitibus, quæ non vehementius ab illis affirmantur, eos non eſſe hallucinatos? Tu Vir Illuſtriſſime, hunc nodum, ſi placet, ſolves, nec me, quem tot tantaque habere voluiſti amoris tui teſtimonia, hac expectatione fraudabis. Ita quæſo precorque, & me nominis tui ſtudioſiſſimum, aſſiduumque cultorem, amare perge. Vale Rodi. XVIII. Sept. CIƆ IƆCXL.

Inter epiſtolas Grotii illa reperta non eſt, quam ad hanc reſcripſiſſe debuit. Forte ea res in ſermone acta fuerit.

EPISTOLA XXIX.

CL. SARRAVIUS.

Frederico Gronovio.

Venetias.

ACcepi tuas, Clariſſime & Cariſſime Gronovi, Maſſilia datas; quibus gratiſſimum fuit cognoſcere, de optima tua valetudine. Galliam noſtram etiam in illis remotioribus partibus non diſplicuiſſe impenſius gaudeo. Verum certe & perpetuum fructum ex tua peregrinatione colligis, viſis inſignibus illis viris, quos commemoras. Nec dubito quin ſalutandi officium, quod illis comiter impertiris, ipſi viciſſim mutua benevolentia compenſent. Sed qui omiſſus Petitus? Nunquid licuit Nemauſum excurrere? an eum tibi reduci ex Italia ſervas? Verendum tamen eſt, ne, omiſſa illa plaga, alio divertas, idque optimo viro, qui te ſumme colit, foret acerbiſſimum. Laudo conſilium tuum de peragranda etiam Italia: peragranda, inquam; noli enim inhærere vel manere diutius; te enim jam habitiorem & colore ſano pulchriorem Capuanæ deliciæ cum Annibale peſſumdarent. Nec ſola illa ultima ora formidanda, Venetiis quippe in ipſis, poteſt male fundata carina naufragium pati. Omen Deus avertat: ſed tres fere totos annos hic moratus, niſi quod interea Italiæ ulteriora non neglecta, ſcio quam difficulter ex iſtis paludibus emerſerim. Tandem *Contigimus dextram, qua nulla potentior armis Palladiis.* Solidos decem dies illum hic detinui: diluculo, mane, meridie, veſpere, nocte intempeſta ejus lateri indivulſus hæſi. Expectas jam ut librum ſcribam, non epiſtolam: omnino opus eo eſſet, ſi cuncta exequi eſſet animus. Sed pauca hæc ſufficiant. Non dixit poſtremum Vale Batavis, quorum Ordines quanti ipſum facerent, palam fecerunt, cum juſſerunt ὑποθαλασσιάρχῃ ut eum Diepam uſque cum toto comitatu veheret, eoque rediret quotieſcunque ſignificaret Magnus Heros velle ſe Hollandiam repetere. Plerique etiam e durioribus, ejus partes ſequuntur, poſthabito antagoniſta: etiam Prætor, Eſcontetum vocant, etiam Adolphus Vorſtius, alii. Synodus lecto ejus Trapezitico, veteri more damnato, Lombardos ad Sacram Menſam admitti jus faſque eſſe dixit; nullo tamen condito decreto, niſi quod οἰκονομικῶς & pro variis cauſarum figuris, πρεσβυτέρια de ſummo illo jure poterunt aliquid remittere. Excerpta ex Trapezitico, licet Heinſianam manum prodentia, Magiſtratus, ex officio, nemine conquerente damnavit. Calumnias confutavit Heros, adverſariumque vivis non adumbratum, ſed expreſſum, coloribus, omnibus bonis execrabilem propoſuit. Cum Beverovicio pugnatum eſt amicitia incolumi. Itaque iterum Leydam reviſet; ni obſtiterit uxor, cui cœlum Hollandicum minus arridet: Ni etiam Eminentiſſimus Richelius eum in Gallia pedem figere velit, jubeat: non enim impune ei non paretur. Neptunum parum faventem expertus eſt, Octavo quippe ſupra decimum die, Diepam appulit, cum majoris natu filiæ cadavere, quæ tertio navigationis die expiraverat.

verat. Hanc jacturam forti animo & plane Chriſtiano toleravit. Ubi aliquid nactus erit otii a domeſticis negotiis, Arnobianas Notas in mundum rediget, in quibus Heraldo ſæpius, quando ipſe glaciem fregit, frigida ſuffundetur. Plura & alterius generis adderem, ſi certo ſcirem hanc ad te chartam perventuram; quod quia vereor, ἐπέχω. Prima quaque occaſione *Tumulum Berneggeri* amicitiæ, quæ tibi cum eo interceſſit, digniſſimum monumentum Freinshemio mittam. Ego quoque te carmine donabo ſed non meo, niſi quod argumentum poetæ dedi. An eo laudetur vel lædatur amicus tuus, ipſe judica. Mihi elegans & obliquum videtur. In hac certe Neuſtria natum eſt. Vale. Faciam ut meæ vel in ipſum Capitolium te ſequantur. Roth. 11. Nov. CIƆ IƆC XL.

AD DANIELEM HEINSIUM
De ſuis Exercitationibus Sacris in N. T.
IN OBTRECTATORES.

De plagio ſuſpectus eras, quia fama ferebat
Hæc de SCALIGERI *prompta fuiſſe penu.*
At, mihi ſi qua fides, mentitur Zoilus: omne
Quidquid id eſt, nemo non videt eſſe tuum.

EPISTOLA XXX.
CL. SARRAVIUS
Jacobo Palmerio a Grentmeſnilio.

Vandoperam.

ADvenit tandem optata illa diu & expectata epiſtola. Paucis ſententiam dicam. Quicquid cauſſeris, quod magno Bocharto, ad magnum Salmaſium propius cognoſcendum te non addideris comitem, me judice non potes abſolvi. De equo noli excuſationem capere; quamvis enim verum ſit uno equo duos ſedere non poſſe, tamen poteras alicunde mutuo ſumere, & amicum ſequi, quem comitari non potueras. Deinde, an tibi tanti erat Nobilis ille, qui tua opera egebat, ut aliena negotia cures omiſſis propriis? Cæterum ne mitius tecum actum putes, erroris aut culpæ pœnas luiſti graviſſimas, dum tanti Semonis affatu & afflatu Muſas tuas non recreaſti. Quanto gaudio perfuſus eſſes audiendo Bochartum de mille arcanis Salmaſium ſollicite & curioſe interrogantem, nunquam inanem recedere. Juraſſes non defeciſſe oracula. Uno in homine miratus eſſes piiſſimum & doctiſſimum Theologum, eloquentiſſimum Oratorem, ſolertiſſimum Juriſconſultum, Medicum exquiſitiſſimum, Philoſophum nobiliſſimum, & omnigenæ linguæ, ſcientiæ, & eruditionis βιβλιοθήκην ἔμψυχον. Sed me inliberalem qui virtutes tanti Herois exiguitate ſermonis mei minuam! ſcias oportet maximo in pretio apud eum eſſe Bochartum noſtrum; gratiaſque mihi ſingulariter actas, quod eum huc evocaſſem. Vellet Eminentiſſimus Cardinalis Dux eum in Gallia pedem figere.

gere. Sed multa obſtant: præſertim vero puriſſimus veri Dei cultus, cui omnino eſt nobiſcum addictus: nec hic liceret animi ſenſa eloqui, & publicare. Qua humanitate, qua pompa & apparatu a Cardinali fuerit exceptus, olim ad alios ſcripſi, a quibus id didiceris. Vale Roth. VI. Id Nov. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XXXI.

CL. SARRAVIUS

Vincentio Fabricio.

Bituriges.

COmmodum ſuccurriſti altera Epiſtola. Laborabam enim in refellenda priore quamvis acceptiſſima, cum elegantiſſima juxta ac eruditiſſima ſua prolixitate, tum amore præcipue erga me tuo. Adeo certe gratam opem tuliſti, ut ne conſilii quidem mei velim meminiſſe. Eam tamen partem, qua iter tuum feſtiviſſime explicas, ſicut & alteram, qua Illuſtriſſimum Memmium Chriſtianiſſimi Regis apud vos Legatum, meritiſſimis proſequeris laudibus, non poſſum quin magna cum voluptate ſæpius legam, relegamque. O te felicem tanto virtutum tuarum æſtimatore! Ille enim eſt, cujus longe lateque diffuſa gloria, non potuit patriæ finibus contineri. Ille eſt, quem ſapientiſſimi mortalium Adriatici profundi regnatores, ſunt admirati. Ille eſt, a cujus induſtria Chriſtianus orbis pacem Coloniæ expectat. Summi tamen viri erga publicam rem merita non prohibuere, quin frater ejus Henricus, magnus Senatus noſtri Præſes, Iſſodunum in Biturigibus relegaretur. *Flent mæſti muſſantque Patres*, dum ſe tam claro ſidere orbatos, denſiſque damnatos tenebris vident. Quodque magis ſtupeas, utriuſque parens in Conſiſtorio Regis primus ſedet: *adeoque quiſque ſibi ſtatque caditque*. Verum ſilentio Deorum fulmina ſatius eſt adorare. De Salmaſio quid dicam? ad eum quippe me vocas. Præcipiti Octobri ejus in amplexus ivi: totos duodecim dies, te vix potui tres horas, hic detinui. *Superat præſentia famam.*

Si me fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas,

Cum eo vivere amem & obeam libens. Vis plura? Si per impoſſibile cuiquam mortalium erigantur unquam altaria, mihi Deus, Deus ille, Suaviſſime Fabrici. De omnigena doctrina, moribuſque humaniſſimis tibi comperta narrare nihil attinet. Lutetiæ adhuc moratur, in Bibliotheca Regia totos fere dies ſepultus; Vult ὁ ἐξοχώτατος Richelius eum ibi pedem figere; omniaque quæ petiturus eſt pollicetur. Nullis enim præſcriptis conditionibus; Pete, inquit, & dabo: Noſter tantum ſis, & Batavos oblivilſcere. Ille tamen contra nititur & Leydam ſemper cogitat. Parum faventem habuit Æolum, dum πρέψει μέγα λαῖτμα θαλάσσης: totoſque dies octodecim adverſis ventis conflictatus eſt. Poſt Philoſophiæ Stoicæ ad Simplicium partem priorem, cum tabulæ Cebetis Arabica Elichanni paraphraſi, quam eximia præfatione illuſtravit, poſt libros tres de Trapezitico Fœnore, poſt Diatribam De Mutuo, poſt

Com-

Commentationem De Calculo adverſus Beverovicium, poſt Achillem Tatium, poſt adverſarios duos libellos contra Cloppenburgium & Heinſium, quæ omnia anno ſuperiore bono publico edidit, quid amplius expectes? De Primatu Papæ prolixum opus movet, centum puta & amplius quaternionum, cum duobus Appendicibus de Antichriſto, & de Johanna Papiſſa. In priore Pontificios, καὶ ἴσως τὸν πάνυ Γρώτιον, in poſteriore Leonem Allatium & Davidem Blondellum confutare ſtudebit. Sequentur tandem, ita ait, Arnobianæ Notæ uberes, quibus præfigitur accurata Diſquiſitio De Nominibus antiquorum Romanorum. Heraldi Librum De Aut. Rer. Jud. cum annexis Obſervationibus, apud me primitus conſpexit Statim omnes objectiones adeo facili negotio diluit, ut maxime & diutiſſime meditata eum adferre crederes: nec impune feret Deſiderius. Sed diei unius aut alterius opera, labore iſto defungetur. Idem ſentias de Secunda Copriani cantilena, quam potius rabioſi canis feros latratus dixeris. Heinſius dyſuria pæne interiit, convaleſcit tamen. De Helleniſtis & lingua Helleniſtica, dicunt aliquid eum commentari. Præſes Marca tribus Voluminibus Concordiam Sacerdotii & Imperii aggreditur. Præſes Gramondus Toloſanus Hiſtoriam Regis noſtri ab exceſſu Henrici IV. lingua Latina, exterorum in gratiam, edere cogitat. Licet alumnum ſuum magni faciant Loyolitæ, ſi quid mei eſt judicii, ex viſo ſpecimine, lutulentus fluit & συρφετώδης. Blondelli Librum De Euchariſtia Veteris Eccleſiæ mea cura hic excuſum mitto; propediem miſſurus ejuſdem grandem Tomum De Primatu Pontificis Romani in Eccleſia, adverſus Cardinalem Perronium, pro Jacobo Rege Magnæ Britanniæ: nobile opus & a multis avide expetitum. Strigil Hippolyti Frontonis Caracottæ, autorem habet Petrum Molinæum, veteranum illum Chriſti militem fortemque athletam. Nihil eſt quod amplius addam. Sed pæne excidit. Heus tu ſuaviſſime, Quare nihil de Poemate Bibliothecæ Thuanæ? An me oblitum credis? Habeat Lutetia, habeat Thuana domus, habeam ego iſtud amicitiæ tuæ pignus. Te certe obtundere non deſinam donec iſtud extudero. Rogo precorque Vir Amiciſſime, patere te exorari, tumque me a te efflictim amari credidero. De Amſinkio noli eſſe ſolicitus: omnia ejus cauſa volo: nec de ejus Naturalitate obtinenda ſpem depoſui; quanquam ut ſunt tempora, res eſt ſane difficilis. Vale. Scripſi in Rothomagenſi adhuc Exilio. Prid. Calend. Mart. CIϽ IϽC XL.

EPISTOLA XXXII.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Palmario a Grentmeſnilio.

Vandeperam.

SIve commendes, ſive expoſtules, ſemper gratum eſt a te interpellari. Imo poſtremum hoc placet magis, quia omnino eſt a tuo erga me amore. Factum autem, aut potius non factum, de quo quereris, poſſum uno verbo excuſare. Volui non potui. Non quod defuerit ὁδηγός. Quamvis enim affinis

ille tuus, cujus uxor aures ſuaviſſime demulcet, ſeſe non obtuliſſet comitem aut ducem, quod tamen an feceris fidem ejus appello, poteram alium reperire Mercurium. Non quod veritus ſim ne a te laute & opipare exciperer: quamvis enim iſtic Attalicis conditionibus uſus eſſem, tamen procul eſt a moribus meis, ut amicorum cœnationes aut cœnas, non potius animum attendam. Non quod de te adeundo ſæpius non cogitaverim, ex ſanctiſſimæ amicitiæ propoſito, quam mihi tecum intercedere gaudeo & glorior. Accipe ergo quid cauſæ fuerit, cur ad te non diverterim. Cadomi ubi non plures dies, ſed unum tantum moratus ſum, inaudivi Senatores noſtros Rothomagi feriari, quia unum forte deſiderabant. Nempe quicquid apud Carentanenſes negotii foret, quindecim diebus poſſe abſolvi exiſtimaveram; quod tamen vix ſolido menſe confectum eſt. Conſtitui itaque quam citiſſime eos inviſere. Sed falſus is rumor erat, a litigatoribus nonnullis mihi nunciatus, quorum nempe intererat me huc eorum cauſſa advolare. Fruſtra es ſi aliam tui præteriti rationem quæris. Abſit enim, imo male ſit mihi ſi te multis magniſque de cauſis mihi conjunctiſſimum & cariſſimum fugiam, vel, quod abominor, deſpiciam. Si peccavi, dum a popularibus tuis deluſus, munus meum, inutili erga te officio prætuli, rogo precorque veniam, quam a te æqui bonique amantiſſimo, conſequi non deſperem. In procinctu ſumus noſtri Lutetiam reditus. Plures enim hic adſunt novorum illorum munerum candidati, quos ubi antiquo ordini addiderimus, nihil vota noſtra morabitur, quominus veteres Lares noſtros repetamus. Ut de libris ſemper aliquid admiſceam: miſit ad me nudius tertius Jo. Dallæus eximium Commentarium, in quo controverſiam De Imaginibus accurate exequitur, ex fide meliorum veteris ævi Patrum, & Hiſtoricorum. Vale. Scribebam occupatiſſimus Rothomagi Nonis Aug. CIƆ IƆC XL.

Prodibit brevi Nicolai Fabri Peyreskii Viri, æterna fama digniſſimi, Vita a Gaſſendo conſcripta, in qua plurima naturæ experimenta, mira & nova proferuntur.

EPISTOLA XXXIII.

CL. SARRAVIUS

Vincentio Fabricio.

Hamburgum.

DE Conjugio ante omnia gratulor tibi, Clariſſime Vir & Præſtantiſſime, præſertim, tam elegantem & ſapientem puellam nacto: καὶ τὸν Δία Γαμήλιον ex animo precor, ut illud omnibus numeris fortunet; itaque fœcundet,

Ut poſt ter trinos revolutis menſibus orbes,
Laudemus cuncti pulchra te prole parentem.

In tua autem effuſiſſimi ſemper erga me amoris pleniſſima Epiſtola, multa inter gratiſſima moleſtum fuit oſtendiſſe te indiſertas meas illis Semonibus, Memmium dico & Lindenbrogium. Tenuitatis enim meæ probe conſcius, ſcio nihil a me poſſe proficiſci quod eorum oculos moretur. Itaque de meis, ſi

tibi

tibi tanti videntur, deinceps in ſinu gaude. Aut ſaltem nomen meum inducatur. Pauca illa quæ de Illuſtriſſimo Memmio addideram nimis magni facit Maximus Legatus. Certe non exiſtimabam eum apud vos adhuc morari: alioquin vel majori ſpiritu tibias inflaſſem, vel omnino de eo tacuiſſem; veritus tanti viri merita & laudes, ingenii culpa deterere. Quam miſit Clariſſimus & numquam ſatis laudatus, Vir Excellens Fredericus Lindenbrogius ſalutem, ei quæſo meis verbis redde, ſimulque offer quam rogavit Anteceſſoris Florentis Diſputationem De Conſobrinorum Nuptiis. Dic etiam me eſſe prompto erga illum animo, facturumque prolixe, quæ imperaverit. Quando autem, Vir Amiciſſime, tibi ſunt accepta mea munuſcula, ecce tibi Summi Moſis Amyraldi opus non nauci adverſus anonymum amicum noſtrum, qui tamen ſæpius toto libello nominatur. Lege modo & ſat ſcio laudabis ingenium ſolers & eruditionis τὸ βάθος ſuſpicies. Nec aliter decuit τὸν τοῦ μακαρίτου Cameronis γνήσιον καὶ ἐπιτήδειον μαθητήν. Tua ad Gronovium tuto & cito curata eſt Lutetiam; ubi nunc ad duas treſve hebdomades degit, quibus elapſis in Hollandiam eſt trajecturus. Pollicetur ſe non ſoluturum me inſalutato. Cæterum memineris promiſſorum, & de Thuanæ Bibliothecæ Carmine, quam dediſti deſque fidem vide ut liberes. Sæpius a Puteanis Fratribus de eo interpellatus, quid reſpondeam habeo nihil, niſi eſſe te ἀξιόπιστον καὶ ἀξιόχρεων, modicique temporis moræ leve diſpendium re ipſa abunde compenſatum iri. Magnus Salmaſius Divioni apud ſuos hiemem tranſiget. Vidiſtin' Wallonis Meſſalini reſponſionem Antipetavianam priorem? Precibus cœlum fatigemus, ut poſſit Leydam repetere, & duriuſcule Loyoliticum caput dedolatum videbimus: quamquam parum, imo nihil, adverſario hac ſcriptione pepercit. Quidni autem ita agat cum veteri hoſte improbo ſycophanta; qui ſuaves faceret ludos, ſi ſuo Temporum Rationario adderet; HOC ANNO PERIIT SALMASIUS, prout hæc verba de Calvino, Scaligero, aliiſque conſecraneis noſtris, nequiſſimus bipedum uſurpare ſolet. Pars altera cum Præfatione poſt aliquod tempus prodibit: quamquam nunc totus eſt in adornandis linguæ Helleniſticæ Exequiis adverſus Exercitatorem, Heinſium an Voetium? Hoc autem menſe exacto, Pariſios veterem optatamque ſedem repetendi omnino fit nobis ſpes certiſſima. Illinc uberiores & gratiores expecta literas. De Baſilicis pæne ſum oblitus. Fabroto, cui iſta demandata eſt provincia, annuum honorarium II. M. librarum pronuntiata ſunt; ne opere perfecto regia liberalitas ceſſet, aut ſaltem frigeat, non calet negotium. Lente itaque feſtinat, nec ante quatuor aut quinque annos aliquid inde expectandum. Vale & amorem erga te meum ama. Rothomagi III. Nov. CIↃ IↃC XL.

EPISTOLA XXXIV.

CL. SARRAVIUS

Alexandro Moro.

Genevam.

TAndem aliquando reſtituit me Pariſienſi mitiori cœlo rigidior Neuſtria. Totos nempe viginti menſes & amplius Urbe abſui, moroſiſque litibus judicandis & ſecandis ita miſerabiliter vita & tempus mihi periit, ut vix de literis aliquantiſper cogitare liceret. Itaque βεβαρβάρωμαι χρονιώτερος ὢν ἐν βαρβάροις, vereorque poſt diuturnius ſilentium te interpellare. Sed ecce commodum ſuccurrit Gronovius noſter, qui tuam humanitatem & erga me benevolentiam, θυμόεντ' ἀγήνορα prædicare dum non ceſſat, animum facit experiundi, quo ſtatu apud te ſint res meæ. Ego certe moriar, mi More, ni te magnifaciam, amem, & colam plus vice ſimplici. De rebus tuis & Academiæ veſtræ certiorem me facias velim. Inaudivi te majoribus Theologiæ myſteriis initiatum, fruſtra licet turbantibus quibuſdam malevolis; quorum palato non ſapit liberalis & abundans tua doctrina. Macte iſtis ingenii & pietatis dotibus, Vir Eruditiſſime, cogita Virtutis fidam eſſe comitem invidiam. Spanhemio & Gothofredo reddes illis inſcriptas cum plurima a me ſalute. Vale & me tui laudatorem admiratoremque perpetuum in intimis tuis cenſe. Lut. Par. v. Id. Nov. CIↃ IↃC. XLI.

EPISTOLA XXXV.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Rothomagum.

SAlve Plurimum Optime Gronovi, vel potius Vale Longum. Durum ſane fuit a te divelli tam ſubito, tamque præcipiti feſtinatione, contra tuam meamque mentem. Abſque comite meo, abſque ſociis tuis non commiſiſſemus uterque ut ita diſtracti fuiſſemus. Sæpius ſæpiuſque in tuos involaſſem amplexus & te nunquam forſan videndum, quod utinam! iterum utinam μὴ γένοιτο! æternum eſſem deoſculatus. Sed nihil temere accidit. Conſuluit ſcilicet Deus Optimus infirmitati meæ, nec voluit me proximam calamitatem meam ex abſentia tua, nimis heu certam, attentius examinare. Compos enim vix eſſem mei, niſi amoris tui conſtantiam cogitarem; quæ ſpes me recreat, foreque ſpondet ut mei ſemper memineris, meque ſemper ames. Tibi Viro Summo, omni virtute præſtantiſſimo, omnigenæ doctrinæ theſauro, Muſarum corculo, delicio meo fraterno animo conjunctiſſimo, amicitiam meam æternum duraturam obſequiumque nunquam defuturum polliceor ego tuus magnis tuis meritis. Hæc poſtrema verba Albo tuo inſcripſi, gaviſuſque ſum dum me magnis Principibus admixtum vidi. Quotquot ſcilicet Illuſtria Nomina univerſa habet Europa pellibus exiguis arctaſti. Ita

decet

decet peregrinari ſapientem, non ut Porticus tantum & Amphitheatra metiatur, oculiſque ea uſurpet quæ viſa, delectent quidem, ſed penitius admiſſa, ad bene beateque vivendum conferant omnino nihil. Volui in opiſtographo Herois noſtri latere. Mentem meam æqui conſule: ſi enim virtutes tuas ornatius explicare voluiſſem, non unius chartulæ opus fuiſſet. Vale. Lut. Par. VI. Cal. Decemb. CIↃ IↃC XLI.

Utinam velles Lutetiam vere proximo repetere: poſſem tibi de hoſpitio apud Ampliſſimum Senatorem providere cum honorario mille librarum.

EPISTOLA XXXVI.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Rothomagum.

Diligentiam tuam exoſculor Suaviſſime Gronovi, qua me binis litteris prævenisti, quibus hoc uno reſponſo faciam ſatis. Palmariæ ſunt tuæ conjecturæ ad Livium, agoque grates gratiſſimas quod eas mecum communicaveris, iſtudque beneficium maximis, quæ tibi debeo, deputabo. Si ſimiles multas expiſcatus es, papæ! quantæ frugis tua erit Editio. Iterum inſto, noli alii iſtam lampada tradere: tu potius hanc facem accende nobis in tanta nocte. Scilicet is eſt labor tuus, ut Freinshemianæ Editioni accedat Appendix? An liberalem facit frontis infirmitas? Audacter poſcit, fortiter nega. Poteris credo apud Langlæum Solinum Salmaſianum nanciſci. Gratum tamen eſt quod *De Amplo Seſtertio* compellaſti, de quo nunquam forte ſine te cogitaſſem. Heros ergo noſter pag. 372. de Amplo & Minore Seſtertio magnas nugas ait blateraſſe Rei Nummariæ ſcriptores, ipſumque Scaligerum. Sen-
„ tentiam autem ſuam ſic explicat. Ætate Solini *Seſtertium* pro qualibet pecunia
„ uſurpatum, nullo tunc amplius uſu Seſtertiorum nummorum. *Folles* enim
„ æream pecuniam tum temporis appellabant, qui in Seſtertiorum locum ſuc-
„ ceſſerant. Ergo Seſtertios de omni pecuniæ genere dicebant aureos, æreos,
„ argenteos. *Amplo* igitur *Seſtertio* poſuit pro ampliore pecunia: ſicut in-
„ fra *amplioribus pretiis* vendunt; & alibi, *ampliore pretio*. Ammianus lib.
„ XXIII. *amplitudines pretiorum* illa efficit ratio. Hactenus ὁ πάνυ; qui ad locum Capitolini tacet. Ἴσως ὅτι Caſaubonus tanquam de re obvia prior dixe-
„ rat. Hæc ſunt ejus verba in Vero. Budæi æſtimatione fiunt aurei quingenti
„ ſupra centum & quinquaginta duo millia. Nec mirabitur ſummæ hujus ma-
„ gnitudinem, qui Neronis aut Vitellii cœnas meminerit: aut illius Margaritæ,
„ quam Jul. Cæſar in amiculæ gratiam emit pari fere impenſo pretio, hoc eſt
„ ſexagies HS. Scimus hæc nota eruditis. Καὶ ταῦτα Κασαύβωνος. *Centenaria cœna* leguntur quidem apud Tertullianum, non in Pallio, ſed in Apologetico, ad quem nihil commentatus eſt Vir incomparabilis. Horatii verſum, *Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia nummum*, invenies Lib. Epiſt. II. epiſt. 2. ad Julium Florum. Locus eſt de illo Luculli milite, qui pauper libens

bens & impiger difficillima belli munia ſuſcipiebat, quæ dives poſtea faſtus detrectabat: cum ob aliquod *ἀνδραγάθημα* donis honeſtis ornatus accepiſſet inſuper bis dena ſeſtertia nummum, recuſavit deinceps priori aleæ ſe committere. Nota hiſtoria. Bis dena ſeſtertia explicantur vulgo viginti millia ſeſtertium nummum. Hæc de locis quæſitis. De re ipſa olim edoctus ſum *Seſtertium* valere duobus aſſibus & ſemiſſe, quando ſcilicet dicitur *ſeſtertius* genere maſculino. *Seſtertium* autem neutro genere valere mille *ſeſtertios*. Ratio eſt quia neutro genere ſubintelligitur *pondo*, ut in Maſculino *nummus*, cum ſimpliciter dicitur *ſeſtertius*. Plura non habeo, quæ ſcribam, niſi valere nos hic omnes, qui tibi ferentes ſecundoſque ventos optamus. Vale. Lut. Par. *αὐτοσχεδίως* XVI. Decemb. CIƆ IƆC XLI.

EPISTOLA XXXVII.

CL. SARRAVIUS

Hugoni Grotio.

Lutetiam.

ACcepi litteras ab amico, viro docto, tuique ſtudioſiſſimo Maximiliano Langlæo Rothomagenſi Eccleſiaſte, quibus me rogat ut a te quæram, Quis ſit ille Magiſter Hebræus Nehumias, qui quinquaginta annis ante Chriſti adventum, aperte jactabat non poſſe ultra quinquageſimum annum Meſſiæ adventum differri: cujus mentionem facis pagina 170. de Relig. Chriſt. Se enim conſuluiſſe Salmurienſem Cappellum talium callentiſſimum, & alios, a quibus nihil potuit edoceri ea de re; de qua tu quoque, Vir illuſtriſſime, nihil dicis in Annotatis. Cum autem ſit imprimis notandum iſtud teſtimonium, profeſſuſque ſis te nil, niſi ex probatiſſimis autoribus deſumpturum, rogo te id mihi explices, & gratiam debebo tibi. Vale. Lut. Par. XXII. Dec. CIƆ IƆC XLI.

EPISTOLA XXXVIII.

CL. SARRAVIO

Hugo Grotius.

Lutetiam.

NEhumiæ illius Magiſtri Hebræi, Vir Ampliſſime, mentio fit in Thalmudicis. Ni fallor eſt in titulo de Synedrio. Oſtendit iſtum mihi locum olim Hagæ Stoctoxus. Puto ejus fieri mentionem & in Abenada ad Danielem. Si quid eſt, in quo perſtet Ampl. T. invenire faciam hoc perlibens & merito, ut ei addictiſſimus. Vale. Lut. Par. XXIII. Dec. CIƆ IƆC XLI.

EPISTOLA XXXIX.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Gratianopolim.

IStud ipſum, quod nunc tibi, antea populari tuo Fabricio accidit, qui vix tres horas mecum Rothomagi moratus, dum Quillebovium properat, illic totos quindecim dies reſidens, meritas ſuæ feſtinationis pœnas luit. Eo ſaltem tu felicior, quod in Ampliore urbe, plures habeas queis cum animum relaxes. Sed me infortunatum, cui tot bonas otii tui horas lucrifacere non licet! Heri inviſi Magnum Legatum, quem fama eſt brevi alio delegandum. Ipſe non credit; quoque fidem faceret, addidit ſibi poſtremis e Suedia Litteris, plura negotia mandata, quæ non tam cito expediantur. De ejus libro & libello poſtremis interrogatus, reſpondit plane Milleterio conſona, Romanam fidem eſſe veram & ſinceram, ſoloſque clericorum mores degeneres Schiſmati dediſſe locum; adferebatque plura in hanc ſententiam. Quid dicam? Merito quod falſo olim Paulo Agrippa, τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. Sed hæc tibi ſoli, ſoli. Infenſiſſimus eſt Riveto tuo, quem unum plus cæteris omnibus excitaſſe illic turbarum adverſum ſe affirmat, habereque ſe ait pro comperto. Eſt ſane in præcipiti, in quo diu ſtare non licet. Deploro veris lacrymis tantam jacturam, Deum ex animo ſupplex veneror, ut illi Spiritum ſuum mentemque meliorem duit. Vale. Lut. Par. Pridie Cal. Jan. Anni CIↃ IↃC XLII. quem tibi optatiſſimum precor.

EPISTOLA XL.

CL. SARRAVIUS

Alexandro Moro.

Genevam.

QUas ego tibi grates beneficiis tuis pares, perſolvam, Suaviſſime More, pro tam multis iiſque gratiſſimis quæ me docuiſti? Ea ſcilicet ſitiebam maxime, quæ ex amabili tua Epiſtola avidiſſime hauſi: Sed ante omnia acceptiſſimum fuit cognoviſſe, puppim tuam valida fundatam carina Lemannum æquor feliciter ſulcaſſe, tempeſtates evaſiſſe, & jam eſſe in portu. *Et hæc olim meminiſſe juvabit.* Poſſis ô diu, Vir Præſtantiſſime, parta iſta victoria frui, & in ſumma tranquillitate ſecurus venturum ævum agere. Vidi tua indicina Croii Reſponſionem ad Balſacium, pro Heinſio. Plurima certe ſapiunt eruditionem altiſſimam: ſed linguam Gallicam & ſtylum quod attinet, fluit incultus, diſſipatus, inelaboratus: habebitque non pauca politiſſimi ingenii & vibrantis orationis Adverſarius, etiam in ipſo argumento, quæ regerat. Opus itaque laudo, non opificem: idem aliquando de Garriſolii tui Poemate dicturus. Sed an Croius ipſe autor edendi? Vix credam. Scio enim & certo ſcio, habere eum præ manibus ſatis amplum volumen Notatorum in Exercitationes

Sacras

Sacras τοῦ Φοινικίδου Leydenſis. Ergo quem Gallice, hoc eſt quaſi intra privatos parietes, opus ob muſteum laudaverit, Latine, id eſt per totum Orbem Terrarum in re non nauci, ſuggillabit. Explica quæſo mihi iſtud quidquid eſt ænigmatis: niſi forſan Gronovius, quem iſtam Diatribam ad vos detuliſſe audio, voluit Heinſium ad quem abituriebat, hac ſive arte ſive officio demereri. Sirmondus Theodoretum ſuum tandem emiſit quatuor Tomis: magnum opus Senis octoginta trium & amplius annorum. Satis multa primitus ibi conſpiciuntur. Effugere tamen ejus ſagacitatem διάφοροι λόγοι Photio memorati, qui vulgo inter Athanaſii Opera habentur: certe illos tam expectato in opere deſiderari vix ferendum eſt. Fervet prælum in excudendis Baſilicis Fabroti. Gothofredi Philoſtorgium omnes flagitamus: quamvis enim Arrianæ hæreſis labe & infamia merito notetur, fieri tamen non poteſt, quin Hiſtoria Eccleſiaſtica inde aliquam lucem mutuetur. Carmen tuum cum volupate legi. Næ tu plane ἀμφιδέξιος adeo apte, terſe, & eleganter, στιχειώδει καὶ πεζῇ λέξει ſcribis. Vale. Lut. Par. Idib. Jan. CIↃ IↃCXLVI.

EPISTOLA XLI.

CL. SARRAVIUS.

Alexandro Moro.

Genevam.

Diu eſt cum nihil ego ad te literarum: ſeque apud me magna in gratia poſuit Candalius profrater, cum in Italiam proficiſcens conſtituiſſe ſe dicit urbem veſtram prius luſtrare; rogatque ut te compellare velim. Facio libens, precorque, ne mihi diuturnius ſilentium vitio vertas. Hunc ego tibi non commendo viatorem, qui per ſe ſatis tibi cognitus de tua humanitate plurima ſibi pollicetur: unumque orat, ut ad Illuſtria veſtræ cum Eccleſiæ tum Academiæ Lumina, tua opera ſibi pateat aditus. Ei dedi in mandatis ut de te præſertim rebuſque tuis ſollicite inquirat, diligenterque de omnibus me faciat certiorem. Tandem Spanhemium patientem aurem Leydenſibus accommodaſſe, cum Scholæ veſtræ gravi diſpendio, nuper intellexi. An autem Heinſianæ partes iſta acceſſione Salmaſio formidoloſiores ſint futuræ, brevi cognoſcemus. Cogitat enim heros noſter relicta patria, Lugdunum Batavorum repetere, eumque hic poſt paucos dies opperior. Res literaria hic jam friget, imo riget. Vidiſtin' Riveti Animadverſiones in Annotata ad Caſſandrum? doctas plane & acutas! Eas nuper cum ingenti voluptate legebam. Habeo præ manibus Wallonis Meſſalini imperfectum opus adverſus Petavium Loyolitam: Verum autoris nomen tibi non ignoratum arbitror. O librum πολυτάλαντον, ut omnia, quæ ab illo viro. Celare te non poſſum, magno me deſiderio teneri, videndi tuam illam pro Beza defenſionem; ſive typis editam, quod malim; & per adverſarii proximam migrationem num licet? Sive ſaltem alicujus diſcipulorum tuorum manu deſcriptam: nulla re magis devinxeris, meque a te gratiam iſtam conſequuturum non habet levis fiducia. Vide ergo ne falſus ſim opinionis,

nis, quam de tuo erga me amore concepi. Vale Lutetiæ Par. XXII. Apr. CIↃ IↃCXLII.

Mauſſacus Præſes ad Urbem eſt, & amicitiam noſtram expetivit: Editurum ſe minatur Dionyſium Thracem Veterem Grammaticum Græcum, ut & Manlium Theodorum Latinum, & Julium Cæſarem Scaligerum in Libros Ciceronis de Officiis: ϰ̀ ἴσως Pugionem fidei Ræmundi Martinii (non autem Sebundi ut volebat Joſephus Scaliger) quem Galatinus compilavit.

EPISTOLA XLII.

CL. SARRAVIUS

Vincentio Fabricio.

Hamburgum.

DE eo quod poſtremum rogas, reſpondebo primum; ut quando ea te cura coquit, aliqua adjuvem. Adverſus debitorem fugitivum, qui poſt contractum in patria grave æs alienum, faventem fortunam expertus hic eſt in re lauta, competere tibi actionem, ex contractu, etiam in foro noſtro indubitati juris eſt. His tantum adhibitis cautionibus, tibi conſule: ut ſi debendi inſtrumenta aut ſyngraphæ coram notariis, tabellionibus, ſcribis, actuariis, aliiſve publicis perſonis ſcripta ſint, coram præcipuo Hamburgenſis civitatis Magiſtratu, plures viri boni & idonei compareant, qui teſtentur eos Notarios ſive Graphiarios eſſe homines publicos, ſolitoſque ex jure communi civitatis excipere contrahentium pacta conventa, juxta quæ datur actio legitima adverſus reos datam ſcriptamve fidem non ſervantes. Cum autem apud Excellentiſſimum Memmium Regis noſtri Legatum gratia valeas, in ejus palatio coram illo, ejuſdem formæ inſtrumentum conficiatur, quo narret hos & illos coram ſe juratos eadem affirmaſſe, ſibique de dictorum veritate conſtare certiſſimis argumentis; & de uſu & conſuetudine civitatis teſtentur, Ille, omneſque alii, ſignis, ſigillis & omni meliori modo quibus ſolent iſta muniri. Quin conveniri poſſit reus a te actore qui iſtas probationes habueris, dubitare non debes: egoque ea in re operam polliceor meam, ut juri gentium ſua conſtet autoritas. De Carmine Bibliothecæ Thuanæ ſcribis, quæ olim mente præſaga notaveram. Poſt tot tergiverſationes tuas, falſus non ſum opinionis, cum vidi te illud excuſantem. Si recipias animum, veliſque tuas Muſas ſollicitare ad nobiliſſimum argumentum, viros ſummos meque devinxeris. Secus ſi accidat, iſtud quicquit erit tædii & doloris, fiet patientia levius: gnari quippe ſumus Heliconias illas Virgines non ſuetas vim pati, nec facile eſſe ab inuito poeta carmen extorquere. De iſto itaque negotio inpoſterum uti libebit, decernes; de eo enim verbum non addam amplius; a te id forſan aliquando recepturus cum de eo minime cogitabo. Ut enim de tua humanitate & fide deſperem, quicquid facias dicaſve, efficere non poſſis; *ſtimulos dabit æmula virtus.* De Grotii ad Papam defectione tanquam re certa, quod fama iſtuc diſtulit, verum non eſt. Sed non ſine magno metu eum aliquid iſtiuſmodi meditantem & conantem quo-

tidie inviti videmus. Inter Proteſtantes cujuſlibet Ordinis nomen ejus adſcribi vetat, quod eos atrocius ſuggillavit in Appendice de Antichriſto, & Annotatis ad Caſſandri Conſultationem. Hujus poſtremi ſcripti rationes examinaverat Rivetus, cujus Animadverſiones vix dubitem tibi non viſas. Quid eis repoſuerit Vir Magnus ut ſcias, hunc adhuc a prælo madentem libellum ad te mittere volui: tum ne ſine munuſculo a me unquam conveniaris, tum ut quid de ejus autore deinceps expectandum ſit aut metuendum, ipſi diſpiciatis. Auſim erga Excellentiſſimum Memmium, fama magnum, meritis maximum, ſalutationis & debiti obſequii cultuſque officio defungi. Illi inquam,

Memmiadæ noſtro, Superi quem tempore in omni,
Omnibus ornatum voluere excellere rebus.

commendatum me velim: rogoque id facias bonis verbis. Vale. Lut. Prid. Cal. Jun. CIↃ IↃCXLII.

EPISTOLA XLIII.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Romam.

QUæ tu magnifice nimis prædicas, a me in te collata Rothomagi & Pariſiis beneficia, ea ego omnia debui univerſa & ſingula, cum clariſſimo nomini tuo, tum magnis & ingentibus tuis meritis. Præterea nihil in vita accidit accidetve mihi unquam jucundius, quam tuam, tuique ſimilium, benevolentiam, quibuſcunque honeſtis modis & officiis promereri: Obviis peregrinis conſulere humanum eſt: eoſdem virtutis ergo orbem pererrantes, & magno paſſu ad immortalem famam tendentes debent omnes boni & graves fovere. Hos inter merito nomen tuum refero: poſſum enim teſtari μάςτυς αὐτόπτης. Feci faciamque ſemper libentiſſime, quanto cum impetu viderim te bonas literas ſectantem, & quanto ſtudio libris eruditis incumbentem. Perge tantum paucos adhuc annos in iſto ſtadio decurrere, & audeo tibi Scaligeri, Caſauboni, & Salmaſii grande nomen polliceri. Sed næ ego imprudens & inficetus, qui aliud tibi quam domeſticum & familiare exemplum Summi Viri Parentis tui imitandum propono. Ille enim omnibus iſtis par, ſi non ſuperior. Quanta cum voluptate & fructu noviſſima ejus de idololatria volumina nuper legerim, explicare vix poſſim. Nihil enim illi in ampliſſimo argumento intactum. Sed quando ejus Artem Poeticam, Origines, Hiſtoriam Sacram & Profanam, ut innumera alia recenſere ſuperſedeam, typis expreſſa videbimus: Aude tu iſtius Aquilæ pullus haud degener, ad ſublimia aſpirare. Quam æternæ gloriæ in Laurentiana, Marciana, Vaticana & aliis Bibliothecis luculentam meſſem collegiſti, ſedulus recondе: ut te reverſum amplectamur & ſuſpiciamus, dum hactenus ignotis & intactis theſauris nos ditabis. Sed præſertim in tam calido cœlo valetudinem tuam cura diligenter, ſine qua cætera omnia parum grata & inutilia. Vale. Lut. Par. prid. Cal Jul. CIↃ IↃCXLII.

EPISTOLA XLIV.

CL. SARRAVIUS.

Alexandro Moro.

Genevam.

IMputo tibi ſplendidum munus, quo me nuper donavit Jac. Gothofredus. Philoſtorgium illum ſcilicet, tanto ambitu petitum, tanto datum. Tibi inquam illud debeo & imputo; cum ſciam nihil a me eſſe profectum, quo ejus benevolentiam potuerim demereri. Niſi fortaſſis, qua ſumma præditus eſt humanitate, ei libuerit quæ ego laudator ſincerus atque candidus virtuti ejus teſtimonia dedi, dum aliquando ad te ſcriberem, pro beneficio accipere. Quod ipſum certe totum adhuc muneris erit tui; qui videlicet effeceris, ut levidenſis & muſtea ſcriptio mea ei placeret. Gratias ergo magnas ago tibi; & ſi poſſem, referrem. Agnoſcam enim ſemper profiteborque libentiſſime, debere me tibi quod me inter & Gothofredum auſpiciis tuis, amicitia coaluerit. Omnem inpoſterum movebo lapidem ut diutiſſime perennet; quam in rem tua etiam, amo te, laboret opera. Ægre tuli poſtremas meas tibi non fuiſſe redditas a ſororio meo, cui eas commiſeram. Ille certe ſuæ intempeſtivæ properationis pœnas luit graviſſimas (nec acerbiores certum ſcio exigeres) dum adhuc Toloſi hæret, triremeſque regias expectat, quæ eum, cum Galliæ ad Venetam Remp. Legato, in Italiam deferant. Voluit etiam aliquid reſcire me de tua Epiſtola Salmaſius ὁ τελαμώνιος qui de tuo erga ſe affectu exultat & triumphat; nec ut ab eo viciſſim colaris ullo parario, nedum me, opus habes. De literatis noſtris vix habeo quid dicam: niſi Petrum de Marca Comitem Conſiſtorianum, Virum in Antiquitate Eccleſiaſtica eruditiſſimum paucis abhinc diebus edidiſſe ex B. R. Vigilii Papæ Rom. Epiſtolam Decretalem hactenus incognitum pro confirmatione V. Synodi CP. Oecumenicæ. In ea ὀναμάρτητος ſcilicet Pontifex palinodiam canit; retractatque quæ pro Tribus Capitulis adeo pertinaciter antea dixerat feceratque, ut ſatius duxerit exulare, quam bene monenti Imperatori Juſtiniano Concilioque, aures præbere. Quanquam autem prolixa diſſertatione elevare conetur Editor luculentum iſtud Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentum, facere tamen non poteſt, quin veritati ſua conſtet autoritas; poſſimuſque οἴκοθεν τοῦτον τὸν μάρτυρα illis quandocunque opponere. Vale. Lut. Par. XVI. Aug. CIƆ IƆCXLII.

EPISTOLA XLV.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Gothofredo.

Genevam.

DOnavit me tuo Philoſtorgio Clariſſimus Theodorus frater tuus: idque facere ſe tuo mandato ſcire me voluit. Miror ſane prolixam humanitatem tuam, qua me plane tibi ignotum hoc munere devincire voluiſti: magiſque

adhuc mirarer, niſi Morus noſter antea ſignificaſſet, non fuiſſe tibi ingratam quam aliquando in meis ad ſe literis, feciſſem, de præclaris tuis erga Remp. Literariam meritis, mentionem. Sed non erat id tanti ut amicitiam tuam promererer. Imo tu nimis humanus, qui bonum meum animum, & nominis tui amantem, tam ſolido beneficio, tam prolixæ benevolentiæ teſtificatione compenſaveris. Gratias itaque debeo tibi & habeo agoque ſummas. In utroque deinceps tuo beneficio gloriari mihi licebit; cum in luculentis tuis Diſſertationibus poſſideam theſaurum ſinceræ totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: in honore vero quo me affeciſti, gaudio meo indulgeam. Experire quæſo num gratum habeas debitorem; & ſi cauſa inventa eſt, qua me poſſim oſtendere beneficii memorem, certiorem fac me ſedulo: & quicquid autoritate, ſedulitate & gratia valebo, valebo tibi. Multam a me ſalutem accipe, qui ſuavitatem amicitiæ a te accepi. Lutetiæ Par. XVII. Auguſt. CIƆ IƆC XLII.

EPISTOLA XLVI.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Gothefredo.

Genevam.

CUm acutiſſimis nephritidis primum deinde & podagræ, balbutientis licet, doloribus, ex quibus etiamnum decumbo, plurimos dies luctatus, poſſum apud te abſolvi ſi ſerius gratiſſimis tuis reſpondeo. Abſit enim a moribus meis ut inſuper habeam tam jucundum tamque glorioſum, te compellandi officium. Noli quæſo Philoſtorgiani tui Operis pretium imminuere: quamvis enim operarum typographicarum pluſcula ſint peccata, quæ repetita Editio emendabit, ea tamen plurimis melioribus tuis non ſunt æquiparanda. Ego ſane quam in eo autore, tum eruendo tum edendo & luculentiſſimis Diſſertationibus illuſtrando poſuiſti operam, ſatis prædicare non poſſum: rogoque ne hujuſmodi donariis Muſarum templa ornare ceſſes. Sed præſertim codicem tuum Theodoſianum diu eſt quod omnes flagitant. *Cur tua laxas arca flagellat opes?* Juriſprudentia noſtra iſtis fundamentis ſuperſtructa, firmius innitetur, caputque attollet celſius, ſi eorum robur inconcuſſum orbi patefeceris. Manuſcriptum illum codicem quod attinet, e quo Tilianæ, Cujacianæ, & Pithoeanæ editiones expreſſæ ſunt, extare eum audio apud Jo. Tilium Senatus noſtri Exactuarium. Quanquam autem poſt tot tantoſque viros, qui eum verſaverunt, fruſtra poſitus videri queat in eo inſpiciendo labor, laudo tamen accuratam tuam diligentiam, qua nihil intentatum relinquis, ut omni ex parte abſolvas. Num autem difficilis & moroſus ſenex eo libro velit aliquot menſes carere, quo poſſit ſemper, in tuam literarumque gratiam ſedulo diſquiram, ubi convaluero: teque de ea re omni literis monebo. Lut. Par. Prid. Id. Octob. CIƆ IƆC XLII.

EPISTOLA XLVII.

CL. SARRAVIUS.

Alexandro Moro.

Genevam.

TOtum tempus rerum prolatarum & quod excurrit κλινήρης, jaceo Vir Reverende & Ornatiſſime, ex pertinaciſſima nempe podagra, quæ me etiamnum cruciat; non quidem dolore ſed diuturna mora. Facere tamen non poſſum quin tibi gratuler de nova Theologiæ profeſſione, bonoque quem adeptus es gradu: quanquam ex arctiſſima, quæ mihi tecum intercedit amicitia, ſcire me id oportuiſſet ex literis tuis potius quam ex fama. Vide quam libere & familiariter tecum expoſtulem, nec in iſto initio graviſſimas tuas curas reverear. Laudo quod iſtic reſederis nec Genevenſium vota preceſque rejeceris. Poteras etiam Londini honorificum Miniſterium cum gloria & laude exequi, ſed in continenti quam in inſula, ad lacum quam ad mare, tempeſtas minus ſævit. Illic præterea res adeo turbant, ut nulli ordini ſua maneat autoritas. Nec pro tua modeſtia vereri debes ne deceſſorum tuorum meritis non reſpondeas. Auſim ego expromittere futurum te omnibus iſtis ſtatim parem, æqualem, aliquando etiam ſuperiorem. Noli credere me aliquid gratiæ vel amicitiæ dare. Si magnifice loquor, at ore rotundo loquor & in omnium ſententiam. Rogo Deum Opt. Max. ut vigiliis laboribuſque tuis benedicere pergat: unde nomini ejus honor & gloria, Eccleſiæ utilitas, tibi decus immortale, bonis omnibus mihique imprimis gaudium cumulatiſſime accedat. Dum hac tranſiret ſæpiuſcule me inviſit veſter Spanhemius, Vir, ſi quid judico, uti doctus, ita humanus & ſolers. Ingenti cum plauſu hic concionem habuit ad populum. Quam faciles ventos in mari expertus ſit, ut ab omnibus gratanter exceptus fuerit, oratione inaugurali maxima cum laude defunctus ſit, ipſe procul dubio iſtuc ſcripſerit. Salmaſii noſtri Helleniſticam ſcriptionem geminam dudum in Bataviam tranſmiſi: Prior κατασκευαστικὴ ut loquuntur in ſcholis, mole ſtat ſua: poſterior tota eſt ἐλεγκτική. Nec tibi in Helleniſticæ Funere ejuſve Oſſilegio flere neceſſe erit; niſi forſan ex immoderato riſu lacrymas non teneas. Vale v. Cal. Dec. CIↃ IↃC XLII.

EPISTOLA XLVIII.

CL. SARRAVIUS.

Petro Cornelio.

Rothomagum.

TAntum debeo Menagio noſtro quantum perſolvere difficile eſt; quod me impulerit ut ad te ſcriberem, dum fidei meæ epiſtolam ſuam & aliquot Balſacii carmina committeret quæ ad te allegarem. Is enim ego, Præſtantiſſime Corneli, qui cum amicitiam tuam auro gemmiſque contra caram habeam, tam bellam te compellandi occaſionem inſuper habere non debuerim.

rim. Ut valeas tu cum tuis Muſis ſcire imprimis deſidero: & utrum tribus eximiis & divinis tuis dramatis quartum adjungere mediteris. Sed præſertim excitandæ ſunt illæ tuæ Divæ, ut aliquod carmen te ſeque dignum pangant ſuper Magni Panis obitu. *Multis ille quidem flebilis occidit; Nulli flebilior quam tibi*, Corneli. Ille tamen volens nolens Apollinari laurea caput tuum redimiviſſet, ſi perennaſſet diutius. Operum ſaltem tuorum inſignem laudatorem amiſiſti: Sed non eget virtus ſua ullius præconio: quippe quæ per univerſum terrarum orbem, *Qua ſol exoritur, quo ſol ſe gurgite mergit*, latiſſime ſimul cum gloria tua diffuſa, tot admiratores nacta eſt, quot vivunt eruditi & candidi. In tanto igitur argumento ſilere te poſſe vix credam. Iſtud tamen omne fuerit tui arbitrii. *Invito non ſi va in Parnaſſo.* Inaudivi neſcio quid de aliquo tuo poemate ſacro, quod an affectum an perfectum ſit, quæſo reſcribe: meque meritorum tuorum aſſertorem, ſi ullo egeres, fortem credo bonumque. Vale & me, ut facere te ſcio, diligere perge. Lut. Par. Prid. Id. Decemb. CIƆ IƆC XLII.

EPISTOLA XLIX.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Daventriam.

DUdum gratiſſimas tuas ab optimo Riveto accepi. Citius reſcripſiſſem, ſed non erant ſingula parata de quibus rogaveras: quæ jam univerſa comparent. Eximia imprimis *Bullialdi Philolai Redivivi Diatriba de Eclipſi ſolari* Livianum ἀναχρονισμὸν indicans. Oſtendit Patavinum illum hiſtoricum erraſſe; cum Decadis IV. Lib. VII. ad A. U. C. DLXIII. L. Cornelio Scipione, & C. Lælio Nepote COSS. Eclipſin Solis factam narrat: quam alio anno accidiſſe, ex Aſtrologorum κυρίαις δόξαις demonſtrat. Sic decet etiam in veteres inquirere, nec ſemper pecudum more ſequi præeuntes. Sed omnino pauci ſunt, quibus eo aſſurgere datur. Illi etiam pauci tanquam Gigantum filii contra Deos pugnare arguuntur: adeo laborem omnem fugitamus, ſatiuſque ducimus errare cum cæteris, quam invia ſectari. Poterit certe hic pannus purpuræ tuæ attexi. Inter defuncti Buccardi chartas nulla Liviana excerpta comparuere. Bene tibi ſuccedere Daventrienſem ſeceſſum ex animo gratulor. Recitationes ſolemnes tibi deinceps faciliores evadent: ſed ex remotiores nos non afficiunt, quibus tamen, te amo, aliquatenus conſule. Quid Seneca Tragico, quid Alexiade factum ſit? gratum erit ex te intelligere. In iſto angulo licebit ſeveriores Muſas ſuaviter colere Si quid autem ex iſtarum Virginum complexu edas, nos, credo, participes facies. Sed non tantum τοῦ παιδὸς natalem diem, ſed etiam conceptionis pæne dixerim momentum ſcire volo. Verum heus tu! potuiſſe te ſuſpicari puſillum illum Dialogum Magni noſtri Hedui fœtum eſſe! Credat hoc Boxhornius, cujus intereſt tam nobili adverſario ſeſe jactare: te vero qui eum intus & in cute noſti

iſtud

Illud in animum induxiſſe tuum, mirari ſatis non poſſum. Non ſolet ille tam levidenſi ſcriptione defungi. Quoties ei libuit calamum aliquo felle madidum ſtringere,

Tum magnum ſtridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo: ſequiturque e vulnere ſanguis.

Vapulet itaque Dialogiſta, qui te etiam voluit impetere. Nihil hoc ad Semonem noſtrum, qui te palam amat & colit, tantum abeſt ut per alterius latus vellicet aut etiam feriat. Age cauſam tuam fortiter, diſcatque ludio ille ſuo periculo, cautius de hominibus eruditiſſimis ſermones habendos. *Bonis nocet, quiſquis malis pepercerit.* In Baſilicis Latio donandis totus eſt Fabrotus: priore Volumine abſoluto, in altero pergit, aliaque ſuo ordine exequetur eo alacrius, quod ea quæ in MSS. codicibus Bibliothecæ Regiæ deſiderabantur Romæ nuper reperta ſint; unde hiatum replere ingentem fuerit jucundiſſimum. De ejus Agellio ne per ſomnium quidem auditum aliquid eſt mihi. Si de eo cogitas, in hoc ſtadio ſolus curres. Quod Illuſtriſſimi Thuani necem defles, facis quod boni viri eſt & literarum amantis. Tam atrocis ſævitiæ autori non diu fuit impune. Poſt innumera de ſacerrimo capite dira elogia uno verbo ei parentatus ero, ſi mihi dictus ſit

Vir ferus & Francos cupienti perdere fato
Sufficiens.

Quod olim una voce mutata de Mario Lucanus dixerat. Supereſt in Thuana domo unus Jacobus Auguſtus brevi cooptandus in Senatum noſtrum; in quo Pater, Avus, Atavus primas ſedes ſummo cum honore & pari dignitate tenuere: polletque hic ſuperſtes iis dotibus, quibus ſe tanti nominis dignum hæredem probet. Bibliothecæ nihil deperiit, quæ cum omni defuncti patrimonio, poſt Cardinalis demum obitum, fratri a Rege donata eſt. De Tennulio tuo nihil ſcribo, quippe qui neſciam hic an iſtic degat. Diſquiram ſedulo qua in parte officium meum poſſit ei eſſe jucundum vel etiam utile; uſque adeo velim animum meum ei declarare. Amicus noſter primo vere ſerio in Bataviam cogitat. Fuit enim, qui vincula illi parabat, quæ aurea licet, dura tamen & moleſta. Interim de Militia Romana commentatur, docetque quam diverſa fuerit ſub Conſulibus & ſub Cæſaribus. Patritio, Lipſio, Savilio, cæteriſque intentatum opus, arduum & difficile. Longiuſculæ epiſtolæ modo, crediderat olim poſſe omne iſtud definiri, & abſolvi: ſed jam ſententiam mutat grandiuſque volumen promittit, quod majoris adhuc operis ad Arauſionenſem Principem erit vice Apparatus. Sed quid vos de ejus Helleniſticis cenſetis? Tu præſertim quid de Oſſilegio? Scribe quæſo & libere ſcribe. Niſi enim me viri amor turbat, vix aliquid majori cum fructu, venuſtate, & elegantia ab eo unquam fuiſſe ſcriptum edico. Iſaacus Habertus Doctor Sorbonicus Ἀρχιερατικὸν ſive Pontificalem librum Græcorum cum verſione & obſervationibus nuper edidit ſatis amplo volumine: in quod plurima congeſta, quæ ad iſtius gentis Eccleſiæque præſertim ritus explicandos faciant. Alii Eu-

cholo-

chologium adornant, multoſque iſtiuſmodi libros pollicentur. Eruditiſſimi Rigaltii Minutius Felix ſub prælo ſudat. Miraberis ex uno MS. regio tot diverſas editiones prodiiſſe. Vidit tamen ille, quæ cæterorum diligentiam effugerant; ſcilicet *ſolus Tranio vultures*. Nihil hic eſt novorum amplius. Vale. Lutet. Pariſ. Idib. Mart. CIϽ IϽCXLIII.

EPISTOLA L.

CL. SARRAVIUS

Alexandro Moro.

Genevam.

Binas a te accepi, quibus unis hiſce reſpondebo. Priores diu eſt quod reddidit Gothofredus tuus: dumque ut paria facerem ejus ad vos reditum expectabam, alteras Candalius ſororius attulit nuper. Hac ergo fidelia duos iſtos parietes dealbabo, unoque nummo ſeſtertio duo nomina, ſi pateris, expungam. Poſtremum hunc de rebus tuis ſollicite interrogavi, imo utrumque, quorum ἴσαι fuere teſtimonia. Uterque enim de tuo erga literas & literatos ſtudio, de doctiſſimis tuis recitationibus, de homiliis ad populum eruditis & elegantibus, de magnis, ut abſolvam, virtutibus, magnaque inde fama, præclara & magnifica pronuntiavit. Blanda ſuſpenſam viciſſim gaudia mentem meam pertentavere. Mentiar enim ſi dixero aliquid unquam mihi auditum jucundius. Quamvis enim omnia iſta animo præcepiſſem & voto ſpeique meæ belle reſpondeant, gratiſſimum tamen fuit ex illis intelligere, omnia eo ordine procedere quo arbitratus fueram. Tibi itaque gratulor tam felicia novæ Profeſſionis initia, Deumque veneror ut quo cœpiſti pede, ſic ſemper ire det & decurrere. Si tu quoque de rebus meis ſcire cupis; omnia triſtia & parum grata audies. Poſt unici & dilectiſſimi fratris obitum, quid amplius voluptatis ſperem in hac lacrymarum valle. Quo præivit ille ad Deum Immortalem brevi ſequar, ita opto & voveo. Poſt ſororem fratremque, ambos anno & altero me majores natu, tertius numerabar, qui jam ſum primus. Meum eſt itaque hunc naturæ ordinem non deſerere; & qua in ſtatione me collocavit Æternus Imperator, mandata ejus, vel potius miſſionem, operiri. Libenti animo adveniet mihi hora illa noviſſima, quandocunque advenerit, homini nondum quidem quadragenario: ſed corpore tamen imbecillo fractoque; animoque parum vegeto, imo languente. Et niſi tu paucique alii tui ſimiles ſuccurreretis, & tædia mea recrearetis, verum dico, labaſcerem animo deficeremque; forenſibus negotiis, tutelaribuſque quibus premor curis impar futurus. Inter paucos illos numero magnum illum Heduum Lentulum meum, qui me inter ſua cara putat, quemque etiam ſumme depereo. Mitte autem quando libuerit quæ ad eum deſtinas, ea præſens præſenti reddam. Hic jam habeo multas illius ſarcinas, haberemque etiam earum Dominum, niſi levicula tertiana eum aliquot dies remorata eſſet. Afferet ſecum ſuum de Militia Romana Commentarium, quo neotericorum omnium craſſos & pæne pudendos erro-

errores recludit. Illi enim conſularem & Polybianam militiam ab ea, quæ ſub Cæſaribus obtinuit, non diſcreverunt: & dum utramque confundunt, omnia ſuſque deque habent, & ἀσύγκλωσα κλώθουσι. Afferet etiam alium plane Theologicum, de quo aliquid ulli dicere vetor. Mirabimini in materia ſæpius agitata, tot novas cogitationes & intacta argumenta. Funus Helleniſticæ Heinſium pæne ad reſtim redegit. Omnes docti & probi in amici noſtri ſententiam palam eunt. Familiam duxere Gerardus Voſſius, Conſtantinus Imperator, Joannes Laetius, quos numeri innumeri ſequuti ſunt. Vergit ad umbilicum pars κατασκευαστική; quæſtionem ipſa illa ſemoto ullo ſingulari adverſario, perpendit & negotium conficit. Vale. Lut. Pariſ. Cal. Jun. CIↃ IↃC XLIII.

EPISTOLA LI.

CL. SARRAVIUS.

Alexandro Moro.

Genevam.

Optime More manum victricem mille laborum
Contigimus; Mi More manum, qua doctior unquam
Nulla fuit.

Præſens nempe præſenti, Claudiorum maximo, epiſtolam tuam reddidi, cui ille quam hic habes repoſuit. Valet cum ſuis & Bataviam primo vento cogitat. Dum hic moratur illum omnes Regni ordines, ita virtutes ejus merentur, ſollicite & curioſe inviſunt. Vult ὁ ἐξοχώτατος Mazarinus ὁ παρ' ἡμῖν παντοδυναμὸς, volunt cæteri omnes eum Lutetiæ detinere Attalicis conditionibus, quas omnes aſpernatur ut Leidam denuo repetat, ibique poſſit ſuo arbitrio vivere & ſcribere. Ubi deambulabit in porticu ſua cum omnibus Muſis rationem habebit, & tum liceat iſti Heroi, rapi ad ſpem immortalitatis, nobis admirationis. Faxit Deus ut vir ille incomparabilis & merito ſuo literarii ſæculi Phœnix, æterna vita digniſſimus, diutiſſime perennet, & quiete deinceps apud ſuos ævum agitet, quo poſſit omnes theſauros ſuos grato orbi patefacere & late ſpargere. Gronovius Livio ſuo æternum addictus implebit Patavium ſuo nomine. Tot eximia in unum caput congerit, ut pulchre Turnebum referre mihi videatur; non autem jejunos illos, qui ut plurimum leves nugas magno & prolixo ſtudio popello venditant. Nuper ſcripſit Legatus Gotthicus Vindicias pro ſua Diſſertatione *De origine Gentium Americanarum* contra Joannem Laetium, qui ſatis modeſte & civiliter cum eo egerat. Ille tamen quod Clariſſimus tantum illic audiat, non etiam Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus, obtrectatorem vocat; *Opaca quem bonum facit barba.* An iſtas elegantes injurias, æquo animo vir bonus ſit laturus, tempus palam faciet. Vale. Pariſ. Prid. Non Novemb. CIↃ IↃC XLIII.

EPISTOLA LII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Diepam.

DE te valetudineque tua, ſemper ero ſollicitus, donec de ſtatu tuo aliquid reſcivero. Citiſſime itaque quæſo reſcribe, quid te tuiſque actum ſit. Res hic eodem ſunt loco, quo erant ante diſceſſum tuum. Rogaverat Milleterius prima menſis Facultatem Theologicam libello ſupplici, ut approbaret quoddam ſuum ſcriptum, ad præſcriptum quinque Doctorum Sorbonicæ Domus a ſe concinnatum. Recuſavit illa hominis etiamnum in communione hæretica (ita eis lubet nos infamare) viventis, librum inſpicere. Veni ad nos, inquiunt venerabiles illi patres, tum demum de tua doctrina cognoſcemus, an ſit Catholica? τῶς ἔξωθεν libros tantum legimus ut condemnemus. Itaque miſer ille neſcit quo ſe vertat. Tria vegrandia Volumina Loyolitæ proſtant, in quorum poſtremo Wallo Meſſalinus, nebulo, Catharus, Trapezita audit, cum hujuſmodi elegantiæ floſculis innumeris. Autor tibi ſum ne lectione infamis ſcripti oculos tuos polluas. Quis enim pudor aut modus conviciorum? *At dignis ſi male dicitur: benedictum eſt meo quidem animo.* In iis quas ad Laetium noſtrum & Rivetum dedi literis, magnifice inſignem tuam generoſitatem, qua omnes noſtros aulicos cum ſuis amplis honorariis deſpuiſti, prædicavi. Faxit benignum Numen ut quam merito illis prætuliſti libertatem, diutiſſime erga Eccleſiam officiis impendas. Vale Virorum Maxime cum heroina tua, totaque domo; & ſi mereor, amare perge. Lut. Par. Prid. Id. Nov. CIↃIↃCXLIII.

Superiora heri ſcripſeram, neſcius quo ea deſtinarem? Liberavere me iſta hæſitatione literæ tuæ, de quibus gratias habeo ſummas. Iter tuum ſatis feliciter proceſſiſſe gaudeo: utinam de pleniſſime recuperata tua valetudine, brevi nos facias certiores, ventumque nanciſcaris πλησίσιον ἐσθλὸν ἑταιρὸν, qui te paucis horis in alteram illam patriam tuam deferat. Pauca habeo quæ prioribus addam. Eadem quæ ad Laetium & Rivetum, dixi quoque Hoeuffio, prolixiſſime. Effert ille in cœlum nobilitatem animi tui, promiſitque apud dominos ſuos acturum ſeſe, ut liberalius tecum deinceps agant. Convenit me hodie Peyrerius, dixitque velle ſe edere opuſculum illud ſuum, quo docere conatur ante Adamum extitiſſe alios homines: conſiliumque ſuum eſſe illud tibi inſcribendi, ſub hoc titulo, *Somnium Nobilis Aquitani de Præ-Adamitis*, alluſione ſcilicet facta ad ſcomma Grotii. Rogabat num probarem ut experiretur: ſe nihil de hiſce ſtatuere, ſed tantum ſententiam ſuam modeſte proponere, circa quam invocaret eruditorum judicia. Reſpondi me ad te relaturum. Tu vero ſcribe quid ei faciendum ſit. Cauſſium rogavi ut te officiis omnibus demereretur. Puteani te ſalutant, totaque circumfuſa cohors. Utere jure tuo in me meoſque. Iterum vale.

EPI-

EPISTOLA LIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

EX binis Riveti noſtri literis, quod ex unis tuis maluiſſem, gratiſſimum fuit intelligere maritimum tuum iter ſatis feliciter proceſſiſſe; teque tandem cum tuis omnibus Lugdunum Batavorum adventaſſe. Vota ad Deum feceram, cum ſumma animi contentione, pro ſalute tua, rogabamque ut eorum reus fierem. Nunc ipſi Deo immortali ago gratias, quod vota preceſque noſtras audierit, eumque veneror ut ea ſtatione, diutiſſime ſanus & contentus vivas:

- - - *δρέπων μὲν*
κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν.

Non plane inutilem tibi fuiſſe meam ad Cauſſium commendationem, ex animo gaudeo. Monitus ab eo te ſolviſſe, grandem epiſtolarum faſciculum ad Rivetum deſtinavi, ut eum tibi reddi curaret. In eo erant binæ meæ. Scribit ille ſe cum amico Roterodamum proficiſcenti credidiſſe, qui præſens præſenti redderet. Quid eo factum ſit, & an ad te Leydam redierit fac quæſo ſciam; nonnulla enim in eo habebantur, quæ te ſcire juvabit. Epiſtolæ ad Menagium editio, teſtudineo gradu procedit. Decem tamen folia ſunt excuſa. Priora ſex ante aliquot dies juveni cuidam in aulam veſtram abiturienti tradidi, qui ad te ea deferret. Sex ſuperſunt quæ hoc reliquo menſe abſoluta iri confido. Typographum urgeo quantum poſſum, hortatibus inſto, poſco atque adeo flagito, & iratis precibus. quid inde? Noſti quam lentum ſit omne iſtud negotium præſertim apud nos. Coactus ſum correctionis tædium devorare, cum Menagius ſatis infœliciter eo ſemel biſve eſſet eefunctus. Recepit Menagius ad te ſcribendi provinciam ſuper Epiſtola tua ad ſummum Ærarii Quæſtorem, quem audivi non cunctatum in reſpondendo, ſed iis verbis, ex quibus certior fias nihil ab ejus ingenio animove, licet in te pronis, expectandum. Ita homo eſt ut bene velit ſed nihil poteſſit. Narrabat nuper Milleterius (infelix amiſſo filio in nupera clade Germanica pater) ſe de te pleniſſime collocutum eſſe cum Emerio, qui effecturum ſeſe pollicetur, ut iſtinc cum honorario II. M. coronatorum a Regina evoceris. Aderat Bautruvius qui non potuit continere ſe, quin te parum catum aulicum denotaret. Tu vero, Vir Generoſiſſime, qui eos omnes coram cum ſuis muneribus deſpuiſti, iſtis, ſat ſcio, non moveberis. Miſit ad me Gronovius noſter aliquot octerniones ſuæ Diatribæ de Seſtertiis: ſi quid judico, plena eſt bonæ frugis. Vereor ne te cupido capiat edendi operis tui de Re Nummaria: Imo utinam te caperet. Sed alia habes, quæ agas majoris momenti. Sæpius monui tum Viduam Pelæam, tum Solyum, ut quandocunque libros in Hollandiam deſtinabunt, quos hic apud me reliquiſti, ſuis mercimoniis adjungere ne graventur;

nec hilum profeci. Facere non potui quin haſce nobiliſſimi juvenis & erudi-tiſſimi Jo. Georgii Richteri, ad te curarem. Si qua juvare potes ejus ſtudia quæſo reſcribe, magnamque à me gratiam invieris. Et ſane eſt ille ſi quiſ-quam tui admirator ſummus. Nihil habeo quod addam. Num poſſunt pe-des, manus, caput? num poſſunt omnia? Expectabo a te prima quaque die pro hiſce non prolixis, longe uberrimas, quibus de valentudine tua, ſtatu, re-bus, conſiliiſque in poſterum tuis affatim monebis. Interim vale, & ſi me-reor, amare perge. Reverendo Spanhemio & Eximio Latio, multam a me ſalutem. Sed hui! pœne oblitus ſum de *Ebenbitare*, quod pro Cadomenſi no-ſtro Oſſilegulo, rogo, flagito. Si epiſtolium addideris, & hoc ipſum rogo, & quæſo impetrem: Audeo ſpondere futurum te illi ſemper ut olim amiciſſi-mum: vale. Prid. Idus Decemb. CIↃ IↃC XLIII.

EPISTOLA LIV.

CL. SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

NIſi pactum conventum quod utrique noſtrum placuit (ut invicem Latine ſcriberemus) ratum eſſe vellem, quia ita promiſi, tuque ſtipulatus es, irritum ego mallem: adeo me deterrent a ſcribendo quas binas a te nuper Latine ſcriptas accepi: Sed quoniam pridem didici & aſſuevi officiis a te vinci, ne hac quidem in parte ſuperiorem te eſſe turpe exiſtimabo, aut moleſte feram. Si tamen crediḋiſſem adeo promptam & paratam tibi eſſe, & quaſi in nume-rato puræ Latinitatis copiam: haud facile tecum in hoc certamen deſcendiſſem, nec tam temere hoc pactum iniviſſem. Hujus communem conditionem eſſe velim, ut more Romano literas inſcribamus; Cicero Cæſari, Cæſar Cice-roni. Hac fiet honeſta libertate, ut quod maxime cupimus, iſtud literarum commercium continuetur. Vale & me ama. Leydæ. Non. Dec. CIC IↃC XLIII.

EPISTOLA LV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Leydam.

EGo quoque binas a te accepi, utraſque moleſtas, ſed Gallicam moleſtiſſi-mam. Amicus enim ille noſter, qui etiam ſingulis hebdomadibus Ha-gacomitis ſolet ad me ſcriptitare, expoſtulatoriam de te ſatis gravem hac vice exaravit. Queritur ſcilicet ſe nullo ſuo merito durius a te acceptum: eo quod Braſſeti litteras, quæ tibi tanquam Profeſſori honorario inſcribebantur, mi-ſiſſet; quaſi a ſe hoc illi eſſet ſuggeſtum in tui offenſionem & injuriam, quod ſancte jurat a ſe non factum, non cogitatum. Cautius deinceps ſibi tecum agendum, quando ita ſuſpicioſe & acerbe cum amicis agas. Se ſane multa ma-la tua cauſſa perpeſſum, mitius & humanius tractari debuiſſe, quam ut alie-num

num peccatum ſibi imputares. Ego vero hominem blande compellavi, monuique ne diuturnæ veſtræ amicitiæ tam facile nuntium remitteret: nec tamen injuriam tibi a Braſſeto illatam diſſimulavi vel excuſavi, laudavique animum tuum quod rem judicatam retractari pateris. Hæc ego ad illum: jam ad te mea deflectat oratio. Facere enim non poſſum quin qua libertate inter amicos uti par & æquum eſt, libere te moneam, videri mihi te ſatis levem captaſſe occaſionem ejus inſectandi. Vixdum lares tuos ſalutaſti, qui futuri ſint amici, qui infeſti nondum perſpexiſti: & prior ipſe rixam auſpicaris, cum viro parum tibi, ſatis ſcio, fido, ſed cujus tamen artes non omnibus patent. Ille quippe, ſaltem in ſpeciem, palam te colit: licet clam averſetur & arrodat. Hac in re ſane, veniam dabis durius forſan cenſenti, prudentiam requiro tuam. Quid enim alienum crimen illi adſcribis? Etiamſi liquido tibi conſtaret iſtud facinus ab illo concinnatum, quod vereor ut ita ſit; tutiſſimum erat, imo & honeſtiſſimum, iſta ab hujuſmodi viro profecta inſuper habere, nec minutiis iſtis irritari. Nolim idem factum, ſi a manu publica iſto elogio appellareris; tum enim læderetur tua dignitas, reſque judicatæ nulla de cauſa reſcinderentur. Itaque quemadmodum probavi quod diploma à Fœderatis Ordinibus hoc ſub titulo miſſum, rejeceris; ita a viro privato literas eadem ratione quod repudiaveris, improbare non poſſum: cum hoc tamen diſcrimine. Quod de priore negotio neceſſario conquerendum fuerit, de poſteriori vero melius factum foret ſi iſtud, quicquid id eſt, eſſet neglectum. Auſim ergo a te enixe contendere, ne iſtam ſimultatis ſcintillam longius ſerpere patiaris. Ut facile hominis ingenium novi, ad te brevi redibit. Iſta paſcetur epiſtola diſcordiis. Singulare certamen quod inter Colinium, Caſtellionæum & Stradium Bonellam provocantes, & Ducem Guiſium Bridieuxiumque provocatos, duodecima hujus menſis, hora tertia promeridiana, in Platea Regia, celebratum eſt, aulam noſtram hactenus turbavit. Utinam deinceps non turbet. Irarum cauſæ reticentur. Ab ambabus partibus acriter & generoſe pugnatum: ſolus Stradius invulneratus receſſit. Dux Aurelianenſis aperte affini Guiſio favet; Enguiennenſis, Condæo patre reclamante, cauſam Colinii fovet. Regina non patitur ſe exorari ut reis Edicti pœnas remittat. Illi Urbe exceſſerunt. Guiſius tamen in ſuburbano Meudonio hæſit. Senatus noſter rogante Cognitore Regio convocatis claſſibus juſſit acta probatoria confici, audioque jam aliquot teſtes coram delegatis judicibus, teſtimonium dixiſſe. Ita redintegratam cernere eſt veterem & ſopitam ſimultatem, inter Guiſios & Caſtellionæos. Faciant Superi ne, Rege præſertim puero, hoc incendium latius graſſetur. Vale. Lut. Par. XVIII. Decemb. CIↃ IↃC XLIII.

Academia ſecundam Apologiam adverſus Loyolitas edi curavit, Autore, ut vulgo fertur, eodem illo Arnaldo qui de Frequenti Communione tam prolixe commentatus eſt, ſed revera quodam Herſentio viro ingenii elegantiſſimi. Scriptum eſt acerbum, oratio perſubtilis.

EPISTOLA LVI.

CL. SARRAVIUS

Cl. Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

CEſſationis meæ eam rationem animo præſumpſiſti, quæ utique ſola vera eſt. Neſcienti nempe quid te actum eſſet, libuit operiri donec aliquid certo cognoſcerem. Deinceps non ceſſabo, niſi ex ſontica cauſſa: & jam bis ſcripſi. Ex poſterioribus meis didiceris Riveti de te querimonias mihi perſpectas. Noviſſime ſcribebat, ſibi jam tecum ſatis belle convenire, rogabatque ne quid de eo ego ad te, ſed *factum infectum fieri nequit*. Bene omne iſtud, quicquid id eſt, proceſſit. Cum iſtis clancularii cautius tibi agendum, ita tamen ne a ſolenni tua generoſitate diſcedas. Meliore tua valetudine impenſius gaudeo. Amiſſi in patria triennii uſuras nobis debes: graves creditores ſumus, qui eas exigimus nec ferimus moram. Quotieſcunque cunctaberis & ceſſabis a libris edendis inſurgent inimici: quos viciſſim deprimes ſi in publicum procedas. Itaque ſemper aliquid molire: nunc præſertim poſt tantam abſentiam. Amyraldus Salmurienſis brevi mittet Commentarium ſuum *De Vita Termino*. Rogat ille ut de ſua erga te ſedulitate certiorem te faciam. Non omnis igitur natio Theologorum tibi infeſta: ille enim inter primaria hujuſce profeſſionis Gallica lumina ſedet. Quod calebat te abeunte negotium, an jam frigeat, neſcio. Menagius enim adeo hero ſuo adhæret, ut vix mihi ſeſe præbeat. Noli quæſo huc reſpectare, & quantum poteris *perfer & obdura*. Si quid contra nitentur adverſarii, tu ſolus fortiter eos comprimes & contundes: liberum erit tibi totam virtutem tuam explicare: quod hic facere haud adeo erit promptum. Nuſpiam enim fortitudini tuæ deerunt monſtra debellanda. Sed præſentia mala urgent magis & de futuris ſemper melius ominamur Compone ſtatum noſtrum cum veſtro & videbis nos ſervire vos dominari: non tantum de proceribus intelligo, ſed etiam de privatis. Utut ſit, Viros illos primarios, qui te hic detinere ſatagebant non inviſo, vitam vivunt alienam a moribus meis aulicam, id eſt blandam magis quam benignam; plerumque infidam & malignam. Ut voti ſui compotes fiant teque iſtinc evocent non repugno; ſed vix aliqua juvare eos poſſum. Oſtende te tantum Batavis tuis & *Sceptra tenebis*; omneſque iſtas frigidiuſculas nebulas difflaveris. Vale. Lut. Pariſ. XXIV. Decemb. CIƆ IƆC XLIII.

EPI-

EPISTOLA LVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Leydam.

EX præſcripto modeſtiæ tuæ, quæ me vetat eo elogio te privatim compellare, quo ab omnibus publice nuncuparis, literas aliquot jam reformavi, & deinceps, quando ita vis familiariſſime ſcribam, & ex antiqua formula. Quod in tua præcipue placuit, fortitudinem tuam ſuſpicio. Scripſeram olim commotior: nunc remiſſiore animo, ut probum & generoſum decet, omnes iſtas aulicas officias ſuſque deque habes. O factum bene! Cœleſtis, qui te afflavit, Spiritus dabit quoque in eo ſtadio ad metas uſque decurrere. Nec deerunt homines ſubadjuvæ. Tantum tibi ne deſis, & qua es in ſtatione, dimicare ſuſtineas. Memineris quæ adverſa te primum in iſtas oras adventantem exceperint, quaque virtute ſteteris, viceris, iiſdem artibus adverſus hos ipſos hoſtes utere & eundem eventum conſequeris. Tu ſolitus illos contundere, vix hiſcentibus illis, certe ad ſummum ringentibus & frendentibus. Batavæ illæ beſtiæ edentulæ, exungues & excornes. Iter Hagienſe poterit aliquot ſuppeditare amicos, quibus Profeſſorum omnis natio cum univerſo Scholaſtico pulvere par non erit. Itaque eo propera. Princeps, Legatus Gallicus, Plenipotentiarii noſtri erunt in ſubſidiis & fortean laborantem *ὃ μὴ γένοιτο μήδ᾽ ἔσται* erigent. Epiſtolæ ad Menagium octernionem undecimum heri correxi. Pollicentur operæ majorem quam antea diligentiam. Superſunt adhuc quatuor, quorum non longa eſſe poteſt mora. Ubi priores ſex acceperis typographica *σφάλματα*, forſan & mea, notabis, & de iis monebis. Ne a malevolis lectoribus immerenti authori imputentur cavebo. Prima quaque occaſione curabo ad te mitti epiſtolam illam militarem, quam apud me depoſuiſti. Actor Viduæ Pelææ pollicetur poſt quindecim dies miſſurum ſeſe libros in Hollandiam, quibus ſarcinas tuas adjunget. Nihil omnino invenies in Gronovianis Seſtertiis, quod tuam ſententiam labefactet: immo aliquot locis cum præfatione honoris tui meminit. Quas promittis tum ad Richterum, tum ad Bochartum avide expecto, rogoque ne gaudia noſtra moreris. Vale cum uxore & liberis, quos omnes uxor egoque ſalutamus. Kal. Januariis A. Ch. CIↃ IↃC XLIV. quem tibi tuiſque fauſtum felicem fortunatumque eſſe opto.

Volente jubente Condæo coactus eſt Enguiennenſis Colinium domo ſua exigere; qui vix hoſpitem nactus eſt amicum illum tuum Eccleſiaſten Lanorvillanum. Unde Romanis mos ille dividendorum menſium in Nonas, Idus, Kalendas? Unde etiam ejuſmodi nomina derivata? Scaliger de Emendatione Temporum libro primo de Veteri anno Romanorum parum juvat. Si lubet, inſpice & clarius pleniuſque nos doce. Non parvo beneficio me devinxeris.

EPISTOLA LVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ET valere te ex Riveti litteris intelligo; & prolixe ſatis ſcripſeram de eo friguſculo, quod te inter & illum, ut natum, ut denatum; & epiſtolam meam tempeſtive ad eam, quæ tua hic curat, miſeram: quare ergo nihil abs te literarum? propterea tamen non ſtudioſe minus & diligenter ſcribam; quanquam vix eſt ut dicam aliquid, quod poſſit ferire oculos. Epiſtola ad Menagium lente feſtinat duodecimo demum octernione excuſo: tertium decimum hodie emendavi, duo ſuperſunt quos urgebo. In eo ſum ut amicum reperiam, qui ad te Militiam tuam deferat: eodem faſciculo involvi ſex poſteriores octerniones ut de mendis typographicis ὡς τάχιςα moneas; & Hygini Gromaticum, quem iſti tractatui appendicis vice poteris ſubnectere. Mirum quantum tuus circa eum labor ἐυςοχίαν tuam prodat! Blanditus eſt Bautruvio Menagius, qui non mediocria pollicetur. Eo tamen omne id recidit ut cum tribus talentis & ſemitalento iſtinc evoceris. De ſolutionis fide, Rege promittente, ſolus perduellis ſcilicet, ambigat. Quam ſecura ſit & certa iſta cautio, tuum eſt diſpicere. Olim & nuper ſatis liquido ſuper eo negotio ſententiam dixi, nec ab ea ut recedam impetrare ab animo meo poſſum. Totum in eo eſt ut tibi imperes. *Supera virtute dolores.* Legebam hodie in Chronici Euſebiani libro poſteriore hunc verſiculum qui conclamatus eſt, ni medicinam facias: *Nam Latona Jovis conjux tunc pertitia fugit.* Scaliger parum juvat, qui ſibi ipſi non ſatisfacit. Caſaubonus legebat ſenſu commodo & plena ſententia *uſurpatitia*; ſed verſus, ſi verſus eſſe debet, repugnat. Tu quid cenſes. Quid ſi *territa*? Niſi meis quæſitis modum ponas vereor moleſtior ut ſiem. Ubi tamen cognovero te aliquid momentoſum moliri faciam mihi modum bonæ licet libidinis. Vale. V. Id. Jan. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NOn *amplius ſcribam de negotio aulico ne tibi moleſtus ſim.* Agnoſcis tua verba? Ego vero non expectabam a te tam inſignitam injuriam, ut exiſtimares quicquam quod e re tua eſſet, mihi moleſtum futurum. Liberius forſan ſcribenti exciderit aliquid, quo in tuam offenſionem incurrerem; ſed non ea mihi mens, non conſilium. Ex animi ſententia olim & nuper ea ſum loquutus, quæ vera, quæ certo futura arbitratus ſum. Si unquam huc redeas, utinam falſus ſim opinionis, meque ψευδομαντείας poſſis arguere. Menagius iſtud ſolicite & cum affectu, ſed lente, urget. Puteanus diploma confecit,

fecit; quod nondum videre licuit. Nubletio, talium ut ajunt perito, cenſendum traditum eſt. Cave credas nolle me in omnibus rebus, nedum in iſta, tibi eſſe ſubadjuvam; ſi eam cordi tibi eſſe cognovero, mearumque ſit virium. Itaque quantum potero, opera & conſilio prodero. Quod tamen eo recidat opto, ut commodius & honoratius iſtic degas: hunc enim perſpicio eſſe animum tuum, cui prorſus accedo. Epiſtola de Connubio Angeli & Furiæ abſoluta eſt. Publicationem ejus ſolum privilegium moratur, ſine quo non auſit Typographus eam in vulgus ſpargere: & hoc ipſum hac hebdomade confectum iri ſpero. Primum hoc ſentiet a tua manu telum Heinſius; quem ſane miror te placariote nolle uti. Pauxillulum exiſtimationis, ſi quid ei ſupereſt, potuit hac ſola via retinere: & audet ille poſt tot clades, Præfationes, Funera, dicere *Signa canant?* O miſerum virum! *Quem perdere vult Juppiter, hunc dementat.* Fruatur ille ſuo judicio, pereatque mille mortibus, qui in certo naufragio, quam ei prætendi curaveram, tabulam arripere inſuper habuit. Decima quinta hujus menſis Sorbona LXIV. ſuffragiis decrevit Pontificiæ Bullæ contra Janſſenium promulgationem eſſe differendam: triginta Doctoribus fruſtra obnitentibus. Condæus Princeps audet aliquid De Frequenti Communione movere, & prælo committere. Ei, ſalva dignitate, ſe reſponſurum jactitat Arnaldus. En tibi carmen à Guyeto noſtro. Litis ejus enarrator ſedebam in Edictali Camera: Adverſarii juriſdictionem declinant, & in Conſiſtorio Principis reſpondere volunt; *adhuc ſub judice lis eſt.* Dum ille nos deſiderat, hunc libellum ſupplicem Cancellario obtulit. Vale, Vir Incomparabilis; Lutet. Pariſ. XXIII. Jan. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SOteria DEO OPT. MAX. qui te tam præſenti periculo liberavit debere me profiteor & ſolvam libens. Utinam immodica iſta evacuatio, corporis tui ſentinam & καχεξίαν omnem exhauſerit, ut inpoſterum tam ſanus degas, quam ipſa Hygieia. Cum voluptate in tuum extemporaneum hexaſtichon incidi; quod mihi renovavit memoriam carminis illius tui, quod olim, *Jucundum cum ætas florida ver ageret*, in Threnos Jeremiæ ſcripſiſti. Si ſub manum cadat, rogo te ſeponere illud velis, nec pereat tam illuſtre pietatis & Muſarum monumentum. Adeſt quidem Elzevirius, ſed nondum ejus ſarcinæ advenere: hodie eas Rothomago expectat, & die Lunæ idem currus, qui eas advexerit, tuas ſuaſque Diepam uſque modico ſumptu referet. Id ſe curaturum pollicetur Nicolaus: poſt tot ἀμβολιεργίας eſt quod ei parum credam: quanquam dum nihil ex ſuo adſportat, æquo animo mora ferenda eſt, cum præſertim non alia tutior promptiorve via ſuppetat. Helleniſticam, ubi advenerit, in amicos tuos ſpargam: quorum tamen elenchum quam primum

mitte. Quis ille ſit, qui primas tuas curas poſt tuum iſtuc reditum mereatur, quando libuerit ſciemus: nec adeo pleni rimarum ſumus, ut non poſſimus, quod ſecretum velis, profundo involvere ſilentio: Imo ſum, & credo non ignoras, arcanorum celantiſſimus. Haberes utinam Heraldi Obſervationes, aliquodque tempus otii illæ tui occuparent! Quanquam enim levia multa in te tela emiſerit, nonnulla tamen videntur ſatis acutam habere cuſpidem; qualia ſunt illa, quæ Ἐρέιν τῶν πληρωτῶν ſpectant. Eccleſiaſtes ille aulicus quem maxima minimaque ad me referre ſcribis, plane hac ſeptimana ſiluit. Curiæ Subſidiorum Placitum de nobilitate gentis tuæ nullus accepi; cum habuero, ſtrenue, quæ mente conſtanti teneo, mandata faciam. Summus amicus tuus Abbas Radeſianus die Dominica in Urbis Archipræſulem ἐχειροτονήθη: quod magna pompa & feſtivitate tranſactum eſt. Bautruvius ex podagra diutius ſolito κλινήρης jacet. Hæc duo negotio aulico moram injiciunt: ille etiam apud theſaurorum Arbitrum, hic apud Emerium promovere illud debent. Epiſtola ad Menagium non eſt publica, ob non impetratum privilegium, adeo hic omnia tardo gradu procedunt. Condæi libellus adverſus Arnaldum Patres & Concilia crepat, unde conjiciam Loyolitam aliquem tuliſſe ſuppetias. Humillime ſe ſubjicit Pontificis Romani Cenſuræ: paratus ſua damnare, ſi Juppiter Capitolinus illis atrum calculum appoſuerit. Dux Aurelianenſis Regis patruus a Regina Septimaniæ Præfecturam impetravit, quam tam anxie ambibat Condæus. Schombergio in permutationis vicem, cedent tres Epiſcopatus Metenſis, Tullenſis &, Virodunenſis. Ego & puerpera mea te tuamque ſalutamus. Vale Lut. Par. IIX. Idus Februarias. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ILlo ipſo die, quo poſtremum ad te ſcripſi, curavit Nicolaus ſarcinas tuas Diepam devehi. Ubi eæ ad te pervenerint, velim verbo ſignifices, meque omni ſolicitudine, quæſo, liberes. Tum habebis Heraldum, quem poteris ſale Burgundo defricare, cum altero illo Anonymo. Obſervationum cap. 2. ad l. 69. D. Pro Socio. in qua feliciſſime reſtituiſti ἱμπολὰς pro epulis, notat illam tuam emendationem quaſi alieniſſimam: nihil tamen reſpondet ad exemplum quod attuleras ex alia ejuſdem Juriſconſulti lege, in qua explicat *ratiunculas* per λογάρια: quod utique conſideratione dignum erat. Reperiſſe me credo aliud exemplum, quod conjecturam illam tuam ſtabiliat, in l. 25. ff. ornamento D. de Auro & Arg. leg. ubi videnum legendum ſit, *reticula id eſt* κεοκύφαντα. Emendationi favet Gloſſarium H. ST. quod habet *Reticulum* Κροκύφαντος. Et hæc lex eſt itidem Ulpiani qui hoc modo tribus omnino locis voces Latinas per totidem Græcas explicuerit. Si Scookius incendat rogum Funeris tui, facile tibi fuerit frigidam ſuffundere, qua omnis iſta pyra extincta in

fumos

fumos abeat. Duræ ſunt illæ conditiones, quibus pacem te inter & Heinſium firmare vult Spanhemius, & iniquas dicerem, niſi vererer tam ſtudioſi μεσίτε officia, quæ invocavi, damnare. Expectabo per proximum Tabellarium totius iſtius πραγματείας hiſtoriam, ex qua tibi inpoſterum tranquilliorem vitam opto. Vale. Lut. Pariſ. Idib. Februar. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXII.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Daventriam.

QUantum tibi debeam, Vir Clariſſime, lubet hic profiteri. Tantum certe, ut ſemper in æretuo futurus ſim, adeo me beneficiis olim cumulaſti, & noviſſime totum in limine Seſtertiarii tui Commentarii obruiſti. Voluiſſe te nomen meum legi in fronte tam eruditi operis, cum tot ad manum haberes viros omni ſcientiarum laude claros, qui iſtum honorem mererentur, forſan & ambirent: tanti facio, ut æternum me tibi deditiſſimum devoveam. Habeo tamen, quod tecum expoſtulem, de illis elogiis, quibus oneraſti pudorem meum. Non is ego, Mi Gronovi, qualem pro amore tuo deſcripſiſti. Te virum tanto judicio præditum, tam gravem, amorem erga te meum dulcibus verbis voluiſſe alere! Agnoſcent, Vir Clariſſime omnes, *blandæ mendacia linguæ*, decedetque inde aliquid eximio & immortali operi. Nobiliſſimus Richterus aliquando nos inviſit. Dixerit tibi, quam mihi dilectus ſit: primum ex tua commendatione; tum etiam ſuo merito: eſt enim adoleſcens liberalis ingenii & honeſtæ indolis. Paludano tuo literas tibi inſcriptas dedi. Dum hic moratus eſt, quibuſcunque voluit officiis eum in tui gratiam demereri conatus ſum. Sed ille pro ſua modeſtia verecundius agit, parcus fui cultor & infrequens. Audio Scookium Ultrajectinum meditari Rogum Funeris Helleniſticæ. Viderit ille, num moleſta tunica indutus, in ipſa tæda lucere velit. Vale. Lut. Pariſ. Idib. Feb. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

REconciliationem, quam dudum optare incepi, totiſque ego bonique omnes optavimus quinquatribus, te inter & Heinſium, procedere, immortaliter gauderem. Sed tibi parum æquæ ſunt illæ conditiones, quas te audire volunt, ut ea confieri poſſit. Ergo impune fuerit Exercitatori ſacro tam procaciter Venerabili Bezæ inſultaſſe, & conſcribent Prætores Edictum ſine pœna? Peribit immenſa Obſervationum congeries, quam tam glorioſo viro defendendo paraveras? Non poteſt diuturna eſſe Pax illa, quæ iſtis firmamentis nititur. An non ſat erat abſtinere convitiis & dicteriis, quæ viros li-

berales maxime dedecent, ita tamen ut liberum eſſet adverſarium modeſtis & manifeſtis probationibus arguere? Utut fuerit, pactis ſtandum erit; & ex regula juris. *Quod ſemel placuit amplius non diſpliceat.* Sed iſta omnia, quamlibet gravia, efficere ambo poteſtis. Quod autem tu, Rivetuſque noſter a me enixe contenditis, præſtare non eſt meum. Ut ſcilicet Epiſtolæ ad Menagium publicationem inhibeam: diſtractis quippe omnibus fere exemplaribus a Typographo, aut ab ipſo Menagio non parcente manu donatis. Hoc ad tuam ſuamque gloriam pertinere exiſtimavit, Vir politiſſimus, ut ea in amicos ſpargeret. Sed quicquid fuerit, nihil tibi poteſt ea de re imputari: tibi inquam, quo abſente, inſcio, & jam invito, hæc editio curata eſt. Potui aliquando tenerum & naſcentem iſtum fœtum ſuffocare, ἀλλ' ὅλως ἀστεῖον εἶδον τὸ παιδίον, ut ſine ſumma injuria & crudelitate non potuerim ei lucis uſuram denegare. Si peccavi culpam non deprecor, qui præterea ſciam, hoc ſi non curaſſem, alios non fuiſſe prætermiſſuros. Multa enim manu deſcripta habebantur a Curioſis exemplaria illius tuæ epiſtolæ. Inde etiam factum eſt ut parum Caſtigatum eſſet illud, ad quod Typographus opus ſuum exegit. Nunquam ſiviſſet Menagius, nunquam Capellanus in Muſæo diutius recubare, quod ad Balſacii ſui defenſionem a tanto Muſageta elaboratum, immo currente calamo effuſum eſſet. Itaque hæc fuerint. Verum ne hanc litem meam faciam, omittere non debeo ad me tantum deventum eſſe poſt inchoatam editionem, & uno alterove σχεδίῳ excuſis: re ergo non integra. Hæc ego fuſius proſequutus ſum, omnem ut a te, a me aliquam ſaltem culpam amoliaris. Sed ut aliud ex alio; ecce Inſcriptionem tuis oculis dignam. Jacet is lapis Nannetibus in area Publicæ Domus.

NUMINIB. AUGUSTOR.
DEO. VOLIANO.
M. GEMEL. SECUNDUS. ET. C. SEDAT. FLORUS.
ACTOR. VICANOR. PORTENS. TRIBUNAL. C. M.
LOCIS. EX. STIPE. CONLATA. POSUERUNT.

Iſtic quæſo eruditionis tuæ lumen eluceat. Quis ille Deus VOLIANUS? Iſtius enim nullibi quod ſciam extat mentio. Quid illæ literæ ſingulares. C. M. Vox adhuc LOCIS turbat, & cui jungam non video. Cætera obſcuriora ni explices, æternum ignorabuntur. Itaque facem accende. *Obſcuras odique tenebras, exultoque die.* Gruterus meminit iſtius inſcriptionis MLXXIV. 10. quem vide, nonnihil enim variat. Quia commodius iſta Latine, quam Gallice enarrantur, poteris, ſi lubet, ea ad me perſcribere ipſis communicanda. De faſciculo Philippo Cæſio commendato ero ſollicitus, donec reſcivero eum tibi redditum, quod & de altero alteri item Philippo, Paludano nempe, credito, velim exiſtimes. Magnam itaque a me gratiam iniveris, ſi eos in manus tuas deveniſſe ſignificaveris. Elzevirius quinquaginta exemplaria Commentarii tui de Helleniſtica tradidit mihi, quorum pleraque amicis tuis Primæ admiſſionis donata: de cæteris mandata tua expectabo. Sex compengenda dedi Magnatibus offerenda. Quis præfuit novæ illi Terentii edi-

editioni ab Hackio adeo eleganter procuratæ. Videntur enim ſatis multa e recentioribus non indiligenter congeſta. Omnes Valemus, te tuamque ſalutamus. Auſim & Reverendum Spanhemium, eximiumque Latium: Vale. Lutetiæ Pariſiorum. xx. Febr. CIƆ IƆC XLIV.

EPISTOLA LXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

PRolixiſſimas tuas poſteriores, eoque etiam nomine gratiſſimas, iterumque ſumma cum voluptate legi: ſæpiuſque adhuc relegam: adeo præclara multa in illis habentur, quæ fruſtra alibi quærerem. Tu nempe ſolus in omni Literatura principatum obtines: & quodcunque libet ventilare, fruſtra eſt, qui illud poſtea attentat. Elegans ſane eſt & erudita explicatio tua Nannetenſis Inſcriptionis: gratiaſque ago de ea non quantas debeo debeboque ſemper, ſed quantas poſſum, gratiſſimas. Male te ſuſpicioſulum erga me fuiſſe ex poſtremis, quas ad te ſcripſi, cognoveris, ego certe Te inter & Heinſium ἀμνηστίαν ſtabilitam eſſe optavi vehementer; ſed ut in eas, quas accepiſti, leges deſcenderes, nunquam autor fuiſſem, ſi ea res mei fuiſſet arbitrii. Ut itaque privilegii conceſſioni intercederem, nunquam a me factum eſt: utve Epiſtolam tuam ſupprimerem, animus non fuit; nec eam ſoleo mihi autoritatem arrogare in amicorum conſilia, ut hujuſmodi quidquam, illis inconſultis decernam. Scribam præterea e re tua eſſe iſtam publicationem diutius non trahi, nec ceſſavi donec privilegium illud extortum ſit ab hiſce moroſis hominibus. Verum confectum eſt omne iſtud negotium, quod neutiquam volui aut potui diſturbare. Quicquid id eſt, veteribus offenſis annumerabitur nec novis adſcribetur rationibus. Nondum accepiſſe te faſciculum Cæſio commendatum doleo, verererque aliquid ſecius de eo, niſi, ut noſti, de ejus fide repromiſiſſet optimus & amiciſſimus adoleſcens Is. Voſſius. Solicite in dies expectabo num eum receperis. Adeo tum raræ erant occaſiones aliquid iſthuc mittendi, ut non potuerit commodior tutiorve reperiri. Miſi quoque indiculum eorum, quibus Helleniſticam tuam donandam exiſtimavi, & paucos ex illis, quos in tuo annotaſti, omiſeram. Quod mandas fiet, immo jam factum eſt omnino, niſi quod nondum accepi compacta exemplaria Magnatibus offerenda; licet acriter urgeam Viduam Puteanam, ut id curet. Quid in veſtris majoribus Academicis Comitiis, de te præſertim, actum ſit, ſilere te mirarer, niſi viderem te alia tua, minoris ut puto momenti, velle etiam mihi celata. Quod an rite & recte procedat, ipſe exiſtimabis. Ego quoque ſi eſſem ſuſpicioſulus, inde argumentum ducerem, deceſſiſſe aliquid priſtinæ noſtræ amicitiæ. Sed abſit tale aliquid a ſinceritate animi mei, qua ſanctitatem fœderis inter nos initi violari arbitrarer. Quidvis itaque potius cogitare libet, quam ut mutatum te erga me credere velim; immo vel mutabilem. Principis Condæi libellulum prima occaſione amici mittam. Reſpondit Petavio Arnaldus,

ſed non ſinit Cancellarius per Typographos librum edi: Sicut nec Milleteriarum illud, quo totius ſuæ Reconciliationis Eccleſiaſticæ myſteria revelat: quamvis utrique ſcripto Sorbonici Doctores ſubſcripſerint. In Rhedonenſi inſcriptione pro Deo *Voliano*, vide num legendum ſit VOLCANO: iſtius enim *Voliani* nullibi quod ſciam extat mentio. Literæ ſingulares C. M. an poſſint per *centum mille* explicari ambigo, quia numerus ille fidem ſuperat. Expectabimus ea de re tuas miniatulas ceras. Interim vale Vir Maxime, & ſi mereor, amare Perge. Ego & mea te tuamque ſalutamus. Vale. Lut. Pariſ. Prid. Calend. Mart. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXV.

CL. SARRAVIUS

Jano Vlitio.

Hagam.

NOn ingrata eſt mihi illa tua ſolicitudo, qua cruciari videris, ne nomen virtuſque tua animo meo exciderint: neve in meam offenſionem ſilentio tuo incurreris. Eam enim habeo, pro amoris tui erga me certiſſimo argumento. Sed nihil neceſſe erat tam operoſe me aggredi, ut expugnares. Totus enim ego tuus, fuique ſemper. Te certe ut vidi ut amavi; adeo multæ illæ, quæ te uſque comitantur animi & corporis dotes eximiæ, ſeſe ſtatim in oculos mentemque ingerunt, nec facile eſt ab illis divelli; nec quiſquam velit. Itaque amo te Præſtantiſſime Vliti, rogoque ut hujuſce amoris mei experimentum capias. Capies vero ſi me amas, & videbis me tibi operam & ſtudium navare velle. Quid altero illo Arriani Cynegetico, quid Hygini Aſtronomico (quæ ad editionem parabas) factum ſit, reſcire geſtio. Oſtende te orbi, Eruditiſſime Adoleſcens, nec diutius λάθε βιώσας, vel induſtriam tuam cela. Si qua juvare poſſum, conſilia tua faciam libentiſſime, habebiſque me ſemper tui cultorem ſtudioſiſſimum, & ad omnia officia paratiſſimum. Vale & me ama, qui te amo παντὶ θυμῷ Lut. Pariſ. III. Cal. Mart. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

CUrioſus ſum fateor, ſed præcipue rerum tuarum. Ei tamen parti, quæ ſcripta tua ſpectat, modum poſueram; ut ex poſtremis meis litteris cognoveris. Sed neſcio qui factum ſit, ut quod de illis me celatum voluiſti, nec ego ſcire amplius laborabam mihi fortean indicatum ſit. Sed an vera indicina? Tum certe ὁ μαντυτὰς γέρας ἕξει. Dicebat ſcilicet ὁ κρύφιος te de quæſtione, *An Mutuum eſſet Alienatio?* aliquid iterum velle prælo ſubjicere: occaſione ſumpta ex ſummi cujuſdam amici tui, & ampliſſimum Audomarum Talæum nominabat,

bat, ſermone qui priorem tuam, ea de re, Diatribam, miris laudibus extulerat. Ego vero fidem ut continenti vel etiam ex intervallo haberem, vix ac ne vix quidem impetrare ab animo meo potui. Itaque etiamnum ἐπέχω. Num ille ἐνεχύρα litaverit explicabis. Tu viciſſim, qui non incurioſus es, ſi ille verum dixit, quiritaberis & exclamabis, Non ſervavit fidem Menagius ille, apud quem arcana mea depoſui; eum enim video in flagrante tua gratia. Erga me certe ſervavit, quem ita fugit, ut vix conſpectum meum ſuſtineat, dum nempe veretur, ne quid ſibi incogitanti excidat. Quis ergo ille ſit, ſcire ſi diſcupis, non habebis me adeo tenacem Harpocratis diſcipulum, ut interroganti non reſpondeam. Veſtras ille Paulus Dumayus Toloſas nudiuſtertius jactitabat hoc ſibi liquido perſpectum. Nolui credere: quoque plura addebat, fidem ut faceret, eo me ſemper ἀπειθῆ eſt expertus. Poteris, ſi lubet, alterum immo vel utrumque damnare aut abſolvere: hac enim in re perinde eſt. Sed Curatores veſtros lingua Belgica conficere Diploma de viris celeberrimis & eminentis doctrinæ putidum eſt, nec eos abſolvere poſſum: uti nec ferre, quod tam perfunctorie negotium iſtud tractarint. Pacem expectabam, iſti nec Inducias dederunt. Ego enim curioſus, rogo quo nomine ceſſatio iſta perpetua inter infenſos vocanda ſit. Dum amplius deliberabunt, aliquid fiet. Vale & belle curioſum ama. Lutet. Par. Prid. Non. Mart. CIↃ IↃCXLIV.

EPISTOLA LXVII.

CL. SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

QUod a me ſollicite quæris, ut, quam mittis, Inſcriptionem explicem tibi, faciam, quantum in me erit, evidenter & commode. Urbs Nannetes vicus olim fuit nomine *Portenſis* quia portus erat: Hodie *Foſſam* vocant. VICANI igitur PORTENSES ſunt municipes illius vici Portenſis; quorum ACTORES EX STIPE CONLATA COLLEGIO MUNICIPUM tribunal poſuiſſe dicuntur. Sic ſingulares illæ literæ ſunt exponendæ C. M. Vici, præcipue majores, ſæpe municipii juribus fruebantur. Quod ad Deum VOLIANUM attinet, locale fuit numen illius municipii, vel vici Portenſis, de quo fruſtra alibi quæras, quod non ſis inventurus. Non ſolum ſingulis Provinciis olim & civitatibus ſui Dii attributi fuere, ſed etiam municipiis & vicis. Hi ſunt, quos Tertullianus in Apologetico ſcribit, municipali conſecratione cenſeri. *Romanas, ut opinor, Provincias edidi, nec tamen Romanos Deos earum; quia Roma non magis coluntur, quam qui per ipſam quoque Italiam municipali conſecratione cenſentur. Cruſtuminienſium Beluentinus, Narnienſium Viridianus, Æſculanorum Ancaria, Volſinienſium Nurſia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliſcorum in honore eſt pater Curis.* Ita in Gallia ſingula municipia & ſinguli vici ſuos

pecu-

peculiares habuere deos. Talis hic VOLIANUS apud Vicum Portenſem, ubi Nannetum nunc eſt civitas. Totius Galliæ peculiare numen fuit Belenus. Noriæ eum tribuit Tertullianus eodem loco. Inſcriptiones Gruteri plenæ ſunt hujuſmodi Deorum municipalium vel localium, quos Græci ἐντοπίους θεοὺς dixere: Marcellinus *locales*: ut Bezæ *Dei localiter* appellatio. Hic Deus localis. Pagi etiam ſuos habuere, inde Prudent. *Numina pagi*. Superſtitio ultima reſedit in his pagis, ubi tenaciore cultu ruſtici ſua numina adorabant, quam cives ſua in urbibus. Certe *Religio pagana* inde appellata, quod in pagis adhuc perſeveraret, cum ab urbibus jam eſſet exterminata. Lege Indicem Gruter. Inſcript. multa ibi occurrent nomina numinum gentilium municipalium & localium. NUMINA AUGUSTORUM ſæpe etiam in illis Inſcriptionibus legere eſt, & NUMINA AUGUSTI, qui non nominantur ſed intelliguntur. Et apparet duos Auguſtos Romæ tum imperaſſe, cum illa Inſcriptio poſita eſt. Non ſolum NUMINIB. AUGUSTOR. dedicata eſt: ſed etiam DEO VOLIANO ἐγχωρίῳ: de quo non magis tibi dicere poſſum, unde nomen nactus ſit quam COSOSUS cujus mentio ſola in alia Inſcriptione, quam habeo. Quis unquam meminit ABELLIONIS Dei, cujus in ſola inſcriptione memoria apud Comienes Novempopulaniæ in tomo Inſcript. Gruteri? Sunt alia ſexcenta vicanorum & municipalium numina propria, quorum nomina alibi non leguntur, niſi in illis pagis, municipiis, coloniiſque, in quibus peculiari conſecratione loci dedicata fuere. Sed quoniam Romani ſunt homines, qui Inſcriptionem illam Nannetenſem poſuerunt, & Vicus ipſe, vel Oppidum, colonia Romana, videamus (mutata priore ſententia) an ex illo VOLIANO Deum Romanum poſſimus fabricare? Ejuſdem certè generis erit, cujus infiniti alii, quos celebravit Auguſtinus in libris de Civitate Dei, ab aliquo actu aut officio humano denominatos. Ita VOLIANUS quid prohibet a *volio* appellatum id eſt *voluntate*: quod voluntati hominum præſit, eamque dirigat, & ad optatum exitum perducat? Sic *Libentina* & *Liburnus* libidinum dii apud Arnobium lib. IV. Sed *volium*, inquies, quis dixit pro *voluntate*? Hoc etiam quæro. Sed quis a verbo *volo volium* pro *voluntate* non æque optima ratione & analogia factum confitebitur, ut alia ſexcenta eadem moneta cuſa? A colo *colium* pro *domicilio* & *habitatione*. Inde *Lares colio potentes*, Tertulliano: quorum potentia intra penates & habitationes privatorum cernitur. Sic armipotens Mars, *in armis potens*, Cœlipotentes *in cœlo potentes*. Et ſic alia. Quis vero poteſt infitiari poteſtatem Larium intra domum fuiſſe concluſam? Hinc οἰκίδιοι θεοὶ & κατοικίδιοι id eſt *domeſtici*, vocati. Solinus *Icidios* appellavit Græca voce. Sic *Lares colio potentes*. Quod tamen ſcio non probabit Voſſius noſter. *Coliginem* alia tamen formatione dixit Arnobius: pro habitatione & ædibus: & *coliginis focos* penatium focos. Ut *colium* a *colo*, *volium* a *volo*. Inde noſtrum antiquum *veuil* pro *volonté*. Videris an & Italicum reſpondeat. Certe dicimus *de bonne voille*, quod ſit bona volunta-

luntate: quod mihi videtur ex Italico deflexum. Ita ab *æſtimo æſtimium*, pro *æſtimatione* apud Frontinum & Aggenum in libro de Agrimenſ. *Pro æſtimio ubertatis loci.* Ita *ſtudium* a *ſtudeo*: *impendium* ab *impendo*: *præludium* a *præludo*: *opprobrium* ab *opprobro*: & infinita talia. Sic ergo VOLIANUS Deus a *volio*, voluntatis præſes Deus, ſi Latinus eſt Deus, & non a loco denominatus eſt. Vix poteſt aliunde deduci. NUMINA AUGUSTORUM, Auguſti ſunt, quibus illa inſcriptio dicata, ut & Voliano Deo. Divi fratres forte an fuerint, aut alii quicunque bini, aut terni ſimul imperarunt. Sed de binis potius. Literæ ſingulares C. M. non aliud exprimunt, quam id quod dixi. COLLEGIO MUNICIPII. Vox LOCIS non uno loco tribunal poſitum ſignificat, ſed pluribus. Nam & honoris gratia in pluribus locis eadem ſæpe poni ſolebat Inſcriptio. Autor vitæ Attici, de Athenienſibus, qui Attico plures ſtatuas conſecrarunt. *Quandiu affuit, ne ſibi poneretur ſtatua, reſtitit: abſens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipſi & Piliæ ſtatuas locis ſanctiſſimis poſuerunt.* Poſſet & dici *locis* poſitum pro *loco*. Sic apud Virgilium, *His poſuit fortuna locis*: & *Devenere locos*. Si quid amplius erit de quo dubites, verbo monitus facere conabor. Mea valetudo adhuc incerta. Alternis ludunt pedes inter morbum & ſanitatem. Spero meliora proximo vere. Ita illa cornix, de qua apud Suetonium. *Eſt bene non potuit dicere, dixit erit.* Vale Vir ampliſſime, & me, vel merentem vel immerentem ama. Leydæ. Non. Mart. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

BOnum factum, quod meæ & Menagii litteræ rationes tuas juverint: ſed noli mirari, quod tam belle inter nos convenerit, ut Batavis tuis fucum faceremus. Una enim res fuit, quam de compacto geſſimus, quaſi in Velabro olearii. Hinc quærere lubet, an ſemper piæ fraudes rejiciendæ? Habent illæ ſua commoda; quod invitum te cum ſevera tua philoſophia fateri neceſſe eſt. Vereris ne arte iſta, etiam adverſum te, aliquando utamur. *Parce metu, Vir ſumme, nihil tibi tale verendum eſt*: quod in tui gratiam fecimus, an etiam in tui injuriam facturos putas? Tum certe non induſtrii, non ſolertes, ſed bilingues & perfidi audiremus. In iſto negotio ſibi plaudet Heinſius: dum exiſtimabit vulnerum ſibi a te inflictorum obſtructas ita eſſe cicatrices, ut nullo pacto poſſent amplius recrudeſcere. *Tu verberando, ille vapulando ambo defeſſi eratis.* Quid facilius, quid rationi magis conſentaneum, quam ut tot laboribus aliqua quies ſuccederet? Et habes tu, magnanime Hercules, aliud quod agas, quam ut ſemper cum iſtis Pygmæis decertes. De Epiſtola edita, jacta eſt alea. Niſi velint fœdifragi audire, neceſſe eſt amarum illud ebibant κατ᾽ ἀπόνον. Monebat nuper communis amicus in ea, Herodem Infanticidam

non recte *Tetrarcham* vocari. Magnum quippe Herodem toti genti Præfuiſſe, non uni alicui tantum tetrarchiæ. Sed hoc leviuſculum. Majus videri queat, quod alibi habetur; *Prima* antiquitatis Chriſtianos, templa Idolorum pleraque a gentibus conſecrata, convertiſſe in templa vivi Dei. Primus enim Gregorius Magnus de conſervandis Gentilium templis decretum condidit. Epaonenſis Synodus Hæreticorum ædes ſacras deſtruendas pronuntiabat Canone XXXIII. Anno Domini D.XVII. quanto magis Paganorum. Honorius Templa Eccleſiis contulit, ſed ut evertere liceret A. D.CCC.XCIX. *In civitate notiſſima & eminentiſſima Carthagine Africa Gaudentius & Jovius Comites Imperatoris Honorii, quartodecimo Kalendas Aprilis, falſorum deorum templa everterunt, & ſimulacra fregerunt.* Verba ſunt Auguſtini de Civitate Dei lib. XVIII. Cap. ult. Duobus hiſce ἀντιπήμασι facili negotio ſuccurretur; ſi priori pro *Tetrarcham*, *Ethnarcham*, ſi poſteriori pro *Prima*, *Media* jubeas reponi. Dicebat alius Lacum Avernum non fœtere, ſed vicinam Scrobem Charoniam, quæ nunc *Grotta del cane* vocatur, tetrum odorem exhalare. Maviſacus noſter ſcribebat nuper te rogarem, ut meminiſſes Editionis *Pugionis fidei* Raimundi Martini, de qua coram tecum egerat: an ſcilicet vellet nobilis aliquis typographus iſtud opus ſubire. Si uno verbulo ſignificaveris, ſtatim librum ad te mittam. Cogor ἀδημονεῖν de tua Militia, nec tantam Cæſii tarditatem poſſum æquo animo pati. Dum tamen etiam moratur Paludanus, vir, ſi alius quiſquam, optimus, nondum fœlicis, licet tardioris, eventus ſpes decollat. Elegans eſt & erudita explicatio tua Nannetenſis Inſcriptionis, gratiaſque ago de ea gratiſſimas. Exiſtimaveram pro *Voliano* legendum eſſe *Volcano*: ſed abſit ut dubitem de priori lectione contra perſpicaciſſimos oculos tuos, cum etiam eam in hunc quoque modum deſcripſerit Gruterus M.LXXIV. 10. quem quæſo conſule: non nihil enim variat. Unum verbum turbat ſcilicet LOCIS. Quod cui jungam non video. Ut beneficium abſolvas rogo, id mihi explicare velis. Libris tuis donati ſunt amici omnes tui juxta adjunctos indiculos. Ego & mea te & tuam ſalutamus. Lutetiæ Pariſiorum. XII. Mart. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

FAcile tibi eſt pro immenſa tua ſummæ eruditionis & elegantis ſermonis copia longas literas ſcribere; rogoque ut tuam diligentiam ſemper imitari velis, nec ob mearum brevitatem ab iſto incepto recedas. Heri Peyrerio Præadamitarum ſomnolento auctori tradidi libellum Condæi Principis cum Antidæ monomania Matiſconenſi. Propter expeditam Latinæ Linguæ facundiam invitatus a Tegulario Legato in Daniam proficiſcenti. Ei ſeſe additurus eſt comitem. Adeo præceps fuit ejus diſceſſus, ut per tantam feſtinationem non licue-

licuerit epiſtolium faſciculo includere. Libenter etiam adjunxiſſem Curiæ ſubſidiorum placitum, quod deſcribendum curaveram: ſed non viſum eſt ſatis belle & curioſe exaratum, ut ad te mitteretur. Aliud exemplum fiet, quod quam potero ocyſſime iſthuc deſtinabo: & deinceps frequentiores ſeſe dabunt occaſiones. Te inter & Heinſium tranſactum eſſe negotium gauderem magis, ſi viderem tibi illud gratum eſſe. Nunc autem illud diſplicet & angit, quia credis eo te arctatum, libertatemque tuam imminutam. Exiſtimaveram illud incommodum melioribus compenſatum iri. Secus ſi accidat, fatebor iſtius Soli ingenia mihi parum perſpecta, nec adeo me tibi in diverſa tendenti præbebo difficilem. Retractas itaque Mutuaticiam controverſiam, & verum dixerat Paulus Dumajus? Bene ſit tam certo indici. Maluiſſent alii, & ego forſan inter cæteros, ut aliud ſaxum volveres. Sed olim nos aſſuefeciſti ſcripta tua non ex deſideriis noſtris, ſed ex tua voluntate & arbitrio metiri. Ubi ſarcinas librorum tuorum acceperis, tum demum merito tecum expoſtulabimus, ſi iſtis in minutiis tempus tibi pereat. Præſertim vero ſi inchoatum opus de primatu interjungas. Hoc unum habeat ſaltem purior Eccleſia, quo ſeſe te filio jactet. Ut enim reliquorum gratiam faciamus, impetrabit an extorquebit Gallicum Cœlum cui jam reſtituendus videris. Gazophylax typis deſcriptorum τετραδίων abolitionem nuper urgebat. Dixi rem non eſſe integram: nec ſi velles, poſſe te id præſtare poſt authenticum Elzevirio creditum. Mantiſſam de inſcriptione Nannetenſi Volianoque Deo ſatis laudare non poſſum. Unum illud *Locis* ſemper turbat: nec ſatis capio, qui poſſit illud verbum ita ſolitarie ſcriptum ſignificare, pluribus *locis* ſimile poſitum tribunal. Reliqua plana ſunt. *Voliani* quod propoſuiſti ἔτυμον non poterat luculentius explicari. Debebit tibi Deus ille παλιγγενεσίαν ſuam, cum antea miſere cum ſuo frigido lapide ſepultus tectuſque ignoraretur. Ut enim lateant diutius, quæ de eo tam ſubtiliter, addo & vere, a te ſunt enarrata, ingratus ſim ſi patiar. Sed vide ne iſta tua facilitate temeritatem meam irrites, dum video eam tibi ſuppeditare tam doctæ Scriptionis argumenta. Iterum itaque gratias ago, iterumque rogo ut tui ſemper ſis ſimilis. Satis ſecundus ventus nuper fuit in Bataviam veliſicantibus, unde exiſtimem tibi reddita eſſe tandem aliquando Cæſio & Paludano depoſita. Juſſus eſt Arnaldus Romam ad Pontificios pedes, librum ſuum deferre. Intercedit generoſe Academia Pariſienſis: intercedit etiam ſenatus noſter qui vetat tanta injuria Gallicanam Eccleſiam affici Rege puero, ut non judicentur ejus alumni in partibus; ut dicta eſt lex ex pactis conventis, quæ Concordata vulgo audiunt. Condæus, Cancellarius, Jeſuitæ in propoſito perſtant. Apud Ambianenſes Janſſenianum diſſidium populum ita dividit, ut armatus ad conciones adverſarias prodeat, vim facere paratus ni magiſtratus prohibeſſit. Apud Toloſates aliquid hujuſmodi factitari nuntiatur. En artes Jeſuiticas, quibus contra regni jura & commoda, omnia permittuntur. Nos Valemus: Tu & Tua ſalvete. Vale. Lutetiæ Pariſiorum XII. Martii. CIↃ IↃC XLIV.

a me olim fieri volueras, cum oſſilegium mitteres, in quo nihil itidem mutavi. Si quid utrobique peccatum, uterque mihi imputate. Tu vero humaniter, ut ſoles, reſcribe. Ille enim eſt Cadomenſis noſter, qui te plurimum colit & amat, quique ob immenſam ſuam eruditionem digniſſimis tuis meritis verum pretium ponat. Quandoquidem liber tuus de mutuo ſatis craſſus futurus eſt, conſulo ut alteram partem, quæ iſtud argumentum præſertim ſpectabit, Ampliſſimo Talæo inſcribas, quia ita te promiſiſſe audio: alteram vero, quæ diverſas juris ſpecies explicat, Petro & Jacobo Puteanis fratribus. Hi plus poſſunt quam τῶν πολιτῶν quilibet: præſertim qui ætate major eſt. Niſi enim ille negotium tuum conficiat, vereor ut diu trahatur & nunquam fiat. Nam neminem video, qui ad id ſtrenue ſeſe accingat. Poterunt duo iſti libelli ſimul prodeuntes una compingi, cum ſiremps ſit materia. Veretur Heraldus ne ſub calamum tuum cadat. Id ſi facias, poſſe ſe remordere muſſitat, non enim audet palam jactare. Poteris illum aliter perſtringere: ut enim id data opera & ex profeſſo agas, niſi forſitan ad Arnobium, tanti ille non videtur. Præterea hujuſmodi ſcripta adverſaria vix ferunt ætatem. Leguntur quamdiu contentionis calor animos excalfacit, quo poſtea deferveſcente ſeponuntur. Venio jam ad literas tuas, quas non dicam, ut ſoleo, fuiſſe mihi tota ſua prolixitate gratiſſimas. Earum ſane prima pars de voce *Locis* in inſcriptione Rhedonenſi jucundiſſima fuit, & quicquid adferri potuit ad eam explicandam, id a te allatum eſt. Itaque non amplius de ea negotium faceſſam, quin potius gratias debeo & ago ſummas. Sed quam illa grata, tam ſane poſtrema moleſta fuit. Primum mihi de taciturno Menagio fidem non habes, & tamen dicor abs te ſumme amari. Ergo me mendacem arbitraris, & cum hoc ſordido vitio amas? Quaſi vero non hoc tota urbe decantetur futurum, ut brevi ad nos redeas, ut neceſſe ſit hoc mihi a Menagio in aurem dici? Sed tamen nemo, ut dixi, operi manum gnaviter admovet, quodque omnes velle ſe profitentur, efficit nullus eorum, qui id facile præſtare poſſunt. Deinde iſtic tibi vita multis rationibus dura eſt & acerba. Utinam illam ego emollire & lenire poſſem! Utinam quas proponis difficultates omnes ſuperare meæ eſſet facultatis. Sed graves illæ ſunt? Immo graviſſimæ, quia domeſticæ ſunt & perpetuo ſeſe ingerunt. Non abnuo. Sed an hic te a mari liberum tranquilla tellus excipiet? Excipiet ſane ſi otioſum, ſi nihil ſcribentem habeat. Sed ſi Loyolitam pulſes, vel etiam irruentem repellas, tum væ tibi, Vir ſumme, qui ſacroſanctæ Societati audeas obſtrepere. Quid Ærodio, quid Arnaldo acciderit omnes norunt & ſtupent. Prior ille lectiones repetitis vicibus dictavit, bonis omnibus immo & malis execrabilis. Nemo iſtam doctrinam defendit, ab ipſis etiam Claromontanis Patribus aperte rejectam & damnatam. Non tamen licet univerſitati inſtitutam accuſationem apud Senatum perſequi. Typographus, qui libellum ſupplicem Rectoris excudit, in carcerem conjectus eſt, in quo ſatis duriter ante menſem habetur. Non licet Senatui de eo negotio cognoſcere. Aliunde, inquiunt, Reipublicæ cavebitur.

tur. Sed quæ pœna ſtatuitur in auctorem hujus καθῄρεματ☉. Amplius non leget in Collegio Loyolytico. An publice recantabit tam dira dogmata? Non leget amplius. Ita confectum eſt omne hoc negotium. Audi jam Arnaldi hiſtoriam. Librum ille grandem ſcripſit adverſus Anonymum Loyolitam ab Archiepiſcopis, Epiſcopiſve quindecim, Theologiæ Doctoribus viginti probatum & ſigillo regio munitum. Civitates multæ, has inter Toloſa, Aurelia, Sanctiſſimam doctrinam in cœlum evehunt. Quo præmio ille afficitur? Jubetur Romam proficiſci patriaque exulare, Pontifice eum non citante, nec de eo quidquam expoſtulante. Petavius hominem acerbe & injurioſe impetit, Princeps e ſtirpe regia Petavio auxiliaris accedit. Non auſus eſt Arnaldus Principi, auſus eſt Petavio replicare; edere non licet: immo deliteſcere cogitur, ne invitum Romam pellant cum Abbate Boiſſio & fratre Fulgentio miſere periturum, contra regni jura, concordata & libertates Gallicanas. *Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus; ſtant mæſti muſſantque Patres.* Quid ita? Adverſus Loyolæ gregalem ſcripſit. *Grande ſcelus quod non Tethys eluat omnibus undis.* Dum hæc ita palam & publice geruntur, rogant ſatis multi, an hæc ſcit amicus noſter, qui in Batavia degit? An ejus rebus ſatis cavent & proſpiciunt, qui eum iſtinc evocant? Quid importunis iſtis monitoribus reſpondeam? Hoc unum, Dominus providebit; & ſane ut apte & cito provideat eum ego ſupplex oro, teque omni iſta anxietate ut liberet. Me quod attinet, credas pervelim me adverſa tua & proſpera plane mea exiſtimare. Si nihil juvo, tenuitas mea in cauſa eſt, ſed ardentibus votis precibuſque cœleſtem Patrem fatigabo, ut adverſa minuat, proſpera augeat. Aliud etiam te volo. Habeo præ manibus puſillum volumen Epiſtolarum Huberti Langueti popularis tui, quod quanti faciam dicere vix ac ne vix quidem poſſim. Nemo ita familiariter, ita pure ſcribit. Quod autem lego, exemplar non eſt meum: nec apud bibliopolas noſtros diligenter quæſitum reperiri potuit. A te itaque enixe contendo, ut ſi iſtic parabile eſt, ejus tria quatuorve exemplaria ad deferenda ſimul cum *Ebenbitare*, Doctori Elmanno committas. Editus eſt libellus iſte Francofurti in officina Gulielmi Fitzeri Angli Anno 1633. Venio jam ad auream illam tuam Apologiam, qua Epiſtolam ad Menagium viriliter propugnas. De ea audi judicium meum. Non verebor hujuſmodi querimonias ad te porro deferre, adeo gnaviter agis cauſam tuam. Inauditus, fortean aliquando, certe auditus nunquam damnaberis. Ut præciſius de ſingulis dicam, plane acquieſco poſtremis duobus Capitibus & abſolvi mereris. De priore, quod nempe Tetrarcham Herodem Magnum facit, ſatis multa & præclara adfers ad elevandam accuſationem noſtram, non tamen, ut quod ſentio eloquar, plene perſuades. Quis enim Veterum Magnum Herodem Tetrarcham vocavit? Quis integrum Judææ principatum Tetrarchiæ nomine venire dixit? Immo Lucæ Capite tertio Tetrarchæ nomen aptatur tribus viris, ſingulas ejus partes vicaria poteſtate obtinentibus. Matthæi Cap. XIV. I. Herodes ὁ τετράρχης, cui tam de-

mum

mum ex fama Jeſus eſt cognitus, & Lucæ III. 19. & IX. 7. Actorum XIII. I. plane alius eſt a Magno. Fruſtra autem iſto additamento notaretur, ſi ὁ μέγας ita etiam appellatus fuiſſet, potuiſſetve eo nomine appellari. Quis etiam hunc poſtremum πτρϑέρχην unquam nominavit? Βασιλέα vocatum bis reperio Marci VI. 14. & Actorum XII. I. quod fuiſſe adulatorium volunt interpretes noſtri, & facile aſſentior, cum nihil minus eſſet ille quam Rex. Et reperiri fortean poſſent in N. T. aliquot loci, in quibus vox βασιλεὺς non abſolute ponatur pro ſummo aliquo imperio, ſed tantum pro magna aliqua poteſtate, licet non ſuprema. Sed ne literarum mearum ſolitum modulum transgediar, finio, ubi tibi tuæque a me meaque valedixero. Vale tu præſertim & me ama. Sæpius oblitus ſum, & pæne obliviſcebar; faſciculo, quem traditurus es nepoti Spanhemii, adde quæſo aliquot effigies tuas ex prototypo Mairiano. Vale. Lut. Par. IX. Aprilis CIC IƆC XLIV.

EPISTOLA LXXII.

CL. SARRAVIUS

Joanni Georgio Richtero.

Noribergam.

UNas tuas Lugduni III. C. Maji ſcriptas accepi: de prioribus enim, quas ad me Biturigibus dediſſe te ais, omnino nihil intellexi. Curavi ad amiciſſimum Gronovium, quas ad eum a me mitti voluiſti: eique gratias egi maximas, quod ſe auctore tibi tanto Muſarum delicio, Charitum animulo, literarumque ornamento innotuiſſem. Verum dico, Mi Richtere, ægre fero te a nobis tam cito divulſum: a me inquam, cui vix licuit ſignificare tibi quanti te facerem, cum in te vellem totos affectus effundere. Nec enim cum a me diſceſſiſti unquam exiſtimavi fore, ut huc non redires. Habeo ſane de quo hac in re ſilentium tuum accuſem: alias enim tota mente, toto animo te eſſem intuitus, meque quod officia mea tibi defuiſſent excuſaviſſem, eſſemque deprecatus. Quod itaque tum non licuit jam perago, ſummæ ſpei Adoleſcens, meque credas pervelim ſummo tui deſiderio teneri. Poſſem utinam animi mei ſenſa penitiſſima tibi reſerare: in eo quippe videres oris tui venuſtam liberalitatem, ſuaviſſimos mores tuos, & exquiſitiſſimam eruditionem tuam, me impenſe colere & amare. Tu quoque me viciſſim ama: & quid tibi tuiſque gratum præſtare poſſim, dic & factum puta. Vale. Lut. Pariſ. Prid. Idus Majas. CIƆ IƆC XLIV.

EPI-

EPISTOLA LXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Leydam.

MEa intereſt priſtinam tuam diligentiam ne deſeras. Si brevior fuiſti, quia non ſuppetebat argumentum prolixioris ſcriptionis, idque a me expectas, facile mihi erit variis quæſtionibus te fatigare, & ad veterem conſuetudinem retrahere. Vis experiri? non recedam a more meo te interpellandi de iis, quæ aliunde non poſſum diſcere. In Aurelii Victoris Schotti Epitome, quam ex notis tuis ad Hiſtoriam Auguſtam video tibi olim ita tritam, ut ejus editionem tunc pollicereris, Conſtantinus Magnus Imperator proverbiali locutione *Trachala* vocatur. *Trachala decem annis præſtantiſſimus, duodecim ſequentibus Latro, decem noviſſimis Pupillus ob profuſiones immodicas nominatus.* Quid iſtud verbi eſt? Aliquid παροιμιῶδες vel σκωπτικὸν denotare videtur; quod ſi placet & vacat, mihi ut explices rogo quæſoque. Quod nuper omiſi, cum mihi plus ſatis occupato non liceret aſcendere in Bibliothecam Regiam, ut inſpicerem, ſicut juſſeras, codicem manuſcriptum vulgatæ Bibliorum verſionis: delegavi iſtud munus Bullialdo talium peritiſſimo. Retulit in vetuſtiſſimo illo Caroli Calvi exemplari omnino legi in illo loco Jeremiæ, quemadmodum in vulgatis; *& ſuper omnes, qui attonſi ſunt in comam.* Itidem habetur in meo antiquiſſimo *in comam* & capite xxv. *in chomam*, quod non dubito eſſe exſcriptoris peccatum. Nullum proinde hinc conjecturæ tuæ ſubſidium, quod tamen in verſione Græca præſens & ſatis firmum videtur. In manuſcriptis ἀπομνημονεύμασι Concilii Florentini, quæ penes me ſunt, nihil legiſſe memini de tonſura presbyterorum & Monachorum: diligentius tamen inſpiciam, & ſi quid reperero ſtatim mittam. Curabo tuam ad Bochartum & Richterum. Pridem ad umbilicum perducta ſunt tria Legati Gothorum volumina in vetus teſtamentum. Hemeræus Doctor & Bibliothecarius Sorbonicus tum emendationi operarum præfuit, tum ſedulo inquiſivit in dogmata, ne quid ſecius & Romanenſi factioni contrarium irreperet. Quid ergo gaudia noſtra moratur? Cancellarius dare recuſat Cramoyſio typographo privilegium. Non eſt, inquit, conſecraneus noſter: qui non colligit nobiſcum, ſpargit. Quam belle procedit auctori iſta ſua συγκατάβασις: ſcilicet ſummo jure cum Roma & decretoriis armis agere tutius eſt; Averſatur illa, quæ videt ſibi blandiri, & fortiter irruentes formidat. Nos valemus, vos quoque valete. Lutetiæ Pariſior. VIII. Maji. CIƆ IƆC XLIV.

Summo deſiderio tenetur Gronovius videndi Epiſtolam ad Menagium. Si non licet per pacta conventa, ut eam a te habeat, monitus curabo ut voti compos fiat. Incipit vænalis eſſe ſecundus Arnaldi liber contra Petavium. Si in eo ſis, ut ſcribas de Pœnitentia Veteris Eccleſiæ, ſuadeo ut eum prius inſpicias, quam de ea aliquid edas, & curabo ut ad te prima quaque occaſione deferatur.

EPISTOLA LXXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ADerat mihi nudiuſquartus Juſtellus noſter, quocum de rebus tuis placidiſſime colloquutus ſum: facile conſenſimus non ferre rationes tuas, ut iſtic amplius moreris cum honorario ſolito. Et ille præ ſe fert, modo tibi non deſis, fore ut ad nutum tuum augeatur. Quod autem a te requirit, vide quomodo præſtare velis: nam ut poſſis, in promptu eſt tibi. Nempe ut aliquid Curatoribus & Principi inſcribas. Prioribus debes Primatum illum tuum, & in fronte ὀνομαστί omnes compellandi ſunt. Quos malis habere patronos in tam delicata controverſia non video. Poſteriori autem Militia tua dudum eſt deſtinata. Sed nondum, inquies, effectum eſt opus Gallicum, quod ei promiſi. Facile feret iſtam moram Princeps Pater, ſi interea quem habes Latinum librum confectum, Filio dedices. Quod ut facias, & ſtatim facias conſilium meum eſt. Nec te ab eo deterreat, quod eum mihi pollicitus ſis. Libentiſſime enim omni meo, ſi quod tamen eſt, jure, in tui gratiam cedo: & ſi neceſſe eſt, abunde ſuppetet aliunde tibi, quo immerentem me tali gloria poſſis ornare. Trimeſtri ſpatio potes iſta omnia conficere, adeo ut ſimul ſemelque quatuor tua opera prodire poſſint Gulielmo Principi, Curatoribus Leydenſibus, Audomaro Talæo & Puteanis fratribus dicata, ut certatim allaborent omnes te quibuſcunque officiis ſuis promereri. Hæc eſt mea ſententia, quam ſi tibi probari intellexero, tum me optimum fuiſſe conſultorem gloriabor. Nec video quid opponere poſſis. Sive enim iſthic porro degas, ſive inde exeas ὡς τάχιστα, Primatus tuus excludendus eſt foras & eliminandus. Si tantum hominibus noſtris libros dedices, merito queritabuntur Batavi, ſe a te ſuſque deque haberi, qui totum decennium a te neglecti ſunt. Poſſem plura hac de re, quam malo privatim tibi examinandam relinquere, ut ſolus quid melius fuerit decernas. Noli credere hæc omnia me inter & Juſtellum ita eſſe diſcuſſa & penetrata: in limine hæſimus. Itaque tota res eſt arbitrii tui, quam uni tibi hodie propono, & meæ ſententiæ ſat ſcio accedes. Vide quam confidenter. Certe quidquid prætexueris in contrarium, non admittere certum eſt. Certiſſima eſt tua emendatio in loco Chryſoſtomi, qui jam optime intelligitur, levicula illa mutatione, quam feciſti ex auctoritate optimi Gloſſarii, a te itidem emendati. Nihil magis appoſite dici potuit, ad ſanctiſſimi Patris mentem. Tuus itaque victor διωελισμὸς, cui cedat alter διοελισμὸς. Ago gratias, quod me hoc inter infinita alia docueris. De Tetrarchis, quam habes paratam, Diatribam quid publicare vetat? Tua iſta omnia, quæ ad ſcripturæ ſacræ illuſtrationem quomodocumque ſpectant, ſemper pronis animis accipientur. Quod cum dico laudo digreſſionem tuam epiſtolicam, quam ſcribere te audio *De coma Prohetizantium*. In eo Apoſtoli loco plurima ſunt, quæ accuratum examen requirant:

cum

eum praxi præſertim Romanenſium & noſtra quoque comparata. In verbo ἐξυσίαν multa eſt difficultas. Habeo penes me manuſcriptum codicem Latinum ſatis antiquum, in quo nitidiſſime habetur pro eo verbo *velamen*, quod in ſuis etiam vidiſſe ſe teſtatur venerabilis Beza. Jacobus Gothofredus non ita pridem emendavit ἐξύβιαν, quod Latinarum vocum cenſum augeat, ut ſit *exuviam*. Satis acute; non enim vere dicere auſim. Credo dici poſſe in gratiam iſtius conjecturæ, pellem, quæ animalis ἔνδυμα fuerit, poſſe etiam tegmen & velamen humani capitis eſſe. Virgil. Æneid. IX. *Dat Niſo Mneſtheus pellem horrentiſque leonis Exuvias.* Nunquid ut illis ſe indueret, ſicut vulgo pingitur Hercules leonis exuvias caput corpuſque totum circumamictus? Idem. lib. II. *Quantum mutatus ab illo Hectore, Qui redit exuvias indutus Achillei.* Sed & adductus a te Accii Locus idem revincit. De *Ebenbitare* te ſæpius, de *Demiro*, quem ne de nomine quidem cognoſcebam, nunquam interpellavi. Ubi poſtremum hunc reddiderit, poteris priorem mittere. In faſciculo, in quo extabat tuus Dioſcorides, quære ſedulo & invenies quoque Heraldi res judicatas. Scio enim, & certo ſcio me eas tractaſſe, cum de binis, ut dixi, unum feci. Vel aliquis librum ſubduxerit. Quod vix adducor, ut ſuſpicer, cum is tantum, nulluſque præterea deſideretur. Epiſtolæ ad Menagium exemplaria mittam prima quaque occaſione. Quæ in Arcudio repperi, habes in adjuncta Schedula. In Commentariis de Florentino Conſilio nihil inveni. De Clericorum & Monachorum tonſura fuſe, ut ſolet, Baronius diſſerit ad A. CH. LVIII. Si ea omnia examinanda tibi ſumas, prolixioris Diatribæ argumentum & materiam ſuggerent. Mihi ſimile vero videtur morem iſtum a ſervis manaſſe, qui etiam nunc in triremibus noſtris raſo capite conſpiciuntur, niſi quod capillorum pauxillulum iis in ſummo vertice relinquitur: velut cum Tertulliano dicam, in Pallio tuo, *cultri vertex ſolus immunis.* Ariſtophanes in Avibus. Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; ubi Scholiaſtes, ἦν δὲ τῶν ἐλευθέρων τὸ κομᾶν: quod & ibi ex Homero probat Biſetus. Vale. Lut. Pariſ. Pridie Pentecoſtes. CIƆ IƆC XLIV.

EPISTOLA LXXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Χρήματα χρειασῶ τινι. Ταῦτα ἐὰν καταβάλλῃ, οὐ δύναται καὶ παρ᾽ ἐκείνῳ εἶναι καὶ παρ᾽ ἐμοί: ἀλλ᾽ ἀπ᾽ ἐμοῦ μὲν ἀνεχώρησαν, ἐκείνῳ δὲ προσετέθησαν. Verba ſunt τοῦ χρυσοῤῥήμονος Homilia ſexta de Pœnitentia Tomo VI. Saviliano pag. 793. ex quibus viderit Alexius, an ex ſanctiſſimi viri ſententia, recte concludat *Mutuum non eſſe alienationem.* Certe niſi ſecunda de eo argumento Diatriba plane perfecta ſit, non erit inutilis hujus loci explanatio. Hæc de priori tuo Opuſculo. De ſecundo aliquid ut dicam. Percurrebam heri Salviani Maſſilienſis Preſbyteri editionem Ritterſhuſii ſecundam, qui ad hæc

auctoris ſui verba lib. VIII. De Gubernatione D. *receſis comarum fluentium jubis ad cutem tonſum videre*, nonnulla habet pag. 592. quæ accuratum examen merentur. Notat enim Tonſuram clericalem tanto in pretio, etiam olim, habitam, ut inde *corona* etiam dicta ſit Epiſcopalis dignitas, κατ' ἐξοχήν. Quod ſatis quoque probare videntur talium callentiſſimi Savaro & Sirmondus ad Sidonii ſui epiſt. 3. lib. VI. & epiſt. 8. lib. IX. At ego exiſtimaverim *coronam* tribui Epiſcopis, ut *monarchia* Leontio Arelatenſi Epiſcopo tribuitur ab Hilario Papa epiſtola 3. Tomo III. Concil. Gall. Sirmondi pag. 128. Locum non adſcribam vitandæ prolixitatis gratia & ſatis ſit indicaſſe. Nec omittenda tibi *Papalithra* in fictitia donatione Conſtantini ad Silveſtrum memorata, & a Balſamone explicata ad Nomocanonis Tit. VIII. c. I. ad can. Trull. XXI. De Coma & Tonſura clericorum habet nonnulla idem Sirmondus ad Sidonium commentarii ſui pag. 86. & 87. Ut & Laurentius Bochellus in Decretis Eccleſiæ Gallicanæ lib. 3. tit. 2. pag. 387. & pag. 992. *Sine tutuphis congruentem deferentes tonſuram incedant pſalmodiantes* & pag. 995. *qui cucupapham deferent in capite*. Vide totum titulum XIII. lib. VI. de vita & Honeſtate Clericorum: & præſertim hunc ipſum Bochellum in opere Gallico *Somme Beneficiale*, in verbo *Tonſure* pag. 1166. & ſeqq. Ut & veſtratem Florentem in Diſſertationibus Selectis Juris Canonici. Sed hæc hactenus. Poſt Romanenſium Comam etiam caput attingere conveniet, hoc eſt Primatum tuum abſolvere: alias jocarentur Pontificii minatum te ipſis χαρεγπομεῖν, ſolos capillos vellicaſſe. Sed & ſi duriter nimis clericalem iſtam comam vellas, neſcio an conſultum ſit librum vicinis meis dedicare. Quamvis enim, ut viros ſapientes decet, omnes iſtas minutias parum curent, nolunt tamen videri, publice præſertim, eas deſpexiſſe. Quod diſpicere te ſedulo velim. Sane, de conſilio tuo, nihil illis patefeci. Si uno & altero tantum loco calamus tuus efferbuit, mallem aliquid, rebus adhuc integris, te mutare, quam iſto calore tibi ipſiſque gratis nocere. Douchantius ὁ χιλίαρχος brevi iſtuc profecturus ad te deferet duodecim exempla epiſtolæ ad Menagium cum libro ſecundo Arnaldi, quem dicunt, frementibus licet Loyolitis, Romæ a ſancto, quod vocant officio, ita probatum, ut eum Barberinus Eminentiſſimus nepos juſſerit in Linguam Italicam verti, ne ſcilicet ſanctiſſimæ doctrinæ ſolis Gallis paterent arcana. Vale tu cum tua a me meaque. Auvræi adverſum prædeſtinatum Sirmondianum opuſculum Gallicum vix mittam: nullibi enim proſtat vænale, nec auctor ſciri vult. Vale plurimum Lut. Pariſ. XXI. Maji. CIↃ IↃC XLIV.

EPI-

EPISTOLA LXXVII.

CL. SARRAVINS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Σχολαστικὸς καὶ φαλακρὸς καὶ κουρεὺς συνοδεύοντες συνέθεντο πρὸς τέσσαρας ὥρας βιγλάσαι. ἔλαχεν οὖν τῷ κουρεῖ. Ὁ δὲ μετεωριζόμενος τὸν σκολαστικὸν κοιμώμενον ἐξύρισεν καὶ τῶν ὡρῶν πληρωθεισῶν διύπνησεν. Ὁ δὲ κνηθόμενος τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τοῦ ὕπνου καὶ εὑρὼν τὴν ψιλὴν ἔφη μέγα κάθαρμα, ὁ κουρεὺς πλανηθεὶς γὰρ ἀντ' ἐμοῦ τὸν φαλακρὸν διύπνησεν. Ἐκ τοῦ Ἱεροκλέους συντάγματος οἷσπερ ἐντυχών τις σωφρόνως μειδιάσει. Hæc habentur in tmemate XXII. In nullo præterea verbum πληρῶσαι, ullumve ejus verbale reperitur. Vapulet itaque quando ita lubet ὁ οὗτος. Sed an nomen appones? ille ſaltem tuo pepercit. Non auſus nuper reſponſare de Tetrarchis, jam audebo te contra ſtare, & omnia tua argumenta uno fere verbo elevare. Habeo nempe auctorem tibi opponendum omni exceptione majorem, ſummum virum, ſæculi noſtri verum & ſolum decus, οὕτως λέγεται καὶ ἐστὶ, quemque invita uſque fatebitur invidia omnibus numeris incomparabilem. Nec ubi ejus cognoveris nomen, vanum me dixeris, & faxo ſtatim ut reſciſcas. Ante tamen volo ejus rationes „ audias, quas melius non poſſum, quam ipſiſſimis ejus verbis expedire. Quod „ ad Tetrarchiæ nomen attinet, fallitur, ſi quis putat Tetrarchiam eſſe qua„ tuor provinciarum, aut oppidorum principatum. Ut ex Plinio conſtat, vel ſin„ gulæ urbes in Phænice ac Syria fuere Tetrarchiæ: proprie tamen ea vox ſi„ gnificavit quaternorum ſimul in una eademque provincia vel gente princi„ patum. Cum regio aliqua vel natio a quatuor viris regitur, ſinguli di„ cuntur Tetrarchæ, & ſingulorum adminiſtratio Tetrarchia. Sic Tetrarchæ „ ſunt Triumviri. Hujuſmodi Tetrarchas habuit Galatarum natio, qui in „ Aſia ſedes poſuere. Univerſa gens in tres populos fuit diviſa, moribus, „ inſtitutis, & lingua ſimiles. Singuli porro populi in quatuor partes diſtri„ buti, quarum unaquæque proprium habuit τετράρχην. Inde igitur Tetrar„ chæ dicti, quod quatuor eſſent in unaquaque gente. Vide Strabonem „ lib. XII. Singulæ etiam μερίδες dictæ τετραρχίαι. Iſidorus: Tetrarchæ ſunt „ quartam regni partem tenentes: nam τέτταρες quatuor ſunt, qualis fuit apud Ju„ dæam Philippus. Quatuor certe hæredes univerſæ dominationis, quam ob„ tinebat, inſtituit Herodes Magnus, quorum unus Ἐθνάρχης & βασιλεὺς „ dictus . . . . reliquit, duo Tetrarchæ, quarta, quæ ſoror fuit, „ aliquot. * . . . . . .

Lib. XIV. cap. 23. Phaſelum & Herodem ab Antonio Tetrarchas eſſe conſtitutos: Sed nondum Herodes ille Judæam integram regendam ſuſce-

* *Dimidia pars folii abſciſſa & ablata periit, ſed quæ ſequuntur in opiſthographo ejuſdem folii in ſuperiori parte habebantur.*

perat: quod ubi Phaſelo in captivitatem a Parthis abducto, ejuſdem Antonii beneficentia & poſtea ipſius Cæſaris contigit, tum ſane non amplius τετράρχης ſed βασιλεὺς dictus eſt. Auctor Joſephus libri ejuſdem capite XXII. ſtatim initio. Fer quæſo me tecum liberius agentem, Vir Magne, & fortean cum ſcholaſtico ridiculum, dum nempe te tibi oppono. Sed ſi quæ olim a te docti ſumus, aliquando nobis te ipſo magiſtro dediſcenda ſunt, quando tandem ſciemus nos in verum incidiſſe? Aliqua occaſione data hæc conciliabis: Abſit enim ut mea cauſa Diatribam ea de re ſcribas, quam ex tuis libris & literis omnino ſatis intelligo, nec amplius quicquam muſſitabo. Superiora omnia ſatis hilariter, ut vides, ſcripſeram, cum ecce tuas Hagæ exaratas accipio. Quid dicam? Turbarunt certe animi mei alacritatem. Non miror tamen eum, qui te inducit, mihi quoque illudere. Sed modo omnes ejus artes in noxium caput recidant: tuque iſta ſinceritate tua omnes iſtiusmodi offucias abſtergas. Quanto cum gaudio hæc Poetæ illi exprobrabo:

Vane. . . . . . . animis fruſtraque elate ſuperbis
Nequicquam ſolitas tentaſti lubricus artes.

Veruntamen ſit ille improbus, an non aliqui boni & fidi amici? Accerſivit Princeps an non, ut tecum ageret ſine fuco & fallaciis more majorum? De eo reliquiſque omnibus ſiles omnino. Nempe dimidiatum negotium vel etiam vix incœptum noluiſti vulgare. Conficiendum tamen eſt aut nunc, aut nunquam. Impatienter dramatis iſtius expectabo exitum, quem quæſo fac ſtatim reſciſcam, & de Conſtantino Trachala, an τρόχαλα? ubi in Muſæum redieris, doce. Vale tu cum tua a me meaque. Lutetiæ Pariſiorum XXVII. Maji 1644.

EPISTOLA LXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

RIdere voluiſti, quando veritum te ſcribebas, ne Græce reſcribendi onus a me imponeretur. Satis enim eſt mihi Latine ſcire & loqui, nedum ut in Græca lingua apud te præſertim, glorier; quod ut facerem nunquam in mentem venit, nec aliquando veniet, niſi eam habuero in aſtragalis. Ut librorum inſcriptionibus favorem magnatum venareris, non ſuaderem, niſi illis artibus, olim & nunc apud bonos & graves familiaribus, viderem eorum gratiam expugnabilem. Volunt illi coli & ornari ſecundum cujuſque animum & facultatem. *Quis enim virtutem amplectitur ipſam?* Nonnullis amicos, illos etiam nonnullis donare potes. Secus ſi facias certe non injuria de te expoſtulabunt, æmulique te calumniabuntur ὡς κυριότητας ἀθετοῦντα καὶ δόξας βλασφημοῦντα. Sequere itaque conſilium meum, quod non poteſt non bene cedere. Hieroclis τὰ ἀστεῖα aliud fere agens, culpam fateor, legeram, & quem nuper miſi locum deſcripſeram. Ea dum diligentius revolvo in capite περὶ ὀκνηρῶν hæc inveni, quæ interpretationi tuæ adverſus Heraldi objectionem,

nem favere videntur. Ὀκνηρὸς ὀκνηρῷ ὄφειλε δηνάριον. Ὁ δὲ φησὶν εἰς τὸ μάσταυλον μὴ δέδεται, λῦσον ἄρον. ὁ δὲ ἄπελθες φησὶν ἐπληρώθην. Ita ſcripta habentur in codice IS. Voſſii. Pro μάσταυλον, quod quid ſit non reperio, vide num legendum ſit μαρσύπιον: aliquid certe hujuſmodi intelligendum eſt. Pro ἄπελθες exiſtimo ſcribendum ἄπελθε, *abi*. Habet nonnulla Iſaacus Habertus, *De ritu tonſura a Lectoris ordinatione minime ſejuncto apud Græcos*, in nupero libro cui nomen fecit Ἀρχιερατικὸν ſive *Pontificalis liber Eccleſiæ Græcæ*. Quia ſcio Petrum Blaiſium, qui eum anno ſuperiore excudit, exemplaria iſtuc miſiſſe, obſervationem non deſcribam, quæ habetur pag. 41. & 42. Secus enim fieri notat apud Latinos, qui ſtatim poſt Baptiſmum, vel octavo aliquando die, infantes tondent. Tu & tua Salvete a me & mea. Lut. Pariſ. III. Jun. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Samaſio.

Lugdunum Batavorum.

REddet tibi de quo nuper ſcribebam faſciculum, Andelottus Caſtellionæus. Sed vereor ne in obſidione Gravelingana aliquandiu moretur. Quod ſi forte contingeret, rogatus eſt, eum ad te prima quaque occaſione mittere. Emendaviſſe me ex feſtinatione præcipiti natum peccatum, dum Hieroclis γελοῖα evolvo, ex litteris meis poſtremis cognoveris. Laudo quod Sancolumbani querelis non tangaris. Palam & publice cauſa acta eſt. Non ſolum Talæus, qui eam primus vulneravit, ſed alii omnes, qui judicaverunt, conſenſerunt in ejus damnum. Itaque cunctis conſpirantibus non fuit comperendinandi locus, & miſericordiæ genus fuit cito occidiſſe. Urget negotium aulicum Talæus: ſed Magnates noſtri, quibus de eo decernere incumbit, ſunt jam occupatiſſimi propter undecumque bella parum proſpera. Expectat itaque occaſionem, aſſumitque ſibi ſocium Puteanum, cujus conſiliis res non poteſt non procedere. Tu interim magnanimam gere mentem. Involve te virtute tua, donec lux hinc aliqua affulgeat. Cum ſciam te variis diſtractum eſſe curis, volebam a te interpellando ceſſare: ſed non patitur Guyetus noſter, qui cum nuper incidiſſet in Horatii vitam; rogavit ut de loco difficili ſententiam tuam requirerem: quod viro doctiſſimo negare non potui. Verba hæc ſunt: *Bello Philippenſi tribunus militum meruit: victiſque partibus venia impetrata* SCRIPTUM QUÆSTORIUM *comparavit*. Quid ſibi velint hæc verba ipſe doceas; qui me ſoles omnio docere, minima, maxima, mediocria. Percurri Donii orationem de Pænula ſacra & profana. Satis leviter videtur omni iſto negotio defunctus. Invenies in Præfatione Naudæi ad Slingelandum, quod exiſtimare poſſis de te dictum: quando Gronovii & Ferarii laudat minutulas De Seſtertiis & Re Veſtiaria commentatiunculas,

las, præ illis voluminibus, quæ mole ſua lectores obruunt. Sed nolim eſſe te ita delicatulum, ut iſtis immoreris. Non omnium, qui litteras hodie colunt, immo nullius eſt immenſam copiam tuam imitari. Ego ſane iſtorum jejuna & famelica ſcripta deſpicio, qui ſtatim ac cœperunt deſinunt: quia nempe domi curta ſupellex, & parva penus parvo ſpatio conſumpta perit. Ne itaque rideatur ludibrioque ſit eorum tenuitas, occupant ingentes tuos bonæ frugis acervos plenaque horrea damnare. Tu vero Sol eruditorum, perge litterarium orbem illuſtrare magno puroque lumine, nec niſi cum Sole cœleſti extinguitor. *Noſtris* DEUS *annue votis*. Mea te tuamque ſalutat, ego vos ambos. Lutetiæ Pariſiorum XVII. Junii. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXXX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

FAuſtum tuum in Latium reditum tibi gratulor, mihi gaudeo cui tam elegans, tam erudita inde provenit epiſtola. De Exuviis facile conceſſero Lemanni Lacus accolam parum fœliciter Paulinum locum attentaſſe: & de *Trachala*, quod emendas in *tria cappa* idem facturus; ſi acumen proverbiale intellexero. Ubi ſunt illa *tria Cappa* quæ Conſtantino attribuuntur? Si enim *crudelitas*, *clandeſtina molitiones*, *calumnia* aut aliquid tale notaretur ab Aurelio Victore, procederet emendatio & aſſenſum meum facillime mereretur: ſed decem primis annis audit præſtantiſſimus. Cogor itaque ſecundas tuas curas expectare. Exiſtimaveram τρόχαλα legendum eſſe, ut alluſio fieret ad ternas illas mutationes, quæ ibi arguuntur. Certe τροχαλὸν τροχαῖον ταχὺν (male vulgo τραχὺν) ἢ περιτρέχοντα id eſt verſatilem, mutabilem explicat Heſychius: & ἐπιτρόχαλον ποικίλως καὶ ταχέως ἐπίτροχον. Sola terminatio negotium faceſſebat. Sed in illo ipſo Heſychio habetur τροχαλᾶ τὰ καινῦν φέρομεν εἰς τὰς θυσίας [illegible]. Juva quæſo conjecturam meam, quæ a vulgata lectione minimum abit. Vix credam Gaulminum auctorem eſſe epiſtolæ dedicatoriæ τοῦ Ἀρριανοῦ τοῦ Κυνηγετικοῦ. Sectatur enin Condæi, non Aurelianenſis aulam. De Holſtenio adduci non poſſum ut exiſtimem. Ab ipſo typographo reſciſcam & ſcribam. Sed hui! Verſionem doctiſſimi iſtius tot ſcatere mendis quis ſuſpicetur? Non eſſe iſta tuæ ætatis recte dicis. Sed brevi iſtuc accurret Voſſius, qui a te monitus poteſt iſtam provinciam capere. Uſus prudenti tuo conſilio mittam ſtatim ad R. Criticam ſacram Capelli. Auctor rem omnino voluit eſſe arbitrii mei, ut eam ad te vel ad illum mitterem. Malui tibi obſequi, quam incurrendo in τοῦ Βόρ. zelotypiam negotium iſtud diſturbare. Tu tamen ita quæſo precorque juva optimi viri vota, cum ſacrarum literarum utilitate conjuncta. Interea habes hic Capelli epiſtolam, qua videbis bonum illum virum optaviſſe tibi eſſe obnoxium ob iſtam editionem: & feciſſem ſane, niſi in ipſius gratiam reclamaſſes. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DE Aurelii Victoris loco libens do manus: quamvis ſupereſſe videatur aliqua difficultas. Cum enim de tribus malis Imperatoribus, Conſtantino, Conſtante & Conſtantio uſurpatum fuerit illud proverbium, neceſſe eſt ut his demum defunctis locum habuerit & invaluerit. Atqui prout leguntur hæc verba apud Victorem, Conſtantino vivo & vigente in ore populi, fuiſſe videntur. Sed non eſt id tanti, ut amplius de eo ſim moleſtus. Bene eſt quod Comæ tuæ ſtatuis aliquem modum: prolixior enim decere non poterat. Levi manu obſervationes Heraldi tractandæ: leviculæ enim ſunt pleræque, ſi non omnes; nec illis confutandis, niſi quia te tangunt, ullum eſt operæ pretium. De librorum inſcriptione ſileo, quia conſilium non probas: iſtius gentis mores abſit, ut credam meliu a me talium ignariſſimo cognoſci, quam a te ſolerti perſpicacique incola. Criticam Sacram ad Rivetum defert idem Douchantius, cui non ita pridem commiſi alium faſciculum tibi reddendum: nondum enim per domeſtica negotia licuerat hinc diſcedere. En tibi alias a Capello literas dudum, ut opinor, ſcriptas, miſit Bochartus. Quas ad eum, Dallæum & Maquum miſiſti, curavi ſedulo. Monet noviſſime Mauſſacus Heinſium ſcripſiſſe ad Croium literas plenas gratiarum actionis, quod ſuas partes ſequutus eſſet adverſus Balzacium; eumque rogaſſe ne in Animadverſionibus ad N.T. duriter ſecum ageret. Non enim eſſe ſe auctorem, quicquid malevoli jactent iſtius procraſtinationis, qua editio obſervationum ejus diu trahitur. Quia voluit, hæc ad te perſcribi, voluntati viri amici obſequutus ſum; alias omnia iſtiuſmodi neglecturus. Inde tamen colligere eſt Doctorem Monoſyllabum non irritare adverſarios ſuos: quin immo illis ſubblandiri. Voluiſſet utinam eadem arte tecum experiri: vel potius utinam olim is ei mos fuiſſet. Sed quia jam videt ſibi a te acriter ſatis bellum indictum & geſtum, prenſat alios, quo inimicorum numerum minuat. Qua in re ſi generoſitatem deſiderare cogor, prudentiam & verſutiam humanam improbare non poſſum. Milleterius hinc inde damnatus redactus eſt ad incitas: exiſtimat tamen Pelides cedere neſcius impune ſibi licitum fore contra Sorbonicos ſtimulos recalcitrare, ut ante ſeptennium Alerconenſem cenſuram ſuſque deque habuit. Inflictas ſibi graves has plagas lapis ſit, ne ſentiat. Omnia ergo ejus conſilia in fumos abiere. Diſcant inde Henotæ omnes, veriſſimum eſſe, quod dudum jactamus & vociferamus, amare Romam ſuas ſordes, ſua vulnera. Rei geſtæ ſeriem cenſura palam faciet. Mitto interea undecim propoſitiones, quæ bilem moverunt ſapientiſſimis magiſtris noſtris. Proxima ſeptimana Decretum edetur, affigetur & per Urbis plateam proclamabitur. Vale tu cum tua & ſalvete a me meaque. Lutetiæ Pariſior XXV. Junii. CIƆ IƆC XLIV.

EPISTOLA LXXXII.

CL. SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

HAga tandem in hanc urbem reverſo, video mihi in Latium eadem via & eodem die eſſe redeundum. En quantum iter & quam longum; quam brevi tempore confici debet in tuam gratiam. Sed quoniam hoc onus ſemel impoſuiſti, perferendum, cujus laboris amplam videor mercedem percipere, tot Latinas tuas elegantiſſimas litteras. Audi itaque de SCRIPTO QUÆSTORIO, quod ſibi comparaſſe dicitur Horatius poſt Philippenſe bellum. Nomina hæc verbalia neutrius generis, quale eſt *Scriptum*, non ſemper τὸ ἀποτέλεσμα ſignificant, & quod actum eſt; ſed quod agitur, & ipſam actionem. *Scriptum* itaque *Quæſtorium* eſt officium Scribæ Quæſtoris. Ut enim γραμματεὺς dicitur Græcis *Scriba* a voce γράμμα; ita & *Scriba* eſt Latinis, qui Scriptum facit, qui Scriptum emit. Emebantur quippe iſta officia, & *Scriptum emiſſe* dicebatur, qui emerat. Codicillum aliquis poſſet interpretari, ſed inſcite. Nam in hoc ſolo ſcribarum officio vox *Scriptum* ſolita uſurpari, quæ munus ſcribæ omnino ſignificat. Vis alium teſtem? ecce idoneum. Veteres Gloſſæ Juvenalis in Sat. V. de Sarmento, cujus ibi mentio, hæc narrant. *Sarmentus natione Thuſcus; e domo M. Feronii; incertum libertus an ſervus, plurimis forma & urbanitate promeritis, eo fiducia venit, ut pro Romano Equite ageret: decuriam quoque Quæſtoriam compararet. Quare per ludos, quibus primum in* XIV. *Ordinibus ſedit, hæc a populo in eum dicta ſunt:*

Aliud Scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat;
Digna digni. Hic Sarmentus habeat craſſas compedes.

Notabis interim *decuriam Quæſtoriam* comparare, & *Scriptum Quæſtorium*, idem eſſe. Hoc igitur voluit populus, cum in Sarmentum in XIV. Ordinibus ſedentem iſtos verſus funditavit; aliud ſcriptum habere Sarmentum, nempe decuriam Quæſtoriam, vel officium ſcribæ apud Quæſtorem, aliud populum voluiſſe ut haberet; nempe γράμμα vel ἐπίγραμμα in fronte, ut ſervis nequam, qui fugerant ſolebat inſcribi. Paulo poſt idem auctor *Scriptum* appellat, quod *decuriam Quæſtoriam* prius dixerat. *Jam autem ſenex in maximis neceſſitatibus, ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctionari, cum interrogaretur, cur ſcriptum quoque venderet; non infacete bonæ ſe eſſe memoriæ reſpondit.* Ita enim hæc verba legenda ſunt, quæ vulgo in editis habentur corruptiſſima. *Scriptum* ſimpliciter dixit pro *Scripto Quæſtorio*, ut in verſibus populi. Luſit in ambiguo, cum dixit ſe bonæ eſſe memoriæ, ideoque Scriptum vendere, quia qui memoria non valent, de ſcripto recitant, quod dicunt. Ordo ſcribarum Quæſtoriorum honeſtiſſimus fuit, ut docet Cicero III. in Verrem: de iſto ordine ſcribit ita loquens. *Ordo eſt honeſtus quis negat? Aut, quid ea res ad hanc rem pertinet? Eſt vero honeſtus quod eo-*

rum

rum hominum fidei tabulæ publicæ & pericula magiſtratuum committuntur. Magna quoque eorum fuere emolumenta & commoda. Ex pecuniis publicis, quas pendebant populi vectigales vel ſtipendiarii, duas quinquageſimas quidam quæſtores & prætores deducebant, quæ commodis cederent ſuorum ſcribarum, & id Verrem feciſſe Cicero arguit. Equites etiam Romani plerumque fiebant, & annulo aureo donabantur. Et Verres ſcribam ſuum annulo aureo donaſſe traditur ibidem a Cicerone. Sarmentus quoque poſtquam decuriam quæſtoriam emiſſet, pro equite Romano ſe geſſit. Liberti plerumque, & qui ſervi fuerant hujuſmodi decurias Quæſtorias ſive Scripta Quæſtoria ſibi comparabant, ut ad Equeſtrem dignitatem pervenirent. Ita Horatius, cum Libertino patre natus eſſet, finita militia, quæ male ſucceſſerat, ſcriptum emit quæſtorium, ut pro equite Romano ſe poſſet gerere. Iſta ſcripta quæſtoria vendebantur cum reliquis bonis in auctionibus; cum ejus, qui ſcriptum habebat, bona ſub haſta vænibant. In reſponſis Adriani de quodam habetur filio, qui queſtus eſt apud Imperatorem, cum bona patris adjudicata fiſco fuiſſent, decuriam ipſi quoque ereptam fuiſſe & confiſcatam. Mentio in antiquis inſcriptionibus frequens, *Scribæ librarii quæſtorii, trium decuriarum, & quatuor & quinque decuriarum.* Sæpe etiam corrupte ſcribitur SER. LIB. pro SCR. LIB. id eſt *ſcriba librarius.* Fuere & *Scribæ Tribunitii, Ædilitii,* quorum officium etiam *Scripti Ædilitii* nomine, & *Scripti Tribunitii* dici potuit. Habeo de his alia multa, ſed hæc ſufficere nunc opinor. Vale. Ego & mea tuam teque ipſum ſalutamus. Leydæ XXVII. Junii. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA LXXXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

VIdet jam Milleterius, niſi plane cæcus eſt τότε νοῦν τότε ὄμματα, duram ſe conciliationis cepiſſe provinciam. Hinc inde vapulat, jacetque inter duas medius ſellas. Eo tamen confidentiæ an ſtultitiæ devenit, ut necdum de conſilio ſuo deſperet: Improborum hominum factione innocentiam oppreſſam eſſe clamitat & inauditum damnatum: vitio latam eſſe Cenſuram docebit, & ad æquos provocabit judices. Hæc viri conditio eſt. De Tutaphis & Cucuphis quæ ſcripſiſti veriſſima arbitror, nec amplius inquirendum. Hæc quæ ludibundus ſcrutaris & penetras, aliis ſunt impervia. Itaque quacunque occaſione innumera talia ingere magno uſui ſemper futura. Bene prætuliſti Comam Mutuo: Caput enim pecunia pretioſius. Sed quidquid eſt, utrumque tandem depropera & finire labora. In nobili argumento licet & juvat diſcurrere & pro magnifico habetur: ſecus in tenui, quod levi brachio tractandum eſt. De Stuartio Philoſopho quid dudum actum ſit vix reperio: ſpes tamen eſt brevi cognoſcendi, & certiorem te faciam. Spanhemius apud vos de Gratia Univerſali adverſus Theologos Salmurienſes diſputat: Noſtris non

 pla-

placet ſopitam controverſiam ſuſcitari. Viderit ille num iſti invidiæ par ſit. Certe ægre ferunt adverſarii iſtas theſes proponi & edi, ſeque reſponſuros minitantur. Nihil opus eſt id ex te reſciſcat, ab aliis, certo ſcio, monitus. Sin ulterius pergat, vereor ne id malum *ſuo invento* ſibi accerſiverit, cui amoliendo qui auctores fuerent non ſufficiant. Duncanus Coronæ Suedicæ Agens in hac aula tranquillitatem Legati Gothici turbat. Magno honore ſuſceptus eſt a Lomenio. Ajunt viam, quam iniit ad pacem Eccleſiaſticam, Procerum animos ab eo alienaſſe, ipſius etiam Cancellarii Oxenſtiernii præcipui ejus fautoris. Ego quoque brevis, donec habeo quod addam. Vale tu cum tua a me meaque. Lutetiæ Pariſior. Kalendis Juliis. CIↃ IↃC XLIV.

A me diſcedunt Ramburtius Sedanenſis Eccleſiaſtes & Blondellus noſter, a quibus didici Stuartium, de quo percunctaris, pedem fixiſſe Londini ante aliquot annos, ibique bonis partibus eſſe addictum: quin etiam non ita pridem in lucem edidiſſe aliquem libellum adverſus eos, qui illic Independentes audiunt, quia Synodos Provinciales & nationales rejiciunt, dum conſiſtoria volunt αὐτοκρατορικῶς regere τὰ τῆς ἐκκλησίας. Cætera dicunt eſſe inſignis doctrinæ philoſophum, ſed pacis inter collegas parum ſtudioſum & ſuperbulum. Sed non admitteret ille indifferenter Sedanenſes ad teſtimonium de ſe dicendum. Hæc præterire non debui. Iterum vale. Adjunctas literas Benterii Toloſani Senatus Principis, una cum Antonii Dadini Alteſerræ libro de Ducibus & Comitibus Provincialibus Galliæ, attulit jamjam Milleterius una cum opuſculo ſuo a Sorbonicis cenſura notato. Libros feret Voſſius qui ad iter ſerio ſe accingit.

EPISTOLA LXXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Hæret animus τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον miretur & laudet, in poſtremis tuis litteris. Tam cito, tam erudite, tam copioſe, tamque eleganter potuiſſe te quæſtioni noſtræ ſatisfacere? οἷος πέπνυσαι. Humanum id captum ſuperat, omnia noſſe, in monumento habere & expedite eloqui. Quid amicum noſtrum ſentire exiſtimas? Plane obſtupuit voxque hæſit faucibus, lectis illis, quæ ſuper ejus ἀπορίᾳ ſcripſiſti. Crederes illum magico aliquo carmine defixum, devinctumque. Vive diu vere ſoluſque διδάσκαλος οἰκουμένης, & ſcientias omnes plena manu undiquaque ſparge, effunde. Sed præſertim ſanctioribus da te litteris, ad quas ornandas ab amicis omnibus, ab ætate tua ἐν τῇ ἀκμῇ maturiſſima, ab ingenio etiam tuo, quotidie excitaris. Tum demum τῶν ὄντων, τῶν δ' ἐσσομένων πρό τ' ἐόντων coryphæus merito audies. Et cum tui inferior ætas meminerit, celſo tonabit ore ΜΕΓΑΛΑ ΧΑΡΙΣ ΑΥΤΩ. Et quia video te, pro ſumma humanitate tua, quæ cum doctrina immenſa conjuncta καλὴν facit συζυγίαν, æquo animo ferre libertatem meam: non verebor de legitimis quæſtionibus te interpellare. Et quando ſæpius modeſtiæ

ſtiæ fines jam videor trangreſſus, gnaviter ero impudens. Interea ago gratias quantum poſſum maximas, rogoque credas me hiſce tuis beneficiis ut imparem repenſandis, ita agnoſcendis prædicandiſque ſemper fore paratiſſimum. Proxime ſcripſi querelas Theologorum noſtrorum ſuper Profeſſoris Germani de Gratia Univerſali theſibus: illi ipſi a me flagitant, ut earum exemplar nanciſcar, quod ſi per te obtinere poſſum, rem feceris bonis viris tui ſtudioſiſſimis & pacis ſectatoribus cupidis, gratiſſimam. Beneficium tamen tuum eos iſta vice celabitur, quia iſtic poſſet tibi nocere, ſi ſciret ille nos per te voti factos eſſe compotes. De Coma tua nihil dicis an adhuc creſcat? Pone modum iſti ſcriptioni. Abibunt in proverbium Salmaſianæ Epiſtolæ, ſi pergas iſtum titulum libris tuis præſcribere. De Stuartio Philoſopho brevi reſcribam. Mercerius Vitriacenſis ejus Affinis a me rogatus eſt, ut eum percunctaretur, num vellet in nobiliſſima Academia artem ſuam profiteri bonis conditionibus. Urbem non deſignavi: quapropter ſi ad eum Londinum ſcribas, ſuadeo ut de me aliquid addas, ne forſan exiſtimet ſe hinc inde poſtulari & moras nectat, quod procul dubio facturus eſt, ſi unam Provinciam duas arbitretur, idque credere pronum erit a tam diverſis partibus petito. Serius accepi ab Albertino noſtro ante octiduum has literas, quas idcirco nunc demum mitto. Vale tu tuaque cum ſolita a nobis ſalutatione. Lutetiæ Pariſior. 8. Julii 1644.

EPISTOLA LXXXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Mihi plaudo, quoties cogito quam bene ſuccedat mihi conſilium illud meum, quo te rogavi ut ad me Latine deinceps ſcriberes: dum ſcilicet ſingulis ſeptimanis iſta occaſione aliquid doces, quod non ita commode familiari & vulgari noſtro ſermone procederet. Ecce enim in poſtremis radicitus evellis, quicquid ſupererat difficultatis, in loco Victoris, de quo ſtuporem meum fateri cogor, ejuſque meritas pœnas deprecari. Quam deinde grata, quamque plana ſunt omnia illa, quæ adverſus Donium diſputas de *pænula*, *planeta*, *caſula*. Perge quæſo hiſce me beare, nec operæ parcere velis ſententiam tuam promendo ſuper hujuſmodi novitiis ſcriptoribus. Judicium certe meum iſtis cenſuris tuis inſtrui & firmari video, dum plane agnoſco non eſſe ſtatim adhibendam fidem omnibus illis, quæ eruditului iſti ſcriptitant. Serius tandem prodiit in lucem Cenſura Facultatis Theologicæ adverſus Milleterium, quæ in gratiam trium Approbatorum, quorum nomini parcitum eſt, bis terque emollita fuit. Quod tamen celſum Conciliatorem ſpectat, continet ea, quibus ille fautoreſque ejus, ſi qui ſunt, impoſterum fateantur luſiſſe ſe operam. Arnaldus etiam, quem ſibi clam adſtipulari Bachetus arbitrabatur, epiſtolam edidit ad Præſules ſui libri Approba-

tores ſcriptam, in qua damnatum poſtea librum erroris, falſitatis, & hæreſeos accuſare prævertit. Hæc tamen omnia κατ' οἰκονομίαν fieri, jactat Henotes. *Credat Judæus Apella.* Sed quid huic homini facias? Eum ego, qui tam inſanum ſapit, Deo irato ſuo relinquo. Brevitatem quod tibi commendavi, factum id a me eſt propter argumenti, quod in manibus habes, pondus leviuſculum præ illo, quod tibi poſtea tractandum eſt, Papæ ſcilicet Primatus, in quo abſit modum ut requiram. Cæcus ille τυφλὸς τούς τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ nigreſcat ſuis tenebris; ſuas amet ſordes, ſua vulnera. Ego hic finio cum ſolita ſalutatione, quam tibi & Cajæ tuæ debeo, reddo. De Hugenii Carminibus in tui commendationem nihil ſcribis, nec quis eum tibi conciliaverit. Fallor, aut Doctor Monoſyllabus ea oculis aſpicit parum æquis. Plura non addam forenſibus pæne obrutus negotiis, quæ ſuperiora vix exarare ſiverunt. A decem aut quindecim diebus calore torremur ardentiſſimo. Vale tu cum tua a me meaque. Lutetiæ Pariſior. 15. Julii 1644.

EPISTOLA LXXXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NOn ita eſt. Exerte reſpondi ad quæſitum illud tuum, quo rogas an non ita ſit, ſolere me interdum fingere plurimum mihi placere quæ ſcripſeris, quamvis revera maxime diſpliceant. Nec ſane is ego qui cuiquam, nedum tibi viro forti, quicquid dicam, ſed non duro, ſententiam meam ita largiri contra meam mentem ſoleam. Et poſſum tibi revocare in memoriam, pectoris mei robur & æs triplex, quando non ita pridem de Tetrarchia & Tetrarchis, ad faſtidium moleſtus fui: qua potui elevando meis & aliorum quoque verbis, omnia illa, quibus opinionem tuam firmare nitebaris. Aſſentator ſim, non amicus, ſi omnia inexplorato approbem, quæcumque amico ſemel arriſerunt. Quæ ſupra captum meum aſſurgunt, ſilentio & prona mente revereor: ſed ut calculum apponam meum iis, quæ improbo, improbus ſim & audiam, ſi faciam. Comam tuam ad talos deductam an ulterius creſcere ſines? μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. Pro una epiſtola, duas treſve aut plures ſimul de eodem argumento necte, laudabo copiam: ut immenſum unam ad unum producas, erit inter exempla, quod exemplis tueri nequis. Scio varium eſſe & longe lateque diffuſum iſtud argumentum; nullumque pene eſſe in humano capite crinem, qui ſuam formam non habeat; ſi ſingulas gentes percurrere lubet earumque ritus & inſtituta inveſtigare. Verum ne abeant in proverbium *Salmaſiana Epiſtola.* Sollicite caveo me in meis ad B. aliquid de te vel alio quolibet excidat, quod quiſquam arguere poſſit. Hominem intus & in cute noſſe mihi jam videor ſumma φιλαυτίᾳ ebrium, rumorum captatorem ſedulum, magnorum virorum æmulum & arroſorem. Facile credo Criticam ſacram

cram Capelli non ſtatim iſtic excuſam iri: ſed habemus hic ad ipſum prototypum accuratiſſimum exemplum, ad quod poterit alibi editio adornari, ubi conſtiterit malis artibus diutius quam par ſit eam trahi. Et ſane liber ille hujuſmodi fundamentis ſuperſtructus eſt, quibus ad calumniam pronum eſt iter. Veruntamen quicquid minitentur, collatis viribus manum conferant, & Salmurienſem profeſſorem aggrediantur, iniquiſſima erit iſta concertatio. An Conſtantinus Imperator pro punctorum antiquitate adhuc pugnat? Næ plurimum imminuta ejus apud me eſt eruditio, inventis glandem qui non faſtidit ariſtis. Oblatrent quantum velint, rictuque canino obganniant, nunquam admordebunt. Diſſentire a viro doctiſſimo cuivis liberum eſt, ſed eum erroris revincere in ſuo Arcano Punctationis Revelato poſt Buxtorfium, id non auſum quis audeat? Vale tu cum tua a me meaque. Lutetiæ Pariſior. 22. Julii 1644. Expoſtulantis in modum dixit mihi ampliſſimus Talæus per te ſtare quominus omnino repatries. Vide quid ille a te exegerit, & concede vel nega. Si enim annuas, omnia plana & prompta pollicetur, ſi renuas, os tibi occluſum eſſe ait: Primatum tuum vellet jam editum eſſe. Poſt Sorbonicam Cenſuram Romanenſes adverſus Milleterium inſurgunt ſatis acriter. Hos inter neſcio quis Binardus Presbyter. Haud belle cum conciliatore agit in Parænеſi ad Reginam, cui gratulatur ea Galliam moderante hanc doctrinam compreſſam & eliſam.

EPISTOLA LXXXVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

PArcam deinceps tibi obſtrepere de epiſtolis ſcriptiſve tuis, cum videam libertatem meam moleſtiam tibi creare. Accipiam cum cæteris quæ omnibus dabis, nec inpoſterum ſollicite inquiram in Muſæum tuum. Quod tamen ſcripſi de Comæ tuæ prolixitate, Bono animo feci, & poſt alios, qui hoc unum in te culpant, quod vix tollas manum de tabula. Dum ad Comam tuam me accingo, legebam heri & hodie Hadrianum Junium, qui itidem de Coma eſt commentatus: pauca de innumeris decerpſit, & tamen grandem librum exaravit. Modo valeas & ſcribas ſatis mihi erit. βυρσοδεψίδου nequitias impatienter fero. Neſcio cur eum perpetuo epitheto meum voces. Nunquam, mihi credas, amavi hunc hominem, nunquam vidi aut videre geſtii. Amicitiam meam ambiit, qua ſum facilitate reſpondi comiter; ſcripſit, reſcripſi, & communibus officiis colui. Si quod me inter & illum agitatur literarum frequentiſſimum commercium tibi diſplicet, εἰπὲ λόγῳ, & paratus ſum omni eo jure cuilibet cædere, nec gravem jacturam me feciſſe arbitrabor. Pæne de ſingulis verbis eo in conſilium, quando ad eum ſcribo, adeo vereor ne quid incogitanti excidat, quod ſtatim rimoſus ille omnibus patefaciat. Hoc unum

unum tamen in ejus epiſtolis me recreat quod multa de te miſcet auditu jucundiſſima, quæ alias neſcirem, puta de Carminibus Hugenii, Theſibus Schotani & aliis hujuſmodi. Iterum dico, id ſi tibi grave eſt, abrumpam omne iſtud commercium. De Theſibus Germani Profeſſoris ago gratias: nec reſciſcet ullus eas me a te habuiſſe, & deinceps curabunt, quos tangit iſte dolor, ſequentes aliunde nanciſci. Quid addam? Quereris quod variis te non vexem quæſtionibus. Nihil ſane mihi facilius eſt. Et tibi tempus erit cum magno optaveris emptum, hanc mihi non apertam a te januam ad te interpellandum. Sacra præcipue eligam, Prophana admiſcebo. Ereptam tibi facultatem arguendi Heinſii, nec habere calamum tuum liberas ſeſe exercendi, ut ita dicam, habenas, ægre ferre te video. Sed quod ex pactis conventis publice non licet, nihil vetat privatim uſurpari, & aliquod ſolatii genus erit quomodocunque inimicum hominem impetere. In vexatiſſimo loco Euanlii *τοῦ ἐπιστηθίου μαθητοῦ* cap. XIX. 29. *πλήσαντες σπόγγον ὄξους καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες*, legit ille *καὶ οἰσύπῳ περιθέντες* & levicula mutatione conturbatum locum planum facere ſibi viſus eſt. Sibi inquam; ut enim idem mihi quoque videatur, dicere non auſim, cum ſæpius ex te audiverim, nihil veri homuncioni iſti excidiſſe in opere vegrandi. Si lubet ergo examina mihi ejus animadverſiones ad hunc locum; tum tuam quoque prome ſententiam, ſi a communi diverſus abis. Ego vero donec meliorem, id eſt tuam, nobis oſtenderis, ſequar emendationem & interpretationem Camerarii, quem noſti legere *καὶ ὑσσῷ προσπεριθέντες*, licet vitioſe *ὑσσὸν pilum*, cum vulgo vertat, quod *haſtam* eſſe, non *pilum*, jam ex te didici. Nos Valemus. Vos valete. Lutetiæ Pariſior. 29 Julii 1644.

EPISTOLA LXXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

T*ά τῆς ἀγορᾶς πράγματα* de quibus nuper ſcribebam, animum fateor meum occupant, & in partes trahunt varias, ſed minime turbant: quod affirmare non poſſum de tuo negotio, quod vocare ſolemus, aulico. Mentiar enim ſi dixero me ejus proſpero, quem alii arbitrantur, eventu non cruciari. Unum tamen refecit, quod videam te priſtinam tuam generoſitatem non exuere & malle iſtic aliquantum durare & perpeti, quam hic aureis licet vinculis detineri & forſan deludi. Sed res urget, eoque magis, quod Talæus qui hoc ſaxum volvit, magnus eſt talium artifex, ſibique factum ſatis exiſtimat iis literis, quas ad Puteanum in ſuam ſententiam ſcripſiſti. Illas tamen videre non contigit, quamvis rogaverim. Sed ſolent iſta omnia me celare: quemadmodum nec ego viciſſim cum illis communico, quæ ſilentio premenda exiſtimo. Mallem regium diploma cum annexis literis ad Curatores mitti, quam ad Ordines, vel ad Braſſetum, qui cum faveat adverſariis, ſaltem R.

con-

conſilium tuum parum promoveret. Abſente Principe, quem audio in expeditione diutius moraturum, vel etiam præſente, facilius de te retinendo illi decernent, quam Ordines, quos fama eſt ab ejus nutu pendere. Niſi contra ſentias, ſcribam exerte ad R. ejus partes eſſe, gnaviter tractare iſtud tui retinendi negotium. Dicere enim ejus æmulos (& Gothorum Legatum vel alium quempiam ψευδώνυμον deſignabo) illum enixe contendere, te extruſo locum tuum occupet. Noli vereri ne Epiſtola de Coma hic remoram afferat: quinimo eos potius calefaciet, quando dicent, te in Gallia commorante, nihil tale a penna tua fore expectandum. Itaque prodeat illa, ſtatim enim argumento validiſſimo uſum ſe maxime apud Mazarinum monebat Advocatus ille Regius; ut etiam ſcripſiſſe me credo. Sed ſi hic incommodaret, iſtic procul dubio multum proderit. Adde etiam quem habes paratum de Mutuo, aliiſque juris articulis, Commentarium. Sed aliquod poſt intervallum. Iſta enim ſcripta gloriæ tuæ inſervient; augebunt famam, amicos parabunt, adverſariis os obſtruent, & addent animos illis, qui te evocari ægre ferunt. Nihil melius jam ſuccurrit. Cætera in arena expedienda ſunt; & præſentibus vix e longinquo parabilia remedia. De ancillis provinciam Cajæ meæ mandavi. Faciet illa ſedulo quod deſideras. Hanc proponit præcipue conditionem, ut facilius eas ad id itineris pelliciat: nempe pollicetur ſe curaturam, ut huc tuis ſumptibus reducantur, ſi poſt ſemeſtrem moram nolint quacunque de cauſa iſtic hærere & interceſſionem ſuam offert. Timeo ne itineris maritimi & longiſſimi difficultates, cum Uxoris tuæ moribus, multas deterreant. Eas tamen quibuſcunque poterimus rationibus ſollicitabimus & impedimenta removebimus. Poſtremis binis tuis Gallicis hæc habui quæ reponerem. Vale tu cum tua a me meaque. Lutetiæ Pariſior. 5. Auguſti 1644.

EPISTOLA LXXXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DE proſpero expugnatæ Gravelingæ ſucceſſu, gratulabundus τῷ Ἐξοχωτάτῳ. Talæus eum convenit: poſtque officii iſtius functionem, Vir Eminentiſſime, dixit, Accedat titulis tuis reductus in Galliam SALMASIUS: nec minor inde tibi gloria, quam ex urbis iſtius deditione. Hujus rei, reſpondit Cardinalis, plenam dudum feci tibi poteſtatem: Reginæ aſſenſum merui; erga cæteros, quorum ea curatio eſt, utere illius meoque nomine, ut ſtatim id negotium confieri poſſit, nec amplius trahatur. Summi viri laudavit animum Talæus, actiſque, qui finis eſt omnium cum dominante ſermonum, gratiis, ſtrenue inquit mandata exequar. Intra hunc diem ſperabat tum Diploma, tum alias litteras, quas ſigillares vocant, paratas fore, iſtuc mittendas. Quid actum ſit præterea neſcio: & ab aliis reſciſces. Ego interea non ceſſavi: amicos prenſavi & cum iis de iſta re conſultavi, deliberavi, ne

quid Reſpublica litteraria & purior Eccleſia detrimenti capiat, te in Galliam reverſo. Neque conſilii locum, neque auxilii copiam habemus, niſi in mora.

Non mihi, non ulli, vincere fata datur.
At trahere atque moras tantis licet addere rebus.

Quid alia cogitemus? DEUS PROVIDEBIT. Magno me faſce levaſti aſſumendo tibi mediam partem τῆς βύρσης. Impar eram iſti oneri ferendo quod excutere meditabar, ni ſubſidio accurriſſes. Sit ergo noſtra, ita tamen ut revera, neutrius noſtrum ſit vel fuerit nec in ſolidum, nec partim. Apage talem hominem adeo vanum & noxium: quinimo eo utamur, ut medicorum filii venenis ſolent, ad alia venena retundenda. Rogaveras nuper monerem te, quid ille ad me ſcripſiſſet de Epiſtola Comata. Verum dicam, ſummis laudibus eam extulit, tanquam doctiſſime & elegantiſſime exaratam, in ea haberi veram explicationem Loci Paulini, qui totius controverſiæ fundus ſit. Cæterum tuam ſententiam cum ſua, quam antea conſulentibus patefeciſſet, coincidiſſe. Sed ſatius eſt αὐτοῦ τοῦ θηρὸς vocem audire: itaque ipſiſſima verba ejus in adjuncto apographio legere licebit, quæ rogo te ne diſpaleſcant: quanquam nihil eſt quod ea celata velim, cum auſus ille ſit fere eadem ad te perſcribere. Statim Morum occupabo, ne Heinſianis faveat, & facile ſpero poſſe me ab illo impetrare, ne in eorum caſtra transfugiat, modo Reſpublica litem iſtam ſuam non faciat. Promiſerat mihi aliquando Choüetus quidam ſe Croii Elenchum typis ſuis vulgaturum: ſed ſtatim ac Genevam rediit, a fratre occiſus eſt, unde infectum adhuc eſt iſtud negotium. Non ita pridem acceperunt Morus, Diodatus, Gothofredus Helleniſticæ tuæ exemplaria, quæ doleo in itinere diuturnam moram feciſſe culpa ejus, cui ea deferenda commiſeram, dum volebam tabellariorum ſumptus compendium facere, & hæc a te, ſera licet, munuſcula eos procul dubio devinxerint, præſertim cum alia Comæ tuæ pollicebor. Sed quando huc nobis advenient? cum enim tantis laudibus ornetur ab æmulis opus illud tuum, quid nos amicos dicturos putas? Quanquam cavere debeo ne congeram immodicas, quia affectum meum vitio non carere exiſtimas. De Calamo hyſſopi ago gratias. Epiſtolicas quæſtiones Beverovicii videre nondum contigit, Nec verebor te hujuſcemodi quæſitis interpellare, qui videam te iis non impediri. De aulico negotio nihil didici, nihil dico, nec habeo quod addam. Vale tu cum tua a me meaque. Lutetiæ Pariſior. XXI. Aug. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA XC.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

PAuca omnino a me hodie habebis: plura fortaſſe ſeptimana proxima: quo tempore plane Alcedonia erunt in foro noſtro. Cum in eo totos dies ſedeam, nihil

nihil habeo quod ſcribam de aulico negotio. Deinceps per res prolatas omne iſtud expediet facile Talæus, talium peritiſſimus artifex, & cujus humeris dulce hoc onus incumbit. Gaſſione in Flandriam non eunte, omnis ſpes noſtra ad Douchantium redacta eſt: nec vanum tamen inde auxilium auguror. Launæus enim meus, cui plurimum obnoxius eſt, operam ſedulo navabit, ne preces ſuas inſuper habeat. Quantum proceſſit aulicum negotium, ſcripſit nuper Menagius, ut nudiusquintus ad me retulit: nec librum de Primatu quandocunque ſupervenerit, τὸν προσκόμματος λίθον futurum. Itaque jam omnia plana, & expectandus eſt facilis & promptus exitus. Nec vererer optatiſſimum dicere, ſi ſcirem Douchantium cum Arauſionenſi egiſſe: quod ſi neglexerit, ſane ſunt res noſtræ ἐπὶ ξυροῦ. Deus meliora, nihil enim præter vota ſupereſt mihi. Nihil miror mororve omnia illa, quæ de Spanhemii cum Heinſio conjunctione narras: hoc ipſum enim olim prædixeram, ab aliis de Germani Profeſſoris moribus certior factus. Scripſi ad Morum, niſi alii occupaſſent, ad me mitteret opus Croianum, quo facto poſſet illorum technas eludere. Rebus integris favebit, ſat ſcio, nobis: ſed ſi Magiſtratus prior eum aggreſſus ſit, vereor ut potuerit obniti. Certe quicquid fiat, deridendos ſe omnibus propinant, dum Principis obtendunt auctoritatem ſuæ inſcitiæ dicam, an puſillanimitati? Ezechiam nempe imitati, volunt vitæ ſuæ tempus pace tranſigi. Caïæ tuæ mores tecum credo non eſſe ita ſeveros, quin poſſit familia eos comiter colere: ſed plures contra ſentiunt, & ſi verum amamus, obruimur numero. Idque ita verum eſt, ut multæ, ejus audito nomine, pedem retulerint; καὶ ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω binæ illæ de quibus proxime ſcripſeram. Nec tamen deſpero alias poſſe ad iſtud iter ſuaderi, cum præſertim conditiones nobis nullas præſcribas, ſed omnibus acquieſcas. Curabo itaque, ubi aliquas nactus fuero, ut ſtatim Caletenſem currum conſcendant, ne ſit pœnitentiæ locus. Publicationem Comæ tuæ probo. Ubi ejus exemplaria advenerint, ea in amicos ſpargam. Vellem tamen ut eorum Elenchum mitteres. Iniquum enim exiſtimo illis nonnullos donari, qui de prioribus muneribus gratias non egerint. Eorum nomina tu ſolus edere potes. Faciam tamen quicquid libuerit. Cum Talæus ſincere agat, conſultum fore arbitror Mutualicium tractatum ad eum ut alleges, antequam ab eo aliquid accipias: ita beneficium dederis, non reddideris. Vale tu tuaque a nobis. Lutetiæ Pariſior. XXVI. Auguſti. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA XCI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ELegans eſt & arguta in Ariſtophanis Lyſiſtrata ſententia, qua notatur differentia vetulæ virginis, & ſenis proci.

ὁ γὰρ ἥκων μὲν, κἂν ᾖ πολιὸς, ταχὺ παῖδα κόρην γεγάμηκεν.
τῆς δὲ γυναικὸς μικρὸς ὁ καιρός. κἂν τούτου μὴ 'πιλάβηται,

ὀυδεὶς θέλει γῆμαι ταύτην : ὀπτευομένη δὲ κάθηται.

Verbum ὀπτευομένη recte interpretes per *vaticinans* exponunt, conſentientibus Heſychio & Suida. Sed quænam fuerit illa ὀπτεία, & qua ratione ab iſtis Virginibus procuraretur, nullum adhuc vidi qui palam faceret. Si quid tibi ea de re obſervatum fuerit, vel ſi quid ex nominis notatione exculpi poſſit, libentiſſime id a te docebor & quæſo doceas. Certe per has forenſes ferias, frequentius te interpellabo, & procul dubio quiritaberis nimium mihi ſupereſſe otii, quod negotia tua non ſatis revereatur. Sed ita olim juſſiſti, nec verebor tibi obtemperare, donec contrario mandato primum abrogaveris. Rivetus ipſe admiſit exemplum epiſtolæ ſuæ ad Colvium: & mirabar ſane tuam illam eſſe, quam pro ſua venditat, ſententiam. Non enim plane faciebat ſatis. Quænam tua ſit reſciſcemus, cum ſarcinæ librariæ Elzevirio advenerint. Non improbo conſilium de refutando Heraldo: qui nuper dicebat mihi ſe id inaudiviſſe; ideoque ſuperſediſſe a gratiis tibi agendis pro libris donatis: ſed pro illis, quæ ſe publice docturus ſis, te non privato Euchaſtico remunerandum eſſe. Habere enim unde redhoſtiat. Lex 25. D. de Auro & Arg. leg. omnino ea eſt, quam ante aliquot menſes notaveram, in qua dubitabundus propoſueram, num legendum foret *reticula* id eſt κεκρυφαντα: ut ſcilicet Ulpianus iſtius legis auctor, morem ſuum retinuerit, explicandi Latinas voces, haud ſatis vulgo perſpectas, per Græcas ſibi bene, aliis vero minus forſan notas: quemadmodum fecit in l. 69. D. Pro ſocio ex tua emendatione *nundinas* id eſt ἐμπολάς: & in l. 3. §. Servius D. de Penu legata *rationes* id eſt λογάρια: his tribus exemplis poteſt exiſtimari, eſſe id doctiſſimo Juriſconſulto familiare. Certe H. S T. Gloſſæ *Reticulum* γεργάθος ϗ κεκρύφαντος. Miror Douchantium reddidiſſe Riveto, quem & pro eo commendaveram, faſciculum, tuum vero retinuiſſe; niſi forte quia craſſiuſculus eſt, nequiverit tam cito commoda occaſio eum ad te mittendi reperiri. Tuam ad Toloſani ſenatus principem curabo, Voſſiuſque noſter qui brevi iſthic erit, defert ad te alium ab eodem Berterio librum *de Catalania Gallica*. Extemporaneum tuum carmen ad Hugenium vidi; & laudavi Muſæ tuæ ſuavem facilitatem. Cum hæc tibi tam limpida & ſaporis gratiſſimi fluant; neſcio qui fiat ut animum poeticæ ſtudiis minus impendas. Quod olim rogavi, iterum rogo, ut quæcunque habes hujuſmodi παίγνια, ea ſeponere velis, gloriæ tuæ & eruditionis omnigenæ non vana aliquando argumenta. De negotio aulico quid hic promotum fuerit, nihil ſcribo, quia Menagius qui illud confectum exiſtimat, id curæ ſuæ eſſe voluit. Sed quid ὁ χιλίαρχος apud A. effecerit paucis ſed ſatis efficacibus verbis ex hoc argumento, quod ad ipſum ἰδιόχειρον ad Launæum deſcripſi. Vale. Lut. Pariſ. IX. Sept. CIↃ IↃC XLIV.

EPI-

EPISTOLA XCII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

MIſeret me tui, quem, ſummo cum dolore animi, video tot premi adverſis, cum domeſticis tum externis. Sed fata viam invenient; aderitque DEUS OPT. MAX. cujus proprium eſt ἐν ἀπόροις πόρων εὐπορεῖν. Douchantium tamen non neglexiſſe amici mandata, ex miſſo apographo cognoveris: & commodum accidit, ut Gandavenſi illo Caſtello feliciter ab Arauſionenſi expugnato, hujus anni bellum ſit in præcipiti, & cogitaturus ſit Imperator, de reducendis in hiberna copiis. Interea Diploma Regium, quo iſtinc evoceris, ſigillo munitum eſt, & pauca ſuperſunt agenda donec mittatur. Menagius noſter, qui ſane apud Bautruvium ſedulam operam navavit, omnia ſigillatim perſcribet. Petrus Puteanus commoda & incommoda tuæ in hanc Urbem profectionis, aperte, more ſuo, explicavit. Facile ſemper ego & ille, conſenſimus, non expedire libertati tuæ iſtam migrationem: tu ipſe id animo quoque præſumpſiſti. Ut iſtic fiat aliquid, quo nunc molitiones aulæ noſtræ diſturbentur, noſtrum non eſt. Itaque jam expectamus, quid ſerus veſper vehat. Divina mihi ſemper viſa eſt illa emendatio, qua Heſychium in verbo Γιγαντία fœde corruptum, priſtinæ ſuæ lectioni reſtituiſti: ut poſtea ſcilicet legatur ἡ Λυκία τὸ πρότερον. Nimirum ut Lycia Gigantum patria, idcirco fuerit aliquando dicta Γιγαντία. Sed quo auctore nititur hæc duplex aſſertio? prima ut Lycia fuerit patria Gigantum, altera ut dicta fuerit Gigantia. Gloſſographis enim iſtis, ſine teſte idoneo, non eſſe temere fidem adhibendam jam pridem inter eruditos convenit. Nullum autem ſententiæ tuæ auctorem laudaſti: & Stephanus περὶ πόλεων, quem memini te ad id coram citare, nihil docuit. Si aliquem alium habeas, edere quæſo ne pigeat. Salve tu cum tua, a me meaque. Lutet. Pariſ. XVII. Septembris. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA XCIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ACerbum filiæ tuæ obitum doleo: faxit DEUS OPT. MAXIM. ut, iſto contentus funere, omnis familia, in capite præſertim, & poſtea in membris, ſana perennet. Feciſti quod pium virum & ſapientem Patrem decebat, qui ejus vitam aut mortem Divinæ Providentiæ committebas. *Debemus morti nos noſtraque*, meliuſque novit Deus, quam nos ipſi, quid nobis conducat. Spes Typographiæ Cadomenſis plane decollavit: & inſtanti quærentique mihi cur adeo inique agerent, reſpondit Comes Conſiſtorianus, nec in aurem; NIHIL VOLUMUS A MANIBUS VESTRIS.

Applica aures iſtis vocibus; & tum veni in Urbem. Habes Schedulam ex qua doceberis quid Romæ actum ſit, ut Cardinalis Pamphilius in Papam Innocentem Decimum eligeretur. Aperte favet Hiſpanis; nec illum magis rejiciebat nominatim Orator noſter, cujus aperta interceſſio neglecta eſt. Ne recedam a more meo; unum te rogo ex Juvenalis Satyra VIII. Verba ſunt.

-----populi frons durior hujus
Qui ſedet & ſpectat TRISCURRIA patriciorum.

Hoc verbum quod credo eſſe τῶν ἅπαξ λεγομένων, varie docti explicant. Vetus Commentarius a Pithœo editus hoc loco mutilus eſt, nec ideo juvat hilum. Joſephus Scaliger legebat *tranſcurria*; Petitus ad Leges Atticas pag. 245. *tricharia*: quæ omnia fateor me non capere. Tu quæſo doceas poſt inſpectum Petiti laudatum locum, qui e Tertulliano adſert aliquid animadverſione dignum. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Calendis Octob. CIϽ IϽC XLIV.

EPISTOLA XCIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SEcundum quod duxiſti funus, me quoque, qui tua omnia mea putare ſoleo, ſummo mœrore confecit. Fieri enim nequit quin doloris ſenſu premamur acerbiſſimo, avulſis noſtris tenerrimis viſceribus. Immo *Moritur qui amittit ſuos*. Ne tamen morti iſtius infantis nimium illacrymes; hujus memento oraculi, Ὃν φιλεῖ ΘΕΟΣ ἀποθνήσκει νέος. Nos interea in ſtatione maneamus, ſequuturi quotieſcunque Imperator juſſerit, voluerit. Negotio aulico, quia illud abrumpere nec poſſum nec volo, moram injicio. Penes me fuit totum hoc octiduum authenticum diploma, de te iſtinc evocando, dum Petri Puteani abſentiam cauſari lubebat: ſine quo, urgente licet Lullerio, qui commodum Tullo advenit, nolebam quicquam apud Rationum Magiſtros tentari: ſunt enim illi ſæpiuſcule difficiles & moroſi. Quicquid urgeant, ante hujuſce menſis exitum res hic non poteſt plene confieri: quo tempore, jam ingruente ſæva hiemis tempeſtate, durum eſſet cum delicatulis liberis Oceano ſe credere. Oſtendi Launæo Diploma, ad quod charta paricla ſcripta eſt, quam hodie ad amicum ſuum mittit a ſe ſignatam! ut nempe poſſit, Hagam reverſus, hac occaſione, cum Principe eam communicare, & quæ ſuarum ſunt partium agere. Si nihil promoveant, ſuadebo ego quoque ut primo ſtatim vere nos reviſas. Nec, modo in propinquo rure, non in urbe morari velis, omnis tibi fortean libertas perierit. Silente Salmaſio clamabit alta voce Walo Meſſalinus, & vociferabitur Alexius a Maſſalia, alia ſuppetent auxilia, ſed indirecta. Ut ad τὸν ἐξοχώτατον ſcribas, quicquid amicus noſter dicat, non exiſtimo neceſſe eſſe: ſed impetra a te, ut ad Bautruvium ſcribas, de Cardinali addita ratiuncula; cætera coram facturus, & id ſufficiet. Mirati ſunt Genevenſes ad ſe datas literas de libro Croii adverſus Heinſium: ſed

Sed eo plene edito Arauſionenſis & Spanhemii precibus (nam & hunc ſuas addidiſſe verum eſt) nihil dari potuit. Supereſt ergo ut prudentiſſimi illi viri, qui curant Academiam veſtram, dent operam, ſicuti fecerunt de Epiſtola ad Menagium, ut, quæ nondum diſtracta erunt, exemplaria, redempta ad ſe deferantur, coram carioſo idolo Leydenſi, Vulcano immolanda. Sed dum ab illis cogitur Senatus, qui id decernat, curabimus, ut aliquot ſeponantur, quæ legiſſe juvabit. Valete a nobis. Lutetiæ Pariſior. 8. Octob. 1644.

EPISTOLA XCV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DUm expecto quas mittes Profeſſoris Germani Theſes, volo apud te deponere horribile arcanum; tutis ſcilicet auribus. Sed vide ne diſpaleſcat. Cuditur ad medium Ligerini reſponſio ad priores illas: jam effecta eſt & prælum exercet. En alterum horribilius nec minus tacendum. Refutatio τῷ βυρσοδέψῃ inſcribetur: ut videant ambo, quid ſibi conſilii capiendum ſit. Hujus vanitas eum cogit librum publicare: ſed cauſæ odium tranſverſum abripiet. Volunt ſcilicet homines noſtri uti ea libertate, quam uſurpavit ille, qui prior manum admovit vulneri, quod melius non tetigiſſe fuit. Certe malunt R. haberi adverſarium apertum, quam amplius eum pati per alios occulte graſſantem & pacem Eccleſiæ turbantem. Sed quis Heinſium ad meliorem mentem reduxit? An Spanhemius mirus blandimentorum artifex? an volvenda dies attulit ultro? Undecunque id provenerit, bonum factum. Sincera modo ſit ea reconciliatio & perpetua, ſine fuco & fallaciis. Quidni autem talem credam poſt φρίκτα ταῦτα μυστήρια coram Eccleſia palam & publice celebrata & à vobis ſimul ſumpta? Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω ut, qui fidem fregerit, ſpretum numen ultorem habeat. De Croiano libro, Genevæ excuſo, nuper ſcripſi quæ compertiſſima habebam ex literis Thronchini ad Falcarium noſtrum, nec dubitare debes, quin ita ſit. A Moro nihil habeo, quia abeſt Geneva ad Patrem per ferias Academicas profectus. Cum jam te amico utatur Heinſius, videbimus an aliorum etiam velit pati probra & contumelias. Habet cum quo experiatur & prolapſam ſuam exiſtimationem aliquatenus excitet. De ſuo ſe adverſum Elencho turbatur Heraldus. Nudiusquartus profeſſus eſt apud me poſt librum ſuum excuſum, ſi liberum fuiſſet, eum ſe ſuppreſſurum fuiſſe, quia contra te ſcripſiſſet. Factum id a ſe, quia videret te confidentius omnes culpare & ignorantiæ accuſare, quod quid eſſet ἔρανος & ἐρανιστῶν collegium non intellexiſſent, cum tamen graviter ipſe offenderes. De πληρωτῇ ἐράνου diſputanti cum Heraldo: Ariſtidis locum non ſtabilire ſuam ſententiam, quin imo illam prorſus inde labefactari; magnam quippe intercedere differentiam inter πληρωτὴν ἐράνου & τὸν ἐράνῳ τὸ ἔλλειμμα ἀναπληρώσαντα; poſterius hoc pro ſua mente belle procedere; at non de eo agi, ſed tantum de πληρωτῇ ἐράνου.

ϑεργίν. Quod a te genus miſericordiæ pro eo rogamus, eſt, ut cito occidas. Nihil repono inquiebat, quanquam ſi liberet in Salmaſiana inquirere, poſſem centum capitibus augere meas obſervationes. Hortatus ſum ut faceret, modo modeſte ageret & civilem inmodum, id cum bonarum literarum fructu futurum. Donec ſciam Principem Hagam reverſum, nihil hic urgebo, immo moras nectam. Poſſet tamen Diploma ſine Rationalium placito te præſente quandocunque & facilius impetrabili, iſtuc mitti. Nondum literæ ſigillares paratæ ſunt, quæ omnino ad te & ad Curatores ſunt neceſſariæ. Quin ſcribantur etiam ad Arauſionenſem prohibebo, ſi potero, ut liberius bonum erga te animum ſuum poſſit expromere. Interea valetudinem tuam cura diligenter & ante omnia. De loco Geneſis ago gratias. Sed de Lycia vel Cilicia Gigantia noli oblivi ſci, nec de quæſitis ad Lacertum & Arrianum, ubi vacaverit. De triſcurriis patriciorum & ſpatharocandidatis, quas agam gratias? Nihil clarius certiuſve adduci poteſt, & ne dubitandi quidem ullus ſupereſt locus. Triſcurria ſunt etiam in uſu in comœdia noſtra præſertim Italica, vocantque *Triot*. Tres actores una prodeunt in ſcenam canuntque ridiculum aliquod ἀκρόαμα, ſinguli, bini, terni; ut vix poſſit ad jocum & elegantiam amplius aliquid deſiderari. Nondum advenit amicus ille cui *Ebenbitare*, & Epiſtolam Comatam mihi reddendam commiſiſti; nec ſcio quid eo factum ſit. Tantum vereor ne ob longiorem fortean cæſariem, Abſalomi in morem in aliqua arbore implicatus hæſerit. Nec tamen ideo capillitium prolixius improbem, modo intra modum aliquem, qui ſexum diſtinguat, cædatur. Vale. Lut. Pariſ. XXII. Octob. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA XCVI.

CL. SARRAVIUS

Petro Pithœo.

Trecas.

FAcio quod imperaſti, ſi ruſticana otia tua interpello. Voluiſti ſcilicet ut te monerem de Picherelli Coſmopœa, & Hoſpitalii Carminibus, huc proximis Martinalibus tecum afferendis. Ecce autem vello, rogoque ut ea ſeponere velis, nec diutiùs iſtas opes orbi litterario invideas. Ut enim cum nominis tui gloria edantur, ſi per te liceat efficiam lubentiſſime. Hæc prima mandata eſt mihi a te cauſa ſcriptionis. Sed ecce alteram e Batavia. Eruditiſſimus adoleſcens, qui Hagæ Comitis habitat, Janus Vlitius, in eo eſt ut prælo Elzeviriano committat ſatis amplam collectionem auctorum, qui de Venatione olim & nuper ſcripſere. Libro titulum fecit, *Venatio Novantiqua.* In eo primas tenet Gratius ille anno ſuperioris ſæculi nonageſimo ab illuſtri viro Petro Pithœo pátruo tuo, bonis literis juvandis nato, inter Epigrammata & Poematia vetera publicatus. Miratur autem ille, emendationes in eo auctore ſatis multas factas ope veteris codicis, cum tamen nullum alium extare audiverit

verit præter eum, ad quem Aldus primam editionem adornavit. Me ergo rogat, ego te, quid factum ſit illo manuſcripto libro, & apud quem reſederit. Apud te certe, Vir Magne, legitimum & in ſolidum iſtorum theſaurorum digniſſimum hæredem. Excute ergo veteres chartas tuas, & quod pridem nobiliſſimæ Pithœorum genti familiare eſt, omnibus benefacere, ſtudioſi juvenis induſtriam juva, magnamque ab eo, maximam autem a me, qui dudum tibi ſum obnoxius, gratiam iniveris. Vale Senatus noſtri magnum decus, meque, quod facis, amare quæſo perge. Lutetiæ Pariſiorum rebus prolatis, decimo Calendas Novembres CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA XCVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

GRandis tua Nota de Poetis Tarſicis inſignem locum obtinebit inter Laertianas amiculi noſtri lucubrationes. Ei ego indicaveram Κιλικίυς λόγυς apud Heſychium, qui fortean iidem ſunt cum τοῖς Ταρσικοῖς, quos ad autorem Cyrbaſim vel Cyarbaſim refert, ἀναφέρει. Sed quis illle Cyrbaſis? Neſcio: vide quæſo locum & perge nos docere; ſi tamen id tanti. De Tertulliani loco quod notaveram ἐναντοφανὲς, ſciebam eſſe ἐναντίον ἐναργὲς. Sed cum de ſecundis curis mutataque ſententia nihil moneres, volui binas illas notulas tibi obtrudere, ut deinceps, ſi ita lubeat, ſciat lector te priori abjecta poſteriori adhæreſcere. Alias inconſtantiam dicent, quod revera eſt melius conſilium. Octoniones Livianos, qui in meo exemplari deſiderantur, ſufficiet mittere cum iconiſmis tuis per aliquem ex ducibus militibuſve veſtris huc redeuntibus: & ſpes eſt reductis in hiberna copiis ſatis multos deinceps reperiundos. Monitus Rivetus id facile curabit quod dico, quia Hagæ in aula frequentiores ſunt occaſiones, quam in Athenæo Leydenſi. Nondum advenit ſtudioſus ille cui *Ebenbitarem* cum Epiſtola de Coma tradidiſti: nec amicis donanda exemplaria comparent. Nihil eſt in M. præſidii. Rogatus ſtatim promiſit ſtatimque negavit. Non audere ſe ea de re literas ad quenquam dare: ſcripta manent inquit: ſciſque, addebat, ita nos hic vivere debere, ne quidquam nobis imputandum jure an injuria veniat: & hoc verum eſt. Volebat poſtea cum G. procuratore ea de re coram agere, ut poſtea negotium ille ad dominum referret: ſed cognito eum eſſe generum illius Juriſconſulti, qui jam vapulavit de Canonicis regularibus, conſultius viſum eſt, illi hoc arcanum non credere. Nullum hinc igitur amplius ſubſidium. Satis calide cum τῷ βυρσείδῃ expoſtulaveram, quaſi eſſent parum ſolliciti Magnates veſtri de te retinendo. Habes hic reſponſionis, quam mihi fecit apographum. Quanquam autem jam rejecerim conſilium, quod propoſueram de inſcribenda Gulielmo Principi, quam habes ad editionem paratam, Militia Latina, idem tamen ſuadere iterum non verebor. Idque hodie ut impetrem, cogita de tuo capite, immo de tua libertate,

nam hoc magis eſt comitia hic agi, ſi aliquando huc evoceris. Cogita quot & quanta tibi devoranda erunt ſtudia, Pariſina tecta ſubeunti, ut poſſis unum epiſtolium ad eum quem dixi a te extorquere. Hoc precor ἐκτενῶς, & quæſo, obtineam. Alias profecto tibi deeſſe videberis, eritque quod cauſſabuntur amici te aliqua, libere dicam (da veniam verbo) αὐθαδείᾳ plus ſatis rebus tuis nocuiſſe. Plura non addam, quia mihi vena ſecta eſt & ſuperiora ſatis difficulter exaravi. Vale tu cum tua a me, qui vos ſalvere jubeo. Lutetiæ Pariſiorum. XXVIII. Octobris. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA XCVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

BEne an male rebus ſuis conſulant Theologi noſtri, neſcio: certe liber de quo nuper ego ad te, R. dedicabitur. Si hac προσφώνησιν, quam aucupantur & captant, ejus gratiam non aſſequuntur, efficere conantur, ut ipſe in hoc certamen deſcendat, nec per interpoſitas perſonas amplius ſubdole graſſetur. Heraldus tuus jam factus eſt comis & civilis: Urbem circumcurſat, eruditorum ambit ſuffragia; apud ignaros queritatur quod ipſum impetas nullo ſuo merito: denique neſcio quæ larvæ & intemperiæ hunc agitent ſenem. Sibi imputet, qui quietus vivere non potuit, quod iſtam crucem ferat. Totum hoc rerum prolatarum tempus impendit veteribus ſuis ſcriptis recenſendis in Tertullianum, Arnobium & Minucium: quæritque typographum, qui velit ea excudere cum libris ad Nationes, quos Apologetico annectit. Audet etiam totum Afrum illum patrem promittere. Vereor ut iſti calori frigidam tuo libello ſuffundas. Luculentiſſimam ad Ablancurtii quæſita reſponſionem tuam cum ſumma voluptate fructuque legi: magnamque habeo gratiam quam ille aget pleniſſimam. Cum tamdiu diſtuleris emittere Trigam tuam de Mutuo, expectare adhuc aliquantiſper juvet, & Quadrigam e carceribus effundes. Andegavenſis enim ille Anteceſſor Germanus credit ſe operæ grande pretium feciſſe, vultque ſuas contra te notationes publicare. Sed de mora tua monendus erit Talæus, cui ante trimiſtre librum tuum promiſeras. Hodie mittitur ad Braſſetum Regium Diploma cum litteris ſigillatitiis ad Ordines & ad te. Tu vide ne deliberes, ſed in qua es ſtatione maneas; modo ſcilicet illi officio ſuo fungantur. Tum querentur hic ſatis multi, male poſitam ſibi pro te operam, qui beneficium Principis cum amore patriæ & conſuetudine amicorum conjunctum, inſuper habeas; ſed evaneſcent poſt octiduum omnes iſtæ querimoniæ. Tu vero huc ſi venias, totam vitam ſervies miſerabiliter, nec, quod noſti apprime, præſtabitur pacta fides. Nuper a Nuncio Pontificio rediens Mottha Vaherius, dicebat coram magno virorum eruditorum conſeſſu (ego quoque aderam) velle Apoſtolicum de tuo in Galliam reditu controverſiam facere, te enim peſtilentiſſimum hæreticum, Romanæ Ec-

cleſiæ

cleſiæ hoſtem infenſiſſimum, in Chriſtianiſſimum regnum cum honore redire, immo vocari (unde ſi in eo eſſes, deberes ejici) non eſſe quod ferri poſſit. Præſta te virum, & fortunæ tuæ faber eſto. Quod præſtare potuimus amici, præſtitimus: quod promiſeram ab inexpectato auxilium, non inane, adeſt ecce cum Douchantio Hugenius. Dimica fortiter & defende cauſam tuam. Præſto adſit DEUS, cujus gloriæ tuam libertatem tribuendam verum eſt. Nos interea μετέωροι expectabimus, quod tibi conſilium ſederit. Tandem Epiſtolam Comatam legimus, ſed vicibus repetitis. Quis enim uno ſpiritu eam legat? Interrogabat quidam ſatis facete, quantus futurus eſſet liber cujus tam grandis Epiſtola. Omnes ſane ſtupent & copiam mirantur. Æmuli, quorum video te magis ſcire velle & explorare, quam amicorum ſemper faventia judicia, dicunt eſſe calami ſine exemplo intemperantiam. Meam ſententiam promere vix audeo: ſuſpectus enim tibi ſum. Sed quia verus amor in cauſa eſt, liberius quid de eo mihi videatur declarabo. Quod præcipuum erat, Paulinus nempe locus, non poterat nitidius explanari; fortiuſve urgeri adverſus fanaticos Dordracenos. Cætera eruditionem omnigenam, infinitam, elegantemque produnt. Alias de quibuſdam, extra principale tamen argumentum, inquiram diligentius. Interea tantum monebo fruſtra te culpare confecraneos noſtros, quod in Bibliis Gallicis ſummi Judæorum ſacerdotis pileum expreſſerint κωνοειδῆ, cum teres & rotundus fuerit: & hoc poſtremum veriſſime affirmas. Verum quidem eſt olim, hoc eſt ante annum Milleſimum quingenteſimum octogeſimum octavum, quo vetus noſtra verſio additis iconiſmis recenſita eſt, noſtros homines hunc errorem erraſſe, ſed ab illo tempore ex ſententia Hieronymi in epiſtola ad Fabiolam, iſta Pontificialis tiara reformata eſt, nec in ullius reprehenſionem incurrit. Vale tu cum tua a me jam ſolo, mea cum parentibus peregre profecta. Lutet. Pariſiorum, v. Novemb. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA XCIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

EO me redigis, ut de ſcriptis tuis, deinceps ſilendum mihi ſit omnino. Ut enim ea, quæ docti & probi omnes in cœlum efferunt, ego quoque laudem, æquo animo ferre non potes. Si etiam æmulorum ad te defero querimonias: nec illis patientem accommodas aurem, & eos ſtatim ſtultitiæ & imperitiæ revincis. Hoc tamen poſtremum eligam, quod præ priore maxime arridet. Immo quicquid culpes & vitio mihi vertas, ab utroque meo inſtituto non recedam: & laudanda laudabo amiciſſimus, & de malevolorum ſuggillationibus, vel etiam nugamentis monebo. Non enim omnis amor cæcus eſt, ut juſto nequeat ſecernere iniquum. Certe ſummus meus erga te amor, qui in virtutibus tuis altas egit radices, oculatiſſimus eſt & perſpicaciſ-

ſimus, non cæcus, non luſcus. An vis ut oculos mentis corporiſve eruam mihi, ut de te ſanius judicem? Tu vide quid præcipias, certe non parere certum eſt. Placet mihi mentis hic gratiſſimus error, nec ſanari unquam ſuſtinebo: ſi me amas, & ſane amas, ama me quæſo cum iſto amoris erga te mei μέτρῳ καλῷ, πεπιεσμένῳ, σεσαλευμένῳ ϗ ὑπερεκχυνομένῳ; ſine me in iſto vivere, in iſto mori. Sine morem in hoc tibi a me non geri. Tu ama me ut libuerit, ſed patere ut amoris erga te mei modus ſit, ſine modo te amare. Beverovicii ſtudium laudo: ſed non ſatis capio, quomodo Coma tua, Hebræo, Græco, Latino cultu, ornata & interſtincta, Belgicæ plebi placere poterit. An tot locorum veræ ſuæ lectioni reſtitutorum, nitorem & elegantiam capit miles, nauta, artifex Batavus, ſequior integerve ſexus? Impatienter expecto quid de te rebuſque tuis ſtatuerint Academica comitia. Diploma litteræque regiæ calcar currentibus & bene affectis animum addiderint. Douchantii memorem gratumque animum exoſculor. Mitto ecce alterum ἀποσπασμάτιον ex ejus ad Launæum epiſtola, quod ſi vera narrat, nec dubitare fas eſt, magnam in ſpem adducor omnia ex voto noſtro ſucceſſura. Et in hoc triumphabo, ſi opera induſtriave amicorum meorum tibi non fuerit plane inutilis. Sed quid fiet Bullialdi noſtri dedicatorio epiſtolio? Ejus Aſtrologiæ Philolaicæ editio abſoluta eſt. Univerſi operis ſingulos libros ſingulis heroibus dedicavit: Unum tibi, cui inter cætera proximum in patriam a Regina regnique Primatibus procuratum reditum gratulatur. Niſi omnes ejus demonſtrationes Mathematicæ firmiori fundamento innitantur, immenſus viro optimo labor periit. Mantiſſam tuam ad Ablancurtii quæſita cum Menagio communicabo, qua eam ad amicum mittat. Penes me eſt Bochardi Commentarius Geographicus ampliſſimus ad caput decimum Geneſeos, in quo tui honorifica pluribus locis mentio. Multa eruditione plenum opus & in argumento ſacro omnes Prophanæ literaturæ fines pererrans. Vereor ut Sommero, cui *Ebenbitare* commiſiſti, ſecius aliquid acciderit, de eo enim nihil dum audivi. Stuartii vocationem ad Profeſſionem Philoſophicam ex animo tibi ipſique ſucceſſiſſe utrique veſtrum gratulor. Sed Rivetus queritur ſe inſcio id a te geſtum eſſe. Deum veneror ut te, tuam, tuos, tuaque omnia fortunet. Vale. Lutetiæ Pariſ. ipſo Martinalium Novembrium die. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA C.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

FAcere non poſſum, quin tibi aſſentiar, de vitioſo, ante tuam emendationem, Heſychii loco: nihil tamen vetat, quin Tarſici λόγοι dicti ſint etiam Cilicii; cum conſtet Tarſum Ciliciæ fuiſſe metropolim. Sed cum nihil habeam quo id probem, omnino in tua expoſitione, cui nihil contrarium adduxi, nec etiam adduci poſſe exiſtimo, acquieſcendum eſt. De ea ex ſolita formula, ago gratias.

tias. Jam de nonnullis plane curioſis, te interrogabo, quæ in Epiſtola Comata maluiſti non exprimere clarius. Videlicet quod ſit illius Divionenſis Senatoris nomen, qui riſu emortuus ſit, dum videret obeſulum virum in equum fruſtra annitentem? Ego etiam, cum iſtud ſpectaculum mihi ob oculos pono, a riſu temperare nequeo: ob quod tamen, nec in rem præſentem, vita fungi vellem. Contendis tonſuram clericalem Gregorio Magno demum ſedente, in Eccleſiam Romanam introductam eſſe; hoc eſt ſexto ſæculo: contra tamen facere videtur Syneſii, qui quinto ſæculo vixit, locus a te allatus. Quare enim Cyrenes Epiſcopus τὸν ξυρεσίον χειροποίητον diceret eſſe εὐσεβῆ, niſi ſacras inter Eccleſiæ cærimonias hæc tonſura celebrari tum eſſet ſolita? Præterea ſciam libentiſſime, quo in loco Burgundiæ tuæ, vel Galliæ noſtræ, nuptæ & viduæ eum capitis cultum præferant, qui a te notatus eſt pag. 643. Hoc enim τῶν γελοίων γελοιότατον videtur. Sed maxime ſcire velim nomen iſtius fanatici Dordraceni, qui tantam tibi gloriæ ſegetem ſua veſania dedit. Neſcio cur perpetuo *Uxerium* voces Armachanum Antiſtitem, qui ſe perpetuo *Uſſerium* dicit: curve *Nicænam* Synodum, quæ *Nicena* ſcribi debet, cum Græce ſcribatur Νικηνὸς, non Νικαινὸς. Sed hæc leviuſcula ϗ ὀυλιδανά. Vides quam multa te rogem? ſed ea omnia nullo negotio profligabis. Alias vererer tibi grave onus imponere. Heraldus etiam meam gratiam captat, frequenter inviſit. Quod ſcripſeris eum miſere hallucinatum de Canonicis Regularibus fert impatientiſſime. Immo, inquit, præſtabo me verum dixiſſe, nec in ejus reprehenſionem propterea incidere debuiſſe: habeo quod reponam, & ſemel adhuc in eum inſurgam, poſtea faciat quod voluerit. Bene de eo ſum meritus. Hanc jam a me init gratiam, ut contumelioſe Juriſconſultum appellet. Juriſconſultus ſum fateor, ipſe de mutuo alienationem non eſſe ita diſputat, ut conſtet Juriſconſultum non eſſe omnes, qui ita cenſent. Si Schotanus ei accedat, nec ambo poterunt veritati creare præjudicium. Otioſi illi ſunt, quibus vacat quodlibet effutire. Ego in forenſi vita occupatiſſimus iſtis nolo detineri. Modeſte ſcripſi. Etiam cum ab eo diſſenſi, cum honoris præfatione deſignavi: ille autem, virum novi, ſibi non temperabit. Hoc me male habet; quod ejus amicitiam, quam magni faciebam, mihi periiſſe nulla mea noxa videam. Talia ille multa ὅσα κόνις. Tu vero age quod agis, nec auctor tibi ſim ut ob ejus timorem, iracundiam, minas ab incepto deſinas. Jacta ſit alea. Nec id me male habet, ſed tantum quid literæ Regiæ iſtuc miſſæ effecerint, nec ne. Quod proxima ſeptimana neſcire geſtiam. An ex quo Beverovicius Epiſtolam tuam Belgicam fecit, populus exuit labem ἀποκάρσεως? qua turbabatur Eccleſiæ Dordracenæ εὐκοσμία ϗ εὐταξία. Interea Deo commendo ϗ σὲ, ϗ τὴν σὴν, ϗ τοὺς σοὺς, ϗ τὰ σά. Etiam uxor, quæ domum reverſa eſt, una ſalutat. Lutetiæ Pariſ. XIX. Novemb. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA CI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NUper æger & κλινήρης, Gallice, alienaque manu, aliorum ſcripſi cum querimonias, tum ſpes meas. Jam autem paulo valentior, ad conſuetum revertor officium. Et ante omnia, DEO OPT. MAX. ago gratias immortales, quod tibi firmum immotumque propoſitum dederit iſtic manendi, ſpretis aulicis noſtris officiis. Certe licet omnia etiam tuta timerem, hoc ipſum tamen quod a te potiſſimum pendere ſciebam, a virtute ſumma, eximiaque pietate tua ſemper mihi ſum pollicitus. Hominum noſtrorum inanem, de te huc evocando, laborem, ſæpe apud me ridebam, ſæpiſſime indignabar. Nec vana ſpe lactabar τὸ Κρεῖττον bonorum votis & conatibus, quantumvis tenuibus, non defuturum. Hac ego fiducia ſuſtentatus bene ominari non deſtiti. Bene ſit Launæo, Douchantio, Voſbergio, Hughenio, Bonchorſtio, Vevelichonio, Spanhemio aliis omnibus, ſed præſertim bene ſit, bene ſit Sereniſſimo Arauſionenſi; qui conſilio, opera, re, opus iſtud ad optatum exitum perduxere. Ut enim contrariis Caiæ tuæ votis ullo modo movearis, ut poſſit illa hoc ἀμετάλλευμα diſturbare, non eſt e re, dignitateve tua. Quamvis enim arctius illud ſtipendium modicum ſit, at certum eſt & ſecurum, nullis per urbem diſcurſationibus vel ſalutationibus potentiorum frequentioribus parabile. Manet tibi libertas illibata, honor integer, quæ ſalva hic, niſi cum ſumma difficultate, retineri a te non poterant. τοιούτοις πλεονεκτήμασιν utere fruere diutiſſime; hæc votorum meorum ſumma eſt, hic cumulus. Bullialdum hodie vel cras mihi aſſumam, qui mecum in Bibliothecam Regiam aſcendat, ut diligentius & αὐτοψεὶ inveſtigemus Baſilium Patricium; nec fieri poteſt, ut poſt tot tantaque a te data indicia ſagacitatem noſtram effugiat. Poſtea ocyus deſcribam deſideratum caput & ad te mittam. Proxime, quod jam rogas, miſi, pariculum regii Diplomatis: ſimillimum eſt illi, quod cum Principe Douchantius communicavit, alterique quod Briennæus comes miſit, vel mittere debuit: & authentico omni ex parte conſentaneum. Ego qui ea omnia vidi & religioſe ab amanuenſi meo deſcribi curavi, ſancte id affirmo; & veriſſimum eſſe præſto; præter ſigna eorum, qui de exempli juxta exemplar veritate teſtimonium locupletiſſimum perhibent. Inter eos non ſcripſit Juſtellus, quia Secretarii regii munere, quod in filium tranſdidit, ſe abdicavit. Filius autem ſcribit ſatis inſcite, nec idcirco ejus manu uti conſultum judicavi. Ego quoque de *Ebenbitore* valde ſum ſollicitus, nec quid Sommero acciderit reſcire potui. Penes me eſt Aſtronomiæ Philolaicæ Bullialdi noſtri exemplar unum ad te mittendum, quod prima quaque occaſione ad te curabo. Liber eſt ſatis grandis, formâ, quam in folio vocant, in duodecim partes diviſus: ſingulæ ſingulis hoc ordine inſcriptæ Coadjutori Gondio, Tolonenſi Epiſcopo Danæſio,

næſio, Rigaltio, Præſidi Pontaco, Salmaſio, Druſo, Ambræo, Petro Puteano, Lullerio, Gaſſendo, Jacobo Puteano, Jacobo Auguſto Thuano & Naudæo. Sed facere non poſſum, quin hic addam aliquam partem illius ad te epiſtolæ, cujus etiam participem faciam Rivetum. *Ut tibi honorem habeamus, exemplo ſuo praeunt Rex ipſe Chriſtianiſſimus, optimaque Mater ejus Regina, quique onus rerum adminiſtrandarum ſuſtinent viri ſapientes & de fama totius regni ſolliciti, qui te patria tua decus, in eam honorifice revocant, nec exteram gentem ſpoliis ac ornamentis noſtris diutius ſuperbire pati queunt; quod certe gloria ipſorum non minus cedet quam tua. Gaudium quod in ſinum tuum effundo amplectere, lætitiam tibi ſignificans, quam animis noſtris injicit reditus tuus nobis expectatus.* Interim Vale Tu & Tua, cui caſta faveat Lucina. Lutetiæ Pariſiorum 11. Decemb. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA CII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DE certo conſilio propoſitoque tuo iſtic manendi (ut ibidem aliquando quieſcant oſſa tua molliter) nunquam dubitavi: nec apud me adeo ſollicite cauſam iſtam agere debes. Scio etiam quibus difficultatibus torquearis, & præcipuam tuam eſſe, nec parum difficilem, curam ut eas cures. Quæ olim decumbens dictaveram, ea ex aliorum mente, neutiquam ex mea, erant: etſi autem ea duriora forſitan exiſtimaveris, ſcito tamen me plus ſatis ea emolliviſſe. Tertium quod duxiſti filiolæ funus, argumentum Caiæ tuæ ſuppeditabit de irato cœlo conquerendi, cujus inclementiam, ſane aſperam in re omnium tenerrima, experimini. Sed ſilentio venerari oportet Superorum, non dicam injurias, ſed plagas & calamitates; quemadmodum de beneficiis non loqui impium eſt & nefarium. Ab hac aula nihil tibi eſt formidandum: niſi enim Magnates ab amicis ſuis moveantur & impellantur, vix de te cogitabunt. Illi quippe litteras litteratoſque omnes, ut parum eruditos homines decet, negligunt. Nihil itaque hic fiet niſi quod volueris, cum id omne a te pendeat: nec ſtabis inde vel cades niſi tuo arbitratu. Prolixioris operis edendi quam habere te affirmas voluntatem laudo, ut trahatur tempus in mediam æſtatem: interea de arte alia cogitandum erit, ut autumnus etiam accedat; aderitque adjutor DEUS, qui nunquam ſuis defuit. Ut alia dicam, non ſine ratione inſaniebat Heinſius, quando omnem movebat lapidem, ut Bitterrenſis Eccleſiaſtæ naſcentem Genevæ fœtum diſturbaret. Si quid enim ei veteris adhuc famæ ſupereſſet, poſt acceptas a te ſtrages, id ſane facili negotio profligaret Joannis Croii ſacrarum & hiſtoricarum obſervationum in novum fœdus pars prior, quæ jam hic proſtat & in omnium manibus verſatur. Sola fere prolegomena doctiſſimus adverſarius attingit, & tamen niſi te excipiam omnes mirabuntur, quot & quanta ineptiæ & inſcitiæ monſtra debellet, imperi-

peritiam, negligentiam, oſcitantiam, ἀκρισίαν illius Criticorum Solis omnibus paginis παραδειγματίζει. Etiam Helleniſticæ ſomnia vocat ad partes, ipſiſſimiſque utitur rationibus, quas olim in eodem argumento laudaviſti, ut eas ex libris tuis deſcripſiſſe videatur. Certe per tua incedit veſtigia, nec nomen tuum ei unquam in ore, niſi cum aliquo meritiſſimo & digniſſimo elogio. Periit funditus Batavus Exercitator. Proceram illam quercum ſecuris tua dejecit, omnium jam patet injuriæ πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. Sunt tamen ſatis multa invidioſius propoſita & cavillatoria, quæ preſſius examinata, leviuſcula, ſi non falſa, judicabuntur. Poſteriorem partem pollicetur vir eruditiſſimus, & audio eam jam affectam eſſe; quod tamen vulgandum non eſt, ut incautum feriat alterum hoc telum. Hic Petrus Marca librum edidit de Primatu Lugdunenſi, aliiſque Primatibus: nondum eum legere vacavit: quod ubi attentius exequi datum fuerit, tum ad te ſcribam quid rei ſit, & ſi ita videbitur, mittam; ſunt enim iſta tui fori. Vale. Lutetiæ Pariſiorum. XVII. Decemb. CIϽ IϽC XLIV.

EPISTOLA CIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Samaſio.

Lugdunum Batavorum.

TIbi puerperæque tuæ gratulor de nova columna, qua domum tuam fultam ornatamque ſcripſiſti. Pro tribus filiabus, quas ſibi Æternus & Bonus Pater aſſumpſit, qui unum filium reddidit, plus donavit quam accepit. Illæ ſane ut plurimum familiarum ſunt impedimenta; mares vero, vere στῦλοι τῶν οἴκων. Cæterum in hoc triumpho, quod omnino conſilium meum Militiam tuam mihi non inſcribendi, tibi placuerit. Regium illud munus privatam fortunam meam ſuperabat, ut apprime Principem decebit. Sequere ergo omni ex parte ſententiam meam, alias; *Hæc dicam mea ſunt, injiciamque manus.* Solis quippe Regum filiis Imperatorumque nepotibus cedere didici, ubi de gloria & immortalitate agitur. Interea abunde erit mihi amicitiæque noſtræ, in alicujus opuſculi tui angulo & receſſu nomen meum legi. Erravi nuper, nec Amyraldi librum videram, cùm ad te ſcripſi ejus tractatum de vitæ termino editum eſſe cum aliis opuſculis Riveto noſtro inſcriptis. Ita id eſſe ab aliis intellexeram, quod verum non eſt. Exiguo volumine continentur diſſertationes Theologicæ quatuor. Adverſus Bergium & Spanhemium binæ, utriuſque nomine tacito. Tertia eſt de Oeconomia perſonarum in operibus divinis. Poſtrema de jure Dei in creaturas. Auctor ante octiduum curavit unum exemplar ad virum dignitate ampliſſimum, omni virtutum genere præſtantiſſimum, ſibi unice colendum, SS. Theologiæ Doctorem ac Profeſſorem digniſſimum & Eccleſiæ, quæ Hagæ Comitis eſt, Paſtorem vigilantiſſimum A. R. In Diatriba, quæ Gratiam Univerſalem ſtatuit, ſunt quædam γλυκυπικρῶς diſputata, quæ vereor ut æquo animo ferat eruditiſſimus

Adver-

Adverſarius, eaque ſine faſtidio concoquat. Sunt enim animis Cœleſtibus etiam ſuæ iræ. Aderat mihi nudius tertius Joannes Croius, qui occaſione nationalis Synodi in urbem venit. Habere ſe dicit ad editionem paratos viginti tres alios libros priori omnino ſimiles, in quibus non belle habetur Doctor Monoſyllabus. Ubi advenerint Epiſtolæ Comatæ, una tuo nomine donabitur. Tu autem ὡς τάχιςα extrude, quam habes adverſus Cauſſidicum Pariſienſem paratam, defenſionem tuam, immo & aggreſſionem. Audi hominis ἀναισχυντίαν: audet quippe in te iterum inſurgere. Dixit mihi Olivarius Devarennes, qui ejus Res judicatas parum vendibile mercimonium expertus eſt, ſe recuſaſſe typis ſuis committere libellum, quem contra Salmaſium a ſe ſcriptum oſtentabat. Efficiet aliquis Loyolita ut typographum inveniat. Certe ſi quid hujuſmodi contingat, non parcam pecuniæ tuæ & ἔκτρωμα hominis furioſi literis meis includam. Verum occupa ejus fauces comprimere, alias rabula ille non obtundet. Sed an rurſum adverſus hunc μανικὸν calamum ſtringes? Nolim factum: quin imo ut omnia iſta deliramenta ſenilia ſpernere velis δέομαι καὶ ἀντιβολεῶ ὡς ἱκετεύσαντα. Ταῦτα συνεχῶς λέγω, καὶ λέγων οὐ παύομαι. Quis enim modus tot refellendarum ineptiarum, in quibus quicquid dicas, multum tibi perire temporis neceſſe eſt. Ne queraris me nullum tibi ſuggerere argumentum ſcriptionis: en tibi ex notis tuis ad Hiſtoriam Auguſtam pag. 287. *Boëtiam* vocant veteres libri, quæ eſt *Bœotia*. Multos vidi verſavique libros manu exaratos; verba tua legi, nuſquam aliter hujus Provinciæ nomen in illis ſcriptum inveni. *De cujus ſcripturæ ratione dicam ad Solinum*, vel doce ubi id illic docueris, ſedulo enim quæſitum non reperi, vel jam id ſi lubet expedi. Præterea in Epitaphio Mariæ Scotorum miſerabilis Reginæ, apud Cambdenum in Annalibus Elizabethæ, quid eſt TACITUM REGALE? quis unquam jus regium ἢ τὴν ἀνυπευθυνίαν βασιλικὴν ita vocavit? An veterum aliquis τὰ πρωτεῖα Regum *Regale* ſimpliciter dixit; ut *tacitum regale* ſit jus regium per ſe, ut loquuntur in ſcholis, & ſine ulla explicatione, ſatis monere Reges ſui officii. Hæc mira loquutionis formula mihi videtur & ad veterum puritatem parum accedere. Iſtud mihi quæſo enarrare velis. Interim Vale tu cum tua, a me & mea. Lutetiæ Pariſiorum. pridie Cal. Januarias. Anno CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

FErvet jam Synodus noſtra, & parum adhuc convenit delegatis Patribus. Jurievius Molinæi gener ſtatim concionem habuit parum modeſtam ad populum. Eccleſiæ πρεσβυτέριον de ea expoſtulavit apud Synodum, caveret ſcilicet illa, ut quos ad Homilias præponeret deinceps, minus proterve loquerentur. Commendaverunt Oratores Eccleſiam Pariſienſem, tum a pruden-

tia civili, tum a perfecta unione, quam imprimis retineri Univerſæ Galliæ Orthodoxæ intereſſet. Falcarius placide & leniter peroravit. Meſtrezatius vero commotius dixit, quaſi cogitarent illi noviſſima Alenconenſia decreta refigere, quod fieri non debere ſatis multis rationibus docuit. Volunt illi omnia ſibi licere. Cumontius, qui Regias partes tutatur, renuntiabat nuper etiam miniſtros verbi divini homines eſſe. Nunquid tu quoque in ea ſententia? Homines ſunt, nec ab illis humani quidquam alienum eſt putandum. Literæ Riveti lectæ ſunt in patrum ornatiſſimo conventu & laudatæ. Sed quæ a Leydenſi Academia miſſæ ſunt, quanquam non improbatæ, minus tamen placuerunt. Has procul dubio Germanus Profeſſor concinnaverit. Jam bis ſcripſi de Amyraldi libro R. Riveto inſcripto cum titulis honoratiſſimis; nec habeo quod ea de re addam. Auctor coram ſe ſuaque tuetur fortiter, nec quiſquam eſt, qui cum eo pedem conferre auſit. Sed Adverſarii Judices ſedent & eis auctoritas eſt pro facundia. Quis futurus ſit exitus, vixdum prævideri poteſt. Sed niſi tandem conveniant, in mutuam perniciem diſſentient, & magna labes Eccleſias noſtras invadet, quod Deus avertat. Libros Marcæ & Arnaldi habebis proxima amici occaſione. Laudo conſilium tuum publicandi primam illam partem libri tui de Primatu Papæ. Memineris addere præfationem adverſus Henotas, nec indictus omittatur locus e Synodi Florentinæ commentariis, quem olim ad te in Burgundiam deſtinavi. Poſſum iterum mittere, niſi commode inter ſchedas tuas tibi reperiatur. Non novam tibi hujus operis tractationem fuiſſe, teſtentur Nilus & Barlaamus olim a te, Heidelbergæ cum eſſes, Hanoviæ editi. Cum jam iſtius libelli exemplaria deſiderentur, quidni recudatur poſt primam hanc partem? quinque ſexve πτεαδίοις iſto negotio defungentur typographi, dum magnificam præfationem adornabis. Impatienter expectabo literas, quas ad Launæum meum polliceris: nec ulla in re mihi poſſis magis gratificari. Ei enim ego plurimis de cauſis obnoxius, gratum animum tuum imputabo, quem ille mihi tibique, cum ſumma humanitate, acceptum feret. Rogo ergo ne obliviſcaris, promiſſamque Epiſtolam inſuper habeas. Sane ille magno & prompto animo amplexus eſt hanc tibi inſerviendi occaſionem, & apud Douchantium, amicum pluſquam intimum, ſollicite & callidiſſime promovit. Hic omnes valemus, vos etiam totum hunc annum cum ſequentibus omnibus bene Valete. Lutetiæ Pariſiorum. 6. Januarii 1645. Expectata diutiſſime exemplaria Epiſtolæ ad Colvium nondum advenere.

EPISTOLA CV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

INtenſiſſimum & penetrabile gelidi Boreæ, quod urit & ſecat, frigus, facile me apud te excuſaverit, ſi pauca tantum dixero & breviſſime: cum præterea

terea nullas a te hac vice acceperim. Arnaldi liber, vel potius Sanſyrani nepotis, contra Jeſuitas & præcipue Racoviſium Epiſcopum Vaurenſem eorum aſſentatorem, de SS. Petro & Paulo binis Romanæ Eccleſiæ, in unum a Papa repræſentatum, convenientibus capitibus, amplius non proſtat. Cancellarius, qui Loyolitis aperte favet, apparitores miſit, qui Bibliopolam in vincula conjicerent & exemplaria aſportarent. Hi ſtrenue & fideliter mandatis obtemperaverunt. Sed Henricus Boucherus collega & amicus ſummus meus, cum ſciret me uno ad te mittendo opus habere, ſtatim ſuum exhibuit, ut eo te ſuo nomine donarem. Itaque id quam potero citiſſime ad te mittam cum Petri Marcæ libro De Primatibus. Cæterum quod ſcripſit Arnaldus tale eſt, ut Romanenſium nullus poſt ejus probationes id confutare audeat. Certe, quod binos illos Apoſtolorum coryphæos ſpectat, non eſt novum dogma, quod olim verbis diſertiſſimis ſcripſere Irenæus, Ephiphanius, Leo, Gregorius, alii. Ex Romaniſtis Bellarminus idem tuetur. Cum ergo adverſarii, turpis ignorantiæ rei, non poſſent adverſus librum ſcribere, maluerunt eum proſcribere: quod facile a Magnatibus, qui ipſis ſunt addictiſſimi, qua pollent apud eos auctoritate, impetrarunt. Vale. Lut. Pariſiorum. XIV. Jan. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CVI.

CL. SALMASIUS

Alexandro Moro.

Genevam.

REdditæ mihi ſunt Amici tui Obſervationes in Prolegomena jacentis & afflicti autoris; pro quibus magnas tibi debeo, & ago gratias. Opus eſt eruditum, varium, elegans, multijugi doctrina & lepore refertum. Placet præſertim θυμὸς ἀγήνωρ, quo hominem audacter, nec ſub perſona, aggreditur. Si autem in ſolo pæne hærens προπυλαίῳ, tot inſcitiæ & ἀκρισίας portenta profligavit, quid non ſperemus amantes, ubi ipſa adyta reſeraverit? Unum vereor, ne langueſcat ejus impetus, quia adverſarius nihil eſt repoſiturus. Tantum enim vivit ut bibat, in ſua quondam fama ſeſe jactans, cum de futura deſperet. Quod cum dico, vides opinor, nullas eſſe Principis partes in hac fabula, nec is ſuperis labor eſt. Ex animo doleo dividiam natam inter ſummos heroas noſtros. Quam nacti ſunt Spartam ornare pergant; communemque hoſtem junctis animis armiſque impetant. Illum qui feriet, mihi erit Carthaginienſis, nec ſe amplius laceſſant. Vale. Lut. Pariſiorum. XV. Jan. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

EXcurſum de inventione Typographiæ debes Doctori Medico Mentelio, qui dicit ſe genus ducere ab illo Mentelio, cui nobiliſſimam illam artem vult debere natales ſuos. Cum autem te magni faciat, lectorem eſſe te voluit & judicem ſuæ lucubrationis. Laudo conſilium de ſeparatim editis tribus tuis opuſculis. Quia nondum adſunt exemplaria Epiſtolæ ad Colvium, malim, niſi aliter ſentias, ea omnia ſimul δαψιλεύεσθαι, quam ſingula, & ita prioris muneris mora purgabitur. Mittam cum Arnaldi & Marcæ opuſculis Hugonis Grotii librum, de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, quem tantopere expetis. Eum mihi non modico ſumptu in deſcribendo comparavi. Eximium eſt magni viri opus, quodque merito ſuo poſſit cum ejuſdem auctoris cæteris omnibus componi. Cum olim eſſet in Batavia, nata eſt ei occaſio hanc illuſtrem controverſiam tractandi, quam magnifice executus eſt. Jam vero nihil hujuſmodi ſapit: & plurima illic leges, a quibus poſtmodum mutata ſententia, vel potius animo, quam longiſſime receſſit. Cæterum cum mecum communicaretur apographum, ad quod meum deſcriptum eſt, hæc mihi lata eſt ab illuſtribus fratribus lex, quam tibi quoque ferri æquo animo patiaris neceſſe eſt, ne ſcilicet extra Muſæum educeretur, vel ſaltem ne deſcriberetur. Poſtremum hoc niſi promittas, non mittere certum eſt. Ita enim quam dedi ſoleo fidem religioſe ſervare. Proximo menſe iſtuc advolabunt Gallicæ hirundines, quæ vobis ver reducent, eaque referent quæ brumales noſtræ noctes excluſerint. Brevi, ſed tamen ſufficienti reſponſo tuo ad quæſtiones de Chalcolibano ex debita ſolitaque formula ago gratias. Ad poſtremas tuas jam venio. Ex animo doleo diſſidium natum inter ſummos Theologos amicos noſtros; Spanhemium dico & Amyraldum. Hic exiſtimavit neceſſitatem ſibi impoſitam Theſibus de G. U. reſpondendi, quod ille diſſentientes ſcripſiſſet *eſſe cætera orthodoxos.* Ubi enim Miniſtro, Profeſſori verbi divini, τῆς ὀρθοδοξίας fieret controverſia, ſilere turpe eſſet & nefarium. Inde cauſæ irarum ex duabus iſtis vocibus. Sed modeſte agit & cum præfatione honoris erga eum, quem arguit, objectiones diluit, ad octo quæſita in Epimetro contenta reſpondet, & quinquaginta erotemata reponit. Ante menſem dicebat mihi auctor, ſe exemplar unum ad Rivetum, cui etiam opus inſcriptum eſt, cum epiſtola ſolerti & eleganti, miſiſſe. Videte ambo, Te Rivetumque intelligo, ne quid ex hac, quam vereor inter hæc duo fulmina, colliſione, Eccleſia detrimenti capiat. Quam nacti ſunt Spartam ornare pergant, communem hoſtem junctis animis viribuſque impetant. Eum qui feriet, mihi erit Carthaginenſis, nec ſe amplius laceſſant. Quia ſæpius mihi ſignificaſti Spanhemium te ſummo amore proſequi, virumque officio-

ficioſiſſimum tua proſpera & adverſa etiam ſua duxiſſe, facile adducor in eam ſententiam, illum tuis pacis & concordiæ conſiliis acceſſurum. Nec male poſitam in iſto negotio operam tuam velim arbitreris. Nos quoque hic alterum ſufflaminabimus, ne tenuis ſcintilla grande excitet incendium. Librum quem rogas, non mitto, tum quia poteris eum a Riveto nanciſci, tum quia mittendi non eſt facultas, nondum enim proſtat. Auctor pauca ſecum attulit exemplaria, quæ Bibliopego compingenda tradidit. Dum abeſt apud Carentonenſes, quid eis actum ſit neſcio. Cauſa Salmurienſis in Synodo ventilata eſt & diſcuſſa. Rei abſoluti ſunt, nec in Alenconenſes Canones quidquam ab illis eſſe peccatum pronunciatum eſt. Decretaque aliquot condita, quibus concordiæ fortius ſtringendæ in poſterum conſulitur. Plenius ſingula narro in Gallicis ad Amicum Hagienſem. Ingenium Heinſii, ſui laudatoris, ſuſpicio. Homo ſui amantiſſimus, ne ſolitis laudibus fraudaretur, maluit ſibi canere, quam ſuaviſſimo illo acroamate carere. Promiſſam ad Launæum Epiſtolam rogo & flagito. Vale tu cum tua a me meaque. De Tacito Regali & Boëtia ſcribes quando vacabit. Lutetiæ Pariſior. 20. Januarii 1645.

EPISTOLA CVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NE deinceps expoſtules, nullum a me tibi prolixioris ſcriptionis ſuppeditari argumentum, Ecce tibi e ſacris, uti reor, ampliſſimum. Vetus eſt, nec hodie aut heri nata, controverſia, & ſane ardua, inter Theologos, *De Imputatione peccati Adami*. An ſcilicet ut pœnæ, ſic culpæ malum nobis pepererit? Dicunt qui affirmant; Omne genus humanum in lumbis primi parentis ab ejus fato, factove, pependiſſe: ejus itaque caſum omnes poſteros afflixiſſe. Qui negant, fatentur quidem per unius peccatum mortem omnes invaſiſſe, nec tamen omnes idcirco peccatores habendos, ſed unumquemque ſuo merito damnari. Exemplo rem illuſtrant; Miles in excubiis poſitus obdormiſcit, occiditur: tum reliqui commilitones, male in ejus vigilantia quieſcentes, ab hoſtibus opprimuntur. Unius culpa omnes pereunt, non eſt tamen omnium culpa, ſed unius. Vel potius, Prodigus in lauta re pater in luſtris & ganeis fortunas ſuas dilapidavit; filiis deinde ut & patri in minus honeſta paupertate, vita eſt tranſigenda. At unius patris vitium eſt, miſeria etiam filiorum. Tertium accedat ex verſu Horatiano, *Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi*; An etiam Achivi deliraſſe cenſendi? Præterea non poteſt pati juſtitia divina, ut ſit ita innocenti, ſicut & nocenti. Geneſ. XVIII. 25. ut filius ferat iniquitatem patris. Ezech. XVIII. 20. quin imo anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Deuter. XXV. 16. II. Reg. XIV. 6. Utraque ſententia magnos habet aſſertores. Prior Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Theophylactum, Bezam. Poſteriori favere videntur Hieronymus, Theo-

doretus, Eraſmus, Leo Judæ, Junius, Tremellius, Martyr, Marloratus, Vatablus, Chamierus, etiam Calvinus; plures non conſului. Magnum autem eſt momentum hujus controverſiæ in explicatione Paulini loci epiſtolæ ad Romanos cap. v. 12. *ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.* Poſtrema hæc verba ἐφ' ᾧ trahunt omnes in ſuam ſententiam. Alii *in quo*, nempe Adamo, omnes peccaverunt: alii *eo quod*, *per hoc quod*, *quatenus* omnes peccaverunt. Nec nauci eſt hoc diſcrimen, cum ex hac vel illa explicatione, alteram opinionem ſtare vel cadere ſit neceſſe. Te vero hic ego appello, qui linguæ Græcæ penetralia adiviſti, totaſque Athenas cum Alexandria & Cilicia imbibiſti, ut hujus locutionis vim explanes & in nobiliſſima lite pronuncies. Ne quid autem te celem, ſcias a Synodo negantem opinionem atro calculo notatam. Quid in cauſa Milleteriana pronuntiatum ſit, diſces ex actis quæ mitto. Dominica die lecta fuerunt in publico Eccleſiæ conſeſſu. Miſer deliberat quid agat: vellet olim ad Pontificios defeciſſe, ut enim eo unde ejectus eſt, redeat, ſpes nulla ſupereſſe videtur. Epiſtolam ad Launæum, quam mittere te ſcribis, non inveni cum tuis, eamque deſidero. Vale tu cum tua a me & mea. Lutetiæ Pariſior. IV. Februarii. CIϽ IϽC XLV. Cum hac ſua epiſtola miſit Amyraldus exemplar Diſſertationum Theologicarum quatuor, quod proxima amici occaſione habebis cum Grotii libro de Imperio Principis circa Sacra. Nihil ad te ſcribo de loco ex Hiſtoria C. P. adverſus ἑνωτικούς, quia dixit Bullialdus ſe a me monitum, eum ad te miſiſſe. Si quid Amyraldo reponas mittaſve, id poteris tuis ad me includere.

EPISTOLA CXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

GRotii librum primo quoque tempore mittam, ut in eo magnam rem quam deſideras, quæras. Si eam indicaſſes, potuiſſem iſtum tibi laborem compendifacere. Quamvis magno mihi conſtet, tuus tamen erit, immo ſit, ea tantum conditione qua meus factus eſt. Non veritus ſum ne eum deſcriberes, ſed ne pro tua facilitate cum amicis promiſcue communicares, qui invito auctore & illis, quorum beneficio eum habeo, cuilibet oſtenderent. Nec ulla unquam orta eſt mihi de tua fide ſuſpicio, quam bonam credo ſanctam & ſinceram. Sed quid peccavi, ſi, quam dedi, ſervo? ſi conditionem donationi adjunctam religioſius impleo? Cum Legato Suediæ in gratiam non redii. Si mihi animus fuiſſet eam ambire, non difficulter, ita credo, illam impetraſſem, cum ea nulla mea culpa caream; ſed tantum quia minus favi ejus conſiliis henoticis. Quare autem venerit id tibi in mentem, neſcio, niſi forte quia eum apud te honorifice appellavi. Sed male conjeciſti, nec te vatem hic perhibebo optimum. Hominem pro ſuis erga literas non vulgaribus meritis magni facio, nec amare non poſ-

poſſum. Quod ſecius ſenſit ſcripſitve, non laudo, non probo, non fero; nec tamen ideo velim plurima ejus eximia contemni & oblivioni tradi. Tu primas, quod nemo jam negat, obtines: at illi, quod nec itidem quivis eat inficias, ſecundæ debentur. Superiorem æqualemve non habes, hunc ſaltem alterum a te æquo animo patere. Jam acceperis reſponſionem ad Theſes Spanhemii noſtri. Verum non eſt viſam eam lectamque in publico patrum conventu. Vel duo vel nemo illorum eam videre. Certe duo tantum iique auctori amiciſſimi, non tres. Si aliquid Amyraldo reponat eruditiſſimus Adverſarius, modeſte quæſo agat. Sed melius fuerit & ſane optimum iſtam controverſiam omnio ſopiri, nec moleſtæ contentionis funes diutius trahi. Quod ad Anglicam vel Scoticam vocationem attinet, oſtendi tuas litteras uni noſtro Puteano, prout juſſeras; qui, rebus ibi turbatiſſimis, nullum eſſe deliberationi locum mecum cenſet. Ubi compoſita & pacta erunt omnia, tum ſecundum ea quæ proponentur, ſingula examinabimus. In Britannico regno, docto Rege imperante, parum ſibi conſultum putabat olim Caſaubonus perpetuæ moræ cauſa habitare. Illa quippe gens exteros averſatur & odit: Gallos vero odio pluſquam Vatiniano. Jam vero Rege bonarum litterarum imperito, quid præſidii litteratorum coryphæus ab eo expectet, qui ſibi ipſi non ſufficiat? Interea magno tibi honori cedit hinc, illinc, iſtinc prenſari. Rigaltius cuſtodiam Bibliothecæ Regiæ tranſtulit in Puteanos, qui ſedes, æſtate proxima, mutare cogitant & illuc migrare. Vale. Lut. Par. x. Feb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUod ſederit conſilium Spanhemio noſtro poſt acceptam ad ſuas Theſes reſponſionem, impatienter expectabo. Dixerat ſe poſſe & velle ſilere, modo Amyraldus omnia lucubrationis ſuæ exemplaria ſupprimeret: quod eſſet, Saturni in morem, prolem ſuam devorare. At hoc fieri non poteſt, jam nonnullis, licet pauciſſimis, quæ omnino repeti non poſſunt, donatis. Rurſum ergo tractet hoc argumentum; ſed qua par eſt moderatione: nec ceſſabo ea in re offerre, quam promittis, operam tuam. Non vidi locum ex Hiſtoria C. P. quem ad te miſit Buſlialdus, ſed deſcripſit eum ex codice, in quo Caſaubonus manu ſua in margine notaverat ἐνοτηθ) (ille quoque Thuana domo migrare cogitat.) Sive eos in præfatione inſecteris, ſive independentes & Acephalos, dignum eſt hoc ſtadium in quo decurras. Miror te exiſtimare Legati librum te a me non poſſe impetrare. Cum aliis quos ad te defert Campius incluſus eſſet, niſi ejus uſuram ad paucos dies extorſiſſet Blondellus noſter, ut in eo caput de Electionibus verſaret. Jam vero ad me rediit, & hodie vel cras ad te ibit; nec amplius gaudia tua morabor, ſed venti forſan vel naves ad tranſitum

minus adornatæ. Millcterius in eo eſt, ut publicato ſcripto expoſtulet de Actis Synodi in ſua cauſa reſpondendi. Si quid ſcriberet, provincia mandata eſt Amyraldo, qui cum eo totum biduum de Juſtificatione collationem habuit, ut eum in viam reduceret. De tuo grato animo Launæus meus ſe tibi devinctiſſimum hiſce ſuis literis profitetur, ego quoque me eadem de cauſa plurimum tibi debere agnoſco. Epiſtola ad Colvium, nomine tuo donati Croius, Langlæus, Amyraldus ad ſuos redierunt. Trina exemplaria a Petito præcepi, donec grandis faſciculus, in quo quinquaginta illa habentur, mihi reddatur. Ubi tam diu hæreat, plane neſcio. Ut chartæ reliqua implerem, poſſem te aliqua nova quæſtione vexare, ſed quia es occupatiſſimus, deſinam moleſtus eſſe, cum præterea ternis reſponſum ab otio tuo deſiderem. Vale tu cum tua a me meaque, qui vobis cuncta ex animi ſententia procedere optamus. Lutetiæ Pariſior. XVII. Februarii. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

PRo negativa opinione, quam impugnandam ſuſcepiſti, poſſem cum argumenta a me allata fulcire, tum alia proferre majus pondus ei dare idonea. At illa juſtitia, cujus curæ nos ſervire verum eſt, litium numeris innumeris nos adeo obruit, ut pæne oneri ſuccumbamus. Ut dubitarem moverat me acutiſſimi Theologi, & in Pauli idioma & doctrinam non indiligentis ſcrutatoris, Theodoreti, auctoritas, qui ad locum epiſtolæ ad Romanos cap. V. 12. ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον hoc habet, οὐ διὰ τὴν τοῦ προπάτορος ἁμαρτίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν οἰκείαν ἕκαστος δέχεται τοῦ θανάτου τὸν ὅρον. Culpam fateor, pœnam deprecor. Pudet pigetque: de culpa & pœna peccati Adami τὸ κρινόμενον male conſtitui. Nec diſſidentium quiſquam culpæ malum negat ad Adami poſteros tranſiiſſe, ut & pœnæ. Tantum diſtinguunt illi, quibus faviſſe volui, videri culpam τοῦ προπάτορος, quatenus eſt actus vitioſus, qui momento deſiit, ab illa ipſa, quatenus eſt labes ſpiritualis totius naturæ humanæ & ἀταξία eam afficiens. Priori modo imputari negant. Nam nemini ex Adami poſteris Deus hanc dixit ſententiam: Reus es quia Adam mandatum meum violavit, vel ipſe in ejus perſona olim fructum vetitum attingere auſus es. Sed poſteriore & tranſit & imputatur, Deo de ſingulis primi parentis poſteris pronunciante: Reus es quia vitioſus es & paternæ labis hæres. Sic debui ſcripſiſſe, quo ita poſito, non tanti eſſe videtur id diſcrimen, ut neceſſe fuerit in prioris opinionis ſectatores ſævire. Non tamen pœnitet hujuſce erroris mei, qui tibi occaſionem præbuit iterumque iterumque Paulinum locum doctiſſime retractandi. Utinam autem & hanc controverſiam aliaſque omnes ad ipſum Apoſtolum enarrares! quid dignius ſumma tua eruditione poſſis aggredi? quid Eccleſiæ utilius? quid tibi honeſtius? Materia eſt ampla & varia, in qua omnis eruditio locum habeat.

Nul-

Nulla hinc deerunt tibi e B. R. ſubſidia, ſtatim ac illuſtres fratres in ea reſederint. Cum enim ex illa Georgius Monachus olim ad Scaligerum avolaverit: quidni etiam nunc Catena Græca in Pſalmos & alia omnia ad Salmaſium? Modo hoc ſecreto fiat, impetrabis. Tum militia, uſuræ, mutuum cum omni jure Græco Romano tibi merito ſordebunt. Quid enim omnis prophana literatura ad hæc vere ſacra Myſteria? Pluris facio vel unum Euangelii locum nitide explicatum, quam quemlibet ſæculi auctorem integre emaculatum vel reſtitutum. Hoc qui tibi velle dedit, det quoque & perficere. Cum voluptate legi reſponſionem tuam ad Fabroti Epiſtolam, una diſtinctione hactenus non intellecta. Contractus Mutui & Rei mutuo datæ totam controverſiam abſolviſti. Nondum licuit eam cum Menagio noſtro communicare, quod hodie ita ſpero faciam. Vide ut cætera tua noviſſima, ſi non ante alios, ſaltem neutiquam poſt cæteros habeam. Scis enim quam impatienter tua deſiderem, quamque ſtudioſe ea legam. Et hæc mora fere una cauſa eſt, quæ abſentiam tuam mihi moleſtam faciat. Quod ſi removere poſſis incommodum, maximo me beneficio mactaveris. Adverſus Arnaldi vel Sancyrani opuſculum Gallicum de Petro & Paulo Eccleſiæ Rom. Capitibus, de Petro ſingulari ejuſdem Eccleſiæ fundatore, Latine ſcripſit Iſaacus Habertus, cujus librum a te legi neceſſarium duco. Sed quam rogavi ſententiam tuam, quia pronuntiaſti; eam religioſe colere malo, quam nimia anxietate ſopitam litem redintegrare. Croius ad ſuos rediit, erga Heinſium male animatus. Si promiſſo opere defungatur, væ Heinſio, væ etiam Boxhornio; quem audio laboranti amiculo parare ſuppetias. Acer enim eſt & indomitus, quique ſe optionem tibi ſuccedere gloriabitur. Ægre tamen tulit ſe patroni Galli nomine confutatum in Epiſtola ad Menagium: adeo delicatuli ſtomachi ſunt homines eruditi, ut nihil poſſint, duriuſculum quod ſit, digerere. Homini qua potui ita blanditus ſum, ut credam eum tibi minus jam eſſe infenſum. Cum Grotii libro Manuſcripto & Amyraldi edito involvi maritimas conchas in heduis tuis repertas, quas patruelis, tibi ὁμώνυμος, ad te mittendas tradidit. Exiſtimaverim eas Naturæ potius eſſe luſus; quam ut ab univerſalis diluvii tempore illic permanſerint. Viri enim nobilis, qui eas exhibuit, fides dubitare non ſinit, plurimas ſimiles ibi reperiundas: te præterea αὐτόπτην teſtem laudat. Certe in locis παραθαλασσίοις vel a mari haud pluſculum remotis, verbi gratia in Euganeis ad Patavium montibus, multa hujuſmodi inveniri non mirantur, qui ſciunt fieri potuiſſe, immo factum eſſe, ut aliquando mare eo uſque pervenerit. Sed in mediterraneis veſtris, hoc eſt in media Gallia, familiare id eſſe, ſumma dignum eſt admiratione. An veteres Naturæ myſtæ aliquid παρεμφερὲς obſervavere? Certe, quod non abludit, piſces foſſiles Ariſtoteles, Plinius, Strabo memoravere. Ecce aliud eruditæ Epiſtolæ argumentum, diſquiſitione tua non indignum, dum alia volvenda dies ultro afferat. Replicationem ſuam, quod minime improbo, inſtituit ergo Spanhemius; cum præſertim modeſtiam nos in ſuis ſcriptis non deſideraturos

ſpondeat. Maluiſſem ut vir doctiſſimus voluiſſet ſibi temperare, nec iſtam controverſiam amplius diſcutere. Sed quia rationes ſuas id non ferre arbitratus eſt, meminerit tantum eleganter & docte a ſe enarrati Paulini loci verba & ſenſum ſectari, ἀλήθειαν ἐν ἀγάπῃ. Tum demum facilius perſuadebit, ſi leviter & placide in legentium animos ſe inſinuet, quam ſi ex præcipiti & violenta iracundia rem difficilem moroſius involvat & turbet. Tu quia aliud habes quod agas, noli iſtis diſſidiis te implicare, & quam nactus es Spartam ταύτην κόσμει. Quercetanus medicus fato functus eſt. Nos valemus: vos quoque, ita precamur, valete. Lut. Par. XXIV. Febr. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CXII.

CL. SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

QUo me vocaſti ad vadimonium venio. Scilicet vis expediam naturalem illam quæſtionem *De oſtreis in mediterranea longe a mari naſcentibus.* Non illa naturæ luſus eſſe exiſtimarim: nihil enim bona illa mater creavit, niſi aut utile aut neceſſarium aliquo tempore futurum. Terra omnium rerum quæ creata ſunt, ſeminia & principia continet; tam earum quæ ex ipſa naſcuntur proprie, ut plantarum, reptilium, & quadrupedum; quam etiam illarum, quæ in medio mari aut in fluminibus generantur: ſive illa φυτὰ ſint, ſive ζῶα, ſive ζωόφυτα. Nam hæc tria genera tam in mari quam in terra, ubi mare non eſt, reperiuntur. Ut diverſæ ſunt marina formæ a terreſtribus, plurima tamen in mari generis ejuſdem provenire certum eſt, qualia ſunt in terra naſcentia animalia. Habere etiam homines ſui generis non vana eſt fabula. Quamvis in mari ea omnia vivant, a terra tamen proprie ducere originem conſtat. In fundo quippe maris, qui terrenus eſt, aut ſaxoſus, aut arenoſus, gignuntur, coaleſcunt, atque etiam pabulum ibi habent. Mare terram ambit, & aer utramque. Animalia autem ἀερόπορα quæ ſunt volatilia, non aeri ipſi, ſed terræ ortum ſui debent, haud minus quam terreſtria, quam & marina. Tametſi autem extra mare illa vivere nequeant, quæ in mari oriuntur; aqua per ſe eorum principium & ſeminium non continet, ſed terra quam mare operit. Terra autem illa quæ mari occupatur, non minus herbarum, fruticum, metallorum, animalium primordia genitalia intra ſe habet; quam ea quæ non eſt mari obruta. Vice verſa terra quam mare non tegit, æque eorum, quæ in mari naſcuntur, omnium genitale ſemen continet, atque illa quæ aquis cooperta eſt. Et ſane ſi mare recederet ab illis vallibus, quas nunc implet, ut eas, a quibus longe abeſt, inundaret, verterentur vices, & ſpatium illud omne terræ quod mare deſeruiſſet; plantis herbiſque omne genus, illiſque animalibus quæ ex limo lutoque concreſcunt, protinus occuparetur. Experientia id comprobat. Tractus eſt in Zelandia aliquot milliarium, a quo mare ante centum annos receſſit: & reperiuntur ibi hodieque, cum foditur, anchoræ & fragmen-

ta navium, quæ limus operuit. Viridiſſima autem & lætiſſima paſcua toto illo tractu nunc viſuntur, ubi mare olim fuit. Eadem experientia docente illud etiam ſcimus; ſi ſtagnum fiat ubi prata fuerint, tametſi piſces non eo mittantur; poſt triennium piſcibus abundans ſæpe deprehenditur, & præcipue luciis: reliqua genera ideo minus comparent, quia ab iſtis devorantur. Non in omnibus tamen locis id æque contingeret, ſed in illis præcipue, in quibus tellus piſcium ſemina magis haberet. Ut *Non omnis fert omnia tellus*, non ſolum illa quæ aquis tegitur, ſed & illa quæ in ſicco eſt. Effodiantur in medio campo lacunæ ſatis profundæ, quæ aquæ pluviæ conceptaculum ſint, diutule ibi duraturæ; ranunculi in iis provenient plurimi tametſi aliunde non intuleris. Unde hoc, niſi quod terræ illius vis genitalis ad procreandas ranas idonea eſt? Idem eſt de conchis & oſtreis, quæ in mediterraneo inveniuntur multis locis. Non aliud enim poteſt dici, quam conchis generandis aptam naturam illorum eſſe locorum. Non ubique reperiuntur. Sane nec omne mare oſtreoſum eſt & κογχυλιώδες. Cujus fundus ſaxoſus eſt, ibi præcipue abundant. Similiter iſtæ terrenæ conchæ vel concharum ſimulacra non in omnibus terrarum locis reperiuntur: ſed aut in montibus, aut in agris ſaxoſis; ut illa quæ tradidit patruelis meus, in villæ ipſius agris lapidoſis inter alios lapides paſſim jacentia invenire eſt. Cum ante annum illac tranſirem, & inambulando per circuitus ejus agrorum quaſi ambarvalia facerem; ut omnia ſoleo circumſpicere, explorare: cum vidiſſem paſſim jacentia illa κογχυλιώδη, ſtatim quæſivi de ea re, & dixit mihi infinita talia reperiri. Colligebam tum ipſe magnam copiam, quam attuleram mecum, ſed relicta in capſis carrucæ & oblita, carrucarius, qui lapides putabat, abiecit. Ubi huc ſum reverſus, cum de iis aliquando diſſererem cum Latio noſtro, rogavit me, ut ſtudioſus eſt talium, ut curarem advehenda. Itaque feci. Hæc habebam quæ tuæ quæſtioni reponerem. Vale. Te & uxorem, ego & uxor ſalutamus. Lugd. Batav. Nonis Martiis. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ABſit, abſit, ut auctor tibi fiam dedicandi Primatum tuum utriuſque Parlamenti Britannici proceribus. Nec ea de re diutius deliberandum exiſtimo: niſi forſan certum tibi ſedeat conſilium, in ultimam Scotiam ſtatim migrandi. Ut enim poſt hujuſmodi ἀνδραγάθημα amplius cogites de huc redeundo, vel etiam de iſtic manendo, nihil ab omni ratione magis eſt alienum. Nec credo te a tua prudentia ſolertiave ita deſtitui, ut id tibi in mentem venerit. Supereſt igitur ut arbitrer exercitationis tantum gratia eſſe hoc a te mihi propoſitum. *Dum rides lepido tanta eſt tibi gratia riſu.* Omnino debetur iſte ingenii tui nobiliſſimus fœtus Fœderatarum Provinciarum Ordinibus: ſub quorum cœlo ſi non conceptus, at formatus eſt & editus. Nec ulli ma-

gis hunc honorem merentur; quamvis minus mirer, quod multi eum ambiant, dum unuſquiſque de ſe fere tantum, parum autem de aliis cogitat. Hæc eſt mea ſententia more meo ſubitanea & libera. Diſſuadeo quoque ſi res adhuc ſunt integræ, ut Fabroto reſpondeas: nec ille dignus eſt quocum iſtum funem trahas. De mutuaticia quæſtione ſatis tibi eſſe debet terque quaterque eſſe commentatum, & aliud habes quod agas majoris momenti. Si velis omnes ſalebras amovere, quæ tibi obverſabuntur, nunquam de diverticulis in viam redieris. Bene eſt quod jam Spanhemius replicationem ad Amyraldi opuſculum abſolvit. Melius eſt & optimum, quod modeſte rem egit diſſimulata ex quibuſdam dubiis vocibus offenſione. Sic virum eruditum, ſic Theologum decet. Quia nihil habeo quod addam, ecce tibi a me aliud quæſitum. Proverbialis eſt loquutio tibi & omnibus ſatis familiaris: *Sabini quod volunt ſomniant*. Quis veterum hoc effatum orbi Latino, quamve ob cauſam obtulit? Sit hoc tibi reſponſionis argumentum. Expectabimus abſoluta juridica tua opuſcula impatientiſſime: præſertim vero illud quod Heraldum ſpectat. Quamvis autem quas in te merito & libentiſſime effundo congeroque laudes, ſuſpectæ tibi ſint, facere tamen non poſſum, quin ſuſpiciam & in cœlum efferam, quæ noviſſimis tuis litteris de conchis oſtreiſve ad me ſcripſiſti. Sive enim maris penitiſſimum fundum, ſive montium celſa cacumina adeas: inde ſemper gloriæ amplam materiam refers. Nihil tibi eſt impervium, nihil quo non penetret incomparabilis tua ſolertia & ſapientia. Sive naturalia, ſive ſupernaturalia, ſive Græca, ſive Latina ad te deferam, omnia explicas & erudite & copioſe. Quid tibi majus rependam pro immenſis tuis beneficiis, præter ſinceriſſimam gratiarum actionem, nihil habeo. Hanc ergo a me habe & accipe gratiſſimam & pleniſſimam, quam ſubmiſſe defero. In mea igitur conjectura, de Riveti erga te amicitia ἄστοχος fui, quemadmodum antea fueras parum felix de Grotii erga me animo. *Jam ſumus ergo pares.* Hic in Suediam poſt Paſcha proficiſci cogitat, expoſtulaturus de injuria ſibi illata, ſucceſſore dato juvene & æmulo. Interea parendum eſt & privatorum in morem vivendum. Hic coloſſus jacens & proſtratus ſemper tamen magnus erit: hæc ſtatua ſine ſua baſi ſemper excelſa erit & ſublimis. Magnam a me iniiſti gratiam tua ad Amyraldum reſponſione. Utinam hominis altum, nobile, & audax ingenium cognoſceres. Cadomenſis Bochardus eruditiſſimum Commentarium ad Geneſeos caput X. perfecit: in quo Geographiæ Sacræ illuſtris & nova tractatio cum omnigena doctrina conjuncta ſuaviter te afficiet. Majus noſtro teſtimonium habet ab Ampliſſimo Bignonio, qui hodie mihi affirmavit Scaligerum, Druſium, Fullerum præ hoc noſtro ineptire. Vale. Lut. Pariſ. xv. Mart. CIƆ IƆC XLV.

EPI-

EPISTOLA CXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

MIlleterio noſtro valedixi, ex Albinæi nobilis quondam Aquitani non inelegante, nec minus vera ſententia. Quid hoc rei eſt, inquies? Abiit ſcilicet ille, dominica proxime præterita, ad Deum ſeptem collium. Hic autem dicere ſolebat duobus hominum generibus vale eſſe dicendum. Illis qui ex hac vita diſcedunt, quia non amplius eos in hoc ſæculo viſuri ſumus: & illis qui ab orthodoxia deficiunt, quia in futuro nobis conſpiciendi non erunt. Cum hæc nupero mediatori in os dixiſſem, & ut jam feci explicaſſem, riſu, vero an ficto, reſpondit; addiditque ſe de ſuo τῆς μεσιτείας conſilio ad felicem exitum deducendo, nondum deſperare; magnamque ſibi inter Pontificios melioris Reformationis avidos eſſe meſſem paratam. *Sabini*, dixi, *quod volunt ſomniant*; tantum cave ne proxima gazeta nobiliſſimum tuum facinus, quod poſt totum decennium in fumos abiit, minus honorificis verbis, orbi ſignificet. Hæc enim prima te manet rei bene & præclare geſtæ digniſſima merces. Laudavit amicum animum & ſeceſſimus. Deinceps igitur vir confidentiſſimus in Romanis caſtris militabit. Quæ eſt hominis Φιλαυτία ibi quoque omnia turbabit. Sed poſſunt illi pœnali judicio errones ſuos coercere. Vidi Diſquiſitionem de Mutuo Ampliſſimo Talæo inſcriptam & miſſam. Inexhauſtam argumentorum copiam ſatis mirari non poſſum. Auſurum quemquam impoſterum iſtam cauſam adverſus te agere, vix exiſtimem. Certe licet reſponſionem contra te ſcripturis, ſi ulli ſint, miniteris, nolis quæſo hiſce diutius immorari. Et ſerio cogita te, ex quo iſtic habitas, nihil fere niſi alio impellente & arrodente edidiſſe; nec Minervam tuam ſolam fœtum ullum magno tuo cerebro dignum peperiſſe. Vel Primatus vel Militia ſeſe prodant & promiſſum conceſſumque, at non præſtitum, locum obtinebis. Immo urge Primatum tuum, qui aut nunc aut nunquam excludendus eſt, nupero Pontifice Romæ ſedente, quocum neſcio an ſatis belle nobis conveniat. Ille certe corvum deluſit hiantem dum Polonum, pro altero quem promiſerat, Cardinalem renuntiavit. Secius de meis verbis ſentiunt, qui exiſtimant me a te tantum explicationem Græcæ phraſeos expectaſſe, non etiam ſententiæ, quam illa contineri arbitrabar. ἐγὼ γὰρ οὐ μόνον τῶ ῥητῶ, ἀλλὰ καὶ τῆς διανοίας καλόν σε καὶ πιστὸν ἐξηγητὴν ἡγοῦμαι. Sed cum res e verbis omnino pendeant, qui de his quærit, illas inſuper habere dici non debet. At verentur Theologi ne ſua Myſteria alii recludant. Te vero quem nihil latere omnes fatentur, ego autem alta voce prædicare non deſino, quomodo ad ſolum Grammaticorum tribunal evocaſſem? Iidem illi parum favent Philoſophiæ novitio Profeſſori, quem ajunt minus ex arte de nobiliſſima ſcientia eſſe præfatum,

tum, quamvis ter te patronum ſuum laudaverit ignobilis Cliens. Niſi lautiores epulas creditoribus ſuis in poſterum inſtruat, neſcio, inquiunt, an amicus noſter iſtius generis homines ſit aliquando commendaturus. Me quoque pedum morbus æquinoctio verno invaſit ſed remiſſius. Credo quia a ſorbendis ſingulis menſibus catapotiis, binas ternaſve Lunas ceſſavi. Uſurpanda ſunt hæc ergo & frequentanda mihi remedia, quæ ipſo malo, prout eo nunc afficior, magis ſunt moleſta. Audio noviſſima tua opuſcula iſtic jam publicata & gaudeo. Samuel Sorberius boni quondam Petiti nepos, in eo eſt ut iſtinc huc profectionem adornet. Si quid mihi tradendum, ei credideris, fidum & amicum virum ſine dubio experieris. Rivetus de ejus diſceſſu poterit te tempeſtive monere. Interea Senatus hic noſter priſtinæ Richelianæ ſervituti ab optima Regina, vel potius ab ejus παρέδροις, mancipatur. Tres enim ſeviſſima, immo nulla de cauſa, exulare nudius tertius juſſi, dum quartus Præſes Bariſſonius, in arcem & carcerem Pignerolianum deducitur. Omnem hactenus movimus lapidem, ut hæc injuria ſarciretur, ſed fruſtra: unde verendum eſt, ne ad extrema, quod abſit & avertat Deus Opt. Max. deveniatur. Sed male ominari deſino, ſimul & plura ſcribere. Te tuamque ego & mea ſalutamus. Lutetiæ Pariſior. Pridie. Kalendas Apriles CIↃ IↃC XLV. Fauſtini Moiſſeſſi de bello Foro Juſienſi librum Italicum ad me remittendum ſervat dudum Latius noſter, cujus etiam Sorberium optarim eſſe latorem: nec hoc amiciſſimus juvenis recuſaverit, cum præterea alia in re operam meam requirat.

EPISTOLA CXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

VElit nolit βυρσίδης noſter, mihi tibi & omnibus æqui bonique amantibus, ſemper Magnus erit Hugo Grotius. Optimus ille eſt, qui vitiis minimis urgetur, nemo enim ſine ullis naſcitur. Eminentiſſimus quondam Richelius, ingeniorum acerrimus æſtimator, tres tantum ſæculi ſui ſumma eruditione inſignes viros magni faciebat; TE, GROTIUM, & BIGNONUM. Cæteros in ordinem cogebat veluti plebem ſine nomine. Quis auſit hanc convellere ſententiam, ut hunc triplicem funiculum rumpat, vel ut quartus vobis accedat? Omnino rumpitur invidia, qui dignas laudes bene de litteris merito heroi negat. Quærebas nuper, quid idem ille Zoilus de tuis noviſſimis operibus cenſeret. Id autem ſcribere quia oblitus eram, jam ipſiſſima ejus verba apponam, quæ habentur in illis, quas heri ab eo accepi. *Amici noſtri bina volumina de Mutuo & de Jure Græco Romano omnium manibus teruntur, mole ſatis ampla. Laudatur & prædicatur ab omnibus auctoris rara & non vulgaris doctrina: Sed non placent cavilla-*

villationes innumera, ſarcaſmi & convitia. Ipſa etiam tenuia ſcriptionis argumenta minus delectant. Non exiſtimo eum ad alia digreſſurum, donec Militiam & Primatum ad exitum perduxerit. Hæc ille. Ubi ea viderimus, ſincere & ſine ullo livore judicabimus. Tu vero ſcripſiſti quidem accepiſſe te libros faſciculis a Campio traditis involutos, ſed quid de illis ſentires, non ſignificaſti. An adhuc bina illa Romanæ Eccleſiæ capita minuere paras? Quid Marcæ Primatus, quid Imperium ſummarum poteſtatum circa ſacra, quid Amyraldi Gratia Univerſalis ſemper & ubique prædicanda tibi adrident? In hiſce quatuor litibus κριτὴς ἀδέκαστος pronuncia. Spanhemii diligentiam cum ſumma modeſtia conjunctam ſatis laudare non poſſum. Has ipſas virtutes ambitioſe colit magnus ejus adverſarius, nec in reſpondendo diem de die trahet. Nihil mali ab hoc diſſidio Eccleſiæ metuo, modo in propoſito hanc animi moderationem ſervandi perſtent. Quin immo hæc famoſa controverſia non obſcuram lucem inde mutuabitur. De Sabinorum ſomniis, Scaligeranæ apud Feſtum lacunæ repletio eximia plane eſt, & pro indicina habeo gratias. Sed dictat ille, non docet: unde enim ea habeat. Sabinorum facilia & gratiſſima ſomnia non explicat, cum tamen in hoc proverbio a ſe eruto ſeſe jactet. An ei injurato eredi par eſt? Ita malo, quam præterea iſtis futilibus te vexare. Non recuſabit Launæus meus tibi erga Donchantium ſuum gratificari. Sed illam tantum quam propoſui conditionem adimple, nec in eo poſtea mora erit ulla. Alias veretur de ſecundo beneficio eum interpellare, cui de priore nulla a te gratia relata vel habita ſit. Quod itaque dudum a te factum oportuit jam effice, & officio noſtro non deerimus. Interea ſervet te Deus cum tota domo incolumem. Hoc vovemus & optamus. Lutetiæ Pariſior. 15. Aprilis 1645. pridie Paſchatis.

EPISTOLA CXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

OCcaſione poſtremarum tuarum adii Petitum Camuſatiæ viduæ generum, qui Elzeviriorum negotia jam hic procurat, & de Comatæ tuæ Epiſtolæ exemplaribus eum interpellavi. Exhibuit ille novendecim, quæ cum undenis dudum a me præceptis, tricenarium tuum numerum explent. Tria tuo nomine, ut olim ſcripſiſſe memini, donavi Croio, Amyraldo & Langlæo. Reliqua, quia me eorum liberum diſpenſatorem conſtituiſti, diſtribui in Cardinalem Mazarinum, Cancellarium, Principem ſenatus Molæum, Baillolium, Coadjutorem, Emerium Bautruvium, Briennæum, Comitem Lomenium, Bignonium, Talæum, Rancæum, Fangiſium, Bourdelotium, Juſtellum, Puteanos, Bullialdum, Bochardum, Morum, Launæum, Falcarium, Meſtrezatium, Drelincurtium, Albertinum, Dallæum, Blondellum & Menagium. Unum ſuper eſt. Memmio, Bellauræo, Thuano, Milleterio, Labbæo, Balzacio, Clementi, Mauſſaco, vel cui libuerit tibi

ſtatue-

ſtatuere, mittetur. Si rei tuæ parum prudens moderator fui, certe mandatorum tuorum, quæ nulla mihi dediſti, fines non ſum egreſſus: & non parum laboravi in delectu quem ſupra feciſſe me vides. Bonum eſt, quod Nilum & Barlaamum poſt Primatum tuum recudis: optimum quod in Præfatione Loyolitam, poſt Wallonem Meſſalinum retractas. Sed an ab hoc præſtantiſſimo amico derelicta omnia exequeris? Hoc ſi facis, utinam digna eſſet mea notula de loco δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, quæ tam immortali lucubrationi insereretur? Animadverſioni Petavianæ quæ habetur lib. II. cap. 7. §. 9. pag. 291. dudum reſpondit Magnus Amyraldus, Defenſionis Calvini, de abſoluto Reprobationis decreto, cap. VIII. pag. 91. cum honorifica tui mentione. Negat ΕΤΑΙΡΟΣ ejuſdem libri capite VIII. §. 5. pag. 300. exceptionem divortii vetiti εἰ μὴ παρεκτὸς τῆς πορνείας, novi poſtea matrimonii ineundi facere poteſtatem: aitque §. 3. pag. 296. perſuaſum hoc in Eccleſia vetere fuiſſe, poſt divulſos quacunque de cauſa conjuges neutri licuiſſe cum alio copulare nuptias, quandiu ſuperſtes alter conjugum fuerit. Quod eſſe falſiſſimum evincit Concilium Arelatenſe primum, canone X. apud Sirmondum Tomo I. pag. 6. cui adde Marculfum libro II. Formularum cap. XXX. p. 159. & Veteres formulas Romanas cap. XIX. pag. 326. apud Bignonum. Quin & hujus rei illuſtre exemplum, quanquam tamen recentius, extat apud Joannem Tilium noſtrum, in Chronicis ad annum Chriſti CIƆ CCC XIII. Plura procul dubio e ditiſſimo tuo penu protuleris. Sed facere non potui quin de pauculis hiſce monerem. Plura ſcribere ſuperſedeo. Tu ac tua valete a me ac mea. Lutet. Pariſior. XXI. Aprilis. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CXVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Vidi Confutationem Theſium Franekeranarum, cum inſcriptione nominis mei: & in iſto æterno amicitiæ noſtræ monumento triumpho & gaudeo. Quid pro iſta in me collata, gratia dicam an immortalitate, tibi rependam? præter gratiarum actionem nihil habeo. Hanc ergo a me accipe quantum cogitare poſſum maximam. Nam quemadmodum voluiſti immerito amico tantum honorem decernere, ſcito gratum animum meum hoc immenſum beneficium tuum perpetuo cultu & obſervantia eſſe proſequuturum. Jam credo vides non poſſe mihi probari, quod ais par eſſe, ut id mihi parvum videatur: quinimo tanti illud facio, ut hodie demum natum me gratuler mihi; nec unquam in hac vita ſimile gaudium ſperem. Ægre fero podagram ita pertinaciter te vexare, ut liberum pedum uſum & ingreſſum in Muſæum prohibeat. Tantum enim immenſæ eruditionis perit literis, quantum temporis crudelis & ſocors illa hoſpita ſanitati tuæ eripit. Sed quia multa ferre neceſſe eſt mortalem mala, æquo animo feramus, quod mutari non poteſt. Heraldi querelas,

las, furias, minas alii ſcribent. Parum enim juvat iſtud lutum tractare. At ecce ex Cyrilli Alexandrini Homilia Paſchali quarta, quod ei apprime conveniat, Τὸ μὲν πεπάχθαι ἐν τοῖς ἤθεσι, φρονεῖν δὲ μεῖζον ἢ ὅπερ ἐσμὲν, πρὸς τῷ γελᾶσθαι δικαίως καὶ κινδύνων οὐκ ἀμοιρεῖ. Dum dentibus frendit & icit femur, nobis licebit Advocatum Pariſienſem deridere, qui dum aliena vineta cædere voluit, luit pœnas a forti manu acerbiſſimas. Per bibliopegi tarditatem nondum licuit integrum tuum librum evolvere. Placuit tamen, quod ſtatim initio πληρωτὴν ἐργίου expugnare libuit. Generoſi ſcilicet eſt Imperatoris hoſtiles fortiores copias primum invadere; quibus fuſis animus reliquis labaſcit, & victoria eſt certa. Sed de Dialogo quid dicam? Ex ſtylo nuſquam proditus fuiſſes: adeo a ſolita ſcribendi ratione deflexiſti. Deinde podagricum iſtis jocis & fictionibus indulgere quis credat? In ipſo argumento nihil argutius aut elegantius dici poteſt. Nec Leydenſes aut Ultrajectini pares tibi ſint, junctis licet viribus adverſentur. Vale tu ac tua a me meaque. Lutetiæ Pariſ. XXVII. April. CIↃ IↃCXLV. Tentamentum de Anglia me totum commovit, ut & quod addis de infidelitate amicorum iſtius cœli. Deus meliora, & futura commodius juxta tuam vitam & ſinceriſſimam mentem diſponat. Si ſcivit Grotius te in noviſſimis libris aliquoties eum arguiſſe, ea procul dubio cauſa fuerit, cur te inſalutato Leydam pertranſierit. Cum enim hinc diſceſſit, neutiquam erga te male affectus erat.

EPISTOLA CXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

MAgnas & graves fuiſſe rationes vult Milleterius propter quas a nobis defecit: eaſque ne quem lateant, ſcripto conſignavit. Ego ſum ab auctore donatus cum altero exemplari ad te mittendo, quod prima amici occaſione curabo. Omnia generalia & in ſpeciem compoſita fucatæ pietatis, quæ potius meram malignitatem prodant. Noli credere unius hominis, cujus nomen præfert, opus eſſe: Plures Sorboniſtæ, quorum amuleto munitum eſt, ſuos centones iſti purpuræ adtexuere. Philippus quoque Codurcus eandem cum iſto ſuo amico viam inſtitit. Neſcio quantum ex iſta bina apoſtaſia Pontificii lucri fecerint, nos certe nihil amiſimus: immo eſt quod lætemur eos a nobis exiiſſe, quos variis moleſtiis afficiebant. Ut autem ſcias me verum olim tibi dixiſſe, poſſe ſcilicet, quotieſcunque id expeterem, ſuſcitare ſopitam & emortuam pene me inter & Grotium amicitiam, ſcito me ad eum adiiſſe & amiciſſime exceptum & habitum. Recta in Suediam iter inſtituit, Regina ita jubente, relicta hic conjuge & familia. De ſuis Henoticis multa dixit: hoc præcipue notandum, ſe nullius propoſitionis, a ſe ea de re allatæ in medium, pœnitentia duci. Tum Blondelli, Falcarii & Albertini opera de Euchariſtia ſummam laudem mereri: hoc ſe ſemper & ubique eſſe profeſſurum;

 ſæ-

ſævitiam adverſus diſſidentes in religionis negotio, nec in ipſos Socinianos ſe toto animo averſari: ſatis hilaris & feſtivus mihi viſus eſt, uxor vero ſubtriſtis. Diepam nudius tertius profectus eſt, ut Hamburgenſem navem conſcendat, quæ eum ad Magnam Chriſtinam deferat. Audi jam magnum, quod putaſti mihi a te creditum arcanum, Haga mihi revelatum. Deſinit Spanhemii adverſus Amyraldum labor Marii typographi prælum exercere, quia ab eo exegit Salmaſius noſter, ut quinque ſexve octadia adverſus Theſes Dematii Profeſſoris Ultrajectini, ſtatim excuderet. Ita ſemper aliquid intervenit, quo ab eo quod præcipuum eſſe debet avocetur. Hæc ille. Nec mirum eſt opera tua ita vulgari, antequam a te publicata ſint. Merx per ſe vendibilis, adhuc vendibilior te inſtitore evadit. Non inficetum eſt quod de Bononienſis Senatus Decreto narras. Quid? Bononienſes de te vocando cogitant, & juris Canonici ſtratam & longam cathedram tibi parare ſcribit Licetus Fortunatus! Gratulationi me offero. Quidni etiam ipſe Innocens Decimus te in Collegium Romanum vocet? *Jungentur jam gryphes equis.* Æternum in tua Batavia ſedem tene Magni literarum & literatorum Arbitri. Hæc ſunt non Sabinorum ſed ægrorum & ſtultorum ſomnia. Non ſine difficultate obtinuiſſe me credo a Launæo meo, ut ad Douchantium ſuum de te ſcriberet, quod ut per proximum tabellarium fiat, efficere conabor. Id autem obtinui, quia ei dixi velle te in aulam proficiſci, ut Principi & amico ſuo gratias ageres. Ita ſcripſerat *Βυρνὴς*: ſed de Sereniſſimo tantum. A me meaque, tu tuaque valete. Lutetiæ Pariſior. XXIX. Aprilis. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXIX.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Amſtelodamum.

JUcunda mihi eſt & ſuavis illa tua ſollicitudo, qua diuturnum tuum ſilentium adeo diligenter excuſas: cum eam non dubitem ab amicitia proficiſci. Sed hoc dum agis, videris morum meorum, meique, quem minore apparatu adire poteras, eſſe oblitus. Ego enim ſi quiſquam alius, omnem iſtum externum cultum parvi facio, in amicorum ſincera benevolentia ſecurus. At ingenium tuum immenſa & nobili eruditione fœtum, ſemper ſuſpexi: amorem autem erga me tuum ingratus ſim, ſi amare unquam deſinam. Et unum me cruciat, nempe non potuiſſe me ulla ſatis convenienti ratione tibi teſtari tunc animum meum tui ſtudioſiſſimum. Minutalis enim officiis quæ tibi libentiſſime præſtiti, majus pretium ponis, quam ut beneficiorum nomen mereantur. Dum adhuc premis Ignatium tuum, eſt quod queramur, te ſpes & gaudia noſtra diutius morari. Vide igitur ut ſtatim fidem liberes: & cum ſtudioſis antiquitatis Eccleſiaſticæ ſacrum illud depoſitum communices; magno tuæ famæ & honoris incremento. Quidni autem & Barnabæ Epiſtolam adjungas? Inquire autem diligenter in ejus *γνησιότητα*: adhuc enim viri magni ambigunt

de

de ejus veritate. Nec monachi, qui eam nuper hic edidit labor, quanquam alias non contemnendus, deterrere te debet ut eam intactam omittas. Antiochus, de quo quæris, extat in Bibliotheca Patrum Græco-Latina: excerptum autem quod deſiderabas, ecce hic habes, ab erudita & eleganti manu Blondelli noſtri. Optarem quoque ut Batavus veſter æternum ſiluiſſet, nec puriſſimos ſacrarum literarum fontes ſuis ſordibus turbaſſet & inquinaſſet; niſi ex iſta fæce, mirabile dictu, enatam immarceſcibilem coronam Salmaſius noſter decerpſiſſet, & capiti ſuo aptaſſet. Deſinam longior eſſe, ubi te rogavero, ut judicium de me tuum tuearis; & quem amare ſemel voluiſti, iſta tua gratia porro beare velis. Maximum & immortali vita digniſſimum virum, parentem tuum, omni cultu & obſervantia me proſequi, teſtari hic mihi, quæſo liceat, cum plurima a me ſalute. Vale. Lutet. Pariſior. v. Maji. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Cum non neſcias quam perverſe & quam maligne de tuis ſcriptis ſentire ſoleat θυρσοειδής, miror te ejus judicia adeo cupide rimari & exquirere. Ex poſtremis meis cognoveris eum juxta tecum ſcire, quis ſit auctor Dialogi de Coma: & Hagienſem buccinam hanc famam per univerſum orbem jam longe lateque ſparſiſſe. Hæc quia ita vis, de te habentur in noviſſimis aulici Theologi literis. *Salmaſius noſter nondum plane podagra liberatus, manum tamen non tollit de ſuo Primatu. Interea prodiit de Coma Dialogus primus Cæſario & Curtio interlocutoribus cum hac epigraphe, has nugas ſeria ducere auctore L. B. J. M. Scriptum eſt ſatyrico ſale aſperſum, occaſione Theſium Dematii de eodem argumento. Auctor non vult nomen ſuum ſciri, ſed ſe tibi prodet & procul dubio ad te mittet: ſed multos inter Verbi Divini Miniſtros & Theologos valde contemptim traduxit. Quidquid autem fecerit ut lateret, ſtylus ejus non poteſt ita velari, quin dignoſcatur.* Hæc ille. Ubi id viderimus, ſententiam ſine odio & livore feremus. Quod autem narras de Schotani ad me Epiſtola, non poteſt non eſſe jucundiſſimum. Sed unde ego magno illi viro notus? Hoc me tibi debere neceſſe eſt, quem ita amas, ut tenuitatem meam ſupra meritum efferas: unde mihi video enatam amplam gloriæ & honoris meſſem. At utrumque vellem, & ipſius nobiliſſimi Juriſconſulti pretioſam manum & epiſtolam editam. Credo enim poſſe typothetas ita eam ſuis formis deſcribere, ne ipſum ἰδιόχειρον mihi pereat. Si tamen eligere me oportet, excudatur; hoc malo. Interea ſuper expectatione poſtremorum tuorum operum miſere cruciamur. Quando ea habituri ſumus? Cura quæſo ut ſtatim illis nos amantiſſimi fruamur. Donavi Grotio diſcedenti exemplar de Coma, quod de tricenis ſupererat: & hoc fuit reconciliationis noſtræ præmium. Quia jam Legati perſonam depoſuerat, exiſtimaſſet ſe ideo eſſe contemptum. Noli

ergo quod donavi alteri deſtinare. Aperte negavit Launæus ſe poſſe aut debere ad Douchantium ſcribere, niſi occupaveris. Si Hagam, inquit, eat & cum amico meo communicet, non dubito quin & ſine literis meis ab eo quicquid voluerit, obtineat: quanti enim Salmaſium facerem, ſæpius ei ſignificavi. Nec volo ejus gratia ita abuti, ut, priore nomine non expuncto, iterum importunus accedam. Doleo me nihil efficere potuiſſe, quamvis ſerio & fortiter hominem ter expugnare fruſtra aggreſſus ſim. Viſum eſt aliquando dediſſe manus, ſed duriter reſtitit. Vale. Lutetiæ Pariſior. v. Maji. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ME quoque male habet iſta tua ſæpiuſcule recurrens, licet ex intervallo, febricula: utque ea inſuavi hoſpita ſimul & altera, podagra ſcilicet, non minus moleſta, omnino libereris, opto & voveo. Magno me gaudio affeciſti probando judicium meum in diſtribuendis tuis Comatis exemplaribus. Verebar quippe ne exiſtimares me potius conſiliis meis, quam tuis rationibus obtemperaſſe. Utinam autem velles ſemel ad me miſiſſe amicorum tuorum catalogum cum diſtinctione primæ & ſecundæ admiſſionis. Te inter & me, nullo alio conſcio, lateret, & magno me faſce levares. Credo per hunc ipſum tabellarium Launæum meum ad Douchantium ſuum eſſe ſcripturum: quod ut ei facilius foret, literas integras ipſe compoſui, ab illo tantum deſcribendas. Quia non poſſum hodie eum adire, tantum poſt octiduum reſciſces, quid ille egerit. De uno ſolo negotio, ex meliori tua ſententia, rogatus eſt. Si per Hermannidem remittas librum manuſcriptum de Imperiis Summarum Poteſtatum circa ſacra, nolim id fiat ſine cenſura tua. Hanc enim pro uſura codicis mei poſtulo. Poterit idem ille ad me referre Italicum librum dudum ad Latium noſtrum miſſum. Quidni etiam, ſi velit ſcilicet aut poſſit, aliquot exemplaria noviſſimorum operum tuorum ei tradas? Nam quæ per maritimum iter huc veniunt, diutius in via hærere ſolent, quam ut poſt tantam moram, aliquam ſuam venuſtatem non perdant. Interea crucior dulci expectatione, quam tamen, unam tuam libertatem cogitans, levius fero. Eam ſi adhuc minuere potes, magnam a me gratiam inieris. De ſilentio ſuo rationem reddet Jacobus Puteanus, cum enim tempeſtive monui. Dicam jam tibi certiſſimam rationem, qua Batavis tuis probes te non eſſe auctorem Dialogi de Coma: Nempe ſi laceſſitus non reſpondeas. Ut enim tantam moroſitatem & acerbitatem Dialogiſta impune ferat, vix eſt ut ipſe credas. Verum ex his, quæ non ita pridem ad te ſcripſi, liquido cognoveris, typographum tuum hoc facinus ſatis multos non celaſſe. Vale tu cum tua a me ac mea. Lutetiæ Pariſior. XII. Maji. CIↃ IↃC XLV. Apoſtaſiæ Milleterianæ cauſas ad te deferet Nico-

laus

laus Bigotius perditiſſimæ & profligatiſſimæ adoleſcentiæ nebulo; nepos tamen meus. Iſtuc a Parente mittitur, ut militiæ tyrocinium ſub magnis ducibus ponat. Cave credas a me eum tibi commendari: ſi ad meliorem frugem redierit, tum bonorum amicitiam merebitur.

EPISTOLA CXXII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

STatim atque certior factus eſt Launæus te ad amicum ſuum ſcripſiſſe, non nolens nec invitus ad eum de mandatis officiis preces allegavit, ut ex ipſis literis, quas nuper ad te miſi, cognoveris. Nec dubitare debes negotium ita melius proceſſiſſe, quam ſi ſecundum rogaturus adveniſſet, priore beneficio quaſi contemptim habito. Libentius jam tibi vacabit, & modo epiſtola tempeſtive reddita fuerit, non vana ſpes eſt poſſe tuam Caiam poſtulata impetrare. Spem fecerat aliquando Rivetus poſſe iſtic edi Criticam Sacram Capelli. Te auctore eum adieram, ne ſcilicet ſi ejus operam inſuper habuiſſem, benigna conſilia tua turbaſſet. Jam vero Salmurienſium odium ita eum totum habet, ut aperte dicat ſibi religioni eſſe hoc opus typographo commendare. Nec ſuam eſſe tantum hanc ſententiam, ſed etiam Conſtantini Imperatoris & Golii. Vide quæſo an ita ſit, & binos illos Leydenſes Rabbinos ſuper hoc interroga. Illis enim contra nitentibus vix ſperare iſtic auſim ullum typographicum numen propitium. Certe de hoc optimi & doctiſſimi viri labore, veluti de ditiſſimo ſacræ eruditionis theſauro ſententiam dixit olim ὁ μακαρίτης Petitus, conſentientibus, qui adhuc vivunt, immortalitate digniſſimis heroibus Grotio, Bochardo, Bignonio, Dallæo. Quia ſuaſi auctori ut de prælis veſtris cogitaret, omnem lubens moverem lapidem, ut voti compos fieret. Nunquid Amſtelodami aliquid obtineri poſſet? Poſſum efficere ut Bochardus eum Voſſio commendet. At, inquiunt, poſſunt maligni & imperiti hac doctrina abuti. Quaſi vero eorum præ bonis & doctis ulla ratio habenda ſit? quaſi rebus optimis non abutantur quotidie homines peſſimi? Hic rogo te adjuva nos & laborantibus fer opem. Bonum eſt quod Hollandiæ Ordinibus Primatum tuum deſtinas, nec ab iſto propoſito ullis τ̃ νησιωλῶν precibus dimovearis. Ut chartæ quod ſupereſt repleam, quomodo explicas in Apocalypſi Joannis Cap 11. 7. ψῆφον λευκὴν καὶ ἐπὶ τὸ ὄνομα γεγραμμένον ὃ οὐδεὶς ἔγνω &c. Hoc enim mihi difficile videtur quod τὸ ῥητὸν ſpectat. Senſus myſticus & certiſſimus eſt eorum, qui de Spiritus Sancti donis hunc locum intelligunt. At in verbis ipſis parum ineſt obſcuritatis. Vulgo de calculis abſolutoriis exponuntur. Petitus Variar. Lect. lib. 1. cap. 8. de teſſera σιτήσεως commodius id explicare videtur. Tu quæſo facem accende & ſequar libentiſſime. Vale tu ac tua a me meaque. Lutetiæ Pariſior. 19. Maji 1645.

EPSITOLA CXXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

REdditam pedibus tuis eundi ambulandique facultatem, illis tibique toti gratulor, bonis litteris gaudeo. Valeant ergo jam Profeſſores juris & Anteceſſores Batavi, Friſii, Germani; etiam Aquiſextienſes & Andegavenſes. Valeat advocatus Pariſienſis cum omni Ultrajectinorum furioſa gente. Illi quippe ſunt podagrici Salmaſii ludus & jocus. At idem ſanus & valens cum univerſa Roma, purpuratorumque patrum omni collegio, cumque veterum Quiritium tota Militia rem ſibi eſſe vult. Pontificia Monarchia & Acephalorum Anarchia digna ſola ſunt tantæ eruditionis & pietatis argumenta. Noli ergo ab hoc opere avertere mentem, oculos, manum. Totis viribus Capitolinum Jovem ſi aggrederis, ruat ille neceſſe eſt & bonis Chriſtianis ludibrium debeat. Hæc ſcio dudum eſſe vota conſiliaque tua meque τὸν σπεύδοντα ὀτρύνειν: ſed facere non poſſum quin aperiam tibi ſenſa animi mei, qui te totum orbi conſpici jamdudum deſiderat. Vix adhuc ungues exeruiſti adverſus indignos ira tua tenebriones, jam ergo move fortes lacertos & adverſarios elige, quibuſcum bene compoſitus videaris, & quos viciſſe ſit glorioſum. Vidua Mathurini Puteani heri demum promiſit ſe quinquaginta & plura, ſi vellem, exemplaria librorum tuorum ad me miſſuram. Ubi ea habuero, utar eo jure quod mihi in amicos tuos largiris, quia non vis iſtum Catalogum texere. De Capello nihil ſcripſiſti: quod ita intelligo quaſi deſperes te quoque poſſe aliquid ejus cauſſa obtinere. Rogabo ergo Rivetum ut manuſcriptum mihi remittat. Nec forſan ſemper adeo iniqua erunt bono viro tempora, ut hic nihil in ejus gratiam effici poſſit. Quot exiſtimas indies nobis perire doctorum virorum lucubrationes, quia illis non ſuppetunt ea adjumenta, quibus iſtic abundatis? ſed hæc pars eſt calamitatis noſtræ non graviſſima: nec vobis iſta bona invidemus. An rediit in gratiam Xanthippe cum Socrate? dudum enim de ejus ad nos profectione ſiles. Dialogus tuus fuit a ſeriis non ingratum laxamentum. Sed eſt quod te moneam, me exiſtimare vitioſum videri quod Curtius nimis facile aſſentiatur Cæſario, ut vix unquam in contrariam eat ſententiam. Dic aliquid contra, ille olim ajebat, ut duo ſimus. Cæſarii partes volo eſſe potiores, ſed non ſine certamine. Curtius vero alienis tantum armis & rationibus pugnat, & ſtatim cedit. Niſi autem anceps ſit victoria, in ludicris præſertim ſpectaculis, minus placet. Tua & nobiliſſimæ Virginis ἀμοιβαῖα diſticha magnam habent venuſtatem & elegantiam. Omnes Muſæ divinis veſtris mentibus ſerviunt; & quæ ſolent aliorum totam defatigare induſtriam, ea vobis ludentibus excidunt. Sed quare non libuit mittere etiam vitream epigraphen? Bini enim verſus non ſunt poculo inſcripti: certe hoc ex tuis non poſſum colligere. Reclamante licet tua modeſtia, hanc

quæſo

quæſo mitte: nec iſtud gloriæ tuæ nobile monumentum nobis invideas. Voluit etiam Philippus Codurcus apoſtaſiæ ſuæ rationes orbi innoteſcere. Latino libello publicato De Miſſæ ſacrificio, in cujus Præfatione nos cum ſumma iniquitate traducit. Ita plane ſolent miſeri iſti mortales contra ſolem attollere oculos, unde illis certiſſima cæcitas. Iſta jam capita Sorboniſtarum amuleto muniantur. Non ipſis invidemus quod lucrum fecerint ex Milleterii & Codurci ruina: nos certe nihil amiſimus: immo eſt quod lætemur, eos a nobis abiiſſe, quos variis afficiebant moleſtiis. Vale. Lutet. Pariſ. Cal. Jun. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

IN refutatione argumenti, quod de Chryſoſtomo oppoſueram, video omnia tibi præviſa eamque materiam tibi penetratam, ut contraria facile diluas. Sane quæ repoſuiſti mirifice placuerunt, adeo mihi viſa ſunt negotium conficere. Sed quando exercitationibus iſtis Juridicis finem impones? idem dico de Coma tua, quæ ſi longior fiat, vide ne peccet in extremum: alii nullam volunt, tu multam nimis facies. De Bochello monueram tantum ut nobis explicares iſtos locos, in quibus tutuphorium & cucupaphæ fit mentio: in vulgatis enim medii ævi gloſſariis non comparent. Integros in adjuncta ſchedula deſcripſi, ut, ſi lubet, opellam tuam aliquot lineis augeant. Bene eſt quod eam vicinis meis non deſtinas. Sed miraris unde id ego præſumpſerim. Nempe cum ſuaſiſſem ut divideres tractatum tuum de Jure, & partem alteram illis inſcriberes, alteram A. T. reſcripſiſti non poſſe id fieri ſine illius offenſa qui poſterior nominaretur: ſed habere te præ manibus quo, in alio argumento, cupiditati meæ faceres ſatis. Conjeci librum de Coma a te deſignari. Si tertium quid tibi ſub prælo ſudet, fatebor te alti plane ſilentii hominem & laboris improbiſſimi. Carendum eſt mihi Languetti epiſtolis, cum iſtic non reperiantur: rogaveram coram Joannem Elzevirium, ut eas diſquireret; neſcio an mei oblitus ſit, quem nullo reſponſo eſt dignatus; præterea enim per literas eum hac de re monueram. Beabis Cadomenſem noſtrum *Ebenbitare*, quem ardentiſſime ſitit. Auvraei Gallicum librum adverſus Sirmondum iſtuc non miſi, nec ſcio unde ὁ βυρσὸς eum habuerit, niſi a Merſenno Minimita cum quo ſatis belle illi convenit. Idem ille Monachus non ita pridem miſit ad me epiſtolam cum libro, cui titulum fecit *Balliſtica & Acontiſmologia, in qua ſagittarum, jaculorum & aliorum miſſilium jactus & robur Arcuum explicantur*, ad te deferendum: quod prima quaque occaſione curabo, adjungamque Balzacii Paræneſim ad Reginam de Pace ſecundis curis limatam, Dhomique orationem ad Academicos Romanos de utraque pænula, in qua poſt alia multa, nova doctiſſimi Salmaſii ſententia de iſtius vocis origine

re-

rejicitur. Fruſtra vereri videris ne moleſtus ſim, ut a te laudes in doctorem Monoſyllabum extorqueam; adeo mihi ille ſordet, ut viri utcunque eruditi vix nomen mereri eum exiſtimem. Fruatur veteri ſua & evaneſcente qualicunque fama; ut a te in poſterum ullo elogio ornetur æquum non eſt. Gratias egi ſeptima die præteriti menſis Maji Latio noſtro pro libris donatis, literaſque dedi vel ad Rivetum, vel ad Joannem Elzevirium, nec ille ſum, qui iſtis officiis vinci me ab ullo patiar. Cum Legato Gothorum veteris familiaritatis omnino nihil ſupereſt mihi. Audio Epiſtolæ dedicatoriæ Arriani Cynegetico præfixæ, auctorem non eſſe Gaulminum, ſed Loyolitam Petavium. Potuit ille quidem te ſubnotaſſe. Vale tu tuaque a me meaque. Lutetiæ Pariſior. 10 Junii 1645.

EPISTOLA CXXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

VÆ malignæ pertinacique iſti podagræ, quæ mihi invidit explicationem loci celebris. Invitus feci ut a male ominatis verbis inciperem. At nigro dudum a me damnata extorriſve eſſe juſſa crudelis illa domina, non ideo abſcedit: quin hiſce caloribus humores liqueſcunt & in extrema defluunt. Ego quoque temporum mutationes in me ſentio; ſed adhuc ita leves, ut de illis non conquerar. Quod tantum poſſumus, ſuperos pro tua valetudine votis precibuſque fatigabimus, eam ut tibi dent bonam & diuturnam. Caviſti abunde ne de Heraldo amplius eſſes ſollicitus. Ille enim, uno ut abſolvam verbo, κεῖται. Jacet, æternumque jacebit, infelix Advocatus, niſi quod magni Æneæ dextra cecidit. Audet tamen πρὸς κέντρα λακτίζειν. At fruſtra calces jactat pronus, pædagogicam exhalans animam. Inter cætera miratur te auſum tam impotenter ſe adverſum, ita loquitur, debachari; cum tamen non neſcias eum de te multa ſcire, quæ, ſi litteris mandarentur, æternæ ignominiæ nota nomini tuo inureretur. Nec deſunt, qui ſuadent ut iſti operæ non parcat. Ille tamen, peream potius, inquit, *Ante pudor quam te violo, aut tua jura reſolvo.* ὅτι δὲ φέρτατοί εἰσι ταῦτα τὰ μυστήρια debeo laudare teſtes quos, ita credo, licet una ex domo, non ejurabis; ampliſſimos viros Hieronymum Bignonium & Stephanum Bricquetium; ſocerum & generum. Quod autem iſtis duobus dixit, id eum aliis plurimis non tacuiſſe eſt veriſimile. Dum autem ille ſuas adornat ἀντιρρήσεις, quas utinam velles contemnere, procedat magnfico apparatu inſtructus Primatus tuus. De Grammaticorum albo tum eradendus Salmaſius, inter primæ claſſis Hæreticos Romæ traducendus. Quicquid enim dicatur & ſcribatur, leve eſt apud eos, immo nihili, modo caput non feriat. Tu autem illud omnino tollis. Ubi liber prodierit, Monachorum examen in eum irruet magno, ne dubita, impetu. At tu eorum iras furiaſque amabis, teque afficient illæ ſuaviter. Iſti enim clamores ejulatuſve, vulnus

vulnus alte inflictum eſſe teſtabuntur. Fruſtra me impellis in Philiſtarum partes, quanquam nec Mallotis quoque faveam. Mediam enim viam ſequi libet, ita tamen ut Curtius magis videar quam Cæſarius. Sanitas mihi ſic melius procedit, a prima juventute iſti capillitio aſſueto. Non dubitavi in Dialogo plurima contineri, quæ occultam haberent ſignificationem nobis exteris impenetrabilem; nec aliter ſatyrica ſcripta conſtant. Gaudeo Ultrajectinos iſta Coma ornanda defatigatos tibi concedere. Nec ſunt jam iſta tanti, ut iterumque iterumque retractentur. Sed clypeus tuus ſeptemplex millenis jaculis ſuſtinendis ſufficit: ſolus contra omnes. De Heraldo quicquid ſcriptum eſt tibi, multo minus eſt eo quod in te meditatur. Altum enim penetravit inflictum vulnus, quod nondum eſt ſanabile. Sed ejus malignum animum melior forſan ratio, ſaltem tempus curabit. Sin furere pergat, a tua manu paulo aſperior medicina adhibita, pro omnibus erit Anticyris. Nudius quintus adfuit mihi Valeſius qui in πληρώσει ἱερῶν, quod totius controverſi negotii primum & maximum eſt, totus noſter eſt: & ſane hanc partem tanta diligentia & ſedulitate, tanto etiam cum ordine es executus, ut nihil amplius difficultatis ſupereſſe videatur. Auſim aſſerere fore in tua poteſtate Primatum, Militiamque ad umbilicum perducere, antequam ab Advocato lis iſta redintegretur. Doleo curioſitatem meam nimiam tibi videri. Sed omnia tua maxima & minima cupidiſſime ſcire aveo, quocirca modum ei ponere vix poſſum. Tu vero eadem facilitate, qua te intemperantius interrogo, potes mihi ſilentium imperare, nec ægre feram. Unum tamen jam rogabo, cui a te reſponderi non eſſe debet moleſtum. Miſcellarum defenſionum pag. 568. *Omnia vocabula in Men terminantia a verbis derivantur, ut lumen, fulmen, nomen, flumen, limen.* De aliis a te allatis clarum ſatis eſt. Sed a quo verbo *Nomen* originem ſuam deducit? cui alteri vox *Numen* debet natales ſuos? cui *Germen*? Ad antiqua, ut puto, themata recurri neceſſe eſt: vulgaria enim parum juvant. Genevenſis amicus Jacobus Gothofredus L. 2. D. de rebus cred. auſus eſt explicare, & *ſuffectionem* a te in ea ſolerter & vere, ita credo, reſtitutam expungere. Potuiſſet iſta opera ſuperſedere, ſi noviſſimi tui libri caput ſextum vidiſſet, in quo novis probationibus præclara emendatio firmatur. Diſſertationem iſtam Juſtello inſcripſit: aliam quoque mihi miſit de mutatione & augmento Monetæ Aureæ ad L. 2. C. de veteris Numiſmatis poteſtate. Epiſtolam Amyraldi, de qua nuper ad te, hodie demum mitto. Si eam tibi oſtendunt non rogati, tum poteris exiſtimare eos tecum ſincere agere. Alias enim Hagienſis Theologus eam non ſine rubore ſuo leget, utpote in qua omnino duriter, ſed non ſine civili prudentia habetur. Vale tu cum tua a me ac mea. Lutetiæ Pariſior. XXIII. Junii. CIƆ IƆC XLV. Aliud te volo, Quid factum illa Schotani dudum promiſſa.

EPISTOLA CXXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

VEriſſima eſt conjectura βυρσοδεψίδυ de auctore epiſtolæ cujus ἀποσπασμάτιον a me miſſum vidiſti. Nec dubitare debes negotium eſſe confectum: ita ſolent novi iſti proſelyti impudentibus, immo impiis, perjuriis bonis viris fucum facere. Hæc ſunt propagationis fidei & Miſſionariorum prima rudimenta. Conabor tamen ſingula penitius ſcrutari & de iis facere te certiorem. Sed noli cito ea de re literas meas expectare, Langlæus enim Alenconium ad Provinciæ Neuſtriæ ſuæ Synodum profectus, inde in Aremoricam tendit, ut ex decreto Nationalis Synodi, diſſidia inter binos Eccleſiæ Vitrææ paſtores componat. Nec ante ejus reditum aliquid reſcire poſſum. Ex poſterioribus meis cognoveris Gothofredum, Morum aut Croium non eſſe a me prætermiſſos in diſtributione munerum tuorum. Miſi enim Catalogum eorum, qui illis donati ſunt. Redeat ergo Capelli Critica unde abiit, donec meliori tempore prodire poſſit. Effeceram tamen ut Bochardus ad avunculum ſcriberet in nobiliſſimi operis commendationem, ſed odium partium plus apud eum poteſt, quam utilitatis publicæ ratio. Laudo apparatus tui ampliſſimam materiam: ſed vide ut, ſi non in capita, ſaltem in tmemata eum dividas; audio enim ſatis multa πτερίδια eum continere. Et quicquid veterum conſuetudinem nobis objicias, volumus tamen delicatuli noſtris vivere & uti moribus; qui ſane ſunt commodiſſimi, & lectoris animum reficiunt. Nec in iſtis præſertim monitus debes publica vota fruſtrari. Cæterum vapulet Petavius vehementer cum tota ſocietate, omnes tibi favebunt. Vix enim credas quantum deceſſerit ejus famæ ab iſtis vegrandibus Theologicorum dogmatum tomis, qui in minimo pretio habentur. Profeſſus fuerat πεφασμένως poſt hanc ſuam commentationem ſummam Thomæ cum Lombardi ſententiis & aliorum omnium ſcholæ doctorum voluminibus oblivioni perpetuæ eſſe tradenda. Quinimo illa magis magiſque quotidie teruntur, dum hic vivus ſepelitur. Scribebat non ita pridem Croius miſiſſe ſe Genevam ſuum Commentarium de mora, quam feciſſe Petrum negat vel Antiochiæ vel Romæ. Blondellus item noſter habet in mandatis a nupero patrum conventu, ut id argumentum adverſus Cardinalem Perronium tractare velit. Sed hujus tanta eſt vecordia, ut nihil omnino ab eo, ni veternum excuſſerit, ſit expectandum. Quod enim in ejus gratiam effecimus, id nobis & Eccleſiæ eſt damnoſiſſimum. Centies a meis admonitionibus erubuit. Sed ſtatim atque e conſpectu meo receſſit, perfricat frontem & ὗς πρὸς κύλισμα βορβόρυ. Tu vero, vir maxime, redditam tibi ſanitatem bonis ſtudiis ut facis impende, relictis ut ita loquar, da veniam verbo, nucibus, & ſtatim Primatum tuum elimina; nec poſtea vacabit vel juris Anteceſſores, vel Advocatum Pariſienſem dedolare. Dudum expectati quatuor fa-

faſciculi tandem aliquando mihi redditi fuere. In Bibliotheca ergo Regia, nec ſedes ulla dignior eſt, Clypeus tuus conſpicietur. Vale tu cum tua, a me ac mea. Lutetiæ Pariſior. xxx. Junii. CIↃ IↃC XLV. Rogavere ſatis multi quis ille ſit, quem deſignas in epiſtola ad Ampliſſimum Talæum, qui apud Cancellarium voluit bonarum literarum ſtudia infamare. Niſi ejus nomen & librum indicare libeat, non poſſum illis ſatisfacere.

EPISTOLA CXXVII.

CL. SALMASIUS

Jacobo Gothofredo.

Genevam.

REddidit mihi vir ornatiſſimus tuus ex fratre nepos bina exemplaria poſtremarum Diſſertationum; pro quibus magnam tibi debeo & habeo gratiam. Fateor enim me non inſuaviter eſſe affectum, viſa inſcriptione nominis mei, in operis fronte. Quemadmodum autem hanc a te non eram promeritus gratiam, ita profiteor libentiſſime, me eam ſolidam debere tuæ erga me benevolentiæ. Gratiſſimum etiam fuit quod me comitem addideris Clariſſimo Juſtello, viro probo, docto & amico. Argumentum prioris Diatribæ cuivis non obvium, reconditam præ ſe fert eruditionem: id enim docte & ſolerter es executus. Elegantes literas magnifice ornas, & nobiliſſimam juris ſcientiam e tuo ditiſſimo penu ſplendide inſtruis & locupletas. Optamus tantum, ut aliquando poſſis ex eo depromere tot utriuſque antiquitatis ſacræ & profanæ inſignia monumenta, publicatione Codicis Theodoſiani, quam tantopere rogamus & flagitamus. Id quandocunque libuerit, & ſeſe commoda obtulerit occaſio, belle procedet. Interea facimus quod poſſumus, & Deum veneramur ut tibi tempus præſtet iis, quæ parata habes, edendis. Ego vero me ſemper prædicabo eo honore a te eſſe cumulatum, qui me tibi perpetuo nexu devinctiſſimum gratumque præbeat. Vale Vir Clariſſime & Doctiſſime, cum optimo Moro noſtro; & me ama. Lutetiæ Pariſiorum. Calendis Juliis. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUid ſolitam tuam diligentiam hac ſeptimana infregerit, cum nullas a te acceperim, quærere cogor, cum præſertim Hagienſis amicus ſuis literis ea de te ſcripſerit, quæ ſatis firmam valetudinem tuam aſſerant. Modo ita ſit, ſilentium tuum leviter feram. Præterea ea, quæ ego ad te ſæpiuſcule, tanti non ſunt, ut illorum cauſa graviſſima tua ſtudia interjungas: quin aliquando tantum ſcribo, ut mihi conſtet apud te officii ratio. Bochardus in aſtu venit de publicanis Cadomenſibus querelas in ſpecies adferens, ſed revera

ra ut amicos inviſeret. Librum ſuum auxit ſatis grandi capite, in quo Siciliæ origines, ex Hebraica Lingua cum mira venuſtate repetitæ, explicantur. Auctor ei fui ut ſeorſim ederet & hoc ſuarum lucubrationum χεῦμα literato orbi exhiberet. Et videtur conſilio meo morem velle gerere. De Parlamentanorum in Anglia adverſus Regem victoria, magna dicuntur, quæ tamen Tragædiæ finem non imponunt. Tu Deus ſuccurre tuis ubique laborantibus. Eum rogo ut te diutiſſime cum tota domo ſervet incolumem. Lutetiæ Pariſior. 8. Julii 1655. Negat R. ſe aut Leydenſes Theologos aliquid de Coma tua publicaſſe.

EPISTOLA CXXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

EX binis tuis quas heri ſimul accepi, ſolitam tuam diligentiam non ceſſaſſe cognovi, ſed per tabellarium ſtetiſſe, quo minus prius data tempori redderetur. Ad utramque hanc habeto. De arcano illo Heraldi ἀπορρήτῳ, crede mihi verum dicenti, nihil omnino audivi. Non ergo per me id reſcies, neque te id celaſſem, ſi ulla qualibet via ejus conſcius fuiſſem. A quo tempore proſtant hic tuæ defenſiones, ille mihi non occurrit, ſed per alios tantum intellexi eum multa & præclara minari, idque ſæpius ad te ſcripſi. Non improbo quod in Primatu tuo Papæ non parcas: hoc enim agis: ſed ſuaderet temporum ratio, ut contra ejus purpuratum ſenatum minus ſævires. Nec neceſſe eſt, ut apertius loquar, ſcis enim apprime quis qualiſque ſit ille qui hic πρωτοστατεῖ. Miror Theologorum veſtrorum animum parum Theologicum, qui ſuper quæſitis de presbyterio reſpondere verentur. Si tamen Scoti urgent de illo cætu presbyterii e Paſtoribus & Laicis compoſito, non eſt nihili controverſia, a quo jure, divino an humano deſcendat: quæ tamen ipſis decidenda fuit, niſi munere quod profitentur, præ inſcitia vel ignavia, indigni velint haberi. De Salmurienſis antagoniſtæ Epiſtola, cum ſciam eam tibi viſam, miror ſilentium tuum. Nemo liquidius βυρσοειδῆ dixit, quæ alii vix per ambages & κύκλῳ λέγουσιν. Aliam non minus grandem a Rothomagenſi amico ad eundem hodie mitto. Vide etiam & ſincere ut ſoles judica. Triumphant nec immerito iſti, quod ſuas partes foveas, nec diſplicet. De cauſa tamen noſtra cognoſce, antequam cum ipſis eam damnes. Si Spanhemius fortis eſt, certe Amyraldus non eſt imbellis adverſarius, & de bene compoſito pari licebit gloriari. Sperne quæſo iſtum Borſtium cum ſuis Ultrajectinis omnibus. Si enim hominum maleferiatorum intemperies ſingulis libris velis vindicare, ecquis erit finis? In præfationis alicujus receſſu unicuique aurem ſtringe, nam majori molimine eos aggredi vereor ut ſatis ſit decorum. Paratam habet Fabrotus contrariam Epiſtolam: ſed nemo typographorum, inquit, eam ſuo prælo vult ſubjicere, quia contra Salmaſium ſcripta eſt: octo ὀκτάδια contineret. Tum de illa controverſia, quæ tenuis multis videtur,

tur, poſt tot tantaque a te dicta, non ſine ratione timent, ne aliena parum ſint vendibilia. Andegavenſis tamen Anteceſſor, ſi Menagio fides, etiam in hanc palæſtram vult prodire: ſtimulos ſcilicet admoviſti, una quamvis periodo, ſatis pungentes, ut triumphi tui, ſed non ſine certamine pars eſſe velit, non ovationis. Iterum me curioſitatis damnabis, nec culpam deprecor, ſed audi quid te velim. Quandoquidem uxor tua huc properat, adferat mihi quæſo precorque omnia πτεάδια jam edita Primatus tui, cum ipſius operis, tum etiam apparatus. Sancte tibi polliceor me iſta tua gratia niſi arbitratu tuo non uſurum, nec cum mortalium quolibet, ſi prohibeas, ea communicaturum. Confidentius has preces ad te allego, quia ſcio te eorum conſcium eſſe voluiſſe Hagienſem amicum, quem etiam ſcio plus me apud te non poſſe. Alinius juxta tuam indicinam quæſitus & repertus tuis libris donatus eſt. Ecce alterum indiculum eorum in quos reliqui diſtributi ſunt. Vale tu ac tua a me ac mea. Lutetiæ Pariſior. 14. Julii 1645.

EPISTOLA CXXX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

BEne conjicis, fruſtra futuram Tranſiſalani Concilii ad Eccleſias Gallicanas contra te querimoniam. Hic enim, ubi nullus, adverſus bene meritum de omnibus litteris virum, regnat livor, omnes tibi favent. Pariſienſe presbyterium, in quo ſcis quinque ſedere reverendiſſimos omnique laude clariſſimos Epiſcopos, te unum loquitur, ſuſpicit, colit, ſexto adſtipulante Blondello. Quid Rothomagenſes, Cadomenſes, Salmurienſes, aliique, in tua cauſa dicturi ſint, apprime noſti; quia omnes in ſuis ad te litteris frequentibus ſententiam ferre occupaverunt. Utinam efficiant æmuli tui, ut ad nos iſtæ querelæ deferantur! Tum videbunt quam præclara magnificaque Dallæus, Langlæus, Bochardus, Amyraldus concinnaturi ſint de te elogia; nec unquam ad tuam illuſtrandam gloriam major ſeſe dabit occaſio. Splendor tuus iſtorum luminibus officit; virtutemque incolumem oderunt, & diuturno odio proſequantur precor, potius quam, vel ex oculis, ſublatam quærant & deſiderent invidi. Sed ab aſſuetis, inquit Philoſophus, non fit paſſio. Tu autem ſemper cum æmulis luctatus es, nec ulla regio in terris non plena tui laboris. Abſit autem ut Apparatus tui amplitudo in Cenſuram meam incurrat. Quinimmo ipſius operis molem æquet ac ſuperet, bene erit. Tantum rogamus ut cito prodeat, & dum parum belle convenit noſtris Præſulibus cum Vaticano. Verendum eſt enim ne, ſi Romanis rebus florentibus huc adveniat, pro grata victima Capitolino Jovi mactetur. Sed fallor aut iſta quietem tuam non turbant, nec hujuſmodi bruta fulmina vel metuis vel optas. Ecce tibi Carmen ſuper Motta Capta: ſive placeat ſive diſpliceat, ſcribe quæſo quid de inventione vel eloquutione tibi videatur. Mihi ſane improbari non poteſt:

quin audacter dico, Batavos veſtros, nec ipſum Heinſium, Barlæumve excipio, longe his deteriora ſæpiſſime ad nos mittere. Si poſſet titulis noſtris accedere Dunkerca; cum Parnaſſi Nymphis omnis Nereidum chorus Pæana caneret. Sed vergens in autumnum annus iſtam victoriam in proximum ver ſervat; decumbente præſertim Achille Gallico Gaſſione, qui nimis multis vulneribus pæne occubuit. *Dii carum ſervate caput.* Fidei meæ commiſit Blondellus magnum Commentarium ſuper Clauſula Regnante Chriſto, quem recta Voſſium noſtrum delegabo, ut eum curet typis Blauwii committi. Viri merita (quæ nimis magnam ei jam famam conciliant, potius quam bonam, quod tibi uni dictum quæſo ſit) non difficulter credo impetrabunt hunc favorem. Hic enim nihil poteſt excudi quod omnipotentiam Romanam vel leviſſime attentet. In hoc autem opere Hildebrando male eſt. Neſcio an deinceps aliquid iſtius argumenti ab eodem habituri ſimus? ἀλλ᾽ ἐπέχω & forſan nimium multa. Sed ea tibi iterum dico uni & ſoli. Uxori tuæ facilem maris tranſitum opto, & voveo tibi totique domui omnia proſpera. Lutetiæ Pariſ. 18. Julii 1645.

EPISTOLA CXXXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

INgrediemur ergo vaſtum & immenſum Apparatus tui pelagus, quotieſcunque tibi libuerit Primatus tui navem ſolvere. Dum adhuc dies longiores ſunt, unam totam iſtam ingenti æquori arando libentiſſime impendemus: brumalis enim ſolida non ſufficeret, ſi verum eſt quod audio, typographum jam ad viginti πτερύγια proceſſiſſe, nec adhuc littora conſpicienda ſeſe dare. Nec hanc tuam prolixitatem, in nobiliſſimo argumento, culpare poſſum: quinimo laudo & in cœlum effero, quod iſtam materiam accuratiſſime velis exequi. Tantum miror tibi tantopere placere mores tuos ut nobis præſertim podagricis non conſulas, noſque velis tantum iter conficere ſine ullo milliario lapide in quo quieſcamus. In tuam tamen gratiam audebimus tentare, nec, qua incedemus alacritate, in via deficiemus. Epiſtolam Amyraldi placuiſſe tibi, gaudeo: quotieſcunque volueris de ejus cauſſa cognoſcere, non recuſabit te judicem: quamvis inter eos vivas, qui ejus doctrinam divinæ gratiæ convenientiſſimam traducere ſatagunt; & vereor ut in apertas inimicitias tandem erumpant, adeo difficile eſt vel in ſacris cum ulla moderatione diſſentire. Certe hic ſolus omnibus adverſariis domandis par eſt & fuit. Explicet Spanhemius copias ſuas, & videbis qua fortitudine illas Salmurienſis noſter invadet. Cæterum grandem mihi dicam ſcripſit Rivetus, quod de perbona hac, ut ais, epiſtola monitus ante ſe fuiſſes. Quid reſpondiſſem? Tacui & hoc libuit mihi placide concoquere, ut illi mitem ſui quondam diſcipuli acerbitatem. Noli amplius dubitare de Edoardi Palatini certiſſima & indubitata ad Romanenſes de-

defectione. Idem ille Rothomagenſis Eccleſiaſtes, qui ex urbe ſua, quæ nuper vidiſti ad me ſcripſerat, præſens præſenti eadem narravit, & coram me ſchedulam exaravit, cujus copiam ecce mitto, ſi iſtic nollet nominari: itaque cum prudentia hoc diſpenſabis inter eos, quorum præcipue intereſt e præcipitio illuſtriſſimum Principem retrahi. Bochardus Cadomum rediit confecto fœliciter negotio. Dum hic moratus eſt, cum Langlæo cognatum ſuum Advocatum Pariſienſem convenere, qui legit illis ingens caput, in quo ſedulo diſquirit num *eventus* ſint *facta*, idque probare contendit magna teſtimoniorum copia, cum tu unicum quo id negares, oppoſueris. Puro felle madet ejus calamus. Te fanaticum, emotæ mentis virum, profeſſoremque honorarium ſingulis paginis nuncupat. Quamvis properet, non poteſt hoc teterrimum monſtrum ante res prolatas ἐκποιῆσαι. Libro rerum quotidianarum titulum faciet. Hæc illi mihi confidentiſſime & in aurem dixere: quæ tamen te celare nolui, quia non dubito te iſta omnia eſſe parvi facturum, immotaque mente auditurum: quin immo te ſeverioribus ſi forte ſtudiis laſſatum reficient & recreabunt. Vidi quæ περὶ ἀρχοντίσσης τοῦ Ροανῆς ad amicum ſcripſiſti; nec judicii libertatem improbo. Monere tamen debeo ut in hac re cautius procedas. Omnis aula propter hunc puerum in factiones diviſa eſt. Nec deeſt dubitandi ratio utrinque intricatiſſima. Ego ubi audivi αὐτὴν τὴν μητέρα iſta fata evolventem, ſomniorum illuſionibus turbari me arbitrabar, adeo fabulæ eſt hæc hiſtoria proxima. Hoc certum eſt, filiam, quæ imparibus nuptiis Cabotio nuper copulata eſt, curaſſe eum varias in terras aſportari, inſcia matre, cui poſtmodum perſuaſum erat eum diem obiiſſe. Nec unquam iſtic mater penſionem ſolvit, ſed filia. Mater autem ante paucos dies, filium vivere edocta, tot tantaque τῆς τοῦ παιδίου γνησιότητος affert teſtimonia, ut eam mentiri neſcio an aliquis credat. Veniat ergo cum bona tua gratia ἡ σου δέσποινα, quæ ita gratior adveniet: ei quæcunque potero officia libentiſſime impendam. Tu Vale & ama. Lut. Pariſ. IV. Auguſti. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CXXXII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

REddam tibi veteres tuas voces. Non inficete me luſiſti, quaſi pedibus articulari morbo laborantibus legere deberem nobiliſſimi tui Apparatus infinitas paginas. Atqui oculato capite, & ni fallor, valde ſano eas evolvam: ubi typographi veſtrates illas orbi noſtro familiares fecerint. Σπεύδει βραδέως ὁ συνήγορος, nec ante non paucos menſes quam orditur telam pertextam videbis. Interea tibi vacabit cum inchoata perficere, tum ad alia quoque manum porrigere. Quod Gratiam Univerſalem ſpectat, quia contrariis partibus vis tuum nomen cenſeri, per me id facias licet. Multos tamen e caſtris veſtris transfugas quotidie agmen noſtrum recipit: nec pœnitendam ſperamus acceſſionem

nem ex eo quod peractum prælio inter fortiſſimos harum iſtarumque regionum adverſarios. Quid præterea ſcribam vix occurrit. Dionyſius Talæus Audomari filius, de Univerſa Philoſophia Græce ϗ μάλα πεπαιδευμένως, nudiuſtertius in Regia Navarra reſpondit. Præter Nuntium Papalem adfuere quadraginta circiter Epiſcopi veſtibus Pontificalibus inſignes. Fecit hanc frequentiam conventus Eccleſiæ Gallicanæ, qui hic jam magna pompa celebratur. Hieroſolymitanum primum Concilium, de quo in Actis, Paſtoribus conſtabat, hoc autem Regibus abundat, qui tamen omnes Ludovico noſtro ſerviunt, vel potius ſuo Emerio, qui ab ipſis quanquam renitentibus grandem pecuniæ ſummam emunget. Caiæ tuæ opto facile maris vadum, tibique, cum & ſine illa, omnia proſpera. Hic valemus, vos valete. Lut. Pariſ. XI. Auguſti. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXXXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SIngulos ruinæ Voetianæ gradus gratum fuit ex Literis tuis intelligere, uti ea ſemper omnia, quæ te tuoſque, ſive amicos ſive æmulos, ſpectabunt. Nonnulla iſtius viri olim legeram, in quibus ſatis multa congerere per πολυαναγνωσίαν videbatur, ſed parvo aut nullo judicio congeſta. Vincebat tamen, ſed cauſa non ingenio. At malis modis malignitatem ſummam tutari dum voluit, artes ejus patuere, refractiſque tantæ nequitiæ clauſtris, jam vivet bonis omnibus, mitius dicam, contemptibilis. Ita nemo læditur niſi a ſemet ipſo. Sic pateat quod ubique mali eſt pereatque. Stat tibi firmum bonumque conſilium Theologicis de Gratia Univerſali diſputationibus non immiſceri. Sed vide ne me volentem in iſtam arenam conjicias. Scribit enim Hagienſis, de me queſtum eſſe prolixe Germanum veſtrum Theologum, quaſi Ligeris accolis apertius, & iniquius faverem: ea nempe inter adverſarios comparatione inſtituta, quæ eum plus æquo deprimat, alterumque in cœlum attollat. Scio me ad eum tale nihil ſcripſiſſe, nec ad te quoque, ſi mea recte & ex mea mente intelligantur. Laudaſti incomparabilem Theologum a fortitudine. Reſpondi nec Amyraldum eſſe imbellem, poſſeque dici par eſſe bene compoſitum. Dubio adhuc & incerto eventu pugnæ, vixdum inter contendentes inchoatæ, licuiſſe mihi arbitror athletam noſtrum commendare, nec eſſe quod quiſquam hanc laudem vitio vertat. Cauſam ipſam quod attinet, hic omnes favent ei, quam Salmurienſis fovet: nec proinde mirum ſi donec meliora doctus ero, magiſtros meos ſequar. Tantum rogo te Spanhemiumque credatis me nullo armatum præjudicio ad ſuas defenſiones legendas acceſſurum: cum præſertim hactenus inter viros æquitatis laude præſtantes fere convenerit, non agi de ullo fidei capite, circa quod non liceat diſſentire. Unde vanus fere omnis iſte, qui ab utroque inſumitur labor, eſſe videa-

videatur, niſi quia ſacram ſcripturam explicare & ornare ſatagit. Non ita pridem didiciſti qualem Antagoniſta tuus Sedani exercuerit profeſſionem, ſcholaſticam ex infimis & pædagogicis unam ſcilicet. Sed ſcin tu qualem ejus parens? Adſcriptus erat eorum laterculo, qui tormenta bellica curant & incendunt. An miraris eum tot fulmina & tonitrua crepare? & in flammas ignemque auſu temerario ruere? Hoc ſi jam diſcis, aliquid in futuri libri titulo mutabitur. Nos interea hunc Salmonea crudeles dantem pœnas aſpicimus in prima, quæ prodiit parte: & ſane ſatis eſt. Habet. Lutet. Pariſ. 18. Aug. CIↃ IↃC.XLV.

EPISTOLA CXXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Accipiet libentiſſime, & cum meritiſſima gratiarum actione, Vidua Rohania, quam polliceris defuncti conjugis tumulo inſcribendam epigraphen. Ita mihi roganti ipſa nuper reſpondit. Mitte ergo, quando voles, tanto viro teque ſcriptore digniſſimum monumentum. Sed vide ut in pauciora contrahas, quæ olim diffuſius exarata oſtendiſti. De Eloquentia, quæ nulla aut mediocris fuit, ſilere ſatius eſt, & de ſcriptionis genere, quod Principem apprime decuit, aliquid dicere. Interea hic laborat ampliſſimus ordo in Tancredi filii cauſa cognoſcenda; quæ ſane licet multo favore ſubnixa, ſuis non caret difficultatibus: & adſunt utrinque ſtrenui vindices, qui ſumma contentione negotium urgent. Adoleſcentis liberalis indoles ſuaviter ad ſe allicit plurimos, quos Sororis ferocior animus parum ſibi conciliat. Si diutius in Edictali auditorio judicis officio functus fuiſſem, ſatis notabiles fuiſſent partes meæ in hac cauſa. Me enim mater delegerat, qui de rebus ſuis ad Senatum referrem; nec infeliciter hactenus in iis verſatus ſum. Sed poſt exactum biennium ex ordine inter nos conſtanter ſervato, oportet me loco cedere & lampadem tradere ſequuturo. Cæterum ſatis leve fuiſſe videtur argumentum, quo ejus filius νοθείας tibi ſuſpectus fuit. Quid enim, an adultera uxor non poteſt ex marito ſuſcipere prolem legitimam? Pater eſt quem nuptiæ demonſtrant, inquiunt leges noſtræ. Ubi libellus ſupplex curiæ oblatus fuerit, rem omnem tecum communicabo, & ut video tibi inaudita audies. Nullum tibi indicabo Elzeviriorum improbum facinus, aliquidve ab iis tentatum eſſe, quod te celatum voluerint. Ipſe ſcripſiſti, cum negares quæ rogaveram πετάλα, omnia exemplaria jam in ſarcinas eſſe compacta Lutetiam mittenda: Elzevirii filium primo vento ſolvere cogitantem, quod nondum impreſſum eſſet, ſecum accepturum. Tum ſubjeciſti, ne per uxorem mitteres ea, quæ deſiderabam, hanc eſſe cauſam quod refici deberent in editis aliquot paginæ, quas nolles a me videri niſi emendatas. Hæc tua ſunt omnia. Audi jam mea. Queſtus ſum, & adhuc, ſi pateris, queror quod ſinas Elzevirios in ſuas ſarcinas folia, quæ

amplius corrigi non poſſunt, compingere per univerſum orbem ſpargenda, nec velis me amicum tuum ea modicum tempus ante cæteros videre. Nulla Elenchi ignoratione peccat hæc mea Logica. An poſſunt emendari folia in Gallias miſſa? An non huc miſſa quoquoverſum diſtrahentur? An non habet ſingula Hagienſis amicus? qui ea apud eum vidit, id te volente fieri affirmavit. Perge negare, non pergam queri, nec deinceps ideo tibi ero moleſtus. Occurrenti Labbæo non ita pridem querimonias expoſui tuas. Faſſus eſt ſe unas tuas accepiſſe & brevi reſcripturum. Drelincurtio miſi, quæ mandaſti, exemplaria noviſſimorum tuorum opuſculorum ad Molinæum Sedanum curanda. Patruelis etiam tuus iiſdem donatus eſt: ille inquam, qui terreſtres conchas, quas habuiſti apud me reliquerat, & promiſit ſe ad te ſcripturum. Quantum procedat liber qui iſtic excuditur de G. U. minus curo, immo minus curamus hic omnes quàm multi exiſtimant. Sed an tuus Primatus vergat ad umbilicum ſcirem libenter, niſi viderem te nolle me eſſe adeo curioſum. Dii te ſervent tuamque & nos amatote. Lutetiæ Pariſior. 24. Auguſti die ante Annos 73. Sacerrimo 1645.

EPISTOLA CXXXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

OCcaſione cujuſdam litis, quæ generum ſuum ſpectabat, adfuit mihi nuper Canonicarii filius. Num miraris quam me facilem diſcipulum habeas, qui tam cito doctrinam tuam imbiberim? Mitius ſolito querelas ſuas expoſuit, ita tamen ut offenſum & inimicum animum ſubinde proderet. Quia autem controverſa inter vos argumenta tenuia ei videntur, cogitat ea inſerere præclaris de jure diſputationibus, quibus lector magis capiatur, quam nudis veſtris eriſticis. Dira illa quibus te poteſt peſſumdare, extant in tuis ad illum olim exaratis litteris. Singula non explicavit. Sed ſi bonus conjector ſum, vult quædam in illis haberi adverſus τοὺς τῆς ἡμετέρας μοναρχίας ἐπιμελητὰς dicta licentioſius, quam ea ferat impune eorum auctor. Sed audi quod rideas, & aſſem para. Immo noli ſolvere ſacculum, ἐπληρώθην; quod gratis datum eſt,
„ gratis accipe. Sic ille ad me. Vixit non ita pridem Vir eruditiſſimus & in-
„ ter prima ſæculi noſtri decora ſuo merito cenſendus Cl. Salmaſius. Nihil
„ illum Græcæ, nihil Latinæ ſcientiæ fugiebat. Sed vir ille eximius ante de-
„ cennium in Bataviam ſeceſſit: ex quo autem iſtic moratur, dicas eum ceci-
„ diſſe ἀπὸ νοῦ, adeo in omnibus eum ratio fugit; cadaver ſpirans & ambulans vere
„ aliquis exiſtimet. Deſiderantur enim omnia illa doctrinæ miracula, quibus olim
„ defixi ſtupebamus. Meras agit nugas, quiſquiliæ grammaticales ſunt ejus deli-
„ ciæ, in quibus tamen ſæpiſſime offendit, ſicut apertiſſime oſtendam in Reſponſi-
„ one quam adorno. Vix à riſu temperavi. Mirum eſt dixi, univerſum orbem cæcutire, nec tantam mutationem ulli adhuc ſuboluiſſe. Sed a convitiis ſaltem abſtine.

„ Atro-

„ Atrociora nonnulla induxi, reſpondit, communiumque amicorum precibus
„ hoc conceſſi: ut enim lapidis inſtar ejus ferocia verba non intellexiſſe aut
„ etiam contempſiſſe videar, nondum a me potui impetrare. Et hic finis fuit noſtræ confabulationis. Heri Rex Puer in ſuo Juſticiæ, uti vocant, Lectiſternio ſedit: quod omnino factum ſemel, infeliciſſimo exemplo, anno ultimi ſæculi ſexageſimo tertio, docent annales noſtri. Plurima Edicta burſalia publicari & curiæ actis inſcribi juſſit, adſtantibus cum Regina Matre, Aurelianenſi, Condæo & Cardinalibus, Lugdunenſi, Bichio & Mazarino, non paucis regni primatibus. Cancellarius aulicam & ſcenæ perſonæque ſuæ convenientem orationem habuit. Molæus Princeps Senatus, ampliſſimi ordinis dignitatem generoſe & modeſte tutatus eſt. At Talæus tuus eleganter & fortiter cum auditorum ſumma admiratione & bonorum omnium gaudio dixit. Cogitabam in Aquitaniam proficiſci. Sed hac ipſa nocte invaſit me acutiſſima podagra, quam in turba & tumultu heſternæ cæremoniæ lucrifeci. Ultima Auguſti obiit Pinarolii ante quinque menſes eo relegatus, Vir Magnus Joannes Jacobus Barillonus Præſes meliori fortuna digniſſimus. Vale. Lutet. Pariſ. VIII. Sept. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CXXXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUod te ſcire juvabit primum ſcribam. Uxor tua huc ſalva cum vaſis comitibuſque advenit. Jactata eſt ventis & pelago novem dies. Navis qua vehebatur Angliæ tetigit littora: Diepæ deſcendit. Unum diem in urbe morata, ad fratrem properavit. Reliquam itineris fortunam ipſa enarrabit. De ejus ingenio erga iſtam hancve regionem quid dicam? Reſpondebo verſu Horatiano *Cœlum non animum*, noſti cætera: & quod fuit ante, manet. Unum me vehementer afflixit quod de perpetuo nutante tua valetudine dixit. Et ſane hoc unum ſuadere debet migrationem. Sed quo? In Septentrionem? Omnia bellorum plena. In patriam? Scis quibus legibus hic vivamus. Niſi jam res eſſent prolatæ non invitus poſtquam judex eſſe deſii, patrocinium ſuſciperem cauſæ Tancredi: nec enim adeo deplorata eſt, quam te exiſtimare video. Sed poſt Martinalia forum calebit iſta nobili controverſia, quam nefas eſt prælibare. Dicam tamen nonnulla quæ ignorare te video. Contendit Mater & turba teſtium vult probare, Rohanium patrem ſciviſſe Venetiis ſe gravidam eſſe: quia autem nunquam niſi cum ſummo vitæ diſcrimine parere ſoleret, conſenſiſſe ut in Galliam paritura veniret: præbuiſſe ad iter pecuniam & familiam: ſciviſſe ex hoc partu filium natum; celare voluiſſe, quia verebatur ne Eminentiſſimus mortalium, qui odio in parentem, Olympiæ filiolæ, quæ Lutetiæ apud nutricem relicta fuerat, cuſtodes olim adhibuerat, filium itidem prehenderet, & in eum crudele aliquod facinus ſtatueret. Patrem poſtea Pariſiis moratum

non diu, filiam ſæpiuſcule clanculum inviſiſſe: In Neuſtriam educatum eo volente miſſum eſſe. Filiam vero per militum manum curaſſe, parentibus inſciis, eum in Bataviam aſportari, tum mortuum publicari: penſionem ſolviſſe quamdiu iſtic ignotus vixit. Ex quo autem ſocialia ſubiit vincula omnem lapidem moviſſe, ut per interpoſitas perſonas iſtinc alio educeretur, quia illis quorum opera ſua facinora patraverat, infenſis utebatur. Capilli, oculi Patrem & Matrem referunt. Alia minutula numero infinita omitto. Conjecturalis eſt hic cauſæ ſtatus, & negat Filia teſtibus, ſed teſtimoniis negotium decidi oportere: & habet forſan Mater nonnulla non invalida ſuo tempore publicanda. Certe ſi hæc omnia veritate nitantur, fatearis neceſſe eſt non injuria dividi aulæ & fori animos & judicia. Cæterum audi me jam valde mutatum. Poſt abſolutam Primatus tui partem priorem, non rogo quid aggreſſurus ſis, nec de eo te ſum interpellaturus. Sed vide an cornea ſit illa porta qua ingreſſum eſt ſomnium, quod forſan non vanum ſomniavi. Dialogus ſecundus contra Dematii ſecundas Theſes brevi prodibit. Tum juris Anteceſſorum biga jugo ſubmittetur. Denique Canonicarii filius Antonio Mercatori præbebit ſcapulas. Hæc integram hiemem durabunt: Vere novo nova ſomnia narrabo. Vale. Lutetiæ Pariſior. XV. Septemb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA LXXXVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUod ais, diſputationem de Gratia Univerſali meram eſſe λογομαχίαν, vereor ut ſatis rem totam perſpexeris. Cum enim duplex ſit Gratia; una quæ ſeſe habet ad modum objecti, ut cum ſcholis loquar, & eſt inſtar lucis extrinſecus ſe offerentis; altera quæ ſubjectum præparat atque diſponit, ut Gratiam externam admittere queat, & eſt inſtar facultatis videndi in oculo: Poſteriorem quod attinet Andegavenſes cum Batavis conſentiunt. Utrinque enim Gratia illa ſtatuitur eſſe ſingularis. Priorem autem quod ſpectat, in eo diſſentiunt: quod hi gratiam externam & objectivam non exiſtimant latius patere quam internam & ſubjectivam; eamque credunt ad ſolos Electos pertinere: Illi vero docent eam omnibus offerri per Euangelii prædicationem, neminemque ab ea excludi, qui modo ad eam accedere, eamque amplecti velit. De re ergo, non tantum de nomine quæſtio eſt. Quod autem exiſtimare videris, conceſſa gratia ſpeciali ſubjectiva, Gratiam univerſalem objectivam peſſum ire; quia eadem gratia univerſalis eſſe non poſſit & etiam ſpecialis, hoc eſt ad paucos reſtricta homines beneficio fidei; idem omnino facis ac ſi ſtatueres, lucem ſolis non eſſe univerſalem, quia pauci ſi forte eam oculis uſurpant, reliquis ultro claudentibus oculos, ne eam admittere cogantur. Certe una eademque Gratia non poteſt, eodem modo conſiderata, eſſe ſpecialis & univerſalis. At Gratia fidei & Gratia quam fides complectitur, diverſæ ſunt:

altera enim conſiſtit in vi & efficacitate aliqua Spiritus illuminantis; altera in promiſſione remiſſionis peccatorum, propter Chriſti ſatisfactionem. Itaque hæc poteſt eſſe univerſaliſſima, cum illa ſit maxime ſpecialis. Quemadmodum offerri poteſt ſol univerſaliter omnibus, ea lege ut omnes aperiant oculos, cum tamen paucis detur ut velint aperire oculos, quorum ope oblatam lucem videant. Dum autem affirmas, Gratiam Univerſalem *illuſoriam* fore, ſi ab ipſo DEO ad paucos per ſpecialem reſtringatur; quia ſpecialis univerſali potentiſſime derogat: auſim iterum dicere Andegavenſium mentem tibi non eſſe cognitam. Gratia enim ſpecialis non poteſt univerſali derogare, niſi prohibeat quominus univerſalis rata eſſe poſſit atque efficax: At Andegavenſes (pro quibus aperte ſtat quicquid fuit Græcorum & Latinorum Patrum totis octo prioribus a Chriſto nato ſæculis) ita doctrinam ſuam explicant, ut Gratiam ſpecialem ſtatuant quidem in Electis agere longe potentiſſime, at eandem in aliis quicquam operari negant. Illuminat quidem DEUS Electorum oculos, at Reproborum non occæcat, ſed eos tantummodo ſibi permittit. Idem igitur facis ac ſi diceres, vim videndi, quam DEUS dat nonnullis natura cæcis, derogare luci ſolis, quominus omnibus offeratur. Et foret quidem illa Gratia *illuſoria*, ſi DEUS, qui eam offert, aliquid in Reproborum mentibus operaretur, cujus vi credere prohiberentur: at nihil efficit iſtiuſmodi. Itaque Gratiam Univerſalem offert maxime ſerio. Præterea ſtatuis univerſalem Gratiam ſtare poſſe juxta Pelagium, quia Deus talem eſſe voluit, nec per eum ſtat, ſed per homines, quominus omnibus proficiat: non vero ex dogmatis orthodoxi ſententia, ubi ille qui videtur dediſſe univerſalem, eam reſtringit ad paucos, adeo ut per eum ipſum qui dedit, reddatur ſpecialis. Sed videtur poſſe retorqueri. Si enim nihil requiritur ut Gratia poſſit eſſe univerſalis, niſi ut per ſolos homines ſtet, quominus omnibus proficiat, ex orthodoxo dogmate, per ſolos homines ſtat quominus DEI gratia, hoc eſt Chriſti ſatisfactio, omnibus proficere queat. Per nos enim ſtare dicitur quominus aliquid fiat, cum ipſi cauſa ſumus cur non fiat. At ſane ſoli homines cauſa ipſi ſunt, cur non ſerventur per Chriſti ſatisfactionem, nec eſt DEUS auctor incredulitatis & exitii hominum, *Tua perditio ex te Iſrael.* Omne illud quod circa hominum incredulitatem agit DEUS, in eo conſiſtit, quod nihil agit. Offert quidem objectum quod amplectantur ſi velint; at a ſe omnino habent quod nolint illud amplecti, non autem a DEO. Nec enim ſi DEUS auctor eſt & cauſa efficiens fidei in Electis, ſequitur eum eſſe auctorem & cauſam efficientem incredulitatis in Reprobis. Quod tamen addis DEUM ipſum facere gratiam illam particularem, indiget explicatione. Noſti apprime, cum nihil pæne te lateat, quæ ſit rerum conditionatarum natura. Offerat DEUS lucem, ut in eodem ſimili maneamus, offerat inquam, omnibus, ea lege ut ſit omnibus vivifica, modo oculos aperire velint: hactenus Gratia eſt univerſalis, ſed conditione ſubnixa. Pergat DEUS ulterius & paucis quibuſdam indulgeat ut oculos aperire velint; reliquos vero permittat ſuæ pertinaciæ, per quam

oculos nolunt aperire. Idem ille qui Gratiam propoſuit Univerſalem omnibus, effecit ut eſſet paucis ſpecialis. At quod ſpecialis eſt nonnullis & abſoluta, non vero conditionalis, non facit quominus aliorum reſpectu conditionalis maneat & etiam univerſalis. Quod enim in paucis factum eſt, in reliquorum conditione, plane nihil immutavit. Et a te allatum exemplum, ſi recte conſtituatur, hanc ſententiam confirmat, adverſariam funditus evertit. Rex ſubditis ſuis rebellibus; Edicto propoſito, gratiam delicti ſui omnibus univerſim condonet, ea lege ut a rebellione deſiſtant & ad meliorem mentem redeant. Gratia illa ex tua mente poteſt univerſalis eſſe & dici. Ea re non contentus Rex, quia ſcit in omnibus ex æquo vigere tantam tamque invictam in rebellione pertinaciam, ut nemo non ſit in rebellione perſtiturus, aliquid amplius deſignet, & aliquos ſeponat quibus eam gratiam indulgeat, ut eos criminis ſui pœniteat & ad obſequium ſe componant, unde fiat ut revera gratiam conſequantur. Certe quod Gratia illa veniæ delicti facta ſit paucorum reſpectu ſpecialis & abſoluta, ideo quia conditionem impleverunt, nihil mutat in natura Edicti, quod, reliquorum reſpectu, gratiam fecit & conditionalem & univerſalem. Quod enim Rex dat nonnullis ut reſipiſcant, non impedit quominus idem ille Rex Edictum ſuum promulgaverit in hæc verba. *Volo delicti gratiam eſſe communem omnibus, modo omnes reſipiſcant.* Univerſali ergo Gratiæ optime convenit cum Orthodoxo dogmate: at cum Pelagiano nequaquam. Pelagianum enim dogma in eo ſitum eſt, non quod Pelagius docuit DEUM offerre Gratiam univerſalem omnibus, alioqui Chriſtus ipſe Pelagianus foret, qui dixit *DEUM tantopere dilexiſſe mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut quicunque credet in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*; ſed in eo, quod ſtatuit, Gratiam illam univerſalem a nonnullis accipi atque admitti viribus naturalibus liberi arbitrii, non vi gratiæ illius ſubjectivæ, atque particularis, quæ in Electis operatur. A quo errore DEI beneficio maxime abhorremus. Sic ſoluta eſſe crediderim, quæ a te in doctrinam noſtram diſputata ſunt. Unum tamen addo; Cum Reprobos cæcis comparavi, Electos vero quos DEUS illuminat, iis quibus videndi facultas concederetur, nolle me id ita accipi, quaſi cæcitas mentis, quæ in Reprobis a natura eſt, eſſet plane ſimilis oculorum cæcitati: hæc enim conſiſtit in aliquo vitio, quod neque boni neque mali moralis rationem habet, quodque eſt iſtiuſmodi, ut homini pertinaciter adhæreſcat, etſi id vehementer velit excutere: ideoque vix ac ne vix quidem Lux ſerio offerri poteſt iis, qui eo vitio laborant, niſi pariter vitium ipſum tollatur. At illa conſiſtit in malitia voluntaria, quæ ita quidem voluntati penitus inſedit, ut tolli nequeat, niſi potentiſſima vi ſpiritus DEI, ſed eſt malitia tamen, ideoque inter mala moralia cenſetur. Nihil autem obſtat quominus DEUS gratiam illam objectivam & externam maxime ſerio iis offerat, qui tali vitio laborant, ut eſt a Dordracena Synodo diſertis verbis definitum. Ait enim illa & *omnes vocari*, ut res ipſa indicat; & omnes qui vocantur, *ſerio* vocari; & omnibus qui vocantur, *ſerio* pariter promitti ſalutem

lutem & requiem æternam animarum. Et hæc hactenus; quæ fuſius proſequutus ſum, quia per hoc rerum prolatarum otium, licuit mihi Sapientiæ templa ſerena ingredi. Scribit Carolus Feramus, fori noſtri non incelebris cauſarum patronus, in agri Bononienſis pago, cui Courſeto nomen eſt, effoſſum eſſe non ita pridem vetuſtiſſimum e lapide candidiſſimo ſepulcrum. In eo quattuor urnas fictiles, quarum aliæ cineribus & oſſiculis, aliæ quodam ignoto liquore eſſent plenæ, repertas eſſe, cum *ſede ferrea*, plane ad earum modum fabricata quas plicantes vel potius plicatiles vocamus, variis clavis auratis interſtincta: & orbe quoque fictili cui inſcriptum erat ALBUTIANI. Turbat hæc epigraphe, ut & ſedes ferrea, quæ fortaſſean veterum ſella curulis fuerit. Si quid inde reconditæ eruditionis erui poſſit, ultro invocat virorum doctorum judicia, & tuum inprimis. Uxor tua peregre adhuc abeſt apud fratrem. Hic omnes gratia DEI valemus, niſi quod podagra me domi ſedere cogit. Tu quoque Vale. Addo quod oblitus eram; Pagum illum Courſetum adſtare itineri, quod *Viride* vulgo vocatur & a Romanis ſtratum eſſe, ex veteri fama, affirmatur. Iterum Vale. Lutetiæ Pariſior. XXII. Septembris. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

FUit ergo proh dolor! Vir re & nomine Magnus, clarumque ſæculi noſtri ſidus Hugo Grotius. O caſum litteris acerbum, ô jacturam graviſſimam! Sit illi terra levis, & ſuper ejus tumulum ſurgant violæ. Magnum certe erit Grotii nomen, quamdiu honos erit libris & ſcientiis. Ego certe, dum ſpiritus hos reget artus, ei aliquando familiarius innotuiſſe ſemper gloriabor. Solus ille de principatu litterario tecum contendere poſſe videbatur. Solus ergo jam regnas & diutiſſime regnes, DEUM opt. max. veneror precorque. Nihil jam prohibet ejus Commentarium De Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, cum amicis communicari vel etiam cum omnibus per editionem. Abſit enim ut pereat, vel etiam amplius lateat tam illuſtre doctrinæ exquiſitioris monumentum. Sed an habet Gulielmus ejus frater Hiſtoriæ Belgicæ annales, vel Anthologiam Græco-Latinam? an habet Gotthica & Vandalica multa quæ dudum auctor premebat? Poſt hæc lugubria accipe, quod te non mediocri perfundat ſtatim lætitia, ſed neſcio an ſincera aut diuturna. Penes me jam eſt e B. R. codex MS. Anaſtaſii Bibliothecarii, in quo diſertis verbis legitur Vita Joannæ Papiſſæ, quam huic epiſtolæ cum DEO adtexam. In charta pergamena ſcriptus eſt manu valde recenti, utpote quæ Paparum ſeriem ad Martini quinti tempora deduxerit. In principio ſatis belle illi convenit cum editione Moguntina anno M DC II. ex M. Velſeri codice procurata: in ſequentibus multæ reperiuntur varietates, & habet plurima editus, quæ in Regio deſiderantur. In Vita Benedicti III. hæc leguntur, quæ ex ipſo exemplari deſcribam cum ſuis

men-

menſis. *Leo quidem hac luce ſubtractus preſul occubuit. Mox enim omnis clerus iſtius adeo protecte romane ſedis, univerſi proceres cunctuſque populus ac ſenatus domini clementiam congregati ſunt exorantes, ut beatiſſimum illis in omnibus demonſtrare dignaretur paſtorem, qui apoſtolatus culmen regere valuiſſet tranquille. Qui divinum ethereoque lumine inflammati uno conſenſu unoque cum* (hæc poſtrema vox, neſcio an a manu recenti, reformata eſt in hunc modum *eum*; *conamine pro tantis quibus pollebat ſacris operibus pontificem promulgaverunt eligere. Illico vero alacri ſtudio univerſa plebs & populi cetus, &c.* Hæc ſunt moleſta. Si enim Leone mortuo *mox* clerus populus ac ſenatus congregati elegere Benedictum, quis locus intermedius Joannæ relinquatur; Quin inde patet quod de ea ibi dictum eſt, *aſſumentum eſſe hominis otio abuſi.* In epiſtola dedicatoria ad Velſerum typographus Jo. Albinus alios duos locos citat ex Vitis Nicolai I. & Hadriani II. qui in ejus editione extant pag. 306. & 329. quibus idem omnino evincatur Leoni nempe immediate ſucceſſiſſe Benedictum: at in MS. noſtro non comparent, contractior quippe eſt narratio geſtorum iſtorum Pontificum in ſcripto, quam in edito. Hæc volui neſcius ne eſſes. Dum autem hunc auctorem verſo, multa occurrunt vocabula, propter quæ fateri debeo ignorantiam meam; verbi gratia pag. 262. in Leone IV. *Fecit vela de fundato ornata ex utraque parte de blattin numero viginti. Blattin* pro *purpura* ſumi, olim ad Hiſt. Aug docuiſti: ſed quid verbi eſt *de fundato*. Tu quæſo juva, qui hujus auctoris Gloſſarium dudum nobis debes, quia promiſiſti. Plura hujuſmodi congerere poſſem, ſed ſatius eſt tuæ meæque ut operæ parcam. Vale a me ac mea. Lutetiæ Pariſ. XXIX. Septembris. CIↃ IↃC XLV.

VITA JOHANNÆ PAPISSÆ

Ex MS. codice B. R. Anaſtaſii Bibliothecarii.

Poſt hunc Leonem (quartum ſcilicet) Joannes Anglicus natione Maguntinus ſedit annis duobus, menſe uno, diebus quattuor & mortuus eſt Romæ & ceſſavit Epiſcopatus menſe uno. Hic ut aſſeritur fœmina fuit, & in puellari ætate a quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenis ducta, ſic in diverſis ſcientiis profecit, ut nullus ſibi par inveniretur: adeo ut, poſt Romæ legens magnos magiſtros diſcipulos & auditores haberet. Et cum in urbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per ſuum familiarem idem impregnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de ſancto Petro in Lateranum tenderet, anguſtiata inter Coliſæum & ſancti Clementis eccleſiam, peperit: & poſt mortua ibidem, ut dicitur, ſepulta fuit. Et quia Dominus Papa cum vadit ad Lateranum eandem viam ſemper obliquat, creditur a pluribus, quod ob deteſtationem facti hoc faciat. Nec ponitur in catalogo Pontificum propter muliebris ſexus deformitatem quantum ad hoc.

EPI-

EPISTOLA CXXXIX.

CL SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lugdunum Batavorum.

BInas a me habebis hac vice. Iſta litterula *Veſtem de fundato* explicabit. *Veſtis de fundato* eſt veſtis, eo opere facta & aurata, quo reticula fiebant, quibus capita fæminarum ornabantur. *Fundas* etiam appellant, ut Græci σφενδόνας? quia fundæ, quibus lapides jaciebantur, ea parte, cui lapis imponebatur vel glans, reticulato opere erant contextæ. In veſtibus autem hæ, ex auro intextæ vel phrygionico opere inſutæ decuſſatim ſe interſecabant, ut maculæ in reticulis. Quod opus *de fundato* appellabant, id eſt *de funda*. Sed *funda* ut dixi intelligitur capitis muliebris ornamentum, quod Græcis σφενδόνη & ὀπισθοσφενδόνη dicebatur: quæ ornamenta erant ἐπίχρυσοι, ut Pollux notat. Inde & in veſtibus fila aurea, ita reticulatim & fundatim intexta, nomen acceperunt. *Vias* vocavit Tibullus.

----- *Veſtes quas fœmina Coa*
Texuit, auratas diſpoſuitque vias.

Virgil. ---- *tenuique vias diſcreverat auro.*

A *funda* autem *fundatum*, idem quod funda. Ut ab *arena arenatum*, a *foſſa foſſatum*. Quippe recentiores dixere *foſſatum*, quod veteres *foſſam*. Vale. Lugduni Batavorum. Cal. Octob. CIↃ IↃC XLV.

EPSITOLA CXL.

CL. SARRAVIUS

Claudio Samaſio.

Lugdunum Batavorum.

UTri veſtrum, Te Grotiumque intelligo, debeatur hujus ſæculi principatus literarius; decernet ventura ætas: hæc enim iniquior, verum non videt & ad poſteros ſatius eſt provocare. Interim audite viri docti de ejus annotatis in Epiſtolas Pauli & cætera Novi Fœderis, quæ hic excuduntur, liberum, ſed vereor ne nimis verum, judicium. *Sacras paginas dum tractat Heinſius, imperitum ſe prodidit* καὶ ἀθεόλογον: *Grotius vero oſtendit ſe non eſſe Chriſtianum; adeo Servatoris noſtri Nomini ubique ſe profitetur infenſiſſimum. Per cuniculos quidem, nec aperte graſſatur, nec minus tamen malus eſt, infidus & metuendus. Quid Salmaſius ille, qui eadem molitur, facturus eſt, eadem* παῤῥησίᾳ *explicabimus, ubi ſua ediderit.* Hæc ille. Venio ad Papiſſam. Quicquid de Papiſſa confidentius dicas, intricatiſſimum eſt omne iſtud negotium. Sederit illa nec ne, longior eſt diſquiſitio, nec unius epiſtolæ. Jam autem quæro tantum num Anaſtaſii Bibliothecarii legitimus ſit fœtus Vita illa, quam ad te nuper tranſmiſi. Ut eum cenſeam ὑποβολιμαῖον, præter jam allatas rationes, hæ ſuadent. Prima ſit, quod tum temporis unico nomine Pontifices

alioſve uno nomine vocari moris erat. Percurratur totus Anaſtaſius, cum Pontificali Damaſi, vix unum aut alterum binominem reperias, ut hic *διώνυμος Joannes Anglicus*. Secunda, ſi Anaſtaſius hanc hiſtoriam conſcripſit: rem ſua ætate, ſe vivo & Romæ agente, geſtam litteris mandavit. Atqui tanquam de re parum comperta, & ſibi tantum ex fama cognita loquitur hic auctor, cum ait *ut aſſeritur, ut dicitur*. Qui ita loquitur non curat ſuo teſtimonio fidem haberi, quaſi diceret, *credat qui voluerit, fides ſit penes auctores*. An autem credibile eſt virum doctum & ſagacem, de adeo ſingulari ſui temporis eventu, non inquiſiviſſe diligenter, ut ad poſteros res notabilis, utque maxime, indubia fide cum ſuis omnibus circumſtantiis, dimanaret? Tertia, Expendantur hæc verba *Romæ legens*, & *magnos magiſtros*. Non exiſtimo ætate Anaſtaſii verbum *legere* in uſu fuiſſe, pro, *ſcientias ex cathedra profiteri, & in ſcholis publice docere*. Hæc loquutio ſequioris eſt & poſterioris ætatis. Uti & illa quæ *magiſtros* vocavit eos, qui gradum & titulum acquirebant in ſcientiis Philoſophiæ, Medicinæ aut Theologiæ. Nondum enim iſti honorum apices doctrinales baccalaureatus & magiſterii vigebant in Academiis. Quarta, Anaſtaſii ætate non habitabant Papæ in ſancto Petro, ſive in Vaticano palatio ad S. Petrum, cujus Eccleſia tunc temporis erat extra urbis pomœria, ſed in Lateranorum ædibus. Et tamen auctor noſter ſupponit Joannam enixam eſſe, *cum iret de S. Petro in Lateranum*. Eum autem intellexiſſe Papam ſolitum habitare in S. Petro, conſtat ex eo, quod alias dixiſſet, *cum rediret*. Quintam addo & finio. *Coliſæum* non erat vox uſitata ea ætate pro *Coloſſæum*, ſed eſt verbum mere Italicum, quo jam vocatur famoſiſſimum illud Veſpaſiani Amphitheatrum. Suſcita, ſi lubet, labantem iſtius fœminæ hiſtoriam, ſed, quæ ſuperius attuli omnia impedimenta amovenda ſunt. Blondellus noſter contendit etiam ex ratione temporum exacte inita non poſſe iſtam Papiſſam locum ſuum tueri. Vale. Lutetiæ Pariſior. XXI. Octob. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXLI.

CL. SARRAVIUS

Frederico Gronovio.

Daventriam.

TAnti non erat iſtud *πιττάκιον* Obſervationum Petiti, ut de eo iterumque iterumque, etiam ex intervallo, eſſes ſollicitus: adeoque diligenter minutiſſima quæque perſcriberes. Uti nec opus erat invocare ſuperos, ut fidem tuam apud me ſtabilires, cujus ſanctitatem, verum dico, nunquam fuit animus in dubium revocare. Sunt iſta nihili & quæſo fuerint: credaſque pervelim, me ex æquo animi tui abſolutam generoſitatem, & conſummatiſſimam eruditionem magni æſtimare. Quod ſpectat Fabricium noſtrum, quis ei invideat tam proſpera blandientis fortunæ initia? quanquam omnes iſtos honores & proceſſus melius imputemus ejus digniſſimis meritis, quam cæcæ illi Deæ. Ita ſcilicet *πάσαις κορυδαλίσι κατὰ Σιμωνίδην χρὴ λόφον ἐγγενέσθαι*. Cæterum gratulor tibi

bi

bi de Livio tuo tandem ad optatum finem perducto. Eum jam aliquot dies verſo, cum ſumma ſimul voluptate & fructu. Præcipuus tibi quamquam non ſolus ſcopus in textu emaculando: quod, ſi quid video, ita magnifice præſtitiſti, ut jam Livium legamus. Livium inquam, non autem inficetorum correctorum hariolationes: adeo penitiſſime omnem ejus, quæcumque illa ſit, Patavinitatem imbibiſti, & exhibuiſti. Quis enim iſtius Hiſtoriæ Romanæ parentis plenius unquam cognovit & penetravit ſenſus? quis ſagacius phraſin odoratus eſt & indagavit? quis repertam felicius expreſſit? Æterno beneficio devinxiſti omnes prorſus literatos, qui auctorem iſtum terent, cum nominis tui nunquam intermoritura gloria. Sed ego tibi plurimum debeo privatim, quod volueris nomen meum in nobiliſſimo opere legi. Fecit aliorum eruditio, ut in eo locum haberent: me vero ab officio leviculo, magna nimis mercede penſato, commendare voluiſti. Aliquando adeſt mihi Nicolaus Heinſius vir eruditus, cujus virtus multas habet ἴυγγας quæ me ad ſe trahant. Fiet tamen ita crede, quæcunque poterit acceſſio a tua commendatione. Sed nihil omnino prohibet, quin eum impenſius colam & utraque anſa, quod nolebas, accipiam. Eadem enim tecum pro eo rogat ὁ πάνυ Salmaſius, cui noſti quam ſim obnoxius. Nihil eſt communius illo: adeo civiliter etiam odia exercet, ut juris titulum *Ne Filius pro Patre* apprime calleat. Ejus eſt itaque experiri quid poſſim: omnia enim ejus cauſſa, omniumque qui te amico apud me ſe jactabunt, volo & cupio. Vale. Lutetiæ Pariſior. XXV. Octobris. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CXLII.

CL. SARRAVIUS

Ludovico Balſacio.

Balſacum.

CUm primum allatus ad me eſt tuus ille elegantiarum venerumque plenus libellus, Balzaci Clariſſime, incredibile vero dictu eſt, quam varii in animo repente mihi motus extiterint. Quod enim me tanto honore auctum volueras, id ſane, uti debuit, gaudio mihi fuit perquam maximo. Quod autem tibi homo plane ignotus eſſem, non potui non ſummopere mirari, id mihi honoris a te tributum fuiſſe. Verum id quod res eſt ſuſpicione videor attigiſſe. Videlicet in ſermone, quem, ut fit, variis de rebus cum urbaniſſimo Morino habueris, de me quoque inciderit mentio; & quia mihi cum illo affinitas eſt, voluntatumque ſumma conjunctio, ita de me fortaſſe fuerit locutus Ampliſſimus Senator, ut neceſſitudini plus dederit, quam rerum veritati; malueritque de nobis amice ſentire, quam ut tenuitas noſtra poſtulabat. Id ni ita eſt, Vir clariſſime, mihi haud dubie patrocinata fuerit notitia Claudii Salmaſii Principis literarum, quem & amas & miraris ex æquo. Is autem cum me in interiorem amicorum cohortem jamdudum neſcio qua virtutis fortaſſe ſignificatione impulſus admiſerit, facere noluiſti ut me, quem is plurimum amat, negligeres. Utut ſit, Balzaci Politiſſime, munus iſtud tuum

mihi perpetuum μνημόσυνον erit vel amicitiæ, quam mecum inſtitutam voluiſti: vel certe amoris, quo Salmaſium, atque adeo omnes, quos ille ſuos fecit, complecteris. Cæterum quod tibi nihil munditiarum illarum venuſtatumque, quas jam pridem tuo quodam jure proprias feciſti, hæc Epiſtola rependat pro donis iſtis tam lepidis, apud te non excuſamus;

Nam non hæc mihi vis; nec tibi talium
Res eſt aut animus deliciarum egens;

Sed aliud multo præſtabilius pollicemur, magiſque in agenda vita expetendum, fidem ſcilicet & ſincerum colendæ amicitiæ ſtudium: cui nullo unquam in loco deerimus; ſed contra quovis officiorum genere, quæ quidem a tenuitate noſtra proficiſci queant, in dies magis magiſque cumulabimus. Vale. Lutetiæ Pariſior. v. Calend. Novemb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXLIII.

A MONSIEUR SARRAU,

Conſeiller du Roy, en ſa cour de Parlement.

MONSIEUR,

VOſtre modeſtie m'eſt injurieuſe, & en vous humiliant vous me mal-traittez. C'eſt en effet me traitter un peu trop de Provincial, que de chercher avec tant de raiſonnement & tant de curioſité, les cauſes de noſtre nouvelle connoiſſance. Quoy que je ſois du village, je ne ſuis pas ſi mal informé, que je neſçache quelque choſe de temps en temps, & que je n'aye quelque communication avec le Monde. Pour le moins je puis eſtre inſtruit par la Renommée. Elle vole quelquefois juſques a nous. Elle apporte juſqu'icy les noms des Braves, des Sages & des Sçavans, que le Monde eſtime. Vous eſtes, Monſieur, un de ces Illuſtres, que je connois, ſur le rapport de la voix publique, & par un teſmoignage qui ne flatte point. Et quand Monſieur de Morin ne vous ſeroit rien, & que vous ne ſeriez pas le grand confident du grand Monſieur de Saumaiſe, vous avez des parties eſſentiellement voſtres, par leſquelles vous meritez bien d'eſtre regardé. Voſtre vertu toute pure, & toute ſeparée de l'autruy, ſera touſiours un tres-digne objet de ma paſſion & de mes reſpects. Vous ſeul me pouvez fournir dequoy louër plus d'un Senateur, & faire plus d'un Eloge: Et vous trouvez encore eſtrange que je face cas de vous? Eſtre Preſtre de la ſevere Themis, & ne laiſſer pas de ſacrifier aux Graces, qui ſont des Deeſſes moins auſteres: Recevoir d'egales benedictions du Peuple Catholique & de la Nation Huguenotte: N'eſtre pas moins Grec, ny moins Romain, que François: Et pouvoir opiner dans l'Areopage & parmy les Peres Conſcripts, avec la meſme facilité qu'en la Chambre de l'Edict: Tout cela, Monſieur, eſt-ce peu de choſe dans la barbarie des derniers Siecles? Ne ſont ce pas des qualitez, qui m'ont deu obliger à rechercher voſtre amitié, & a vous faire un petit preſent, pour m'introduire dans la poſſeſſion d'un tres-grand bien? Il n'eſt pas neceſſaire que je vous parle de

mon

mon preſent en termes deſavantagieux. Je ne veux point en vous détrompant, me priver du fruit que je recueille de voſtre erreur. Je vous diray ſeulement, ſur le ſujet de l'amitié que j'ay recherchée, qu'elle eſt il y a long-temps un de mes ſouhaits, & que je ne ſeray point poſſeſſeur injuſte, ſi pour cela il ſuffit d'eſtre, comme je ſuis de toute mon ame, Le v. *Novembre.* CIↃ IↃC XLV.

MONSIEUR, Voſtre, &c.

Balzac.

EPISTOLA CXLIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NOn diſſimulavi, quin immo diſertis verbis apud te profeſſus ſum me ex Amyraldi penu deprompſiſſe ea, quæ de G.U. nuper ſcribebam. Quid ergo fraudis me inſimulas, quaſi ſub alienis armis latens te in apertum campum elicere voluerim? Sed jam tibi mecum tantum res erit. Ille enim Salmurium rediit, & audebo ſine ullis auxiliis pedem conferre. Concedis comparationem a me inſtitutam, inter DEUM, quo gratiam ſuam omnibus, etiam reprobis, offert, & ſolem, qui omnibus itidem, etiam nolentibus aperire oculos, radios ſuos immittit, aliquo modo procedere, ut illa gratia, ſicut & hæc radiorum effuſio, dicatur univerſalis. At inquis, ſi Sol aliorum oculos illuſtraret, aliorum vero occæcaret, an dici poſſet eum Solem lucere omnibus, aut lucem ſuam velle univerſis datam, cum multis eam negaret? Facilis eſt reſponſio. An ergo DEUS ullum occæcat, ut poſſit tua comparatio paria facere, cum illo ſole, quem ſtatuis ex hypotheſi, multos viſu privare? Nemo hoc dixerit. Qui pereunt, ſuo fato, vel potius ſuo facto, pereunt. *Perditio tua ex te, Iſrael.* Nec abſolutum Reprobationis decretum ullo modo cogit impios, quin liberrime in exitium ſuum ruant. Ergo procedit omnino a me allata comparatio, nec, ut ajunt in ſcholis, inſtantia a te allata quicquam turbat. Sed hæc omitto, quæ magnificentius aliquando magiſtri artis enarrabunt. Apparatus tuus viſus eſt brevior, quam pro chartarum mole exiſtimaſſem: adeo delectatus ſum ejus lectione. Senſim ſine ſenſu me ad finem deveniſſe vidi & dolui. Magiſque doluiſſem, niſi alia ſuperfuiſſent, ex quibus non minorem voluptatem expectabam. Opus integrum tandem devoravi. Meam laudem non expetis, quam me nimis libenter, nimiſque facile impendere ſæpius exprobraſti. Sed mori meo, vel ſi vis amori, indulgere libet, tantum ut dicam, te nobiliſſimum argumentum magna cum eruditione, ſolertia & generoſitate eſſe exequutum. Si pergas iſtis machinis Urbem concutere, brevi RUET ALTO A CULMINE ROMA. Non potui parcius, quam uno hemiſtichio, laudem tuam abſolvere. Omnem movet lapidem Petavius, ut aliquod exemplar nanciſcatur. Illi omnia diſplicebunt & plurima arrodet. Auſimne ego iſtius Veneris carpere ſandalium? Non

placet quod ea in Apparatu culpes, quæ in ipſo opere laudas. De Ignatianis Epiſtolis intelligo, quas in Apparatu, qui prior legitur, merito τῆς νοθείας revincis, & tamen earum auctoritate poſtea ſæpiuſcule uteris, quaſi eſſent legitimæ, nec titulus auctorem mentiretur. Saltem de iſta tua ſententiæ mutatione aliquid ſignificaſſes. In Apparatu optime dicis Cypriani locum legi debere negativa inducta, quam tamen poſtea videre eſt in ipſo opere. Quia ex intervallo & vicibus repetitis opus iſtud reſumpſiſti, hinc iſta tecum diſcordia. Sed hæc levia ſunt & deſino moleſtus eſſe. Vale. Lutetiæ Pariſiorum. IV. Novembris CIↃ IↃC XLV. Dudum juſſiſti, ut, ſi quæ apud me adhuc eſſent exemplaria polemicorum noviſſimorum tuorum, unum ex unoquoque ad Graverium mitterem Divionem: quod facere non potui. Unicum enim quod ſuperrat donavi doctiſſimo viro tuique ſtudioſiſſimo Jo. Priceo, ut eum placarem aliquo modo conquerentem, quod in Miſcellis Defenſionibus contemptim a te eſſet habitus. Sed ille tuus popularis uno Primatu donabitur.

EPISTOLA CXLV.

ECCELLENTISSIMA SIGNORA,

PEr ſodiſſare a quel tanto ch'io devo a V. S. Ecc. ardiſco di ſalutarla con queſte poche righe per aſſicurarla, ch'io mi ricordarò ſempre mai del obligo ch'io tengo di riverire e ſervire V. S. E. Non haurei tanto badato di darle teſtimonianza di queſta mia gratitudine: ſenza che il Sre. della Rocca m'havea promeſſo di non ſcrivere a V. S. E. ſenza darmene auviſo. Di modo che fidandomi nella ſua parola, ho laſciato traſcorrere aſſai tempo ſenza darle conto di fatti miej. Adeſſo vedendo che V. S. E. gradiſce l'importunità di voler leggere qualche volte alcuna delle mie lettere, non mancarò di darle parrecchie volte quel faſtidio: ſi chio temo che V. S. E. mi commandara di ritornare alla prima mia taciturnità. Hora dirolle ſolamente che di poi la ſua dipartita ho fatto un acquiſto miſerevole d'una patrona d'importanza. Ella ſi chiama la Signora PODAGRA, la quale deſcendendo fin a piedi miei mi tiene fedeliſſima compagnia. Per la prima volta albergò in caſa mia intorno a quattro meſi, con tanta crudelità, che non mi diede fra tanto tempo licenza d'uſcire ſolamente una volta della camera. Adeſſo ne ſono ne qualche modo libero ſe non ch'io ſono zoppicante. Ne cavo tuttavia queſta utilità che caminando io vado con maggior gravità ch'innanzi ſentendo l'ardor mio attemperato. Con tutto cio La moglie non laſcia di trovarſi pregna: e dicono li medici che lo ſteſſo humore che fa la gotta fa ancora figlivoli. V. S. E. mi perdonera di queſto mio cianciare, e per non darle maggior noia finiro bacciandole humiliſſimamente le mani: e con licenza ſua ancora all' E. Sr. Ambaſciatore: eſſendo d'ambe due le Eccelenze loro

Humiliſſimo e devotiſſimo, &c.

EPI-

E P I S T O L A CXLVI.

CL. S A R R A V I U S

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DE Papiſſa, mirarer te eam deperire, hac ipſa tempeſtate, qua Papam infeſtis ſignis proſequeris, niſi ſcirem ab uno fonte diverſum iſtum affectum provenire. At noli credere me omnia argumenta exhauſiſſe, quibus evincerem eam nunquam fuiſſe. Hoc enim tantum volui & ſtatim profeſſus ſum, Anaſtaſium non eſſe auctorem iſtius narrationis, quæ in codice Regio habetur. Certe quod lacera ſint hoc ipſo loco exemplaria, quæ in multis bibliothecis extant, malum factum. Non enim dubitare licet, quin idem plane ſcriptum fuerit in illis, quod in regio. Amplius dicam, certum eſſe id non caſu proceſſiſſe, ſed dolo malo eſſe patratum ab auctoritatis Pontificiæ patronis quidem, ſed hiſtoriæ & verarum Papalium defenſionum, ita credo, ignariſſimis. Sed ſit ita, Anaſtaſium auctorem eſſe illius hiſtoriolæ quam ad te miſi, quicquid obnitaris, nihil ille affirmat. Quicunque enim hæc verba ſuæ narrationi inſerit, *ut aſſeritur*, *ut fertur*, dubitanter loquitur, nec vult ſibi credi ὅλ αὐτὸς ἔφα; quin alia innuit quærenda eſſe teſtimonia, quibus rei exiſtentia certò ſtatuatur. At non fuit forſan Anaſtaſius Romæ quando illa peperit? Non fuerit. An hiſtorici ea tantum certa fide litteris mandant, quibus interfuerunt? Profecto id ſi facerent, ſæpius mancas & mutilas, præſtantiſſimis ſuis partibus, hiſtorias haberemus: vel plures ſemper conjungendi eſſent hiſtorici, ut quo alius careret, ab alio ſumeremus. Sed nunquid potuit certior fieri de eventu nobiliſſimo ex relatione civium Romanorum, ut neceſſe non eſſet narrationis ſuæ veritatem iſtis ruinoſis tibicinibus fulcire? Quod ſcribis te meas litteras in tuis κειμηλίοις reponere, id tuo erga me amori debeo. Non ſunt enim tanti, ut ſervari mereantur. Vale. Lut. Pariſior. XI. Novemb. CIↃ IↃC XLV.

E P I S T O L A CXLVII.

CL. S A R R A V I U S

Henrico Valeſio.

Lutetiam.

PLurimum debere me tibi agnoſco, & libentiſſime profiteor, ſuaviſſime Valeſi, pro illa tua epiſtola, quam mihi reddidit amiciſſimus & doctiſſimus Menagius noſter. Scilicet præclaram & cuivis non obviam ſuper Origenis difficillimo loco obſervationem non contentus indicaſſe, eam etiam novis teſtimoniis firmare & illuſtrare voluiſti. Atqui tanti certe fuit apud me auctoritas tua, ut vel ſolitaria ſeſe ſtatim mihi probaverit. Non ingrata fuit tamen illa tua ſollicitudo, qua, ex aliorum præſtantiſſimorum magiſtrorum ſcitis, eximiam & quantivis pretii emendationem voluiſti in aperta luce collocare. Pauci ſane, omnino pauci, ita veteres legunt & in eos requirunt, ut ſenſus adeo reconditos

ex illis eruant. O beatas illas horas, quas nudiuſtertius tecum & cum tam natura, quam ſublimi doctrina vere germano tuo Hadriano, præſentibus quoquo Menagio & Heinſio juniore, tranſigere mihi contigit. Has quoties mente revolvo, ſumma votorum meorum eſt, ut *Proveniant multi ſic mihi ſæpe dies*. Non poſſum autem non laudare alteram tuam in Philoſtrato correctionem, qua de Apſine loquens, optat ut ille, qui tunc erat, diu etiam ſupereſſet ἐςί τε καὶ εἴη. Sed non ſolis Græcis familiaris eſt hic loquendi modus: nam aliæ quoque gentes ut bona quibus fruuntur æterna ſibi perennent, precantur. Ovid. lib. I. Triſt. Eleg. 10. *Eſt mihi, ſitque precor, flava tutela Minerva Navis, &c.* Plautus Aulularia III. 6. *Immo eſt, & Dii faciant uti ſiet diu.* Perge, Vir magne, literis interioribus te involvere; & magna apud omnes gloria æternum erit Valeſii nomen. Vale Lut. Par. XIII. Novemb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXLVIII.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Candalio.

Fontinalia.

NIhil dudum gratius & inopinatius accidit mihi, quam accipere a te litteras, Ciceronis lingua & ſtylo ſcriptas. Te enim, quem ante ſatis multos annos abjeciſſe omnem iſtius ſtudii curam exiſtimaveram, adeo pure, adeoque eleganter, poſſe familiariter & civiliter iſto ſermone garrire, dignum eſt non mediocri laude. Certe diu deliberavi an auderem eadem lingua tibi reſpondere. Deterrebar quippe orationis tuæ nitore, verborum proprietate & ſententiarum gravitate. Auſus ſum tamen, humanitate tua non vulgari fretus, qua benigne mecum agere aſſuetus, comibus oculis me aſpicies. Ego quoque narrabo tibi quomodo mihi perierit omne rerum prolatarum tempus. Statim me invaſit acerrima podagra, quæ plures dies me lecto decumbere juſſit. Volens nolens morem geſſi. Quid enim feciſſem? Imperioſa eſt illa Domina, nec ei impune non paretur. Tandem melior me DEUS reſpexit & iſto tormento liberatus, liberius per urbem, cui fruſtra omnia veſtra rura cum dulcibus ſuis pomis, caſtaneiſque ſi vis mollibus & preſſi lactis copia opponeres, ſum divagatus. Adfuit interea privatim mihi, ſæpiuſcule, incomparabilis Amyraldus, cujus ab ore μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Bis publice de cathedra, cum ſummo ſacri cœtus plauſu, eum dicentem audivimus, abſtruſos ſacræ ſcripturæ cum erueret ſenſus. Eo ad ſuos reverſo, iſtius abſentiæ dolorem leniit, non ingrata lectio libri, quem, diutius expectatum, tandem a Salmaſio meo accepi. Argumentum ſi quæris, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ caput & fundum eſſe ſi dixero, verum dixero. Scilicet de Primatu ſummi Romanenſium Hierophantæ, quem Vir Magnus in ordinem cogit, docetque fruſtra hominem illum peccati ſuperbius cornua ſua attollere, quæ ſatis ſtrictim ei accidit. Has inter delicias pudet referre Polonorum Legatorum ingreſſum pompaticum, qui, novitate & magnificentia ſuarum veſtium totiuſque regii apparatus, non inſuave fuere ſpectaculum. Sereniſſimam Reginam in Sarmaticum regnum ſuum abiturientem ſalu-

ſalutavit Ordo noſter Ampliſſimus, totus purpuratus: ego quoque, iſto habitu debita exhibui officia libentiſſime. Sed eheu! quod præcipuum fuit mihi gaudium, nec in hunc locum rejici oportebat, pæne omiſi. Paulo poſt diſceſſum veſtrum huc migravit dilectiſſimus avunculus noſter Launæus vir præſtantiſſimus, quicum ſerios juvat habere ſermones, quibus miſeræ hujus vitæ ærumnæ detergentur. Jam in forenſe piſtrinum me dedo; & poſt binos, quos Edictali auditorio annos impendi, καθάρσεως ἕνεκα ut ajunt, criminibus puniendis Cameræ Quintæ reſtituendus. Præterita, præſentia, & futura Calchantis in modum pleniſſime tibi enarravi. Supereſt ut me tibi, optimiſque parentibus noſtris, ac formoſis quæ vobis adſunt puellis, cum animi devoti obſequio commendem. Quod facio intime. Vale. Lutetiæ Pariſ. XIV. Novemb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CXLIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

CRedas pervelim nihil habere commune Gratiam Univerſalem cum amicitia noſtra. De illa diſputent incomparabiles Theologi: de hac quæſo inter nos bene conveniat. Ut enim hæc ab illa pendeat, quicquid dixeris, nunquam fuit mens mea. Factam iſtic rerum mutationem, quæ etiam conſiliorum tuorum ordinem turbaverit, divinare non potui. At debuiſſe me, dices, ſtudioſius iſta de re inquirere prius, quam te damnarem. Quid ſi credidi promiſſorum tuorum fidem nullo caſu variabilem, an te ulla injuria affeci? Verbum, quod tibi adeo diſplicuit, non ſine præfatione uſurpavi: nec præterea ſemper habet ſignificationem adeo immanem & crudelem, ut ſtatim de ſumma & horribili aliqua acerbitate cogitandum ſit. Nimiam, ut videbatur, auſteritatem animumque rigidiorem deſignare tantum volui. Si verbo minus proprio me explicui; credo non eſſe id crimen majoris abollæ, propter quod aut tu adeo graviter mihi ſuccenſere debueris, aut me ignavius tibi ſupplicare oporteat. Cæterum ſedulo dabo operam ne aliquid hujuſmodi contingat: neque enim gratiam univerſalem, vel iſtas tuas præfationes unquam attingam; idque ſancte polliceor & præſtabo religioſe. Si in iſtis παῤῥησίαν meam comprimam, poteris in aliis me ferre, ita arbitror, a te diſſentientem: ſicuti ego quoque non exigam, ut mihi in quibuſlibet conſentias. His conditionibus exiſtimo diu poſſe ſtare amicitiam noſtram. Si alias addere vis, ἑνὶ λόγῳ, nec repugnabo. Unum addo; potuiſſe te credere nihil mea intereſſe, an ulli inſcriberes opus tuum, nec ne: unde, quicquid dixiſſem, amori meo erga te tuoſque fuiſſet adſcribendum. Triginta exemplaria repræſentavit Elzevirius, quæ diſtributa ſunt amicis tuis, juxta adjunctum hiſce literis indiculum. Aliquot ſuperſunt, ut vides, de quibus fiet uti decreveris. Indica quæſo Luciani locum, in quo tres negativæ habentur. De libris B. R. iſtuc deferendis, non recedo a priori mea ſententia, quæ omnino tutiſſima. Tibi gratificari libenter volent, ſed neſcio

an ullo conſcio. Si tamen exiſtimes poſſe id a me impetrari, veliſque me experiri quantum apud eos poſſim, nihil recuſabo, & poſt tuas, quas expecto, proximas literas, ſtatim cognoſcam quid inde ſperandum ſit. Uxoris tuæ profectio differtur propter morbum filiolæ, non ſine periculo ex febre ægrotantis. Sarracenus nihil deſperat. Illa tamen, quæ tot ſibi eripi vidit, & hanc jam pro conclamata habet. Deus meliora Tibi tuiſque omnibus. Vale Lutetiæ Pariſior. XXVII. Novemb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CL.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Ego vero, quanquam æger & decumbens, non dubitavi an reſcriberem; quin hanc neceſſitatem vidi mihi a te impoſitam noviſſimis tuis. Nihil ſane unquam inopinatius accidit mihi, quam videre te ita paratum ad amicitiam noſtram, quam trabalibus & adamantinis clavis compactam arbitrabar, diſſolvendam. Scilicet, non placet tibi libertas, qua ſoleo tecum de rebus ſcriptiſve tuis agere. Monitus cautius agam impoſterum. Nonnullas tuas voces durius ſum interpretatus, quam id fieri debere, ex tua mente, credidiſti. Atqui idem quoque tibi nuper in meis acciderat. Hanc itaque veniam poſſumus viciſſim dare & petere. Poſſum ferre acrius increpantem: ſi non fero & malo ulciſci, modo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, nihil eſt propter quod durus, dirus & non amplius amicus credar. Ego autem, Jucundiſſime Salmaſi, amicitiam tuam inter præcipua mea putare ſoleo: quibus poſſum officiis, cultu & obſervantia, æternam mihi efficere conor. Si hactenus imprudentius te laceſſivi, credo facile tibi eſſe, ut erga hoſtes eſſe immitiorem, ita erga amicum eſſe paulo humaniorem. At ſi fontes iræ tuæ repetas, eam videbis ab amore ſummo erga te meo defluxiſſe. Arbitratus ſum debuiſſe te Primatum tuum viris de te bene meritis inſcribere. Quid mea intereſt, niſi ut illi quoque ſint erga te bene affecti. Præponere te volui Viro Magno. Non hæc mea eſt, ſed tua magna gloria. Quod ergo crimen meum? Salmaſium amo impenſius & contra omnes eruditi ſæculi viros magnos. Hoc profecto crimen ſit apud Loyolitas. Si idcirco apud te excidere gratia mereor, veniam non deprecor, & pœnam quamlibet ſtatuas acerbam alacri animo ſubibo, modo elogium addideris. Incomptam meam παῤῥησίαν facile coercebo. Poſſum enim ego quoque gratioſe loqui, & ea quæ mihi minus placent diſſimulare & ſilentio involvere. At hoc poſtremum ſi facerem, vitio carere me non arbitrarer. Faciam tamen ſi juſſeris, & quocunque libuerit modo, amabo ego te vel volentem vel nolentem. Nec amicus noſter publicus eſt librorum cenſor: nec ego tales delegandi poteſtatem habeo: nec ſemper cenſuræ iſtæ vitia arguunt ſcriptionis, quæ examinanda proponitur; quin ſæpius laudes & honorifica teſtimonia continent, ut videbis in adjunctis Cenſoris a me deſignati litteris. Sed deſinamus

mus litteras queſtibus implere. Immo quidni aliquando dulce queramur? Amicorum, ut amantium, iræ, amoris redintegratio eſt. Vale. Lutetiæ Pariſior. Calend. Decemb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CLI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

BEne eſt mihi quod conſilium de libris. B. R. iſtuc aſportandis prorſus deponas: vix enim id perficere potuiſſem. Reſpondit enim Puteanus junior ſe de ea re cum fratre deliberaſſe, qui negat id eſſe ſuæ auctoritatis ut ejuſmodi theſauros ſuæ creditos fidei extra regnum & trans mare deferendos cuiquam tradat: nec hoc eſſe cuſtodis munus. Sed fieri tamen poſſe volente Bibliothecario, qui jam eſt Ampliſſimus Bignonius, ad quem preces noſtræ allegandæ eſſent. Ita olim in eadem cauſſa uſurpatum Caſauboni, qui conſentiente Præſide Thuano, tum temporis Bibliothecario, ad Scaligerum miſit Theophanem Lugdunum Batavorum. Ut autem Bignonius, qui natura ſua licet benignus, tamen eſt ſubtimidior, unquam ſiviſſet hæc κειμήλια Gallia quacunque de cauſa exire, vix eſt ut obtineri potuiſſet. Certum tamen erat, eum machinis non inanibus aggredi, niſi vetuiſſes id amplius cogitare. Hoc itaque ſaxum volvere jam deſinam. Succedet forſan alias felicius, ubi præſertim deſævierit illa tempeſtas, quam adverſus Primatum tuum excitare ſatagit conventus, qui hic jam habetur, Cleri Gallicani. Actum de Regno, actum de Sacerdotio clamitant Præſules, ſi impune liceat Epiſcopalem ordinem iſtis verbis proſcribere; non argumentis, non libris contrariis, ſed ferro & flamma tantam væſaniam eſſe compeſcendam. Has querelas ad Reginam, ad Eminentiſſimum Cardinalem detulere, qui amplius deliberandum eſſe reſponderunt. Mazarinus tamen dicit eo ſeverius tantum crimen eſſe vindicandum, quod jam Galliæ minus bene conveniat cum Romano Hierarcha. Itaque de tuo capite habentur comitia, & verendum eſt ne miſellus Apparatus (ipſum enim Tractatum parum urgent) infoelix victima cædatur iratis Vaticani incolis. Non deſunt tamen, ſed clancularii, ſufflaminatores iſtarum querelarum. Quid ad nos, inquiunt, quid homo hæreticus in terra hæretica credat ſcribatve de ſanctiſſimæ noſtræ Hierarchiæ myſteriis? Adverſariis ſcriptis ejus rationes confutabimus, & ſuam Anarchiam ei exprobrabimus. Si enim invocato, ut ajunt, brachio ſæculari damnetur hæc ſcriptio hominis peregrini, eadem ratione in libros noſtros exteri communionis heterodoxæ Principes ſævient, nec hujuſmodi ſuppliciorum ullus erit finis: ſaltem nullus fructus, niſi ut animi hinc inde immitius exacerbentur. Satius itaque eſſe hæc inſuper habere, & juxta Apoſtolum judicium ſummo, judici permittere. τί γὰρ μοὶ καὶ τὺς ἔξω κρίνειν; ὀυχὶ τὺς ἔσω κρίνετε ὑμεῖς, τὺς δὲ ἔξω ὁ θεὸς κρινεῖ. Quid ſtatuturi ſunt videbimus. Antequam quicquam de migratione tranſmarina decernas, auſim te ſuppliciter rogare ut ſedulo

relegere velis epiſtolas ſummi & optimi viri Iſaaci Caſauboni, qui cum Regi docto familiarem & amicum ſe jactaret & gloriaretur, tamen iſtorum γηστωτῶν non poterat vir modeſtiſſimus faſtum & contemptum ferre, certe tulit quandiu vixit impatientiſſime. Liberorum militantium aliqui, nec forſan adeo remoti proceſſus uxorem placaverint. Dum uberem aliquam tuæ ſementis meſſem ſperare debes, omnia deſerere neſcio an amice quiſquam tibi conſulat. Sed ne iterum me nimiæ curioſitatis vel etiam inſcitiæ damnes, quicquid decreveris feceriſve, rite recteque decretum factumve arbitrabor. Illud quanquam de quo rogas uno verbo explico, non placent mihi iſtorum mores, qui cum omnibus placere ſtudeant, in has & illas partes tranſeunt animo nimium aulico & verſatili. Majorem in amicitia conſtantiam & prudentiam requiro. Hodie Nicolaus Heinſius reddidit mihi ſatis humanam a patre epiſtolam. Filius utendos accepit me parario e Bibliotheca Petaviana aliquot manuſcriptos Ovidianos Codices, quod ſummam humanitatem interpretatur. Non reſcribam niſi copiam feceris. Nec enim ego minime ἀμφιδέξιος amo ita cuilibet me præbare. Dubito an exemplar quod ſupereſt tradi debeat B. alias enim ejus collega And. T. non erit omittendus. Si iſtis dentur, quidem & aliis multis itidem amicis & prudentibus? Non faciam, niſi præciſius juſſeris. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. VIII. Decemb. CIϽ IϽC XLV. Noli amplius laborare de ultimo exemplari, quod habere ſibi voluit Milleterius vetus tuus & fidus ſemper, ita ait, amicus, nec volui prohibere. Dicit ſe fortem tibi navaſſe operam apud aliquos Epiſcopos, ut mitius de libro tuo cenſerent.

EPISTOLA CLII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

UT dixit mihi Menagius queſtum eſſe Ampliſſimum Talæum, quod non donatus eſſet tuo Primatu, de quo multus eſſet quotidie & ubique ſermo, judicavi e re eſſe tua virum potentiſſimum & amiciſſimum demereri: cum præſertim diceret non defuiſſe, qui eum rogaſſent ut ad Senatum de libro tuo referret, ut lege agere liceret tanquam adverſus ſeditioſum & obtrectatorem Papalis & Epiſcopalis dignitatis; quod omnino facere recuſaviſſet. Itaque ad eum unum exemplar miſi, ſed cum præfatione diſtuliſſe te hactenus illud officium, quia ſciebas argumentum quod in eo tractaretur, uti nec ſtyli tui libertatem non poſſe Pontificiorum ſacris addictis, qualis ille eſt, placere. Alterum itidem ex veteri tua ſententia ad ejus Collegam Bignonium deſtinavi. Utrumque ocyus inviſam, ut illis amicis, ſi opus ſit, utamur: nec enim illis inconſultis quicquam ſævius adverſus librum tuum ſtatuetur: quanquam fallor aut omnis iſte calor deferbuit. Triginta prioribus exemplaribus, antea, uti ſcripſi, diviſis, alia ſex ab Elzevirio ſumpſi, quorum quatuor apud me ſuperſunt, quæ ſervabo, ut ſi caſus ferat, in alios iſtiuſmodi viros, vel pro tuo imperio diſtribuam-

buantur. Neſciebam Gothofredum Genevenſem adeo inciviliter tecum vivere, ut ſuis libris te - - - - - - Albo meo expungetur, nec deinceps inter familiares tuos nomen ejus legetur. Curabo ut binæ diſſertatiunculæ, mihi & Juſtello noſtro inſcriptæ, ad te, commodam nactus occaſionem, mittantur. Eas olim ad me miſit ἄγροικος ille ſine ullo epiſtolio; Gratias egi, ne quidem reſcripſit: atqui debebat beneficium ſuum aliqua humanitate condire. Vel eum pœnituit, ita credo, me publice compellaſſe, vel exiſtimavit nihil a me fieri poſſe, quod iſtam gratiam ſuam æquaret. Hi ſunt hominis mores. Ejus Commentarium de Virginibus velandis, non vidi: Manuſcripto meo de jure ſummarum poteſtatum circa ſacra utere pro tuo arbitratu, ſive in eo iſtic excudendo, ſive ad me remittendo. Ut hic typis committatur verendum non eſt. Sed an etiam edentur notulæ Blondelli noſtri? Saltem publicentur ſine auctoris nomine, qui in iſto Muſtaceo laureolam non captat. Ipſum librum quod ſpectat, vix credo Grotium aliquod majus operæ pretium feciſſe, & quod ſolertiam & eruditionem ejus magis prodat. Eum olim concinnavit in Batavia dum iſtic publico munere fungeretur, hoc eſt antequam pravas imbiberet opiniones, quibus poſtea turpiter ſe inquinavit. Gaudeo te idem argumentum tractandum ſuſcepiſſe. Hæc etiam clava digna eſt te Hercule, cui cum pygmæis certare nec honeſtum eſt nec glorioſum. Fallor tamen, aut pro iſta tua lucubratione nullas aget gratias Facultas Theologica. Solent quippe iſti verbi divini miniſtri amplius ſibi arrogare, quam Magiſtratus eos ita perverſe ſentientes & ſtatuentes ferre poſſit. Ni grave eſt ſcribe quæſo, an ἰυςυχῶς conjecerim. Interim bene vale. Lutetiæ Pariſior. xv. Decemb. CIƆ IƆC XLV.

EPISTOLA CLIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SEdebam in balneo, acutiſſimis cruciatibus quatriduanæ nephritidis ſolatium quærens, cum penultimas tuas accepi. Nullis remediis illa abſceſſit, niſi poſt alios quatuor dies. Totum itaque fere octiduum miſerabiliter tranſegi: & jam aliquantula ſucceſſit reni dextro quies. In eo enim hæret lethalis calculus grandior, qui ſine majori dolore, maximoque periculo avelli non poteſt. Ita cenſent Medicorum filii, præſtantes cordati viri. Qualis deinceps futura ſit vitæ meæ conditio, plane incertum eſt, cum pendeat ex motu & quiete iſtius lapidis, qui mihi comes adeſt indivulſus. Millies interea optavi finire hos vitæ acerbiſſimæ labores: quod non placuit Deo Opt. Max. qui me vult ita affectum adhuc durare. Vivo itaque, mi Salmaſi, ſed eo animo ut de proximo diſceſſu cogitem ſemper, eumque non metuam, ſed optem. Fiat voluntas Domini, cui parere me æquum eſt. Hæc cauſa fuit omnino ſontica ſilentii mei; vereorque ne ſæpius recurrat. Nec enim alias gratiſſimum ad te ſcribendi officium omiſiſſem. Nolim autem ut propter id, quod ego nuper ad

relegere velis epiſtolas ſummi & optimi viri Iſaaci Caſauboni, qui cum Regi docto familiarem & amicum ſe jactaret & gloriaretur, tamen iſtorum γηστωτῶν non poterat vir modeſtiſſimus faſtum & contemptum ferre, certe tulit quandiu vixit impatientiſſime. Liberorum militantium aliqui, nec forſan adeo remoti proceſſus uxorem placaverint. Dum uberem aliquam tuæ ſementis meſſem ſperare debes, omnia deſerere neſcio an amice quiſquam tibi conſulat. Sed ne iterum me nimiæ curioſitatis vel etiam inſcitiæ damnes, quicquid decreveris feceriſve, rite recteque decretum factumve arbitrabor. Illud quanquam de quo rogas uno verbo explico, non placent mihi iſtorum mores, qui cum omnibus placere ſtudeant, in has & illas partes tranſeunt animo nimium aulico & verſatili. Majorem in amicitia conſtantiam & prudentiam requiro. Hodie Nicolaus Heinſius reddidit mihi ſatis humanam a patre epiſtolam. Filius utendos accepit me parario e Bibliotheca Petaviana aliquot manuſcriptos Ovidianos Codices, quod ſummam humanitatem interpretatur. Non reſcribam niſi copiam feceris. Nec enim ego minime ἀμφιδέξιος amo ita cuilibet me præbare. Dubito an exemplar quod ſupereſt tradi debeat B. alias enim ejus collega And. T. non erit omittendus. Si iſtis dentur, quidem & aliis multis itidem amicis & prudentibus? Non faciam, niſi præciſius juſſeris. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. VIII. Decemb. CIƆ IƆC XLV. Noli amplius laborare de ultimo exemplari, quod habere ſibi voluit Milleterius vetus tuus & fidus ſemper, ita ait, amicus, nec volui prohibere. Dicit ſe fortem tibi navaſſe operam apud aliquos Epiſcopos, ut mitius de libro tuo cenſerent.

EPISTOLA CLII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

UT dixit mihi Menagius queſtum eſſe Ampliſſimum Talæum, quod non donatus eſſet tuo Primatu, de quo multus eſſet quotidie & ubique ſermo, judicavi e re eſſe tua virum potentiſſimum & amiciſſimum demereri: cum præſertim diceret non defuiſſe, qui eum rogaſſent ut ad Senatum de libro tuo referret, ut lege agere liceret tanquam adverſus ſeditioſum & obtrectatorem Papalis & Epiſcopalis dignitatis; quod omnino facere recuſaviſſet. Itaque ad eum unum exemplar miſi, ſed cum præfatione diſtuliſſe te hactenus illud officium, quia ſciebas argumentum quod in eo tractaretur, uti nec ſtyli tui libertatem non poſſe Pontificiorum ſacris addictis, qualis ille eſt, placere. Alterum itidem ex veteri tua ſententia ad ejus Collegam Bignonium deſtinavi. Utrumque ocyus inviſam, ut illis amicis, ſi opus ſit, utamur: nec enim illis inconſultis quicquam ſævius adverſus librum tuum ſtatuetur: quanquam fallor aut omnis iſte calor deferbuit. Triginta prioribus exemplaribus, antea, uti ſcripſi, diviſis, alia ſex ab Elzevirio ſumpſi, quorum quatuor apud me ſuperſunt, quæ ſervabo, ut ſi caſus ferat, in alios iſtiuſmodi viros, vel pro tuo imperio diſtribuam-

buantur. Neſciebam Gothofredum Genevenſem adeo inciviliter tecum vivere, ut ſuis libris te - - - - - - Albo meo expungetur, nec deinceps inter familiares tuos nomen ejus legetur. Curabo ut binæ diſſertatiunculæ, mihi & Juſtello noſtro inſcriptæ, ad te, commodam nactus occaſionem, mittantur. Eas olim ad me miſit ἄγροικος ille ſine ullo epiſtolio; Gratias egi, ne quidem reſcripſit: atqui debebat beneficium ſuum aliqua humanitate condire. Vel eum pœnituit, ita credo, me publice compellaſſe, vel exiſtimavit nihil a me fieri poſſe, quod iſtam gratiam ſuam æquaret. Hi ſunt hominis mores. Ejus Commentarium de Virginibus velandis, non vidi: Manuſcripto meo de jure ſummarum poteſtatum circa ſacra utere pro tuo arbitratu, ſive in eo iſtic excudendo, ſive ad me remittendo. Ut hic typis committatur verendum non eſt. Sed an etiam edentur notulæ Blondelli noſtri? Saltem publicentur ſine auctoris nomine, qui in iſto Muſtaceo laureolam non captat. Ipſum librum quod ſpectat, vix credo Grotium aliquod majus operæ pretium feciſſe, & quod ſolertiam & eruditionem ejus magis prodat. Eum olim concinnavit in Batavia dum iſtic publico munere fungeretur, hoc eſt antequam pravas imbiberet opiniones, quibus poſtea turpiter ſe inquinavit. Gaudeo te idem argumentum tractandum ſuſcepiſſe. Hæc etiam clava digna eſt te Hercule, cui cum pygmæis certare nec honeſtum eſt nec glorioſum. Fallor tamen, aut pro iſta tua lucubratione nullas aget gratias Facultas Theologica. Solent quippe iſti verbi divini miniſtri amplius ſibi arrogare, quam Magiſtratus eos ita perverſe ſentientes & ſtatuentes ferre poſſit. Ni grave eſt ſcribe quæſo, an εὐστοχῶς conjecerim. Interim bene vale. Lutetiæ Pariſior. xv. Decemb. CIↃ IↃC XLV.

EPISTOLA CLIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SEdebam in balneo, acutiſſimis cruciatibus quatriduanæ nephritidis ſolatium quærens, cum penultimas tuas accepi. Nullis remediis illa abſceſſit, niſi poſt alios quatuor dies. Totum itaque fere octiduum miſerabiliter tranſegi: & jam aliquantula ſucceſſit reni dextro quies. In eo enim hæret lethalis calculus grandior, qui ſine majori dolore, maximoque periculo avelli non poteſt. Ita cenſent Medicorum filii, præſtantes cordati viri. Qualis deinceps futura ſit vitæ meæ conditio, plane incertum eſt, cum pendeat ex motu & quiete iſtius lapidis, qui mihi comes adeſt indivulſus. Millies interea optavi finire hos vitæ acerbiſſimæ labores: quod non placuit Deo Opt. Max. qui me vult ita affectum adhuc durare. Vivo itaque, mi Salmaſi, ſed eo animo ut de proximo diſceſſu cogitem ſemper, eumque non metuam, ſed optem. Fiat voluntas Domini, cui parere me æquum eſt. Hæc cauſa fuit omnino ſontica ſilentii mei; vereorque ne ſæpius recurrat. Nec enim alias gratiſſimum ad te ſcribendi officium omiſiſſem. Nolim autem ut propter id, quod ego nuper ad

te, de amico [illegible] & verſatili, deſinas cum eo literas reciprocare. Hoc enim agit ille potius varietatis ſtudio, dum omnibus innoteſcere & placere ſatagit, quam alio malo animo. Tuam merito audiit Pariſienſis buccina quæ omnia libere ſatis ſuſque deque occinat. Nihil dudum ſcripſiſti de Militia tua, quove pede agmen tuum procedat. Dicunt nonnulli te, ea in hibernis relicta, altero Dialogo ſtrinxiſſe Demaſio, & adhuc detricare aliquot [illegible] Juriſconſultos Germanos; Gallis deinde ſequuturis Sengeberio, Fabroto & Merillio, quem etiam audivi Spartam ornandam ſuſcepiſſe. Omnibus iſtis conficiendis hoſtibus non anni decem, non mille carinæ, nedum una tua ſufficiat clava, aliis quotidie ſuccreſcentibus capitibus. Certe plurimum tibi perire temporis, in iſtis minutiis, neceſſe eſt, dum majora & neceſſaria opera pendent interrupta. Liber noviſſimus Grotii adverſus Rivetum mihi tandem viſus eſt. Nemo poſſit diffiteri quin ſit legitimus Legati Suedici fœtus, quem genus ſcriptionis & dicendi character produnt apertiſſime. Sed iſto libello vix poterit reſponderi, niſi grandi volumine, adeo multa in unum faſcem compoſuit. Si ejus diſſertationem de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra edere cogitas, nolim ſcire Illuſtres Fratres meum ad te fuiſſe miſſum apographum: ſaltem ſciant me neſciente iſtam fieri publicationem, nihilque de me, mœrore meo quiſquam dicat. Certe illis deberetur omnis iſta laus, cum ad eorum ſen meum deſcriptum ſit. Curabo unum Primatus tui exemplar ad Fulgentium Venetum, & paratum habeo amicum qui poſt aliquot dies eo properat. Non amplius Salmaſianam ſed Spanhemianam copiam omnes mirabuntur, cum velit vir doctiſſimus, nobile, at haud adeo prolixum argumentum tribus tomis enarrare. Judicabunt eruditi, ego iſtas controverſias pœne jam faſtidio. Vale & ama. Lutetiæ Pariſ. 5. Janu. anni CIↃ IↃC XLVI. quem tibi tuiſque omnibus opto fœliciſſimum.

EPISTOLA CLIV.

CL. SARRAVIUS

Danieli Heinſio.

Lugdunum Batavorum.

MInus proſpera valetudo qua uſus ſum aliquot abhinc ſeptimanis, Vir Eruditiſſime ac Præſtantiſſime, facile apud te excuſationem merebitur, ſi humaniſſimis literis tuis ſerius videor reſpondere. Jam autem quia aliquantulum a graviſſimo morbo reſpirare licet, gratias ago gratiſſimas pro illa tua, mellitiſſima comitate condita, epiſtola; qua non ingrata tibi fuiſſe minutula officia teſtatus es, quæ filio tuo exhibui. Atqui debui ego illa omnia, immo & majora præſtare ejus eruditioni non protritæ, modeſtiæque ſingulari; addo & Heinſiano nomini; quod dudum in magna & præclara gloria famaque a te conſtitutum, in hoc virtutum tuarum digniſſimo hærede, majus adhuc effloreſcet æternumque vigebit. Et habet ille ἑλκυστικόν τι quo ſibi bonos omnes conciliat & devincit. Quid poſſim tantis dotibus denegare? nihil certe velim: cum præſertim acceſſerit (verum dicam Vir Magne, nec fallere meum eſt)

eſt) non quæſita, nec fucata, amicorum meorum uti & eruditorum ſummi, Nobiliſſimi Salmaſii, in ejus gratiam commendatio, cui aliquid recuſare nec debeo nec ſoleo. Utatur itaque & fruatur me toto, quem ei dedo libentiſſime. Utere fruere tu quoque, Vir Maxime, quem ſemper experieris tui ſtudioſiſſimum, cultoremque obſervantiſſimum. Lutetiæ Pariſiorum VI. Jan. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

BReves licet & Gallicæ poſtremæ tuæ, non tamen non gratiſſimæ fuere. Quidni, cum merum erga me, tum afflictiſſimum, amorem calidiſſimum ſpirarent? Ita ſoleo ego quoque, Mi Salmaſi, tuis ſive bonis ſive malis non leviter affici. O utinam poſſent animi mei penetralia tibi denudari! In illis certe, & nominis tui gloriam, & ob amorem quo me proſequeris, non levem lætitiam altiſſimis difixam radicibus, videres. Si quæris quam belle jam habeam. Reſpondent Medici, me in ſtatu neutro; ſpemque metumque inter dubium, extrema, non vitæ, ſed doloris incommoda quotidie, immo ſingulis horis vel etiam momentis, non temere formidantem. Cæterum in bonitate Domini confido, qui nihil de me ſtatuet, quod ſervulo ſuo non expediat. Miror litteras quas ad Reverendum Spanhemium Euchariſticas ſcripſeram, ſerius quam oportuit, ad eum perveniſſe. Eas enim ſtatim poſt librum acceptum ad Heylmannum Medicum miſeram, qui receperat ſe eas ſine ulla mora curaturum. Ingratus præterea eſſem, niſi ejus humanitati & benevolentiæ multum me debere agnoſcerem, vel profiteri refugerem. Cum enim vir bonus Ludovicus Cappellus, in ſua dedicatione, ſatis familiari titulo & ſermone me ornaſſet & compellaſſet, ita utrumque reformavit (quod me attentare pudor neſcio an modeſtia prohibuerat) ut ſine dignitatis meæ detrimento, jam nomen meum ibi legatur. Quia autem in illis, quas a me habuit, ſerotinis litteris, hæc, quæ jam ſcribo, neſcio quomodo notare omiſi, ſciat ex te quæſo, hoc ſuum beneficium neque in inſcium, neque in immemorem eſſe collocatum. Tum virum magnum non amare non poſſum, qui te ſerio amat. Ei ni grave eſt a me plurimam ſalutem. Tibi quoque, Vir ſumme, omnino parem. Scio nobiliſſimam uxorem tuam diu in Morinis hæſiſſe, an in Zelandiam tranſierit, neſcio. Omnia ei, tibique, fauſta precor. Vale & me, ut facis, amare perge. Lutetiæ Pariſior. XIX. Janu. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

VIs ergo me exerte dicere, quid ſententiam de poſtremo Grotii libro, & an omnia mihi in eo probentur. Rem rogas non magnam, nec adeo diffi-

difficilem, quamque expedire promptum eſt. Tantum abeſt ut omnia probem, ut vix aliquid in eo reperiam, cui ſine conditione calculum apponam meum. Veriſſime dixit ille, qui primus dixit, Grotium Papizare. Vix tamen in iſto ſcripto aliquid legi quod mirarer, quodve ἀπροσδόκητον occurreret. Nunquid enim omnes iſtiuſmodi ejuſdem auctoris lucubrationes erga Papiſtarum errores perpetuam συγκατάβασιν & κρύψιν, erga Jeſuitas amorem, erga nos plus quam Vatinianum odium produnt & clamant? In VOTO quod ejus nomen præferebat, an veritus eſt hæc πεφασμένως profiteri? Itaque, neſcio quare iſtic, ubi nihil non licet, puduit Typographum nomen ſuum apponere. Quod enim de Oldenbarneveldii ſupplicio, ab ejus hoſte ſpectato, narrat, non magnifacio; cum Principem, licet intellexerit, non nominaverit. De Auguſtino quod dixit, omnibus Remonſtrantibus debet eſſe familiare. Certe id hac in Urbe Jeſuitæ, contra Janſſenium perorantes, quotidie pro ſuggeſtu prædicant. *Non eſt*, inquiunt, *hic Pater regula fidei. Ut ſe expediret ab argumentis hæreticorum ſui temporis, multa liberius & inconſideratius dixit, quibus non tenemur.* Habes ſententiam meam ſatis liquido, ita puto, pronunciatam. Et habet Rivetus noſter ampliſſimum ſtadium in quo decurrat: quod dum faciet, quia non poteſt pluribus occupari, nec æquum eſt ut prioribus omiſſis ad poſteriora reſpondeat: mittat interim ad te tum Amyraldi noſtri primam expoſtulationem, tum ad Rivetianum ἀντέγκλημα, ἀνταμοιβήν; & habebis quod igni aſſidens quinque ſexve horas legas, quove non inſuaviter afficiaris. Quanquam verum ut fatear, mihi ſane non placent inter Reverendos Viros hujuſmodi parum amicæ concertationes. Cæterum non habet quod de te queratur uxor tua, quæ ſuis conſiliis parere ſolita, in ſuo hinc diſceſſu ſolemne ſuum ſervavit. Dedit ad me Caleto literas vigeſima ſecunda hujus menſis ſcriptas, quibus rogabat ut aliquantulam pecuniam, quam apud Juſtellum depoſuerat, reciperem & ad ſe mitterem. Nihil dum recepi, miſi tamen ducentas quas volebat libras. De te videbatur ſollicita, cum dudum nullas a te habuiſſet. Heri reſcripſi & valere te nunciavi. Prudenter facis, qui Juriſconſultos iſtos contumaces deſpicere velis, ſine eos in agmen cogi, tum ſimul & ſemel opprime univerſos. Sed an iſta quoque ages cum Theologis Ultrajectinis? Immo jam id actum eſſe audio. In poſterum de movendis caſtris deliberabitur, & Militia tua optatiſſima adveniet. Tempeſtatis rigor hic plane deſæviit: unde non vana ſpes eſt, quicquid hariolentur veſtri Aſtrologi, tecum cis paucos dies futuram nobiliſſimam tuam uxorem. Queritur Menagius ſe nullas dudum a te accepiſſe; mihique hanc tarditatem imputat, ſine cujus nutu, ita jocatur vir urbanus, nulli harum regionum audeas reſcribere. Vale. Lutetiæ Pariſ. 11. Febr. CIↃ IↃC XLVI.

EPI-

EPISTOLA CLVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

UTinam lapide, qui me, vel dolore vel metu, perpetuo cruciat, juxta vota tua, ſtatim liberer. Sed vix ulla ſpes eſt, poſſe id mihi tam cito accidere. Conveniunt Medici me renis dextri craſſiore calculo laborare: quod acutiſſimus in iſta parte ſenſus, & inſolita gravitas, cum aliquoties urgente cruris dextri ſtupore evincunt, nec ſinunt dubitare. Urinam ſanguinolentam ante quinque ſexve menſes, quoties curru veherer, emittebam: ſed de nullius mali acerbitate tum querebar; ſine ullo quippe incommodo cruenta fluebat. Jam vero ex quo me premit acrius diriſſima nephritis, urina plane naturalis eſt coloris, niſi quod de die tenuior eſt & parum tincta. Morbo itaque meo minus cum tuo convenit. Curavi Epiſtolam tuam cum uno exemplari Primatus tui ad Gratianopolitani Senatus Principem Bercherium: habet hic nempe fratrem, libellorum ſupplicum uti vocant Magiſtrum, cui utrumque ut redderetur effeci. En tibi a Bocharto noſtro literas. Libri tui noviſſimi lectione multum ſe profeciſſe ad me ſcribit, non ſine non vulgari lætitia, quod ſacra jam ornare conſtituas. Ejus Geographia ſacra ex Typographeio Cadomenſi non prodibit ante ſex menſes: volumen quippe erit mole ampliſſimum. Hic non ſolum Milleterius, ſed etiam Codurcus, alter itidem apoſtata, aliquid adverſus te parat pro Papæ defenſione. Sed nec hujus nec illius opus dudum erit paratum. Hodie ſub noctem Joannes Elzevirius per diſpoſitos equos Caletum, cum veſtro tabellario, profecturus eſt. Nactus hic ab amico exemplar Epiſtolarum Huberti Langueti, id ei commiſi, ut paternis typis, quod ſe facturum recepit, edatur. Quia autem vereor, ut iſtic promiſſi meminerit, rogo te velis ei aurem vellere, & ejus ſi forte ceperit oblivionem excitare; remque feceris mihi gratiſſimam. Placet mihi iſtius tui popularis ſcribendi ratio pura, terſa & facilis, nec tamen elegantiæ floſculis, ubi res poſtulat, deſtituta. De nobiliſſima uxore tua, nihil hac ſeptimana intellexi. Deum precor ut te illamque brevi jungat, diuque ſervet incolumes. Quia non ſuccurrit, quod ſcribam, de duobus te interrogabo. Primum non erit forſan abs re, cum tonſuram & comam ſpectet. In Capitularib. Caroli M. I. 112. verba hæc leguntur, *De ſervis propriis vel ancillis, ut non amplius tondeantur vel velentur, niſi ſecundum menſuram, & ut ibi ſatisfiat, & villæ non ſint deſolatæ.* Hæc tria ſubobſcura ſunt. Quænam enim eſt iſta menſura tonſuræ & veli ſervilis? quæ iſta ſatisfactio? quæ villarum deſolatio? Secundum habetur in ſequentibus duobus capitulis, in quibus quæro, qui dicantur *pulſantes*, & quid ſit *pulſari ſecundum regulam*. Deſino plura ſcribere. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. x. Febr. CIↃ IↃC XLVI.

Heri, quod male omittebam; Majoris Senatus noſtri Cameræ, uti vocant,

Blammenilio Poterio in ſecundum locum rejecto, Thuanus Primæ Inquiſitionum Cameræ primus Præſes renunciatus eſt. Particellius tertium, quem tantum ambiebat, locum non difficulter obtinuit; & in tertia ſecundus ſedet. Poſt ſcriptam hanc epiſtolam accipio ab eruditiſſimo Pricæo faſciculum, in quo bina exemplaria habentur ſpeciminis Notarum ſuarum in N. T. unum tibi, alterum Voſſio. Eum inter ſuas librarias ſarcinas compingendum Elsevirio tradidi. Interea habes hic ab eodem Pricæo literas, ſui erga te cultus & obſervantiæ non vulgaris indices Hunc autem virum tum doctrina, tum forti in adverſis animo commendabilem, immo & ſuſpiciendum amare quæſo velis. Iterum valeas.

EPISTOLA CLVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SI vales bene eſt. Sola enim obſtat adverſa tua valetudo, ne ſolidum & ab omni parte ſincerum ſit gaudium meum, poſt acceptas noviſſimas litteras tuas. Præſtabitur ergo deinceps dudum promiſſus, dudumque negatus honos: magno & certiſſimo argumento, quantum iſtic magni fias, quamque æmuli tui depreſſi jaceant. Ego certe Batavos jam amo, cum videam illos, licet ſero, cognoſcere quantum theſaurum in te poſſideant. Te quod attinet, fallor, aut longe carius eſt tibi poſtremum hoc gloriæ, quam nuperum pecuniæ incrementum Quid ſupereſt, nisi ut omnibus iſtis ἀλεο-εντιμαι ditiſſime, quod voveo & ſpero, cum DEO, fruaris. Ut conciliatio inſtituatur Matthæi cum Luca, volunt verbum ἀπήγξατο tantum ſignificare, *præ doloris vehementia, quaſi eliſis faucibus angebatur*, quod Gallice dicimus *crever de dépit ou de rage*. Ut nempe Matthæus furoris duntaxat initium, Lucas vero ſupplicium, quod de ſe ὁ κατήγορος poſtea ſumpſit, deſcripſerit. Joannes de Launoy Doctor Sorbonicus Diſſertationem edidit *De Vera cauſa ſeceſſus Brunonis in Eremum*, qua evincit meram eſſe fabulam, narrationem de redivivo canonico Pariſienſi, qui ter e feretro ſublimis clamaverit, ſe juſto DEI Judicio accuſatum, judicatum & damnatum fuiſſe. Scilicet vir ſolers, qui Pariſienſibus Dionyſium Areopagitam Galliarum Apoſtolum pſeudonymum, & Provincialibus Magdalenam Maſſilienſem eripuit, etiam Cartuſianorum fictitiam originem voluit denotare. Sunt tamen iſta omnia ſuperſtitionis inſignia monumenta, ſed quæ in tanta litterarum luce diutius latere & fraudem facere non poterant. Ita olim Bullialdus noſter auſus quoque eſt adverſus Benignum veſtratem aliquid commentari, ſed ea de re ſibi meditata edere veritus eſt. Ut aliquid præterea ſcribam. Accipe inſignitam forſan temeritatem meam de loco Pauli in epiſtola I. ad Cor. XVI. 10. Ἐὰν δὲ ἔλθῃ ὁ Τιμόθεος, βλέπετε ἵνα ἀφόβως γένηται πρὸς ὑμᾶς. Non poſſum me expedire ab iſto ἀφόβως, quod alii *ſine timore* vel *metu*, quod idem eſt; alii *ſecure*, exponunt. Quorſum enim aliquid

quid formidabat Timotheus a Corinthiis? An tum cruciabantur Corinthi a gentibus miniſtri Euangelii? Aliud ergo quæro, quod mihi ſatisfaciat. Certe niſi vetaret ſacroſanctus exemplarium omnium conſenſus, auderem pro ἀφόβως minima mutatione legere ἀφειδῶς: ut ſenſus eſſet: *Providete, ſi Timotheus ad vos venerit, ut liberaliter excipiatur.* Id eſt, *Solicite curate, ut ſit liberaliter apud vos. Ejus difficultatibus ita providete, ut nihil ei deſit. Nihil a vobis habui, gratis docui* 2. Cor. xi. 7. 8. 9. *Eum vero volo laute haberi.* Gloſſæ H. ST. *ἀφειδῶς ſine parſimonia.* Deſino plura ſcribere, ubi te rogavero, ut inſpicere velis Plinii caput v. Lib. xxviii. cujus initium mendoſum videtur. Quid ſi legamus. *Servit totius corporis valetudini invariata victus obſervatio.* Vale. Lutet. Parif. Calend. Mart. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio:

Lugdunum Batavorum.

NOn ſine mœrore, eoque ſummo, integram tuam Epiſtolam legere potui. De te enim merito extrema formidem, ubi cogito quem tuum ſtatum mihi deſcribas. Rem ergo feceris gratiſſimam, niſi melius jam valeas; ſi morbi tui ſingula ſymptomata accurate deſcripſeris, cum medicis noſtris communicanda: & curabo ſedulo ut eorum ſententiam, cum de cauſa, tum de remediis, reſciſcas. Interea noli quæſo, ita tui omnem curam abjicere, ut morbus, qui jam non difficulter curari poſſet, tractu temporis inſanabilis evadat. Cogita quid tibi & tuis, literiſque, immo & DEO ipſi, debeas; qui te tot eximiis dotibus, ad gloriam ſuam, cumulavit, ut eas ſibi impenderes. Nec æquum eſt, præclara tua conſilia ita interrumpi, ὃ μὴ γένοιτο σὺν θεῷ ποτ' ἔγωγε quin potius, ex animo dico, *De noſtris annis augeant illi tuos.* Dudum tanta mora Spanhemianorum tomorum Salmurienſis adverſarius, ita audio, cruciatur. Non quod citius abſolvi potuerint, ſed quia olim promiſſi etiamnum deſiderantur. Sed penſabit ille Anterotematum mole & numero Antagoniſtarum impatientiam. Mirabile quippe eſt poſtquam tot libris enarrata eſt, quæ haud adeo ampla videbatur materia, adhuc promere centum intactas quæſtiones, quæ totidem argumenta nova contineant. Hoc plane fundere eſt ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. De loco Capitularium Caroli M. expectabo facile tempus tibi commodum, uti etiam de emendatione textus Epicteti, quod poſtremum noli quæſo dememiniſſe. Interea nulla alia quæſtione tibi moleſtus ero; proponam tantum tibi novam, &, ut opinor, veram expoſitionem loci cujuſdam novi fœderis, nec veterum, nec recentiorum ulli, quod ſciam, memoratam. Joh. xv. 20. hæc verba habentur, Εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν. Εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσιν. Omnes, poſtrema hæc verba ita interpretantur. Si *cuſtodiverunt* ſermonem meum, vel mandata mea, etiam veſtrum *cuſtodient*, ei *obtemperabunt.* Atqui non ea eſt hic notio verbi τηρεῖν, quod hic ſumi de-

bet, non pro *ſervare*, & *cuſtodire* ſimpliciter, ſed pro *obſervare* & veluti *inſidiari*. Quaſi diceret Chriſtus, *quia* (*ſi* enim hic pro *quia*) *mea verba obſervaverunt malo animo, ut anſam calumniæ ex illis arriperent, etiam veſtra, ut vobis itidem noceant, obſervabunt.* Quod porro Dominum noſtrum expertum eſſe teſtatur Lucas XX. 20. καὶ παρατηρήσαντες (Johannes dixiſſet τηρήσαντες) ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους, ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι, ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου, εἰς τὸ παραδοῦναι αὐτὸν, &c. Qui locus ſuperiorem omnino illuſtrat. Nec inſolita eſt iſtius verbi τηρεῖν pro *obſervare* notio apud Gentium ſcriptores. Unum exemplum in ſacris jam ſuccurrit Eccleſiaſtæ XI. 4. τηρῶν ἄνεμον οὐ σπερεῖ, καὶ βλέπων ἐν ταῖς νεφέλαις οὐ θερίσει. Qui verteret, *ſervans* vel *cuſtodiens* ventum, &c. nullum ſanum ſenſum eliceret. Dicendum ergo, ut recte vulgus interpretum, qui *obſervas* ventum (ſcrupuloſius ſcilicet) non feret. Vale. Lutet. Pariſior. Idibus Martiis. CIↃ IↃC XLVI. Sæpius in libris tuis laudatur Mœris Atticiſta, an uſquam editus eſt? an eum tantum habes ex MS. codice Bibliothecæ Regiæ? Auctor enim mihi videtur optimæ frugis, adeo ut eum auſim integrum mihi deſcribere, niſi auctoritas me tua revocet. Mone incertum quid agat & firma labantem. Iterum Vale.

EPISTOLA CLX.

CL. SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lugdunum Batavorum.

TAm gratum mihi fuit, quam minime expectatum, quod de jam veluti plane recuparata valetudine tua, diligenter ad me perſcripſiſti. Eam enim ita affectam audieram, ut nihil non timerem potius, quam tuam ſubitam ἀνάβιωσιν ſperarem. Audiit ergo DEUS opt. max. bonorum vota, iiſque annuit benignus: pro quo ſummo beneficio gratias ei ex animo agimus immortales. Sed auſim te rogare iterumque iterumque, ut omnino exuas aliquando belligerandi animum adverſus iſtos tenebriones, qui de mutuo aliiſve minutiis te perpetuo adoriuntur. In Dialogis trium aut quatuor ὀκταδίων aliquando vapulent. Una Præfatio ΦΟΙΝΙΚΙΔΙΟΝ deplumavit. Ad hoc exemplum ſi alii habeantur; non vana ſpes eſt omnes iſtas funeſtas aviculas ſimili ratione elinguandas. Poſſunt illi, poteſt fere quilibet, hujuſmodi ſcriptiunculis ſufficere: at ſatis ſatiſque ita illos retudiſti, ut, etſi nihil inpoſterum reponas, non poſſint ſilentium tuum ſuam gloriam arbitrari. Quin potius, alia quæ potes infinita, te digna, ſcribe: quibus cum neutiquam pares ſint æmuli tui, tum eximiam vindictam de iis ſumpſeris, cum de bonis literis optime meritus fueris. Excute ſcrinia tua, & aliquid ede τὸ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι ἄξιον. Vel Militia Romana: vel Arnobianæ Notæ; vel Concilium Eliberinum: vel Notæ In N. Fœdus, deſiderata omnia procedant. Quæſo ignoſcas, ſi ſæpius incudem iſtam tundo. Sed hæc duo ſimul ſemelque rogavi omnium bonorum datorem (ſcit ille, qui nihil non ſcit, me non mentiri) unum, ut te orbi diu,

etiam de meis annis, ſuperſtitem incolumemque ſervaret; alterum, ut quam larga manu dedit tibi eruditionem, Eccleſiæ ſuæ & Filii ſui gloriæ in explicatione Novi fœderis, omiſſis leviuſculis & profanis tractationibus, addiceret. Haſce legitimas preces meas, ita demum credam audiviſſe omnipotentem & bonum DEUM, ſi tibi id præſtare ſuaſerit, quod ego ipſum rogavi. Immò vero uni tibi neganti potius credo, quam millenis βυρσοδεψίδαις, vel cum juramento affirmantibus. Ita ſenſi, ita ad te ſcripſi, nihilque in me reperies quod hiſce opponas. Ut autem ſcias me ex animo, & aperte quid ſentiam, jam apud te profiteri, miſit ad me Rivetus quædam excerpta ex Simplicii Verini epiſtola ſane non inelegantia, quæ tamen credere non poſſum a te unquam manaſſe, cum genium tuum non referant. Utinam vero quod ſincere cogito & dico, poſſem aliis itidem perſuadere, ut puta Grotii viduæ, quæ multas iſtinc accepit literas ab affinibus ſuis, quibus magis credit, quam mihi contra nitenti: parum abeſt, inquit, quin edam viginti quatuor, quas habeo, Salmaſii ad maritum meum literas, ut videat orbis quantum ei vivo detulerit, qui jam defunctum crudeliſſime lacerat. At ὁ μακαρίτης conjux meus eum ſemper coluit; quin etiam ſæpiſſime in libris ſuis honorifice compellavit. Et, ut audio, etiam nuper in noviſſimo opere eum una linea cum Scaligero laudavit, & magnos viros nuncupavit. Sed hæ ſunt iratæ mulieris inanes querimoniæ. Vera tamen ſunt, quæ de te a marito ſuo laudato dicit, & habentur tomo 2. Annot in N. T. p. 611. Tu vero ſubiratus quoque poſtremum ad me ſcripſiſti: &, quod doleo, videor ego tibi moleſtiam iſtam creaſſe, cum in Gallicis de iræ Cleri noſtri adverſus te redintegratione monui. Sed noſti hominum hujus ſæculi ingenia: valent impetu, qui ſi ſemel deferbuerit, vix poſtea ad priora redeunt conſilia, de quibus ne quidem cogitant. De te Apparatuve tuo altiſſimum jam ſilentium. Ex præcipiti iracundia ea rurſum decreverant, ut quibus ad finem perducendis erant impares. Non miror ſi inde mœrorem aliquem contraxiſti, quem jam debes deponere & priſtinam ſtudiorum alacritatem cum meliori valetudine repetere. Nec remoram objiciant ullæ æmulorum vel etiam amicorum intempeſtivæ querelæ. Tibi ſcribe & poſteris, ſi hæc ætas iniquior laboribus tuis ad æternitatem natis minus favet. Quanquam ſi verum amamus, non eſt quod de ea graviter expoſtules, cum IN PRIMA ERUDITORUM CERA grandibus characteribus nomen tuum ſcripſerit. Verumtamen cum te in omni doctrina ſummum prædicet, nihil non excelſum a te expectat; doletque, cum eximia multa præſtare poſſis, te ad minora, licet per ſe laude digna, divertere. Vide ergo, ut nominis tui nobilitatem & gloriam conſtanter tuearis, nec innatam, quam in te agnoſcis generoſitatem, patere iſtis rumuſculis infringi. Noſti enim ſi placare paras invidiam virtute, ſi non relicta ſaltem ſepoſita, quid ita decementibus Poeta minetur. Quod poſſum precibus DEUM veneror, ut te diu ſervet cum tota domo, incolumem. Uxor te tuamque ſalutat. Lutetiæ Pariſior. IV. Maji. CIↃ IↃC XLVI. Cum libro meo de Bello Illyrico & epiſtola Simplicii Verini, mittas quoque velim tres R. Spanhemii Tomos de G. U. Sirmondi

prædeſtinatum cum Auvrai animadverſionibus a Blaewio Amſtelodamenſi re-cuſis, & Voſſii noſtri Ignatium. Quod ſolveris pretium, refundam cum gratiarum actione. Iterum vale & de promiſſa textus Epicteti ſanatione cum bene erit, quæſo precorque cogita.

EPISTOLA CLXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUotidie magis magiſque gaudeo, feliciter tibi proceſſiſſe, difficili in morbo, tui ipſius curationem; quod tamen ipſi etiam medici, interdictum ſibi eſſe, ex veteri communique ſcito contendunt voluntque. Tu vero qui omnia, & te quoque apprime noſti, ideoque facilem reperiſti curandi methodum, quam illi invenire fere deſperabant. Sit laus DEO uni, qui tibi iſtam compotem rectricemque bonam mentem, etiam in malis, largitus eſt: perpetuaque hæc, aliaque ſua munera, faxit. Cum hæc vota mihi ſint valde familiaria, nec minus ſincera, quod non dubito tibi eſſe certiſſimum, tua tamen Caia me tui pene interfectorem libenter nuncuparet: Tu unus e multis, inquit, mavis eum hic cito occidere, quam in patria diu vivere. Non ferrem in alia iſtam ſive animi ſive calami iniquitatem: cui jam indulgere potius juvat, quam ejus implacabile erga iſtud otium ingenium, fruſtra edomandum ſuſcipere. Advenere tandem tomi Spanhemiani, e quibus, antequam eos ad compactorem mitterem, pauca delibavi. Hoc illi præcipue ſtudium fuiſſe video, ut ad omnia ex adverſarii præſcripto accurate reſponderet. Quicquid autem contra urgeat, non ſuaderem Amyraldo eandem viam calcare. Ita enim neceſſe eſſet, omnia quæ inter eos hactenus diſputata ſunt, ſæpius ſæpiuſque recudere, & mole repetitæ prælectionis lectores obruere, ſaltem tædio ingrato & inutili afficere. Sed illi viderint. Ubi opus integrum penitus, ſi liceat, inſpexero, ſententiam meam libere, ut ſoleo, dicam. Ea tamen lege, ut tu quoque, dum hiſce meis reſpondebis, judicium tuum non omittas: Quod hactenus neglexiſſe te non poſſum ſatis mirari. Et hoc poſtremum, ſi libet, erit tibi epiſtolæ & prolixæ & eruditæ non ingratum argumentum. Credo, Arauſionenſe Principe parum valente, Fœderatarum iſtarum Provinciarum Militiam parum hoc anno proceſſuram. Idemque de tua ſuſpicari libet, quam illius fere tantum cauſa ſcribere aggreſſus es. Sed Divinæ Militiæ ſemper ſtudere oportet. Quod, dum facio quando vacat, ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ πανοπλίᾳ quam explicat Apoſtolus Epiſtolæ ad Epheſios capite VI. 13. 14. &c. plurima occurrunt armaturæ genera, quibus fateor me non poſſe indui, cum ea non ſatis intelligam. Clypeum fidei, quia quid eſſet dixit, facile capio. Sed reliſiqua; nempe στῆτε περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ Εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, Item θώρακα δικαιοσύνης & περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου, & μάχαιραν πνεύματος, quam σχέσιν habeant

cum

cum virtutibus Chriſtiani militis, paratus ſum diſcere, ſi tibi libeat me docere. De ſecundo Verini libro, cogita quæſo rationem aliquam, qua poſſit ad me citiſſime devenire. Non enim credas quam impatienter iſtiuſmodi omnia deſiderem. Si ille fortunam minus reverenter habet, quamvis Dea etiam cum conviciis aliquando bene colatur, non debet illi mirum videri, ſi ab ea itidem parum commode habeatur. Nec enim ſemper ita cæca eſt, quin aliquando erga ſe prenſantes benigna videatur. Vale Lutetiæ Pariſior. Nonis Majis. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLXII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

CUm dixi *non inelegantia* mihi viſa eſſe, ad me miſſa excerpta ex Simplicii Verini Epiſtola, ejus auctori nihil detractum volui, quaſi minus eleganter ſcripta forent, aut κτ μείωσιν eſſent verba mea intelligenda. Quin potius ea eſſe elegantiſſima ſenſi, quibuſque non leviter afficeter. Ita T. Livius *haudquaquam ſpernendum auctorem Polybium* dixit, oratione figurata, cum præcipuæ auctoritatis hiſtoricum ſignificaret. Ita Matthæus vel potius Micheas, de Bethleemo οὐδαμῶς ἐλαχίςη εἰ τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, cum vellet eam urbem magni facere & extollere, quod Chriſti prima incunabula eſſet habitura. Nec tu iſta docendus es; Et hæc tantum addidi, ut morem tibi gererem, qui me verborum meorum interpretationem rogaviſti. Abſit enim ut ſummi, quiſquis ille ſit, viri meritiſſimas laudes, frigida & vituperationi proxima laudatione voluerim elevare. Cum autem poſtea dixi ea genium tuum non referre, ſic arbitrabar, pauca ea, quæ tum mihi tantum viſa erant, fragmenta, ſcripta eſſe operoſius, quam pro tuo more, qui omnem fere ornatum negligere ſoleas. Jam vero ubi totum opus luſtrare & delibare contigit beneficio amici, qui mihi ad paucas horas ejus uſuram fecit, liberius dico & prædico Simplicium Verinum virum eſſe, cujus pectus multijugi eruditione fœtum, poſſit imo & debeat inter apprime doctos hujus ætatis viros, inter generoſos & multiplici lectione admirandos, merito ſuo cenſeri. Vis ejus laudes uno verbo abſolvam, SALMASIO SEDERE POTEST PROXIMUS, NULLO INTERVALLO. Scire te oportet Germani hominis fœtum in οἰνοπωλίῳ conceptum & editum fuiſſe: inde enim poterit in Dialogo alicujus feſtivi loci captari occaſio. Quæ pro Heinſio adducit circa Ariſtotelis locum, iteratam diſcuſſionem tuam requirere videntur; nam in reliquis, quæ ipſam controverſiam ſpectant, ὡς αἶγες λαλεῖ, ὡς αὐτὸν τὸν αἶγα δέρων, In quo deſino. Vale. Tibi tuæque a me meaque plurimam ſalutem. Lutetiæ Pariſior. Idibus Majis. CIↃ IↃC XLVI.

EPI-

EPISTOLA CLXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NOn tantum proterve & inſolenter facit Amſtelodamenſis, qui te laceſſit, Anonymus; ſed etiam immaniter & tota via aberrat, qui te vult gloriamque tui nominis Grotii de te laudationibus acceptam referre. Illas enim ei olim expreſſit cum veritate meritorum tuorum, mutuus amor, quas poſtea ſummæ eruditionis tuæ vel reverentia, vel metus extorſit. Certe ab eo, quo illi innotuiſti tempore, vix aliquid ſcripſit, quin tui cum præfatione honoris & luculento elogio meminerit. Nec maligne tantum laudavit velut æmulum, ſed etiam liberali manu meritam capiti tuo aptavit coronam. Num enim, qui Salmaſium *Incomparabilis doctrinæ virum* & *decus ſæculi* agnoſcit & prædicat, is liquido affirmat, ſe nihil in litteris majus invenire, quod in cœlum tollat? Tu vero quem calumniantur νεκροῦ σῶμα λέοντος ἀποτίλλειν, quaſi eum vivum auſus non fuiſſes limis intueri, oſtendiſti, Grotium parum metuendum tibi fuiſſe adverſarium. Ex quo enim a vera orbita in religionis negotio deflexit, captaſti occaſionem, toto biennio antequam fato fungeretur, eum illudendi, certe irritandi. Sic enim accipio non paucas ejus reprehenſiones, & in eum animadverſiones, quas libris tuis cum *Funeris & Commentarii de Helleniſtica*, tum etiam *Miſcellarum Defenſionum* ſatis crebras inſperſiſti, nec ſemper ejus tacito nomine, quod aliquoties expreſſim legitur notatum. Cæterum miror te Simplicii epiſtolam *malum fœtum* dicere auſum, cum ſublimis ſpiritus opuſculum eam merito credam. Quis enim validiori impetu Jeſuitas & Romanenſes aggreditur? Te uno excepto nemo. Quis fortioribus machinis Babylonis myſticæ muros ſubruit? Idem habeto reſponſum. Mihi quod ex ea legi puſillum, mirifice placuit. Ut autem omnino τοῖς ἀπίστοις fidem facias te non eſſe legitimum iſtius, licet nobiliſſimi filii, parentem, conſultum fortean foret, in proximo quodcunque a te prodibit opere iſtam ſive invidiam, ſive injuriam a te amoliri. Ita tamen ut conſtet adverſus hoſtem, qui etiam mortuus veram religionem inſectatur, omnem hominem eſſe militem. Præterea, an poſtumo libro potuit aliter reſponderi, quam poſt humatum ejus patrem? An non licet in defunctos perduellionis reos lege agere? Quod autem infamiæ pœna, quæ poſt mortem irrogatur, non ſit ſemper fruſtranea, docet Mileſiarum Virginum exemplum. Sed de his ſatis, imo plus ſatis. Vale. Lutetiæ Pariſior. Calendis Juniis. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SOmnia narrare inquiebat ille, vigilantis eſt. Tu vero non inelegans mihi enarraſti. Licet autem iſta juveni tibi κατ' ὄναρ viſa ſint, credis tamen,

ita

ita ſentio, cuilibet tuæ ætati apprime idem convenire. Certe ſi ſole in ipſo, pleno meridie jam legeres Romanum ΤΡΙΚΑΡΗΝΟΝ velle te ſibi aſſumere in conſortem ſuæ omnipotentiæ Papalis, modo properares in media Romæ ſaburra comparere; non dubito te pro tua prudentia, iſtiuſmodi inſcriptioni fidem non adhibiturum, quamvis ſine ullis Notis aut Siglis facillime legeretur. Quia merito diceres, *Me veſtigia terrent*, &c. At ſomnos tibi pavore aufero. Imo audi magnum & terribilem tibi paratum adverſarium, quique jam ſit in procinctu, ut ſeſe tibi ſiſtat, & pedem pede urgeat fervidus. Virum dudum noſti, quoque turbine haſtam torqueat non ignoras, licet ejus validiſſimos ictus aliquando eluſeris. Is eſt Jo. Artiſius, alias de Manibus Pariſienſium juris Pontificii Doctorum profeſſor decanus. Totum ſemeſtre tempus adverſariæ ſcriptioni impendit aſſiduus. Nihil habet ſcilicet Roma terribilius, quod Apparatui opponat. Nulli fortiori brachio potuit Capitolinus Jupiter fulmina ſua, quæ in te ferocientem vibraret, committere. Jocari me arbitraris vel ſerio agere. Certe jocor, vel potius indignor; adeo miſeret me Romanenſis cauſæ, quæ ad tales ſui defenſores redacta ſit. Hic ſane leviſſimæ armaturæ non tyro, ſed veteranus, parum dignus eſt, qui nobilem enſem tuum ſuo ſanguine imbuat. Itaque parce precor, parce deliro ſeni & potius feriari libeat, imo & κολοκύντας γράφειν, quam ad iſta ridicula confutanda deſcendere. Ubi Triarii ſurrexerint, tu quoque move fortiter lacertos, & *bella horrida bella gerantur*. Tu & Tua a nobis Valete. Lutetiæ Pariſ. Prid. Idus Junias. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

AD me tandem rediit Fauſtinus Simplicius, comite aſſumpto Simplicio Verino, pro quibus magnas habeo agoque gratias. Hic iterum accuratius lectus pulchrior & excellentior viſus eſt. Valde placet quod ibi de Primatu Pontificis R. diſquiritur, quem, prout ab eo uſurpatur, *Suprematum* vocare ait fore conſultius. Quid ſi eum novo, ſed vero vocabulo, a magno Paulo Veneto ſolerter excogitato, *Totatum* dicamus? Ita enim ille in ἰδιοχείροις, quas nuper verſare contigit mihi, ad Villerium Hotomannum Epiſtolis. Hæc ſane vox digna eſt, quæ ad poſteros in hac controverſia tractanda deveniat; cum mirifice immenſam ambitionem & avaritiam iſtius Ἀρχιποιμένος deſignet. Quid enim aliis relinquit, dum omnia ſibi pleniſſimo jure vindicat? Cæterum noli credere tibi illuſiſſe Ordines, cum amplius honorarium pronunciarunt. Quin potius ex more noſtro in extremum annum ejus præſtationem eſſe rejectam: hoc enim dudum heic circa hujuſmodi negotia invaluit. An enim iſtic quoque periit publica fides, quæ jam dudum heic omnem pudorem cum meretricia fronte commutavit? haud facile crediderim. Noſtris Gallis ſit hæc propria laus & gloria, vel potius, quid enim jocari juvat? pudenda infamia. Vigeant vero

iſtic pudor, ſimplicitas, modeſtia, veritas & fides, quæ, poſtremam intelligo, ut ait Tullius, *Dictorum & conventorum conſtantia ſic eſt appellata, quia fiat quod dictum eſt.* Si enim civilis hæc & humana virtus iſtinc quoque exulat, alias vel cum barbaris ipſis quære ſedes. Ab iis enim decipi & falli bonum virum nihil mirum: ubi vero exuberare debet bona fides, eam reperiundam non eſſe omnino ἐκ τῶν ἀφορήτων mihi videatur. Sed hoc avertat DEUS, quem rogo tibi tuiſque ſemper benignum. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſ. xxix. Junii. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

PAucis contentus eris ſi lubet. Haud enim belle eſt mihi ex catarrho, qui dextram vultus faciem invaſit, & triduum decumbere coegit: & vetant medici libros & calamum attingere. Mecum communicavit Bochardus conſilium veſtrum de ſe ad vos vocando. Scilicet omnia eximia vobis debentur. Sed multa votis veſtris intercedent. Utinam vero cogitare velletis de Blondello noſtro, qui hic plane ad alienum ſcribit & vivit arbitrium. Poſſet iſtic, honorariæ fungens profeſſionis munere, ſingulis annis ſingulos Annaliſtæ Tomos confodere & alia, quæ mortalium nemo queat præſtare, ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ puriſſimum intellectum. Idem ſcribo Riveto: hoc agite: nos adjutorem habebitis. Alternis ergo deinceps tu & Verinus ſcribetis, ita ſit. Bene enim ſemper erit noſtris literis, quandiu unum ex illis audiemus docentem. Pergam optare utinam uno, quod tamen abominor, fato functo, alter totum decennium ſuperſit. Sed adeo mutuo ardetis amore, plane ſimilibus animis, ut uno perdito, alterum non ſimus amplius habituri. Corporibus geminis ſpiritus unus ineſt. De libro Sp. ſi hic ſis aliter ſentias. Amyraldo noſtro haud adeo φορτικὸν erit iſtud onus, ac exiſtimas. Vir ſolers & alias copioſiſſimus omnia rogatus eſt paucis expedire, & faciet. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. v. Julii. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLXVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

PRo breviſſimo, quod parum ſanus ſcripſeram, epiſtolio, bene longas a te accepi literas & vel eo ſolo nomine gratiſſimas. Laterem lavarem ſi de Blondello iſtuc mittendo laborarem, Profeſſionis ut plenariæ munus impleret. Non enim is eſt, qui iſta ætate poſſit publice Latine loquendi provinciam incipere aut ſuſcipere: nec forſan ſi poſſit, eo quo jam fruitur otio, velit. Itaque alio quolibet, quam huc, ſpes veſtras dirigite. Nam neque etiam recte de

Bo-

Bochardo cogitabitis, quanquam non ingratum ei foret ea de re rogari. Ut poſſis tu quoque huc vocari iſtis, quæ nuper placuerant, conditionibus, vereor ut factu facile ſit; nimis adhuc recente vulnere a tuo Apparatu. Si tamen Salmaſius & Verinus ex pacto convento in poſterum de Theologicis Eccleſiaſticiſve ritibus vel dogmatibus ſilerent, & ad Militiam Romanam vel ad Botanicen, aut quidvis hujuſmodi, diverterent, exiſtimo poſt homines noſtros priora erga incomparabilem virum ſtudia repetere. At ſi unus eorum pergat de ſacrificio, ſatisfactione aut pœnitentia commentari, fruſtra diſparia jungere cogitas. Viderint ergo illi, quid velint. Nam utrumque conticeſcere omnino neceſſe eſt, ut alteruter optatis potiatur. Hinc vides mihi impendio probari propoſitum tuum mitioribus ſtudiis dandi, omiſſis cum ſuo Papa Papiſtis, imo ipſis Loyolitis. Si tantundem poſſis a Verino obtinere, omnia belle procedent. De filio tuo, tot militiæ tyrocinia fruſtra adhuc merente, mirari ſubit: magis tamen mirarer, ſi neſciret te hactenus parum curaſſe illius gratiam demereri, qui facile poteſt eum ad altiorem gradum promovere. Quanquam credam non defuiſſe tibi rationes, quibus id non feceris: tamen fieri poteſt ut iſta tua ceſſatione utantur æmuli, ut Principis erga te benignitatem retardent. Ajunt Milleterium parare Grotio neſcio quas vindicias de controverſia Eccleſiaſtica. Nihil reponas. Sed nec Simplicius, tibi ſatis amicus, ut ſincere roganti tibi hanc ſuam ſi forte injuriam largiatur. Valete ambo diutiſſime. Ego ac mea te tuamque ſalvere optamus. Lutetiæ Pariſior. XXVI. Julii. CIƆ IƆC XLVI.

EPISTOLA CLXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

EGo ut ſcribam quis ὁ τρισμέγιστος Petrus Aurelius? μέγα μ' αἰτεῖς, ὃ τοὶ δώσω. Ille enim adeo latuit, lateтve ut ſibi notiſſimus, præterea ignotus omnibus, ſit, fueritve. Nec enim formidoloſæ ſocietatis minis potuit adduci vir generoſiſſimus ſimul & prudentiſſimus, ut perſonam deponeret: nec metu dempto, promiſſis honorariis, ab hujus regni Præſulibus, ut ſeſe illorum conventui ſiſteret. Ante quinquennium Clerus Gallicanus immortalibus ejus ſcriptis hunc honorem a ſe deberi arbitratus eſt, ut publicis typis ſuo mandato & ſumptibus excuderentur. Iterum hoc ipſo anno, eodem curante, recuſa ſunt, & addidit Monchalius quod vidiſti elogium. Hæc totius rei geſtæ ſeries, quæ nihil Primatum tuum ſpectat: niſi forſan quia tibi, Aurelio & Verino idem hoſtilis exercitus, nempe Loyoliticus venit debellandus. Gaudeo te huic poſtremo Heroi Polemica omnia etiam tua demandare, nec ſane impar eſt iſti oneri. Quicquid muſſitet vel etiam clamitet Holſtenius, non is eſt qui velit poſſitve adverſus Simplicium contentionis funem ducere. Cæterum nihil eſt quod huic poſtremo heroi, qui tua tibi ſuffuratur, invideas, cum non invito ea domino con-

trectet. Patere ergo tantum virum in tua involare; nihil enim a manu ſolertis hujus artificis operi tuo decedet, ſive ad Botanica ſe accingat, ſive ad ritus Eccleſiaſticos; ſive etiam Militiam Romanam, Helenam illam tuam, velit in ordinem cogere. Si ad mitiora te conferas ſtudia, minor invidia, non minor fama gloriaque te ſequentur. Ita tamen ut e Novi Fœderis codicibus aliquid ſemper aſpergas. Hoc enim ſine condimento vix aliquid jam mihi ſapit. Etiam in poſtremis Notis arcani illius Alphabeti, quod explanandum ſuſcepiſti, ſatis multa ſacra ſunt, quæ ab Iſidoro Ambroſio Mediolanenſi tribuuntur. Comminiſcar, ſi opus fuerit, aliquid, quo minus infenſis utar Puteanis, quandoquidem factum quod eſt, infectum fieri nequit. Interim rogo, ut, quando commode & tuto poterit fieri, ad me manuſcriptus redeat. Si cum Octavio tuo, etiam cum immenſo gaudio meo. Menſe proxime præterito præfui editioni cujuſdam Italicæ ſcriptiunculæ *De Vita Sobria*, quæ Ludovicum Cornarum auctorem habet. In ea nihil omnino meum; mea tamen quia dicitur, aliquot exemplaria ad te communeſque amicos proxima occaſione adlegabo. Vale. Lutetiæ Pariſ. Pridie Calendas Auguſtas. CIↃ IↃC XLVI.

EPSITOLA CLXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DAtam fidem facile exſolvam: promiſeram nempe me ad te diligenter perſcripturum, quicquid ὁ βυρσείδης reſponderet meæ querimoniæ, de honorario promiſſo non exhibito. At ille plane ſiluit: quaſi ea de re nullum a me verbum factum eſſet. Idem ille vir bonus ad me poſtremum ſcripſit, quaſi a te accipere deberem plauſtrum convitiorum, pro excerpto, ex quadam, ita inquit, mea epiſtola ad Iſ. Voſſium, quod tibi viſum te acriter urat. Ego vero nullius erga te culpæ affinem me ſentio, & apud conſcientiæ meæ tribunal, quæ mille teſtibus potior mihi eſt, abſolvi mereor. Cum præterea ſciam me pluſquam ſenis abhinc menſibus nihil litterarum ad eruditiſſimum adoleſcentem dediſſe. Certe niſi candidum & apertum animum tuum & vere Gallicam παῤῥησίαν ſatis olim perſpexiſſem, graviter de te expoſtularem, quod apud alios me accuſares, mihi autem ipſi parceres. Jam vero malo credere ab homine verſipelle has mihi ſtructas eſſe inſidias, quam te tibi non eſſe ſimilem. Si quod tamen, quod abſit, mihi ambiguum vel etiam clarius dictum eſſet, quo in tuam offenſionem incurriſſem, paratus ſum vel obſcura explicare, vel etiam culpam agnoſcere. Quicquid ſit, quid iſtud rei ſit, fac quæſo reſciſcam. Utinam autem ea eſſet mea auctoritas, quæ te poſſet huc revocare: omnes nervos intenderem, id ut ſtatim perficeres. Non quod ab antiqua mea ſententia ullo modo recedam, ſed quia illis, apud quos degis, mutatis, tu quoque, quod minime miror, mutatus videris. Jam autem vix exiſtimem id fieri a quoquam poſſe, propter rationes quas nuper allegavi, & quæ forſan poſt aliquod tempus minimi

erunt

erunt ponderis. Interea nihil arbitror temere movendum, ſed tempus expectandum commodius. Quod addis, ut Riveto gratifices, me velle te iſtic eſſe Profeſſorem honorarium, plane non intelligo. Imo nunquam volui, & ſcio te ſemper hunc titulum rejeciſſe. Libentiſſime videbo ſecundam quam polliceris Verini Epiſtolam, uti & Grotii ad te literas, de quarum exemplis, quorum ſpem facis, maximas ago gratias. Valde tempeſtive tuæ ad Pricæum advenere. Ille enim in Angliam heri repatriavit, erga Galliam noſtram peſſime, nec immerito, animatus. Accepit humanitatis tuæ luculentum teſtimonium cum debita ſignificatione gratiarum actionis. Ego quoque non parum eo nomine tibi debeo. Vale vir ſumme & me, ut facis, amare perge. Lutetiæ Pariſior. III. Aug. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLXX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SEmper mihi gratiſſimum eſt abs te doceri. Ita hodie diſcrimen, quod intercedit inter Profeſſores honorarios & emeritos, non ſine voluptate edoctus ſum. Sed quærere libet, quare hæc tu mihi ſæpiuſcule oggeras? Iſtorum neutri te nunquam adcenſui, quod ſcio rem & nomen ſtudioſe eſſe ſemper averſatum. Quam recte Rivetus ſe Profeſſorem honorarium dici velit, quove animo id faciat, nihil ad me: & modo locum tuum non occupet, cum quantum voluerit, ambiat, mihi perinde eſt. Potui tamen Blondello Profeſſionem honorariam iſtic optare. Quia ſcilicet neutiquam recuſaſſet Profeſſoris nomen & ordinem tenere, nec invitus adſcriptus fuiſſet Theologorum collegio. Emeritus autem quia dici non poterat, qui nunquam meruiſſet, exiſtimavi honorarium non male appellari, qui Cathedram non aſcenderet. Hæc tantum mea cogitatio fuit, quæ tibi tamen improbata eſt. Nihil de te locove tuo illi tribuendo, quod meum non eſt, unquam mihi venit in mentem. Sed iſta quæſo mittamus: & ſi viderint Puteani primum folium, quod polliceris, libri Grotiani, facilius ferent manuſcripti ſui codicis jacturam. Imo ſi ſine nomine auctoris proditura eſt tua de eodem argumento diſceptatio, potes ad illos quaſi obiter ſcribere in Zelandia iſtum librum excudi, ut ſtatim miteſcant & alterius exempli recuperandi animum deponant, de me nihil ſuſpicati. Multa ſolet inchoare Mileterius, quæ ad finem non perducit; tum quia ea, quæ forſan prima ſpecie illi blandiebantur, poſtea minus arrident: tum quia nihil jam licet illi edere ſine doctorum, ut ajunt, approbatione, quibus difficulter ſe morigerum præbet. Cum enim vir ſui amantiſſimus nolit ad eorum præſcriptum ſua recantare, cogitur ea retundere, quæ promere non poteſt. Ut propius noris hominis ingenium παῤῥησιαστικὸν, audi fabellam non illepidam. Adfuit haud ita pridem concioni Cenomonenſis Epiſcopi, Marcus vocatur, in qua diſertiſſimo oratori placuit παραλληλισμὸν inſtituere inter Chriſtum & Mariam, quem ita

per integram horam proſequutus eſt, ut Matrem Filio in omnibus vel præponeret, vel certe æquaret. Hæc quantum ſuperſtitioſis probata ſunt, tantum bonis & piis diſplicuerunt. At vetus amicus tuus non timide dixit, paratum eſſe ſe, ſi hujuſmodi multas homilias audiret, eo regredi unde digreſſus eſſet. Hi ſunt hominis mores. Quanquam autem aliquo abhinc tempore quæſitis meis nihil reſpondeas, & privata tua oracula videantur defeciſſe, auſim tamen pridem conceſſa facultate uti. Quare ergo Lucæ XI. 24. uti & Matth. XII. 43. dicitur Spiritus impurus ex homine egreſſus διέρχεσθαι δι' ἀνύδρων τόπων requiem quærens? Sane enim requiei locus & ἀναψύξεως potius videtur eſſe locus ἔνυδρος quam ἄνυδρος. Novi ſenſus allegoricos, qui huic loco affinguntur, ſed Grammaticum quæro. Vale & me ama Lutetiæ Pariſior. XVII. Aug. CIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA CLXXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QU'*avez vous écrit à Monſr. Iſaac Voſſius, de Monſieur de Saumaiſe? on lui à envoié d'Amſterdam un extrait de vôtre lettre que j'ai veu, je ne penſe pas qu'il le vous diſſimule, car il en eſt picqué.* Ex ipſius Riveti autographo ſuperiora deſcripſi, quibus non leviter olim turbatus ſum, ſciebam enim & certo ſciebam me nihil ſecius de te ad eruditiſſimum adoleſcentem, aliumve quamlibet mortalem ſcripſiſſe, quo in tuam offenſionem incurrerem. Quid autem me poſt iſta expectare par erat, præter validiſſimos coriarios, qui terga mea crudeliter lacerarent? Cum autem vidiſſem te mitius mecum egiſſe, dubitavi aliquid Pelaſgæ fraudis ſubeſſe. Itaque omnem rei ſeriem apud te expoſui ut intelligerm, quid iſtud eſſet, de quo apud alios de me expoſtulares? Erraverit R. vel dolo egerit, ſolemne ſuum obtinuit, nec id magis urgere certum eſt. Patere vero me de te apud te non nihil querentem, nempe quod animum tuum inducere potueris, ut exiſtimares fuiſſe me auctorem iſtius nefandi excerpti, quod ita te proſcinderet. Certe hujuſce tuæ ſententiæ nullam video fingi poſſe rationem, niſi quia ſemper de Grotio humanius ſenſi, & non vulgaribus tanti viri meritis donandas eſſe arbitratus ſum poſtremas ejus exercitationes. Quod ficto ſub nomine, quod mortuus laceſſitus fuerit, nunquam improbavi. Quod ei tuam gloriam deberes, putidum duxi & ridiculum. Præterea ſatis mirari non poſſum te, qui multas meas epiſtolas Latine ſcriptas legeris, credere potuiſſe me iſtud ἀποσπασμάτιον concinnaſſe. In eo enim nihil mei genii agnoſco: nec ſi aliquid hujuſmodi, quod abſit, dicere vellem, iſtis verbis uterer. An quenquam *Dominum* vocare ſoleo, *Autumare*, *Improbaliter*, *utut ſit*, *honori vertetur*. Non ſunt locutiones humili & pedeſtri ſtylo meo familiares: nec credo in non paucis epiſtolis meis ſingulas poſſe occurrere, nedum ſimul paucisque lineis univerſas. Dono amicitiæ noſtræ ut hanc alias minime levem injuriam penitus obliviſcar. Tantum alias juxta vetus

tus Epicharmi dictum μέμνας ἀπιστεῖν, ἄρθρα γὰρ ταῦτα τῶν φρενῶν. De tuo libro de Tranſubſtantiatione, mentior niſi dixero paucis, ſed efficacibus verbis, eum a Riveto eſſe laudatum. Vale & me ama tui ſemper obſervantiſſimum. Lutetiæ Pariſiorum 24. Aug. 1646.

EPISTOLA CLXXII.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Amſtelodamum.

NUdiuſſextus ex Aquitania, poſt quadrimeſtrem fere abſentiam, in Urbem reverſus ſum. Statim me cepit impetus veteres amicos meos, libros ſcilicet, amplexandi. Et commodum Ignatius tuus, mihi hactenus a limine tantum, culpam fateor, ſalutatus, inter primos occurrit. Dum omnia ſtudioſe verſo, iis characteribus in Notis nomen meum ſcriptum inveni, iiſque elogiis ornatum, quæ propenſum & effuſum tuum erga me amorem produnt apertiſſime. Adeo enim prono affectu, exquiſitiſque verbis, id effeciſti, ut omnium hominum habear ingratiſſimus, niſi profitear me eo nomine plurimum jam tibi debere & inpoſterum ſemper eſſe debiturum. Ago itaque gratias, ago gratias tibi ſummas, Mi Voſſi, æternum enim me tibi devinxiſti tanto & tam præclaro erga immerentem teſtimonio. Video enim ibi famam meam æternitati conſecratam eo monumento, quod ſaxa & marmora duratione vincat. Verbum καταργεῖται, quod immenſo tuo beneficio occaſionem dedit, non legeram in vulgatis Ignatii editionibus, ſed frequenter mihi lectitatum erat in Paulinis Epiſtolis. Divino enim Apoſtolo eique pæne uni, adeo eſt familiare, ut libenter ejus Ciliciſmis illud annumerem, niſi intercedat purioris Helleniſmi auctor Lucas, qui tamen eo ſemel omninò utitur. Non habet MS. meus codex iſtius veſtri Bonifacii Vitam, aut cujuſvis alterius qui in Batavia floruerit. Sciat quæſo Incomparabilis parens tuus me ejus egregiorum meritorum eſſe religioſiſſimum cultorem. Vale. Lutetiæ Pariſiorum IV. Janu. CIƆ IƆC XLVII.

EPISTOLA CLXXIII.

CL. SARRAVIUS

Nicolao Heinſio.

Romam.

NE prioribus tuis literis ſtatim atque illas accepi reſponderem, obſtabat iter Aquitanicum, in cujus procinctu me deprehenderunt. Poſt quadrimeſtrem autem abſentiam, non ſine magnis ab hieme & parum firma ſanitate difficultatibus, in Urbem redii. De te quid factum eſſet, Vir eximie, & ubi gentium degeres, ſollicite percunctatus, intellexi te valere & in urbe Æterna vigere; in qua theſauros eruditionis & gloriæ inæſtimabiles labore improbo, induſtria ſingulari, ſolertiaque provida comparares. Non mediocri voluptate

luptate nuncio iſto affectus ſum. Sed quod jam ab alteris tuis me abs te ſemper amari etiam cognoſco, mentiar, ni dixero me totum ſuaviſſima lætitia perfundi. Utinam vero poſſem inſigni aliquo officio teſtari quanti virtutes tuas faciam! Nulli parcerem rei, ut affectus meos tibi penitiſſime recluderem. Aliquando forſan ſeſe dabit id commode præſtandi occaſio. Interea hoc animo meo contentus eſto: & ad nos revertere gazis onuſtus, quas ab iniquis poſſeſſoribus extorſeris. Veræ enim & ſolidioris eruditionis cara dudum iſtic eſt annona. Sed pauciſſimos Romæ reperiri, qui elegantiores ſaltem literas religioſe colant, vix crederem, niſi affirmares. Atqui ipſum cœlum, ipſæ illæ quas merito laudas, ſtatuæ, quam multa ſolo ſui aſpectu docere poſſunt, quæ in libris fruſtra ſæpe quærimus. A mutis iſtis nec faſtidioſis magiſtris diſces, quæ poſtea toti orbi imputabis. Nec illis invidebimus tanta decora, ubi verum eorum uſum chartis mandaveris. Quin potius invidebunt Rerum Domini Batavis tam eruditum divitiarum ſuarum diſpenſatorem, tamque profundum myſteriorum ſuorum interpretem. Quod autem ſponte offers e divite tuo penu; & quod oſtentas e Galilæi hæreditate auctarium, non recuſo. Hanc quæſo operam tui amiciſſimo & bonis omnibus impende. Mihi ſane rem feceris gratiſſimam. Te rogaveram cum diſcederes, & ſi pateris, iterum rogo, ut ſedulo exquiras num in MSS. exemplaribus Anaſtaſii Bibliothecarii, reperiatur, ſuo ordine, inter Leonem IV. & Benedictum III. Vita Joannæ Papiſſæ. Retulit olim ad me amicus cui mandaveram, laceros eſſe codices omnes, quos vidiſſet, eo loco ubi ea narratio eſſe deberet. Vidiſſe ſe tamen in Ambroſiana unum, non in membranis, ſed in charta exaratum, qui eam haberet: ſed deſcribendi copiam factam non fuiſſe. Si per te compos eſſe potuero iſtius hiſtorici fragmenti, plurimum tibi ego debebo, Vir Præſtantiſſime, quem in tuorum numero habere velis quæſo precorque. Lutetiæ Pariſiorum v. Martii ipſo Hilariorum die CIↃ IↃC XLVII.

EPISTOLA CLXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DEveniſſe tandem aliquando in tuas manus doctiſſimi & amiciſſimi Jacobi Gothofredi dudum editas Quinque Diſſertationes, non ſine voluptate intellexi. Cum enim in illis ſatis multa habeantur, quæ te unum petunt, dolebam tui defendendi non ſuppetere facultatem. Præterea mirabar, auctorem, cui tuo nomine publicatos a te libros ſæpiuſcule miſiſſem, non curaſſe ut eas à ſe potius, quam ab alio quopiam, acciperes. Abſit tamen ut quod melioribus ſtudiis & ad æternitatem factis lucubrationibus tempus debetur, iſtis confutandis male colloces. Pleraque enim tanti non ſunt, ut data opera de illis te commentari oporteat: & dabitur forſan occaſio in Præfatione majoris alicujus operis iſta obiter explicandi. Prima quæ ſtatim ſeſe tibi obtulit Diſſertatio,

ma-

materiam continet arduam impeditam & a non uno tractatam. *De mutatione & augmento monetæ.* Quia mihi inſcripta eſt, eam maxime a te expendi velim. Plurima enim in ea leguntur, e quibus difficulter emergam, niſi manum porrexeris. Imprimis vero negotium faceſſit, quod ille veluti pro axiomate, de quo ne dubitari quidem oporteat, ſtatuit, modo auctam, modo imminutam auri libram: quæ aliquando ſeptuaginta duobus, aliquando octoginta quatuor ſolidis conſtiterit, manentibus ſolidis ejuſdem ponderis. Nihil enim difficilius & incertius fuerit rei monetariæ explicatione, ſi libra, uncia, ſcrupulus, pro arbitrio Principum & pro temporibus variaverint. Nummis quidem, hoc eſt forma, pondere & pretio nihil pœne mutabilius: pro copia & penuria auri & argenti modo augetur, modo minuitur nummorum ex illis conflatorum pondus & pretium: atque ita plures aut potiores ſolidi pro eorum diverſis ponderibus libram conſtituerint. Ut vero libra ipſa etiam variaverit, fateor novum mihi videri. Quid ergo de iſta amici noſtri ſententia, imo quid de tota iſta Diatriba ſentias, fac rogo, te intelligam. Tu enim ſolus de iſtis rebus, ab eruditorum cognitione remotiſſimis, potes judicare. Et quantum etiam in re nummaria ſupra cæteros præſtare poſſis, clamant ea, quæ perimmortali gloria digniſſima opera tua, ſparſa de eo argumento, legimus cum ſumma admiratione. Mihi enim non vacat in iſta diligentius inquirere, forenſibus negotiis aſſidue occupato, & quod ſupereſt temporis ſacris Novi Fœderis literis lubentius impendenti. Proxime præteritos Hilariorum dies inſumpſi collationi codicis manu exarati Ampliſſimorum Puteanorum fratrum, qui olim venerabili Bezæ Claromontanus dicebatur, & Paulinas tantum Epiſtolas complectitur. Magna ſane optimi & doctiſſimi ſenis in eo tractando fides & diligentia; qua tamen adeo non omnia exhauſit, quin poſt ampliſſimam meſſem ſuperſit adhuc ſpicilegium alienæ induſtriæ. Exemplum hoc habeto illuſtriſſimum & quantivis pretii. Rom. VII. 24. & 25. vulgo legitur ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου? quæ omnino recte cum interrogatione leguntur. Tum ſequitur Ευχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ιησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Ad quæ divini Apoſtoli verba hæc annotavit Beza. Vulgata „ *Gratia DEI* χάρις χριστοῦ τοῦ θεοῦ repugnante Syro interprete, & Græcis *omni-* „ *bus* codicibus, niſi quod in uno legimus χάρις δὲ τῷ θεῷ. *Sit autem Gra-* „ *tia DEO.* Hæc ille; qui poſtea contendit omnino erraſſe vulgatum interpretem: & erroris fontem, ſi DEO placet, non contemnendis, ut quidam arbitrantur rationibus, aperit. Atqui verum non eſt, quod ait Beza repugnare vulgatæ lectioni *omnes* Græcos codices. Ego enim duos vidi, qui contrarium evincant. Ille certe Claromontanus, quem cum cura verſavi, diſerte habet Η ΧΑΡΙΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ: & in verſione Latina e regione, ut loquuntur, appoſita, GRATIA DEI: plana & veriſſima ſententia; qua liquido reſpondet Apoſtolus difficili alias quæſtioni, iis verbis, quæ Vulgatum interpretem, quem merito multis magniſque de cauſis plurimi faciunt Romanenſes, abſolvunt. Eandem quoque lectionem totidem literis & apicibus extare video,

 in alio

in alio manuſcripto vetuſtiſſimo etiam Græco-Latino codice, Bibliothecæ Abbatiæ Sancti Germani a Pratis. Temperare mihi non poſſum, quin aliam lectionis varietatem ex eodem Puteanæo libro depromptam, nec minoris momenti tecum communicem. Galat. II. 4. & 5. vulgo legitur διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν, ἡμῶν ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται, οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς. Ad quæ poſtremi verſiculi verba, annotavit Beza, Ambroſium non legere οὐδὲ repugnante omnium Græcorum codicum fide & ipſa quoque ſententia: quamvis non videatur etiam legiſſe negantem particulam Hieronymus, & eam tollendam eſſe cenſeat Tertullianus, libro adverſus Marcionem quinto. Atqui verum non eſt, quod ait Beza, nullos Græcos codices non habere iſtud οὐδὲ: In Claromontano enim illo venerandæ antiquitatis, quem in manibus & præ oculis habebat, deſideratur in Græco non tantum illud οὐδὲ: ſed etiam οἷς quod præcedit: & in Latina quoque ejus verſione eadem duo verba deſiderantur. Diſertis enim verbis legit AD HORAM CESSIMUS SUBJECTIONI ſine negatione: majuſculis enim characteribus Græcis & Latinis deſcriptus eſt totus liber, manu eleganti. Nec eſt nauci hæc varietas. Tertullianus de vitiatis ſua jam ætate exemplaribus laudato loco ad Marcionem conquerebatur; & diſputabat inducendam negationem argumentis validis, quæ rogo, apud ipſum inſpice. Si habuiſſet, quem jam tero & laudo, manuſcriptum codicem, quantis laudibus illum extuliſſet, aliiſque omnibus prætuliſſet? Doctrina inde educi poſſit diverſa, pro varia lectione, in re non exigui momenti. Alii enim dicent, aliqua συγκαταβάσει utendum ad tempus erga diſſidentes, etiam in religionis negotio. Alii ne quidem ad horam vel momentum cedendum eſſe: Quæ tam diverſa ſunt, quam diverſæ exiſtunt noſtrorum codicum & Puteanææ lectiones. Et laudabunt ſinguli Paulum ſuæ vel ſeverioris vel mitioris ſententiæ auctorem. Nec ſunt iſta indigna tua diſquiſitione: maxime collata cum alio Apoſtoli loco ad Rom. XII. 11. in quo idem Puteanæus codex, ſicut & editiones Stephanorum, legit ΤΩ ΚΑΙΡΩ ΔΟΥΛΕΥΟΝΤΕΣ: & in Latina verſione, SERVIENTES TEMPORI, quod etiam Beza non animadvertit. Vide autem num belle conveniant τῷ καιρῷ δουλεύειν, & πρὸς ὥραν εἴκειν. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Nonis Martiis. CIↃ IↃC XLVII.

EPISTOLA CLXXV.

CL. SARRAVIUS

Joanni Frederico Gronovio.

Daventriam.

LIbet has impenſas conferre nobiliſſimo, quod extruere te audio, operi Obſervationum Livianarum. Nempe eſt penes me Titi Livii codex magno Scaligero olim verſatus, cujus manus paucis hiſce locis medicinam fecit. Plures habebantur, ſed quia a te occupati ſunt, fruſtra eos tranſcripſiſſem.

Hoc

Hoc a me tui ſtudioſiſſimo & obſervantiſſimo æqui bonique conſule, iiſque pro arbitrio utere. Sumptibus regiis, & ſuperba ſine exemplo magnificentia, editus hic eſt ante annum Jo. Cantacuzenus: & jam prodit Cedrenus cum Curopalate. Si libeat Annam tuam ad me tranſmittere, ejus editionem, iiſdem typis, procurabo. Volunt enim qui iſti rei præſunt, omnes Hiſtoriæ Byzantinæ ſcriptores Græco-Latinos, quam caſtigatiſſime fieri poteſt, recudere. Vide num rationibus tuis id conducat, quidve, hoc ut facias, a me fieri velis. Operam enim meam hac in re aliaque omni, tibi libentiſſime offero. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum VIII. Martii CIↃ IↃC XLVII.

EPISTOLA CLXXVI.

CL. SARRAVIUS

Joſuæ Placæo.

Salmurium.

MAximam forenſium harum feriarum partem hactenus impendi, & porro impendam collationi aliquot Manuſcriptorum Novi Teſtamenti codicum, qui in manus meas inciderunt. Nec omnino luſiſſe operam mihi videor. Unum autem reperi locum, quem non indignum exiſtimavi, quem tecum communicarem. Idque facio eo libentius, quod non ingratum tibi fore certo perſuaſus ſum, cum ob prolixam tuam erga omnes humanitatem, tum præcipue ipſius argumenti fiducia: Divinitatis nempe Domini Noſtri Jeſu Chriſti; cujus te magnanimum Aſſertorem, & ſtrenuum adverſus impios hæreticos propugnatorem, cum magna tua gloria, præſtas. Codex eſt venerandæ antiquitatis, qui ſcripturæ ſpeciem præfert ultra octingentos, vel etiam mille annos exaratæ. Locus autem, de quo ad te refero, habetur Apocalypſis cap. XIX. 10. & vulgo ita legitur, *σύνδουλός σου εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ. τῷ θεῷ προσκύνησον.* Codex vero, quem jam verſo, legit in hunc modum, *Σύνδουλός σου εἶμι καὶ τῶν ἀδέλφων σου τῶν ἐχοντων τὴν μαρτυρίαν. Ἰησοῦ τῷ θεῷ προσκύνησον.* Quæ lectionis varietas non eſt nihili, ut ſtatim perſpexeris. Vulgata quippe lectio jungit hæc verba *μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ* cum articulo *τοῦ*, qui in meo codice deſideratur; ſed habet *στιγμὴν* poſt *μαρτυρίαν.* Tum addit *Ἰησοῦ τῷ θεῷ προσκύνησον.* O inſigne pro divinitate Chriſti teſtimonium, & de quo reperto merito exultem & triumphem. Ne tamen ſincera ſit voluptas mea, duo obſtant. Unum quod dubitem, an phraſis ſcripturæ ferat, ut dicantur *οἱ ἀδελφοὶ φέροντες τὴν μαρτυρίαν* ſimpliciter, ſine ulla *τοῦ χριστοῦ* vel *τοῦ πνεύματος* adjectione. Altera num hæc verborum *ἀκολουθία*, *Ἰησοῦ τῷ θεῷ* ſit ſacro textui uſitata: cum videatur legi oportere *τῷ Ἰησοῦ θεῷ*, vel *τῷ Ἰησοῦ τῷ θεῷ προσκύνησον.* Ego tyro iſtis impedior: tu *ἐν τούτοις τρίβων* animadverte. Ecce aliud *ἄτοπον.* Quæ ſequuntur *ἡ γὰρ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ*, ita omnino videntur intelligenda, ut de Jeſu teſtimonio aliquid præceſſerit. Hæc quæſo accurate perpende Vir Magne, nec parvam a me gratiam iniveris. Si quid viciſſim ego tua cauſa potuero, me virtutum tuarum obſervantiſſimum, & ac-

accepti beneficii memorem experieris. Vale. Lutetiæ Pariſior. xxvi. Octobris CIↃ IↃC XLVII.

EPISTOLA CLXXVII.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Uſſerio Armachano.

Londinum.

DUdum tibi obſtrictum pro honorifica in Ignatio tuo mei mentione, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Antiſtes, novo adhuc beneficio devincire voluiſti. Dono enim tuo accepi Diatribam tuam *De Symbolis veteris Eccleſiæ.* Pro iſtis tuis erga me meritis, debitas rependo gratiarum actiones. Magna cum voluptate, nec ſine fructu, legi poſtrema iſta tua opuſcula; in quibus igneum ingenii vigorem, & reconditam eruditionem, abſtruſiſſima quæque rimantem & bono publico eruentem, ex animi ſententia dico, ſum admiratus. Omnino enim cum optimum ſit quod antiquiſſimum, in Originibus indagandis opera merito & bene collocatur. Te vero iſta præſertim ætate & inter turbas hæc tuæ curæ ducere, ſummam profecto laudem meretur. Aderit DEUS ſe & ſua quærentibus. Ita precor & ſpero: eumque veneror ut Regi Regnoque veſtro ea ſuggerat conſilia & effecta det, quæ ſuæ gloriæ veſtriſque commodis, Tibi vero imprimis, Vir Bone & Magne, conveniant. Interea perge ſacras ornare literas, noſque hujuſmodi munuſculis beare. Sed ante omnia, qua iſtic polles auctoritate, effice, ut Biblia illa THECLÆ typis veſtris cum orbe Chriſtiano communicentur. Nullo illuſtriori monumento fama tua poſt exantlatos labores, æternitati conſecrabitur. Hoc te rogant omnes, qui ſacra amant & colunt, ego vero iis accedo. Si quid hic viciſſim tua cauſa potero, beatum me exiſtimavero. Virum amiciſſimum & eruditiſſimum Jo. Priceum, cujus familiaritate & conſiliis plurimum profeciſſe me profiteor, ni grave ſit, meo nomine ſaluta: & urge ſuas chartulas componat, & ſacra curare & illuſtrare non deſinat. Vale Vir ſumme; meque tui obſervantiſſimum ut tuorum in numero habere velis, etiam atque etiam rogo. Lutetiæ Pariſior. xxviii. Octobris CIↃ IↃC XLVII.

EPISTOLA CLXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ROgatus ante aliquot annos Vir Reverendus David Blondellus, ut ad examen revocare vellet, quæ utrinque vulgo jactarentur de JOANNA PAPISSA, libenter amicorum deſideriis obtemperavit. Re igitur diligenter perpenſa, exiſtimavit fabuloſum eſſe, ullam Romæ aliquando ſediſſe Pontificem feminam, inter Leonem quartum & Benedictum tertium. Sententiæ ſuæ rationes ſcripto Latino conſignavit, quod multorum aſſenſum meruit. Multo-

rum

rum dixi tantum, quis enim unquam omnium? Imo in multorum propterea offenſionem incurrit vir optimus: quaſi probroſum foret viro Proteſtantium partibus addicto, quidquam attuliſſe, quod vulgatas ſuorum opiniones convelleret. Ille vero, cui ſemper propoſitum fuit, ſine ullo partium ſtudio & ſepoſitis præjudiciis προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, ſecurus conſcientiæ ſuæ fiducia, factum ſuum ita tutatus eſt, ut tamen infirmorum vano timori voluerit conſulere. Itaque contentus doctis viris ſatisfeciſſe, apud me ſuum ſcriptum depoſuit, ne frontis forſan infirmitate cogeretur illud liberalius communicare cum quibuſdam, qui illud, contra ſuam mentem, temere vulgarent. Factum eſt autem ut anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, coactus fuerit eandem incudem tundere, ſed Gallico breviore commentario, in gratiam Genevenſium, apud quos magnificum ejus opus de Primatu in Eccleſia tum excudebatur. Rumor nempe percrebuerat in eo Papiſſam validis argumentis fortiter oppugnari. Illi vero, ut parcerent labori verſandi majoris operis, ut inde cognoſcerent an vera eſſet didita fama, maluerunt auctorem conſulere; qui ſtatim reſpondit, nihil in iſto ſuo libro ea de re haberi: quid autem circa illam ſentiret, candide profeſſus eſt. Brevius hoc Gallicum ſcriptum in multorum manus devenit. Tu quoque, cum hic eſſes anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo, illud vidiſti. Quomodo autem factum ſit, ut anno ſuperiore Blawius Amſtelodamenſis eximius Typographus id typis ſuis publicaverit, quærere aut dicere nihil attinet. Certe auctor affirmat ſe inconſulto, quidquid id eſt, procuratum fuiſſe. At ubi præli beneficio communior factus eſt hic libellus, alii gaudere de comperta, ut credebant, veritate, alii pæne optimo viro conviciari. Ita varia expertus eſt auctor hominum judicia: alii ingenuitatem ejus laudantibus & in cœlum tollentibus; aliis ejus ſaltem imprudentiam damnantibus: nam doctrinam ejus reconditam & immenſam vel æmuli admirantur. Interea factum eſt, ut ad amicos ſcriberes, Te novum Aſſertorum fore vulgaris iſtius apud noſtros opinionis; idque nullo negotio & ſtatim a te confectum iri. Recreaſti animos eorum, quibus dolebat eripi ſibi telum, ut arbitrantur, acutiſſimum, quo Roma in capite feriretur. Ego quoque gaviſus ſum inter viros ſumme doctos & amicos hanc natam indagandæ veritatis curam: nec dubitavi a veſtro congreſſu ſtatutum iri, quid deinceps de omni iſta ſive hiſtoria, ſive fabula, judicandum ſit. Nec debet fraudi eſſe Blondello, quod Reformati pœne omnes hactenus per manus traditam narrationem acceperint & defenderint. Si enim alii incurioſius in hiſtoriis verſentur, non credidit, qua pollet in omni antiquitate ſacra & profana eruditione, ſibi nefas eſſe in verum penitius inquirere, origines a primis initiis repetere, & tandem ſuam ſententiam aperte profiteri: nihil cuiquam præſcribens, nec pro auctoritate aut imperio aſſenſum imperans. Rationes expendantur, tempora ad exactam normam ponantur, circumſtantiæ æqua trutina librentur, præcedentia cum ſequentibus componantur, teſtium ætas fides & teſtimoniorum ἰσότης examinentur, tum demum decernatur. Hæc quia a te factum iri arbitratur, vir doctior neſcio an melior,

cepti beneficii memorem experieris. Vale. Lutetiæ Pariſior. XXVI. Octob. CIↃ IↃC XLVII.

EPISTOLA CLXXVII.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Uſſerio Armachano.

Londinum.

DUdum tibi obſtrictum pro honorifica in Ignatio tuo mei mentione, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Antiſtes, novo adhuc beneficio devincire voluiſti. Dono enim tuo accepi Diatribam tuam *De Symbolis veteris Eccleſiæ.* Pro iſtis tuis erga me meritis, debitas rependo gratiarum actiones. Magna cum voluptate, nec ſine fructu, legi poſtrema iſta tua opuſcula; in quibus igneum ingenii vigorem, & reconditam eruditionem, abſtruſiſſima quæque rimantem & bono publico eruentem, ex animi ſententia dico, ſum admiratus. Omnino enim cum optimum ſit quod antiquiſſimum, in Originibus indagandis opera merito & bene collocatur. Te vero iſta præſertim ætate & tot inter turbas hæc tuæ curæ ducere, ſummam profecto laudem meretur. Aderit DEUS ſe & ſua quærentibus. Ita precor & ſpero: eumque veneror ut Regi Regnoque veſtro ea ſuggerat conſilia & effecta det, quæ ſuæ gloriæ veſtriſque commodis, Tibi vero imprimis, Vir Bone & Magne, conveniant. Interea perge ſacras ornare literas, noſque hujuſmodi munuſculis beare. Sed ante omnia, qua iſtic polles auctoritate, effice, ut Biblia illa THECLÆ typis veſtris cum orbe Chriſtiano communicentur. Nullo illuſtriori monumento fama tua poſt exantlatos labores, æternitati conſecrabitur. Hoc te rogant omnes, qui ſacra amant & colunt, ego vero ὡς ἐκτενέστατα. Si quid hic viciſſim tua cauſſa potero, beatum me exiſtimavero. Virum amiciſſimum & eruditiſſimum Jo. Pricæum, cujus familiaritate & conſiliis plurimum profeciſſe me profiteor, ni grave eſt, meo nomine ſaluta: & urge ſuas chartulas componat, & ſacra curare & illuſtrare non deſinat. Vale Vir ſumme; meque tui obſervantiſſimum ut tuorum in numero habere velis, etiam atque etiam rogo. Lutetiæ Pariſior. XXVIII. Octobris CIↃ IↃC XLVII.

EPISTOLA CLXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ROgatus ante aliquot annos Vir Reverendus David Blondellus, ut ad examen revocare vellet, quæ utrimque vulgo jactarentur de JOANNA PAPISSA, libenter amicorum deſideriis obtemperavit. Re igitur diligenter perpenſa, exiſtimavit fabuloſum eſſe, ullam Romæ aliquando ſediſſe Pontificem feminam, inter Leonem quartum & Benedictum tertium. Sententiæ ſuæ rationes ſcripto Latino conſignavit, quod multorum aſſenſum meruit. Multorum

rum dixi tantum, quis enim unquam omnium? Imo in multorum propterea offenſionem incurrit vir optimus: quaſi probroſum foret viro Proteſtantium partibus addicto, quidquam attuliſſe, quod vulgatas ſuorum opiniones convelleret. Ille vero, cui ſemper propoſitum fuit, ſine ullo partium ſtudio & ſepoſitis præjudiciis προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, ſecurus conſcientiæ ſuæ fiducia, factum ſuum ita tutatus eſt, ut tamen infirmorum vano timori voluerit conſulere. Itaque contentus doctis viris ſatisfeciſſe, apud me ſuum ſcriptum depoſuit, ne frontis forſan infirmitate cogeretur illud liberalius communicare cum quibuſdam, qui illud, contra ſuam mentem, temere vulgarent. Factum eſt autem ut anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, coactus fuerit eandem incudem tundere, ſed Gallico breviore commentario, in gratiam Geneverſium, apud quos magnificum ejus opus de Primatu in Eccleſia tum excudebatur. Rumor nempe percrebuerat in eo Papiſſam validis argumentis fortiter oppugnari. Illi vero, ut parcerent labori verſandi majoris operis, ut inde cognoſcerent an vera eſſet didita fama, maluerunt auctorem conſulere; qui ſtatim reſpondit, nihil in iſto ſuo libro ea de re haberi: quid autem circa illam ſentiret, candide profeſſus eſt. Brevius hoc Gallicum ſcriptum in multorum manus devenit. Tu quoque, cum hic eſſes anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo, illud vidiſti. Quomodo autem factum ſit, ut anno ſuperiore Blawius Amſtelodamenſis eximius Typographus id typis ſuis publicaverit, quærere aut dicere nihil attinet. Certe auctor affirmat ſe inconſulto, quidquid id eſt, procuratum fuiſſe. At ubi præli beneficio communior factus eſt hic libellus, alii gaudere de comperta, ut credebant, veritate, alii pæne optimo viro conviciari. Ita varia expertus eſt auctor hominum judicia: alii ingenuitatem ejus laudantibus & in cœlum tollentibus; aliis ejus ſaltem imprudentiam damnantibus: nam doctrinam ejus reconditam & immenſam vel æmuli admirantur. Interea factum eſt, ut ad amicos ſcriberes, Te novum Aſſertorum fore vulgaris iſtius apud noſtros opinionis; idque nullo negotio & ſtatim a te confectum iri. Recreaſti animos eorum, quibus dolebat eripi ſibi telum, ut arbitrantur, acutiſſimum, quo Roma in capite feriretur. Ego quoque gaviſus ſum inter viros ſumme doctos & amicos hanc natam indagandæ veritatis curam: nec dubitavi a veſtro congreſſu ſtatutum iri, quid deinceps de omni iſta ſive hiſtoria, ſive fabula, judicandum ſit. Nec debet fraudi eſſe Blondello, quod Reformati pœne omnes hactenus per manus traditam narrationem acceperint & defenderint. Si enim alii incurioſius in hiſtoriis verſentur, non credidit, qua pollet in omni antiquitate ſacra & profana eruditione, ſibi nefas eſſe in verum penitius inquirere, origines a primis initiis repetere, & tandem ſuam ſententiam aperte profiteri: nihil cuiquam præſcribens, nec pro auctoritate aut imperio aſſenſum imperans. Rationes expendantur, tempora ad exactam normam ponantur, circumſtantiæ æqua trutina librentur, præcedentia cum ſequentibus componantur, teſtium ætas fides & teſtimoniorum ἰσότης examinentur, tum demum decernatur. Hæc quia a te factum iri arbitratur, vir doctior neſcio an melior,

non invitus conſenſit, ut ad te mitterem ſuum Latinum ſcriptum: quod a te expetitum, cum hiſce meis literis ecce tibi reddet junior Elzevirius, qui iſtuc proficiſcitur. In eo igitur, quando ita lubet, confutando, ita verſare Vir Magne, ut ſcias, non tibi rem eſſe cum adverſario contumaci, quem veris victum rationibus pudeat errorem agnoſcere. Imo inquiebat mihi nuper vir optimus, ſi mei triumphator fuerit Salmaſius, ego cum eo triumphator ero erroris. Verum tamen quid aggrediaris cogita: res eſt enim ardua & magnis difficultatibus impedita. Sed omnia forſan prævidiſti. Nec enim credibile eſt, te iſta doctrina & prudentia, aliquid polliceri quod præſtare non poſſis. Noli autem credere primum aut ſolum e noſtris Blondellum, ita ſenſiſſe: quamvis fortaſſis nemo unquam fortius & preſſius iſtud ſolum calcaverit. Fuere enim olim in eadem ſententia non incelebres inter Reformatos Theologi: & adhuc vigent in hac urbe inſignes fide & pietate viri, qui audierunt ex ore Camerii, ſe iſtam hiſtoriam vulgo creditam, fabuloſis deputare. Vidi nuper ſcriptas literas docti & vegeti ſenis, tibique & mihi amiciſſimi, Petri Molinæi, quibus idem ſemper ſibi eſſe viſum affirmabat. Multa certe cum ſcripſerit, quibus Romanum ſuggillaverit pudorem, ab iſta tamen femina ſemper manum abſtinuit: & poterat tamen vir non infacetus alicujus liberalis joci inde captare occaſionem. Penes me ſunt literæ Samuelis Bocharti, quibus teſtatur ſibi eſſe pro comperto, vanum eſſe & fictitium, quidquid hactenus de ea ſit proditum. Quanti autem ſit apud bonos & graves trium iſtorum auctoritas, facile intelligis. Poteris viciſſim, ſatis ſcio, innumeros nobis opponere. Sed vide num illi præcedentium gregem ſequuti, rem minus exacte conſideraverint. Omnino tutius eſt, recentioribus omiſſis, in antiquis & coætaneis præſertim quid tenendum ſit quærere. Unus Anaſtaſius ſibi conſtans poſſit rem conficere. Quid in hujus auctoris Manuſcripto Regio de iſta femina legatur, olim ad te miſi. Sed liber eſt a manu recenti, quæ uſque ad Martinum Quintum, Hiſtoriam Pontificiam produxit: & inſertam eſſe narratiunculam evincunt, quæ in Benedicto Tertio leguntur non uſquequaque convenientia. Hæc tu & alia omnia pro ſolito acumine diligenter expendes. Vellent alii quod ab adverſa valetudine tibi ſupereſt otium, impenderes vel ingenti operi dudum expetito de Ordine Eccleſiaſtico, vel ſacris in N. T. Exercitationibus concinnandis. Sed malle nos oportet, quod ipſe malis. Quidquid enim a te proficiſcitur, cum ingenti laude tua & gaudio bonorum omnium excipitur. En mitto Epigraphen, quam ipſe nuper compoſui, precibus adductus Senatoris V. Inquiſitionum Cameræ. Servet te DEUS diutiſſime, cui te tuaque omnia commendata quæſo precorque. Vale & me ama. Lutet. Pariſ. XVIII Januarii. CIↃ IↃC XLVIII.

JACOBO. PHELYPEAUX. BLESENSI. BURGIMEDII. ABBATI.

IN SENATU. PARISIENSI. PER. ANNOS. XLVII. CONSILIARIO. INTEGERRIMO.

VE-

VERÆ. SIMPLICITATIS. STUDIOSISSIMO.
VITÆ. INCULPATÆ. VIRO.
HÆREDES. MOESTISSIMI.
H. M. PP.
VIXIT. ANNOS. LXXVII.
OBIIT.
A. CH. MDCXLVII. OCTOBRIS. DIE. XXI.

EPISTOLA CLXXIX.

CL. SARRAVIUS

Petro Lambecio.

Romam.

BEne eſt, ſuaviſſime Lambeci, quod ſola voluminis Epiſtolarum Balzacii jactura effecit, ut me inſalutato Romam profectus fueris? Aliam enim capitaliorem cauſam ſubverebar; cum præſertim pro uno exemplari deperdito bina remiſiſſes. Unde ſpes ſubit non vana te huc reverſum mecum in gratiam bona fide & ſine exceptione rediturum; quo nihil magis in votis habeo. Tuam enim ad omnia magna natam indolem & factam, uti & ingenium liberale & ſolers, laborem improbum, eruditionem haud vulgarem & ſupra ætatis captum longiſſime provectam, ſuſpicio, amo, colo Mi Lambeci. Nec vereor ut Italis jam fere congenita & fatalis ignavia laudabiles impetus conatuſque tuos obtundat & moretur. Quin potius ab iniquis iſtis poſſeſſoribus erue & eripe defoſſos pridem bonarum litterarum theſauros nobiſcum aliquando communicandos. Hic enim tuæ peregrinationis ſolus veruſque fructus ad te redeat oportet, neglecta opera, quæ in luſtrandis oculo curioſiore vetuſtis ruderibus fruſtra plerumque & male collocatur. Cæterum gaudeo impenſius & juriſprudentiæ noſtræ ex animo gratulor, quod Themidis caſtiſſimæ Divæ ſacris volueris initiari. Nec indigna eſt te ſacerdote ſevera hæc Dea, quæ ſui ſtudioſos & religioſos vix ſinit inhonoratos. Te ſane Muſarum delicium & cariſſimum alumnum complectetur, & in ſinu fovebit. Ita voveo precorque, & ut me tuorum in numero habeas bonum & fortem. Virum Magnum Holſtenium avunculum tuum, olim mihi apud Antiſſiodorenſem Epiſcopum cognitum, quæſo ni grave eſt, nomine meo ſaluta. Utinam autem quæ habet infinita veteri Geographiæ illuſtrandæ, tuæ fidei committat, dum ille Pontificum vitis, ex antiquis monumentis, adornandis melius incumbet. Illa enim tuæ, hæc ejus ætati apprime convenient. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum Calendis Maji. CIↃ IↃCXLVIII.

EPISTOLA CLXXX.

CL. SARRAVIUS

Petro Lambecio.

Romam.

SErius reſcribo, Eximie Adoleſcens: ſed non potui citius reſpondere ſuper Pauli Silentiarii ecphraſi. Interrogavi enim Salmaſium num poſſet velletve

ea

ea in re ferre ſuppetias & literariis tuis conatibus gratificari. Ille vero in hunc ferme modum loquutus eſt. Libenter equidem omne iſtud onus in præſtantiſſimum Lambecium rejicerem. Olim enim recepi me iſtud opuſculum editurum; quippe quod partem faciat Epigrammatum Græcorum, dudum a me promiſſorum. In eo autem prope ſum, ut ea recenſeam & adornem, omiſſis aliquantiſper ſtudiis ſeverioribus. Quare excuſatum me habeat, ita precor, amicus noſter, ſi veteres amores nolo ejurare. Sed habet ille in Vaticana ipſiſſimum exemplar, unde eam pene puer Heidelbergæ olim deſcripſi. Occupet ergo, ſi lubet, iſtam palmam, meque tardigradum prævortat. Hæc ille. Dolet vero me non magis apud eum potuiſſe, ut tibi hac in re inſervirem. Sed cum poſſis ipſum manuſcriptum evolvere, cum otio abundes, cum præſto ſit, ſi ullius operam deſideres, doctiſſimus avunculus; quid fruſtra alios ſollicitas, alibi quærens quod apud te habeas? Itaque ſyntagma Antiquitatum Byzantinarum tibi uni in ſolidum debebimus. Sciſne autem quid poſt Heraldum defricatum jam moliatur magnus ille Muſagetes? Nempe Catalecta Virgiliana dare parat auctiora & emendatiora cum notis poſt Scaligerum uberioribus. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum VII. Auguſti CIƆ ƆIC XLVIII.

EPISTOLA CLXXXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

EGo ut nolim te duce & auſpice, in Latium tendere? Quinimo ſtatim atque ſignum extollis, ecce me ad delectum reſpondentem, & ſequi paratum: & *Agnoſco veteris veſtigia flammæ.* Hac, tamen ſi pateris, lege, ne tu, Romanæ Militiæ ſumme Imperator, mecum ſummo jure agas, neve a me aliud opus, quam quod a gregario, exigas. Mira ſunt quæ ſcribis de *Lignivermoſtracis* vel, uti ea appellari vis, *Elminthoſtreis*, quæ in Batavia veſtra gignuntur. Sed an hoc eſt hujuſce ætatis iſtiuſve quod jam habitas cœli proprium miraculum? an etiam ejus veteres meminere? An nondum effœta natura e ſuo quotidie ſinu peregrina & nova multa educit, quæ nos in ſui admirationem & contemplationem excitent. Paridem quod attinet, nihil unquam vidi illo homine inconſtantius. Quod ultro voluit jam non vult, nec aperte tamen quid velit aut nolit, audet dicere. Veretur te inſenſo deinceps uti, nec tamen tuis conſiliis morem gerit. Interea rei bene & honeſte gerendæ elabitur occaſio, quam fruſtra poſtea requirat. Me vero quod ſpectat, ſane auctor tibi non fui ejus iſtuc vocandi: multaſque inter vos ea de re reciprocaſtis literas, antequam aliquid inde mihi innoteſceret. Rogaſti poſtmodum ut optio tibi accederem; quod feci lubentiſſime, nec quicquam prætermiſi, quo eum aliis ereptum vobis traderem. Viſus eſt ſæpiuſcule annuere, nec adhuc totum pedem refert, aut aliquid certi conſtituiſſe vult videri. Hedui tui ad te deferunt Cyprianum cum muſteis Obſervationibus. Eas ſtatim percurreris: ſunt enim breviuſculæ, pro

more

more auctoris, ſed interſparſa libertate, quam tamen eruere oportet, amat enim latibula & κρησφύγετα. Poſſit ergo hæc editio iſta ratione commendari. Vereor tamen ut hæc πρωτεῖα corruperit Galeata Obſervatione, quam & Catholicam dici voluit; in qua dum vult vetuſta & nova conciliare, omnia ſuſque deque habet & confundit. Hanc οἱ ἐξ ἐναντίας in cœlum tollunt, & toti Cypriano præferunt. Sed non ego credulus illis. Addit ad Tertullianum παραλειπόμενα alteri ſuæ editioni jungenda, cum Diſſertatione *De Pulchritudine corporis*, vel potius *Deformitate vultus D. N. Jeſu Chriſti*. Hoc enim poſtremum aſſerit; & ſane non paucis teſtimoniis veterum utitur, qui ſuam ſententiam ſtabiliunt. Exclamare tamen libet, ô miſeram diligentiam! quæ tamen & ipſa facile ſubvertatur. Si enim teſtibus res agatur, uni affirmanti plures opponi poſſunt, qui contrarium dicant. Hocque jam quendam agere intelligo, ut eos componat, nec patiatur hanc labem nomini Chriſtiano infligi, ut auctor ſalutis noſtræ deformis, turpis, inhoneſtus, δυσειδής impune audiat. Vale. IV. Idus Septembres. CIↃ IↃC XLVIII.

EPISTOLA CLXXXII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

UNis hiſce reſpondebo tuis, quas jam accipio binas Latinas. Mirarer ſi ſerio ageres, te, expeditæ facundiæ virum, quique veteris Romæ linguam melius ipſo Varrone calleas, & in numerato habeas, vereri eo ſermone mecum deinceps agere. Quia autem te jocari non dubito, exiſtimo te mihi hac dialecto loquenti, non eloquenti, voluiſſe gratificari. Certe præter ſtyli exercitationem, quam non negligendam veteres docent, hoc unum fere meum eſt conſilium, elegantiſſimas tuas literas veræ & reconditæ eruditionis ſucco diffluentes elicere. Audacior etiam ero ſtudiorum tuorum interpellator de variis rebus, quas alias neſcire cogor. Paridi non amplius ſcribo: tuas tantum, quas mihi mandas, diligenter curo. Ejus res agitur; quia præfert lacum ſuum mari veſtro, fruatur ſuo perverſo judicio. Quod potui, immo quod debui, ejus cauſa, etiam tua, feci: & hactenus nihil profeci. Cæterum non patitur dignitas mea, ut cum hujuſmodi viro ulterius, fruſtra & ſine ulla ſpe ſucceſſus, me committam. Omnes adhibui artes, quas poſſe conducere arbitratus ſum, ut eum ad vota noſtra flecterem. Ille vero hoc unum videtur agere, ut nihil agat. Coaxet ergo ad ſuam paludem. Tu expecta εἰς μικρὸν ὅσον ὅσον, & ſi pergat in propoſito, hujuſmodi planos plane omittamus. Animadverſiones Heraldi, quæ te ſpectant, abſolutæ ſunt: & conſtare eas audio totis octoginta majoribus foliis, qualia priora tria, quæ apud te extant. Non tamen ſtatim prodibunt. typographis enim promiſit, ut liber vendibilior eſſet, ſe additurum *Rerum Quotidianarum* aliquot libros, quibus ornabit juriſprudentiam millenis Obſervationibus exquiſitis. Vereor ne cum illo magno Aſſyriæ flumine πολλὸν ἐφ'

ὕδαλι σύρφετον ἕλκῃ Interea auguror te conſtituiſſe hominem publice defricare, nec expectaturum ut totus defricandus appareat. In ipſo limine adſcribam, Αἲξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματι παίζει. Nihil a te hac hebdomade accepi, ſed ſcribit Elzevirius junior Te, poſt abſolutum librum contra Heraldum, totum jam eſſe in adornanda Militia Romana. Bonum factum. Nec vereri debes ne tibi Divionenſes objiciant, rebus iſtic pace compoſitis, poſt prandium, ut vulgo dicitur, ſinapi apponi. Nullo enim tempore hujuſmodi meditatio non eſt opportuna, & licet calamo præliemini, nec gladiis ceſſatur. Perge itaque adeo expetito operi poſtremam manum imponere. Vidi Ex. Loyolitæ Jarrigii nuperum ſcriptum adverſus ſocios Aquitanos, quorum vita, ſecundum ea quæ proponuntur, nihil putidius aut ſceleſtius unquam eſt auditum. Immittent procul dubio percuſſores, qui ſecretorum ſuorum conſcium opprimant. Itaque ſibi diligenter caveat bonus ille vir amicus tuus, ut eorum inſidias, quin & apertam vim effugiat. Non enim ei impune fuerit tot horrenda myſteria recluſiſſe. Aliud te volo. Video antiquiſſimos codices mauſcriptos Latinos & Græcos ita exaratos eſſe, ut nullo interſtitio voces diſtinguantur, ſed uno literarum ductu invicem cohæreant. Et hæc eſt ſummæ vetuſtatis nota. Velim autem ſcire, quo ævo diſtingui cœptum ſit, quod antea confuſe habebatur Hoc enim κριτήριον mirum in modum conduceret dijudicandæ ætati manuſcriptorum. Si quid juvare potes Tu, qui plures iſtiuſmodi libros verſaviſti, quam mortalium quiſpiam, fer opem & inſigni beneficio litteras affeceris. Vale. Lutetiæ Pariſior. XVIII. Sept. CIↃ IↃC XLVIII. Reverendus Albertinus amicus noſter tandem abſolvit magnum opus de Euchariſtia Latina Lingua, in quo ex Scriptura & Patribus veram doctrinam noſtram ſtatuit adverſus Romanenſium & Lutheranorum quoque Arophas. Genevenſes ſeſe offerunt editioni. Sed facit elegantia typorum veſtrorum ut auctor malit id iſtic excudi. Vide ergo num Elzevirii aut Blawius aut Hackius velint hanc ſpartam ornare. Moles voluminis erit ducentorum circiter majorum foliorum.

EPISTOLA CLXXXIII.

CL SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

QUod petis de diſtinctione librorum veterum, vellem tempore opportuniore eam quæſtionem mihi proponere inſtituiſſes. Si otio quippe majori abundarem, neque anguſtis ſpatiis excluderer; plenius hac de re poſſem tibi ſatisfacere. Nunc quæ in mentem venient, huic chartæ abſque ulla meditatione illinam. Quod ad Græca Exemplaria attinet, de quibus primum hic agendum eſt; ante Ariſtophanem, qui primus προσῳδίαν excogitavit, & accentus invenit, nulla fuit literarum diſtinctio, neque ſubdiſtinctio. Uno ac perpetuo ductu ſine ullo interſtitio voces omnes exarari ſolebant, & ſententiæ etiam continuari: niſi quod, ubi perfecta fuerat, non in eadem linea alteram auſpicabantur

bantur: ſed principium alterius lineæ, ſive verſus inchoabant. Inde nata diſtinctio per *verſus*, qui majores aut minores erant, prout ſententia pluribus aut paucioribus verbis abſolvebatur. Interdum quippe duas, interdum tres aut plures lineas ſinguli verſus occupabant. Græci ϛίχȣς appellant. Opera autem ipſa numerabantur per verſus; quorum ſumma in fine libri ſubducta, notabatur. Inde πολύϛιχον βιβλίον de grandi volumine dicebant. Diu duravit hæc ratio. In veteri codice Epiſtolarum Pauli, qui penes Puteanos eſt, ad finem totius Scripturæ Sacræ librorum ϛιχομετρίαν notatam invenies. Quæſtiones Tuſculanas in antiquiſſimo exemplari B. R. ita per verſus diſtinctas reperis. At in eodem verſu quomodo περίοδοι & κῶλα diſtinguerentur, Ariſtophanes invenit, & notas ad hæc intervalla ſignanda commentus eſt. Tres fuere: τελεία ϛιγμὴ, ὑποϛιγμὴ, & μέση. Primam proprie vocarunt *diſtinctionem* Latini, ſecundam *ſubdiſtinctionem*, tertiam *medianam*. Τελεία ϛιγμὴ punctum erat, quod collocabatur in capite vel apice ultimi elementi, in quo periodus deſinebat. Ὑποϛιγμὴ in ima litteræ parte ponebatur. Η μέση ϛιγμὴ ad mediam partem. Totidem igitur fuere puncta: ſed pro ſitu aliter atque aliter valentia. Puncta igitur noſtra ſingularia, & virgulæ, & duo puncta, veteribus prorſus ignorata fuere. Punctis ſingulis tota diſtinctio & ſubdiſtinctio librorum conſtabat, tam apud Latinos, quam apud Græcos. Nam illi ab iſtis ſumpſere. Τελεία ϛιγμὴ, id eſt punctum in apice literæ collocatum, abſolvebat ſententiam, ἀπαρτίζει δεῖ τὴν διάνοιαν; & reſpondet plane noſtro puncto. Reliquæ duæ ſubdiſtinctiones punctis etiam ſingulis notabantur; uno ad litteram mediam ultimæ dictionis, altero ad imam partem locato. Hæ oſtendebant non integratam eſſe ſententiam, ſed adhuc manere ſuſpenſam, cum aliqua tamen differentia τῆς μέσης ϛιγμῆς & ὑποϛιγμῆς, quam etiam alicubi, ὑποτελείαν ϛιγμὴν vocatam oſtendi. De μέσῃ tradunt Technologi Græci, ȣ̓κ ἀπαρτίζειν τὴν διάνοιαν, ἀλλ' ἀναπαύειν ἐν καιρῷ τὸ πνεῦμα. De ὑποϛιγμῇ ſive ſubdiſtinctione notant, ȣ̓κ ἀπαρτίζειν eam τὴν διάνοιαν, ſed oſtendere τȣ̃ μέλλοντος εἰρῆσθαι ἀφιέναι ἤρεμα τȣ̃ πνεύματος ὡς ὀξὺ, τὸ λοιπὸν ὅπερ ȣ̓ λόγȣ τηρείη. In veteri Inſcriptione Smyrneorum Arundelliani marmoris ſine ulla diſtinctione & ſubdiſtinctione, una ac perpetua ſerie dictiones omnes inter ſe cohærent: quod & in aliis antiquis Græcis inſcriptionibus paſſim invenire eſt, quæ & ſine accentibus ſcribuntur. Et certum eſt ad hunc plane modum etiam libros ipſos ſcribi ſolitos, idque diu obſervatum poſt repertos accentus & diſtinctiones. Ab antiquariis ſecundum antiquas rationes ſcribebantur, nempe ſine accentu ullo, & ſine ulla diſtinctione. Poſtea Grammatici, qui eos emendabant & conferebant cum antiquioribus & emendatioribus codicibus, non ſolum, ſi quid erat titubatum a librariis, corrigebant, ſed etiam accentus adponebant, & diſtinctiones. Vidi libros vetuſtiſſimos, in quibus apparebat plane ſcripturam eſſe ab antiquiore manu, quam accentus. Nec ſecus fuit apud Latinos. Quod colligere poſſumus ex Vita Valerii Probi Grammatici apud Suetonium, qui de eo ita ſcribit. *Multaque exemplaria contracta emendare ac diſtinguere & adnotare curavit: huic ſoli, nec alii præterea grammatices*

matices parti deditus. Ubi vides eos Grammaticos, qui libros auctorum emendabant, etiam *diſtinguere* eoſdem ſolitos, id eſt diſtinctiones & ſubdiſtinctiones apponere. Quod Græci dicunt Critici ςίζαι. Græcis Criticis hunc eundem fuiſſe morem poſſem probare Epigrammate Græco, quod nunc non occurrit, nec etiam quærendo eſt. Duplex, ut in pauca rem contraham, diſtinguendi ratio fuit, qua voces ſingulæ invicem ſeparabantur, & qua periodi & cola. Antiquiſſima exemplaria neutram habent, neque apud Græcos, neque, apud Latinos. Tales hodie pauciſſimi reperiuntur. Nam plurimi, qui uncialibus & capitalibus litteris ſcripti ſunt, voces invicem habent diſtinctas. Quoſdam tamen vidi, qui nullam ferme vocum diſtinctionem oſtendebant. Et, niſi fallor, talis eſt MS. Livius Puteanorum. At in illis, qui rotundiore & minutiore charactere exarati reperiuntur, fere ſemper dictiones omnes diſtinctæ inter ſe apparent: ſententiæ vero abſolutæ ſolis punctis, hoc eſt τελείαις ςιγμαῖς, raræ in iis occurrunt ſubdiſtinctiones, quas tamen adhibere antiquitus ſolitos, & Ciceronis quidem ævo, patet ex Aſconii Pediani in Verrinas notis. Orientales, ut Hebræi, Syri, & Arabes voces diſtinguere ſoliti ſunt, quia literas habent vocum finales alia forma, quam quibus principia & prima notata ſunt. Addo nonnulla, quibus dignoſci poſſit antiquitas exemplarium manu exaratorum. Si quibus in libris MSS. diphtongus reperiatur Æ. duabus litteris non in unam coalitis, ſed ſeparatis, expreſſa ad hunc modum AE, aut *ae*, ſcias codices illos & vetuſtos eſſe inprimis, & fideli manu confectos. Si aliter effiċta occurrat, aut per unam literam ex duabus conflatam, aut per unicum E, cui nota ſuppoſita ſit hoc modo ę, qui primo modo ſcripti ſunt, paulo majorem vetuſtatem redolent: qui ſecundo ad infimum ſæculum relegari debent. Litteræ capitales non ſemper indicium habent majoris vetuſtatis. Nam & minores Characteres & vere Romani, rotundiore forma expreſſi, ſæpe ſummam præ ſe ferunt ἀρχαιότητα. Sunt & litteræ, quæ vocantur *Longobardicæ*, quarum uſus fuit circa Juſtiniani ævum, quibus multos libros olim vidi conſcriptos, eoſque emendatiſſimos. Vale. Leydæ. Ibid. Octob. CIƆ IƆC XLVIII.

EPISTOLA CLXXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

REdeuntes ad nos Hedui tui, quos iſtuc bene advenisſe gaudeo, huc quæſo depexum Heraldum referant. Ut enim eum mercatorum tantum opera habeamus, longior mora foret, quam ut eam non impatienter ferremus. Quidni etiam Æoliorum fratrum Apologeticas Epiſtolas? Sane per eorum humanitatem licebit: & noſtra refert de iſta cauſa, quæ ventoſi homines ſcribunt, non ignorare. Hæc itaque omnia per illos, rogo, habeamus: non enim credo eos in Batavia hiematuros. Non falſus ſum opinionis ſuper Obſervatione Galeata: quæ nulli, cui ſanum ſit ſinciput, placere poſſit. Non in eo tamen, mea ſenten-

ſententia, quod exiſtimet Matthæum, Joannem & Paulum non idem loqui de Euchariſtia. Hac enim in re pro nobis facit. Noſtri enim Doctores omnes affirmant, & recte quidem, Joannis caput ſextum neutiquam intelligendum de manducatione corporis Chriſti ſacramentali, cujus tum temporis nondum inſtitutum fuerat myſterium. Conſentiunt etiam e Pontiſiciis plurimi: illi maxime, qui ſeculo præterito contra Bohemos, utriuſque ſpeciei communionem urgentes, diſputabant. Ut enim argumento e verſiculo LIII. petito, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ſe expedirent; negabant ibi agi de Euchariſtiæ ſacramento & manducatione reali vel potius orali: ſed tantum de manducatione ſpirituali, quæ ſola fide peragitur, ſine ulla ſignorum participatione. In aliis ergo vapulet Rigaltius: ſed hic eum volo non tantum excuſatum, ſed culpæ immunem. Ante aliquot menſes ab Hugonis Grotii vidua extorquere conabar Hiſtoriam Belgicam, fidiculis II. M. Librarum noſtratium; ſed vanus fuit meus labor, dum illam pluris adhuc licetur. Hinc paucos poſt dies ad vos diſcedere cogitat cum iſto theſauro, quem typographis veſtris venditabit. Velim liberaliorem inveniat emptorem, ut aliquando tanto bono fruamur. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum XVI. Octob. CIↃ IↃC XLVIII.

EPISTOLA CLXXXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DUm adhuc licet per ſtrigilem tuam, nondum hic quenquam defricantem, curſitat κατ' οἶκον tuus Advocatus, ut te, quantum poteſt, traducat. Adfuit quoque mihi nudius tertius, & de Grammatica quæſtiuncula controverſiam fecit, & multa dixit, quæ paucis credidi ad te referenda. Negat inquit Salmaſius, in obſervationibus ad Jus Att. & Rom. in lege Solonis, quæ habetur ult de fin. Reg. bene vulgo legi ἐὰν τὶς αἱμάσιαν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ. Unde enim, inquit, *illud* ὀρύγῃ factum, aut qua forma? Deinde extremo capite, ὀρύγῃ *nec Græcum eſt nec Atticum*. In quibus tuis verbis puerile peccatum ſe magiſtrali virga caſtigaſſe inſolentius jactitat. Quis enim inquit in Grammatica Græca adeo eſt νήπιος, qui neſciat ὀρύγῃ eſſe tertiam perſonam Aoriſti ſecundi ſubjunctivi modi, ἐὰν ὀρύττῃ, ſi fodiat, ἐὰν ὀρύγῃ, ſi foderit. Certo enim certius eſt in quarta conjugatione, cum futurum habeat ξ, aoriſtum accipere γ: πράττω πράξω ἔπραγον, χαράττω χαράξω ἐχάραγον, ἀπαλλάττω ἀπήλλαγον, φυλάσσω ἐφύλαγον. Ad eandem formam ὀρύσσω ὀρύξω ὤρυγον, & in aoriſto ſecundo ſubjunctivi modi ἐὰν ὀρύγω, ὀρύγῃς. Hæc ille: quæ an belle procedant, ſi tanti eſſe exiſtimaveris, ad examen revocabis. In iſta ſane obſervatiuncula adeo ſibi blanditur, ut aperte neget te ſuam ferulam poſſe effugere. Miſi ante aliquot menſes ad Iſ. Voſſium additamenta quædam Jacobi Carmelitæ, quibus parentis ejus libri de Hiſtoricis Gr. & Lat.

 melio-

meliores & auctiores fierent. An acceperit, neſcio, quia nihil reſcripſit. Habet tamen alia multa, quæ idem Monachus, talium peritiſſimus, mecum communicavit: quæ non mittam, niſi de prioribus gratum animum fuerit teſtatus, eaque placuiſſe cognovero. Cum Moro tuo ad meliorem mentem reverſo, in gratiam, quia jubes, libenter redibo. Spem faciebat nuper de poſthumis Claudii Mezeriaci colligendis. Inter quæ cum Heroidum epiſtolarum partem alteram, tum Apollodorum cum notis, uti ſolebat, accuratiſſimis, maxime optem. Te amico vir doctiſſimus ille gloriabatur: debes ergo tu quoque ejus honori conſulere, ut mecum Morum urgeas ad id perficiendum. Dudum enim hoc ſaxum fruſtra volvo. Habeam quæſo, per Heduorum tuorum reditum, Heraldum defricatum & Apologeticas fratrum & Vincentii Epiſtolas: quod ſolveris pretium, refundam cum gratiarum actione. Ridiculus Allatius eruditis ludibrium debet. Nolim ut ad eum confutandum Phyſicas obſervationes interjungas. In iis enim te jam eſſe totum, vulgo hic dicitur. An id me celatum oportuit? Modo valeas & ſcribas, ſcribe quod animo illubeſcet tuo. Vale ergo & me ama. Lutetiæ Pariſior. XXIII. Octobris CIↃ IↃC XLVIII.

EPISTOLA CLXXXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

EXimia ſunt, rara & ſcitu digniſſima, quæ ſcripſiſti ſuper quæſtione, quam tibi propoſueram. Vellem & per otium licuiſſet quærere Epigramma Græcum, cujus meminiſti, & annotatis addere. Veriſſimum eſt autem quod affirmas, pluribus manu exaratis codicibus ſolis litteris primitus deſcriptis, accentus poſtea ſuperadditos fuiſſe. Hoc enim malam manum feciſſe in Paulinarum Epiſtolarum codice Puteanæo olim animadverti: Et idem factum eſſe in Bibliis Hebraicis B. R. ſoli cæci dubitare poſſint. Quo autem ſæculo vixerit Ariſtophanes ille Grammaticus, proſodiæ & accentuum inventor, adhuc quæro. An ille eſt, cujus meminit Suidas, quem Byzantinum facit, & ait floruiſſe κξ τὴν μευ ὀλυμπιάδα: quod quid ſit, fateor me ignorare & locum cubare in mendo exiſtimo. Tres enim iſtæ litteræ numerales nulli Olympiadi conveniant & ὑψιλὸν, iſto loco poſitum, non eſt numerale. Suidas, quo utor, editus eſt *Venetiis ab Aldo anno proximo præteriti ſeculi decimo quarto*. Video tamen Æmilium Portum in ſua Suidæ ἐκδόσει legere tantum με, quod Olympiadem XLV. deſignat, & melius procedit. Iterum cogitanti de puerili, ut arbitrabatur Heraldus, errore tuo in lege Solonis, ſuccurrit certiſſima tui defendendi ratio. ὀρύγῃ enim, hiſce literis ſcriptum licet in Pandectis Florentinis, non eſt Græcum: & falſum eſt, quod ait Advocatus in tertia perſona Aoriſti ſecundi ſubjunctivi modi a verbo ὀρύσσω formari debere ὀρύγῃ. Ignoravit ſcilicet, quod olim in Schola diſcipulos ſuos docuit, verba ab o parvo incipientia

in

in Aoriſtis accipere o magnum. Legi itaque hic debet ὠρύγη, & bene aſſeruiſti ὀρύγη Græca forma non eſſe percuſſum. Melius tamen procedit tuum ὀρθώη, immo ὠρθώη niſi longiuſcule a recepta ſcriptura abeſſe videatur. Cæterum ὡς ἥδομαι, καὶ χαίρομαι, καὶ τέρπομαι: invito enim ludimagiſtro licebit mihi cum Ariſtophanis Satrapa impune βαρβαρίζειν. Nempe penes me eſt ſpecimen tuum. Jambi præfixi Arcadiæ pecuaria quam altum rudere cogunt: quam elegantes ſunt, quam acres, quam atroces! Ille vero, in furias ignemque ruit ἀλλ' ὀλοαῖς μανίαις. Hactenus, inquit, levi manu cum eo egeram, deinceps decretoriis armis eſt mihi confodiendus. Eum maxime urit, quod de ejus patre Bombardario, an Bombardiſta? ſæpius inculcaſti. Atqui militum dux erat, inquit, & quidem egregie ſtrenuus, & pro Principe fortiter dimicans occubuit. Volebam de ipſo argumento aliquid addere, ſed liber mihi ereptus eſt, & paucis adhuc hic exemplaribus per Urbem vagatur. Donec ergo ad me redierit, plura ſcribere ſuperſedebo. De Paulino loco quæ ſcribis, ſcrupulum non eximunt. Dicebam mendoſum videri & hiulcam eſſe orationem: Negas ſed σολοικοφανῆ κατὰ τὸ ἀνακόλουθον. Omnino, quicquid eleves, σολοικίζει vulgatus textus, qui belle procederet in hunc modum reſtitutus: οὐ μόνον δὲ (υἱὸς ſcilicet promiſſus) ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτης τοῦ ἰσαὰκ πρὸς ἡμῶν δύο ἔχουσα. Sed religio eſt quicquam mutare. Verus ergo ſenſus exſculpendus eſt ex verbis, prout jacent, vel potius divinandus, quod eſt in proclivi. Virgilii locum a te laudatum in Æneide, *Craſtina lux ſpectabis cædis acervos*, Cubare in mendo Servius dudum monuit & legi oportere *ſpectabit*: & contra ſentientes erroris notavit. Vides me non adeo pronis auribus accipere quæcunque a te afferuntur, quod aliquando mihi exprobraſti. Quamvis Hedui tui Lutetiam non veniſſent, ſaltem Caleti vel Diepæ appellentes fieri non poterat, quin Divionem proficiſcentes propter hanc Urbem tranſirent & res diu deſideratas redderent. Expectabo alia occaſione nova quæ promittis. Nihil unquam ad Diodatum Genevenſem tuo nomine miſi, quem tibi amicum hactenus neſciveram. Recordari autem non poſſim, an ad Gothofredum & Morum miſſa ſint a me bina exemplaria tuorum Climactericorum. Sed vere affirmem me verum ac fidum catalogum eorum, quæ ſparſi huc illuc, tibi tranſmiſiſſe. Vale cum tua a me ac mea καὶ εὐτύχει διάπαντος. Lutetiæ Pariſiorum. 6. Novembris 1648.

EPISTOLA CLXXXVII.

CL. SALMASIUS

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

NOn dubium eſt quin Ariſtophanes, de quo Suidas, ſit ille Byzantinus, qui Grammaticam Alexandriæ docuit; immo & didicit præceptoribus Callimacho & Zenodoto: iſto Alexandrino, illo Cyreneo; ſed in Alexandria doctore Grammatico: unde & quando vixerit licet conjectare. Nam dicit ibi Suidas,

Suidas, puerum quidem, Callimachi diſcipulum fuiſſe, at juvenem, Zenodoti. Callimachum conſtat floruiſſe ſub Ptolemæo Philadelpho, & poema ſcripſiſſe in Berenices uxoris ejus crines, quod a Catullo Latinis verſibus expreſſum hodie extat. Uſque ad tempora Euergetis Ptolemæi ætatem extendiſſe proditur ille Callimachus. Inde igitur poſſumus veritatem, quæ corrupta legitur apud Suidam, eruere. In Editione Frobeniana non habetur ut in tua, ſed κατὰ τὴν με. Atque ita etiam reperies ſcriptum in Codice Regio. Sed omnino excidit una litera, & reſcribi debet κατὰ τὴν ρμε, centeſimam & quadrageſimam quintam Olympiadem. Euergetes Ptolemæus, ſub quo diem ſuum obiit Callimachus, regnare cæpit Olympiade CXXXIII. Apud Suidam perperam habetur Euergeten regnum auſpicatum eſſe anno ſecundo Olympiadis CXXVII. Ex his ſane vides, ſi Ariſtophanes Callimachum puer audivit, qui ſub Euergete mortuus eſt, non abhorrere ut floruerit ipſe circa Olympiadem CXLIII. Utut ſit de tempore ferme conſtat, quo vixit hic Ariſtophanes, nempe ſub Ptolemæo Euergete, atque etiam ſub Philopatore, in cujus imperii finem cadit illa CXLIII. Olympias Ut hinc etiam ſtatui videatur poſſe, ſub Epiphane Ptolemæo hunc Ariſtophanem in Grammatica illuſtrem fuiſſe. Iſte Ariſtophanes fecit, ut meminerim explicare verſus illos Poetæ, de quibus olim rogaveras, ipſe oblitus fueram. In Lyſiſtrata ſcribendum eſt ὁ μὲν ἄρ ἥκων ut ſtet verſus. In ſequenti tam legis metricæ, quam orationis Græcæ gratia legendum: Κἂν τούτου μὴ 'πιλάβηται. *Breve eſt tempus nubendi mulieribus, quod ſi non prehenderint, effugit & elabitur.* Senſus horum verborum ὀττευομένη δὲ κάθηται, non eſt quem interpretes hariolati ſunt. Nec enim ὀττεύεσθαι *vaticinari* eſt, ſed *vates conſulere, auguriis & ominibus attendere*, & quod Græci dicunt κληδονίζεσθαι. Hoc vetulæ virgines faciebant, quod & noſtræ factitant. Conſulunt hariolos & ſortilegos de nuptiis ſuis: quando nimirum nupturæ ſint, quales maritos habituræ? Sortilegia etiam faciunt, ut futurum ſuper hac re cognoſcant. Hoc eſt plane ὀττεύεσθαι, οἰωνοσκοπεῖν, κληδονίζεσθαι, & *auguria captare* de futuro conjugio. Dido amans apud Virgilium ita etiam ὀττεύεται,

Æneid. IV. —— *pecudumque recluſis*
Viſceribus inhians, ſpirantia conſulit exta.

Quantum mihi placuerit Commentarii in Apocalypſim Launæi tui lectio, non poſſum exprimere. Maximam quoque ſe in eo percurrendo voluptatem cum fructu percepiſſe, Hottonus Amſtelodamenſis Eccleſiaſtes ad me ſcripſit. Doleo iſtud Opus hic edi non poſſe. Infelicia tempora hæc licet clamare, in quibus futilia multa ſcripta editores ſuos paſſim nanciſcuntur & emptores, cum utilia jaceant. Quid facias? ita vivitur. Non ſolum πλεῖστοι κακοὶ, quod ille Sophus jactabat olim, ſed etiam πλεῖστοι ἀπαίδευτοι. Nihil addam amplius, niſi ut me ames; quod, ſcio, facis. Vale Leydæ. II. Novemb. CIↃ IↃC XLVIII.

EPISTOLA CLXXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ANte annum quidem & amplius comparavi mihi aliquot Codices manuſcriptos ex Bibliotheca, quæ fuerat olim Joannis Tilii, Meldenſis Epiſcopi, ſed omnes fere, præter unum Virgilium Servii, & alterum Cypriani & Auguſtini, varios habentem tractatus poſterioris ætatis & ſequioris notæ. Ab illo vero tempore, uti & antea, verſavi ſatis multos N. T. veteres libros, etiam manu exaratos, præſertim vero Puteanæum, qui unus inſtar omnium, Paulinas quod ſpectat Epiſtolas, quas ſolas habet. Quia autem huic poſtremo accentus a mala manu additi fuere, ſcire volui, quando nati ſint iſti accentus, & quando vulgari ſcripturæ ſuperponi cœpti. Quibus meis quæſitis plane ſatisfeciſti & magnas habeo agoque gratias. Sicut etiam quod me docueris, qua ratione retundendus ſit Advocatus tui, ut exiſtimat, triumphator, ſed hactenus nec in jure Attico aut Romano, neque in Grammatica Græca. Urgebat tamen præcipue, quod negaſſes ὀρύγη Græca forma dici poſſe: idque revincere ſe putabat allatis argumentis, quæ ad te retuli. Ego vero aliam tui defendendi credebam reperiſſe idoneam rationem: an tibi arriſerit proximis tuis cognoſcam. Quando autem per recurrentem nimium ſæpe podagram vetaris majori operi manus admovere, vellem meminiſſe velles promiſſi mihi olim Epictetei textus emaculatioris, ubi aliquas ferias indulſerit ſævus & atrox dolor. Tantum expeto ut inter varias lectiones, quibus editio Plantini onerata eſt, commodiſſimam eligas, aliis rejectis, & emendes quæ emendenda judicaveris: quo labore, ne quidem podagrico ingrato futuro, magnam a me gratiam inieris. Ego quoque podager hac vice quatriduanus a te hoc poſtulo. Moles voluminis vel in lecto poteſt tractari. Scribam Gallice cras de veſtris lanificiis, quæ e re veſtra eſſe exiſtimabo. Miſi ad Puteanos quas utrique ſcripſiſti: eos enim jam convenire non poſſum. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum VIII. Novembris CIƆ IƆC XLVIII.

EPISTOLA CLXXXIX.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Uſſerio Armachano.

Londinum.

PRidem accepi quam miſiſti capſulam, Illuſtriſſime Antiſtes, in qua multa tua habebantur, Puteano, Blondello, Juſtello, Bootio, Sirmondo & Petavio reddenda. Statim mandato officio defunctus ſum, nec dubito illos tibi dudum gratias egiſſe. Ego mihi ſervavi, quæ inveni meo nomine prænotata, pro quibus magnas habeo & ago gratias. Præſertim vero ἐυφράνθη ἡ καρδία μȣ καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσα μȣ, viſo ſpecimine Alexandrini exemplaris,

quod iſtic excudi cœptum eſt. Sed quare trahitur nobiliſſimi operis editio? feſtinato ſane opus eſſet, & qualemcumque moram omnes docti & probi impatienter ferunt. Magna quippe in Eccleſiam utilitas inde redundabit, uti & in ſummum virum Patricium Junium gloria non vulgaris. Cujus tu quoque particeps eris, pro ea quam impendis opera, cum in Prolegomenis adornandis, tum in urgendo laudabili hoc propoſito. Fruſtra autem hinc ſubſidium expectetis. Boni illi viri ſibi ſolis ſapiunt, ſi quid ſapiunt. Negant penes ſe eſſe Cardinalis Rupisfucaldi Prophetarum MS. codicem, cum tamen ejus integra ſuppellectile libraria ſint potiti. Cogitaverat aliquando Fronto Ducæus de recenſendis Græcis Sixti Bibliis: & multa, ut ajunt, præclara in eam rem congeſſerat. Dum autem omnem movet lapidem, ut ſuam ἔκδοσιν, undique conquiſitis opibus, locupletet, ſcripſit de ſuo conſilio Romam ad Socios, & ad Vaticanæ Bibliothecæ cuſtodes, ut ſe aliqua juvarent. Illi vero, eximiis, quos promovere debebant, conatibus, interceſſerunt; his fere rationibus, falſis certe & futilibus. Quod omnes iſtæ Lectionum Varietates turbarent potius, quam firmarent aut inſtruerent Chriſtianorum animos: quodque poſt Clementis Vulgatam nihil, quod alicujus foret momenti, ſupereſſet. Nec hoc dixiſſe contenti, voluerunt, juſſerunt ut Romam mitteret quæcumque de eo argumento ſibi paraviſſet. Parere autem neceſſe fuit miſero iſti mortali, cui ita omnis inſumptus labor οἴχεται. Hoc de Frontone nuper didici ab ipſo Sirmondo. In Paulinas Epiſtolas poſſem ego, otium ſi nactus eſſem, aliquam Symbolam conferre: ſed per forenſes pœne aſſiduas occupationes vix licet de iſtis rebus ire in conſilium. Et omnino quæ habeo, pauca ſunt, nec forſan tanti, ut vos morentur. Solida itaque nobiliſſimi inſtituti gloria, vobis debebitur. Pergite ergo alacriter, nec deſinite, donec poſtremam manum impoſueritis. Quando aliud non poſſumus, vobis aderimus noſtris votis, quæ DEUS, ita precor & voveo, audiat. Ei ego te, Vir Reverendiſſime, ex animo commendo & me Tibi. Vale & ama tui cultorem ſtudioſiſſimum. Lutetiæ Pariſiorum IX. Novemb. CIↃ IↃC XLVIII.

EPISTOLA CXC.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NUllas ad me dedit literas Paris noſter, ſed tantum haſce ad te, ex induſtria, ut vides, male ſignatas. Voluit ſcilicet ut eas legerem, & viderem ſe aliquando tuis conſiliis obſecutum, omnes moras rupiſſe, ut evaderet, erumperet, effugeret: quod jam bonum factum, melius adhuc ante ſex ſeptemve menſes fuiſſet. Donec tamen eum ſciam extra Allobrogum fines conſtitutum, non libet epinicium canere Νενίκηκας Σαλμάσιε, νενίκηκας, adeo πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Cum tamen ut ait, ex ambone populo valedixerit, eum pudebit conſilium mutare. Poſt anni integri moram recenſere jam recuſat Gothofredus Parentis

tis notas in corpus juris civilis. Significavi itaque Elzeviriis ſe poſſe quandocumque inchoare præclaram illius operis editionem, quam jamdudum meditantur. Sed commoda illis exemplum tuum, ut ex eo flores colligant, per juriſprudentiæ latifundia ſpargendos. Dicent anteceſſores Andegavenſes & Aquiſextienſes te non Juriſconſultum fundamenta juris convellere: Nos dicemus illos non ſapere. Quam multa enim ſunt in jure, quæ a notitia ſermonis Latini & Græci pendent potius, quam a Juriſconſultorum formulis. Sane qui verba neſcit, fruſtra & falſo ſe res intelligere poſſe ſine illis exiſtimet. Quam multa antea occulta & penitus ignota nos docuerunt, qui humanioribus litteris diligenter incubuerant Alciatus & Cujacius, quæ Accurſius & Bartolus perverſe fuerant interpretati propter illarum ignorationem? Septimana præterita vexatus fui nephriticis doloribus, qui vires meas mirum in modum fregerunt. Convaleſcere tamen incipio. Immo morborum ſedem deſerui, & Valentiam oculis proſequor. Tu vale ſemper. Lutetiæ Pariſiorum IV. Decemb. CIↃ IↃC XLVIII.

EPISTOLA CXCI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

HIc quoque vidimus puſillum illum Dialogum, cui titulum facis *Catechiſmum doctrinæ Salmurienſis*. Nihil levius aut futilius iſta ſcriptiuncula, quam etiam mulierculæ derident. Non proſtat venalis apud quemquam bibliopolam, ſed per domos miſſitatur malo animo, ut ſcilicet tranquillitas Eccleſiæ noſtræ, in doctrina de univerſalitate Gratiæ divinæ concordis, turbetur. Hactenus neglectum eſt inquiri in auctorem, quem ajunt eſſe quendam Catterium in Græcis non ineruditum, ſed in Theologia parum verſatum, a cujus etiam ſtudio deſtiterit monentibus Paſtoribus noſtris aliiſque, qui eum huic muneri obeundo minus idoneum judicaverant. Si quid tamen mei eſt judicii, hujus nomen obtenditur, ut verus auctor, vir ſuo judicio ſummus, ſed revera eruditione valde communi tinctus, lateat. Quicquid ſit, parum nobis periculi ab iſtis inſidiis, qui ne quidem totas Batavicas acies formidamus. Cæterum hoc dolo maligne utuntur, quia ante aliquot menſes vetuit preſbyterium noſtrum publice divendi Carentoni P. Molinæi Gallicum librum iſtic excuſum, cum titulo *Controverſiarum Salmurienſium Elucidationes*, qua de re bonus ille Senex cum ſuis ſectatoribus tanquam de inſigni injuria conqueſtus eſt. Factum id tamen decretum nemine penitus diſſentiente, ne illis quidem, qui alias ipſi apertius favent. Accinxit ſe Advocatus confutationi tui ſpeciminis, cujus vidi integrum ternionem majorem excuſum, quem audio iſtuc eſſe miſſum δείγματος χάριν. Quaſdam ex eo eclogas conficere libuit, quas ecce hic habes. Exiſtimat te a ſe inſigni affectum injuria, cum te vocaverit Profeſſorem honorarium & D. H. Viri doctiſſimi collegam. Utinam hæc qualiſcunque contumelia a te obtineret tractatum tuum de Titulis & Dignitatibus

honorariis, cujus fere ante biennium ſpem faciebas. Præcedat tamen Militia Romana, quam omnes dudum flagitant. Priorem tuum faſciculum accepi, in quo fratrum Pictonum & Vincentii erant epiſtolæ cum ſpecimine tuo & reſponſione ad Cotterium. Sane qui moderationis Chriſtianæ exempla quærat, ab aliis, quam a noſtris Theologis, ea petat neceſſe eſt. Nihil unquam lectum eſt injurioſius aut contumelioſius. Expecto alterum, in quo Apologia Mori & Diarium Cardinalitium. Dum cogitat Launæus, quam mendoſæ ſint veſtrates librorum Gallicorum editiones, conſilium cepit de procuranda alibi editione ſuæ Apocalypſios, quam ut ad Douchantium mittas, rogat & obſecrat. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. XI. Decemb. CIϽ IϽC XLVIII.

EPSITOLA CXCII.

CL. SARRAVIUS

Vincentio Fabricio.

Warſoviam.

HActenus me pœnituerat, petentibus Elzeviriis facilius conceſſiſſe, quas diligenter conquiſitas mihi ſervabam, Grotii ad Gallos Epiſtolas. Tot enim mendis deformis editæ ſunt, ut ſi reviviſceret ſuſpiciendus poſt futuris ſæculis omnibus auctor, eas pro ſuis vix, ſaltem non ſine verecundia agnoſceret. Verumtamen, quia video qualemcumque conatum noſtrum tibi non improbari, habeo quod mihi gaudeam, de ſecunda præſertim, quam apud eoſdem procurare non ceſſo, Editione auctiore & emendatiore. Certe tanti viri amicitia liceat mihi ſuperbire, cui vel innotuiſſe non poteſt non eſſe glorioſum. Quanti autem te fecerit tuamque eruditionem, non ignorabit hæc aut ventura ætas, apud quas depoſuit meritorum tuorum luculentiſſimum teſtimonium. Cum eo nempe communicaveram, ut ſolebam mea fere omnia, ſublimis ſpiritus Elegiam, quam ad me e Biturigibus miſeras, humanitatis erga me tuæ ſenſibus diffluentem: ille vero noluit eam ad me redire ſine inſigni Elogio, quod mihi tum & poſtea gratiſſimum; nunc vero eo magis etiam placet, quod inde nata tibi occaſio me ſuaviſſimis litteris compellandi. Beatæ ergo illi animæ, vel hoc nomine debeo, debeboque ſemper plurimum; ſicut & tibi pro eximia tua comitate, quam ut mihi ſerves perpetuam opto precorque. Oſſolinii veſtri Orationes hic, quod ſciam, ſui copiam non fecerunt: certe de illis nihil omnino cognovi. At Selenographiam illuſtris veſtratis Mathematici magnifaciunt omnes, præſertim vero Aſtrologorum filii. Quæ autem Bullialdi noſtri ſit de ea ſententia, melius ab ipſo intelliges: nempe ex epiſtola, quam ad ipſum Hevelium, me aurem vellente, bene longam ſcripſit. Sane vel iſtius cœleſtis ſcientiæ imperitis, liber iſte non poteſt non placere propter admirabiles magni illius ſideris varias phaſes, accuratiſſime delineatas. Addam me quoque tuo exemplo Poetam factum eſſe: Imo ſcripſi carmina *linenda cedro & ſervanda cupreſſo*, uſque adeo materia formam nobilitat. Itaque Iconi ſummi amici mei hoc adſcripſi

Quan-

Quantum ſcire hominem Divina Potentia vellet,
Oſtendit terris, SALMASIUMQUE *dedit.*

Alteri Tabulæ Petri Puteani, qui, dum hic eſſes, binos illos Tomos *De Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* edidit, in quibus De Juriſdictione Regia & Eccleſiaſtica copioſe & ſolerter agitur, adſcripſi.

Hic eſt qui Terræ, qui Cæli dividit apte
Imperia, & metas ponit utrique ſuas.

Diu dubitavi an tuas contra Erpſtenium chartas recepiſſes, quia in poſtremis tuis altum de illis ſilentium. Facile exiſtimo eas non periiſſe. Deſino plura ſcribere. Vale ergo & me amare perge tui ſtudioſiſſimum. Lutetiæ Pariſior. XVII. Decemb. CIϽ IϽC XLVIII.

VINCENTII FABRICII ELEGIA AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM CL. SARRAVIUM SENATOREM PARISIENSEM.

Non mihi ſit Ligeris tanti, formoſaque ripa,
Non Sancerrani plurima vitis agri;
Si nulla Aonides nitidis in collibus errant,
Deque ſacro nullus fons Helicone fluit.
Denique ſi procul eſt SARRAVIUS, *utere remis*
Navita; deliciis nolo carere meis.
Utere equis auriga: piget vitæque, locique:
Non placuit Muſis, non placet ille mihi.
Et jubet ipſe meus SARRAVIUS *inde reverti,*
Meque Pariſiacis reddere geſtit agris.
Grande viæ precium properanti ſpondet uterque,
Quoque vocor Sedes Regia, quique vocat.
Illic occurrit per ſingula compita Phœbus,
Auratoque nitens pectine pulſat ebur.
Illic conſpicias velantes limina lauros,
Sacraque Muſarum quolibet eſſe loco.
Ara vetus colitur, Regum quæ cura priorum
Numen adorandæ relligionis habet.
Non aliud toto fanum eſt auguſtius Orbe:
Non alibi tanta conſpiciuntur opes.
Maximus antiſtes quondam Caſaubonus illic
Obtulit innocua ſplendida thura manu.
Succeſſit ſacra Myſtes Rigaltius Ara,
Atque loci genium quo tueatur habet.
Et confert ſua vota virûm veneranda caterva,

 No-

Nominis æternum qui meruêre decus.
Regalem vicit pietatem pene Thuanus:
Teſtis erit media nobilis Ara domo.
Circumfuſa cohors Puteanoi undique Fratres,
Perpetuo Muſas thuris honore colit.
Felix, cui procul adſtanti ſemel iſta tueri,
Participemque ſacris vocibus eſſe licet.
Nec tua, SARRAVI, *Domus eſt ſine Numine: nec tu*
Intonſi myſtes negligis eſſe Dei.
Indicat hoc Sacrata, & te modo digna Supellex,
Splendida ſelectis BIBLIOTHECA *libris.*
Occupet infami ſpecioſa Lutetia luxu,
Quos delectat iners, & ſine laude Venus.
Deliciæque gula. Vanos ſectentur honores
Ambitio, ſi quos non ſinit eſſe bonos.
Me tua, ſecluſo, tecum, dulciſſime, vulgo
PORTICUS *excipiat, reſtituatque mihi.*
Hic nos innocuis faciemus uterque Camœnis;
Hic monitis creſcam, proficiamque tuis.
Hic nos invidiam facili tranſmittere riſu,
Quodlibet ex quavis parte docebit opus.

EPISTOLA CXCIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NIſi timerem pertinaciæ notam, poſſem adhuc diſputare de Aoriſtis primis & ſecundis, qui aliquando ſimul in uſu eſſe videntur. Ergo contra tuam definitionem locus eſt ſecundo, quamvis primus uſurpetur. Vin Tu exemplum II. Tim. 3. 8. ubi ecce Aoriſtum primum ἀντέστησαν, & tamen ſecundus etiam in uſu. Galat. 2. 11. ubi eſt ἀντέστην aoriſtus ſecundus, uti alibi ἀντέστησαν aoriſtus primus. Rurſum Act. 2. 24. & 32. & Cap. 6. 9. & 9. 41. Ecce aoriſtum primum, ecce quoque ſecundum ἀνέστη. Marci 3. 26. 9. 27. & Lucæ 4. 16. Adde ἀπέστησε, ἀπέστησαν. Act. v. 37. XXII. 29. & ἀπέστη Lucæ 4. 13. Act. 12. 10. An verba in μι excipiuntur a tua regula. Sed omiſſis iſtis mere Grammaticalibus, aliud habeo, quod jam dicam aliquo modo tamen etiam Grammaticale. Bene probaſti in nupero ſpecimine, ſubſcripta fuiſſe teſtamenta antequam ſignarentur. Negas autem, quod Gothofredus & alii ex l. penult. D. Qui Teſt. fac. poſſ. aſſerunt, ſubſcriptionem teſtium factam fuiſſe in hunc modum, *Ego L. Titius ſubſcripſi, & C. Seji teſtamentum obſignavi.* Lex ſane, quod non videris animadvertiſſe, vult ut teſtis ſuum & teſtatoris quoque nomen adſcribat. Hæc enim verba *quis & cujus* teſtamentum ſignaverit, id apertius pro-

probant, quam ut negari poſſit. *Quis* ſcilicet
Cujus, ſcilicet teſtatoris & C. Seji teſtament
ſenſu τὶς καὶ τινός. Secundo negas *ſignaveri*
teſtium ſignis. Quomodo enim, inquis, poſſur
nondum feciſſent. Quaſi vero non poſſint te
niſſent? Dico ergo *ſignaverit* eſſe tertiam perſo
perfecti ſubjunctivi modi, quod eſt a *ſignavero*
tem a *ſignaverim*, *ſignaveris*, *ſignaverit*. At,
Nazianzeni non fecere teſtes ullam obſignandi
teſtamentum verum ſit. Statim quippe occurrit
ἐπίσκοπος τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κωνς
nunquam Gregorium Nazianzenum ſe geſſiſſe
tano, ut revera non fuit. Corocottæ ludicrun
non poteſt certam fidem facere, utpote ridicu
ctum, aut ad præſcriptum Edicti Prætoris,
etiam teſtatoris nomen adſcribant. Teſtamen
teſt facere negotium: ſed dudum ejus veritas ap
vi ad amicos, quas ad me miſiſti literas. Vale
Decemb. CIƆ IƆC XLVIII.

EPISTOLA C

CL. SALMA

Claudio Sarravi

Lugdunum Batavorum.

Cum ex Heraldi trifolio excerpta ad te miſi,
Prima ut mature aſſueſcas iſta omnia con
dicitur, prævíſa minus feriunt, quia facilius de
intellexeram Auctorem totum iſtud, quicquid
rem iniquam exiſtimavi, ſi æmuli tui plenius d
plane ignorares. Certe bene feceris, ſi jocis &
Melius vero, quin etiam optime, ſi ſolo contem
bere loqui? Hujuſmodi diſputandi modus mal
in bonarum literarum ſtudiis ætatem triverunt.
tia prætexatur, animo noſtro morem gerimus
blicum magis revereri, cui non oporteret affect
Itaque de Craſſo Adamo nihil a me expectato,
ſcriberem: cum potius velim iſtud incendium
ſuffundere. Quid Moro factum ſit, neſcio, ne
lexi. Uti nec vidi ejus innocentiam a te vindica
quem accepi a Ludolpho, præter gemina exe
omnino nihil. Tertium ergo expectabo: maxi
deſidero. De Bocharto noli amplius eſſe ſollici

ſemper erit. Aliunde ergo ſibi proſpiciant Harder-Wicences. Ipſe, ut puto, liquido ad te perſcripſerit ſe non poſſe locum mutare. Blondellum veſtrum eſſe optavi olim, & adhuc opto, hac nempe ratione: Quia hic vix ſui Dominus eſt: omne ei tempus perit in rebus nihili, Genealogiis virorum Principum texendis, Regni Juribus ſtabiliendis, quorum cauſa huc non eſt evocatus. Vir nempe nimium facilis nihil amicis recuſat. Poſſet autem in illuſtri aliqua Schola aut Academia Eccleſiaſticam Hiſtoriam illuſtrare & ornare, huic uni rei addictus. Bochartus vero inferioris Neuſtriæ coryphæus cum concionando, tum rebus agendis & dirigendis præcipuam navat operam: & præterea ſcribit in Muſæo, quæ poſſint eruditorum oculos & mentem morari. Hoc inter utrumque diſcrimen intercedit. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. Calendis Januariis A. Ch. CIↃ IↃC XLIX. quem tibi tuiſque fauſtum fortunatumque precor & voveo.

EPISTOLA CXCV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DE Aoriſtis fateor nihil a me allatum, quod regulam tuam infringat, adeo plene ſatisfeciſti objectionibus quas contra eam formaveram. Non idem dico de Pauli lege penult. D. Qui teſtamenta: in qua hæc verba, *quis & cujus teſtamentum ſignaverit*, adhuc exiſtimo poſſe intelligi de teſtamento jam ſubſcripto, & jamjam ſignando a teſtibus. Ita ut verbum *ſignaverit* futurum non præteritum tempus deſignet. Nec ita abſurdum eſt, ut nobis perſuadere conaris, dicere nos aliquid feciſſe, quod ſtatim facturi ſumus. Certe in uſu quotidiano eſt apud nos, ut ſcribamus in hunc modum. Ego ſubſignatus fateor me accepiſſe centum a Petro, cum tamen nondum ſubſignaverim vel potius ſubſcripſerim apocham, ſed tantum jamjam ſubſcripturus ſim. Sed tempus non ſuadet in iſtis tricis diutius immorari. Eo enim ſtatu eſt hæc vrbs & Senatus præcipue noſter propter ſubitaneum & nocturnum Regis, Reginæ omniumque Principum virorum diſceſſum, malo conſilio in noſtram perniciem procuratum, ut plane neſciamus quid agere, quid moliri debeamus. Urbs undique milite cingitur, qui vitæ ſubſidia prohibeat, ut plebs in ſummas anguſtias redacta in nos ruat & ſæviat. Fingunt quoſduam noſtri ordinis de capiendo Rege conſilium iniiſſe cum Regni hoſtibus, quod adeo fatuum eſt & inſulſum, ut nulli adhuc probaverint. Interea urbe & agris turbatur, nec rationibus flecti ſe ſinunt, qui truculentam meditati vindictam de ea tantum cogitant. Miſereatur innocentiæ noſtræ DEUS Optimus Maximus, qui potens eſt corda Regum pro ſuo arbitrio inflectere. In eo ſolo ſpes noſtræ jam ſitæ ſunt. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum 8. Januarii 1649.

EPI-

EPISTOLA CXCVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

POſt diuturnum ſilentium, non videor commodius poſſe auſpicari, quam ab hiſce Apoſtoli verbis, Ἐῤῥύσθημεν ἐκ ςόματος λέοντος. Leonem enim voco Principem tuum, ducem bello ſane egregium, ſed immitem & crudelem. Ungues ejus aſperrimos ſenſere noſtra περιπόλια, in quæ ferino plane ritu ſævit, cum ipſam Urbem ejuſve ſuburbia attentare non auderet. Liberavit nos unus DEUS, qui variis ſupra hominum fidem modis ſuffecit ampliſſimæ civitati, unde duos hibernos menſes viveret infinita pauperum multitudo, cum incolarum, tum ex vaſtatis undique agris confluentium. Per Imperatores nimis multos nihil ſuis viribus dignum fecere Pariſienſes, in ſpeciem concordes, ſed revera in varias partes diviſi. Non effecit tamen, ſit laus τῷ Κρείττονι, quod animo ſcelus agitaverat Eminentiſſimus. Nunc meliora tempora jubent nos bene ſperare: bono etiam eſſe animo: Manet quippe Senatus noſter omnibus ſuis partibus incolumis. Manent integra, quæ in Regni commodum obtinuimus anno ſuperiore, Edicta. Licebit tantum Regi, per hujuſce anni quod ſupereſt, totumque ſequentem, mutuam ſumere pecuniam ſub Uſuris, ut loquimur, duodecimis; quod alii dicunt octo & trientem in centum, cum antea quindecim aut etiam viginti ſolvere ſoleret. Nos vero omnem verſuram ipſi ſuſtuleramus. An erat tanti hoc fœnus, ut ejus cauſa oporteret Urbem principem, quin immo univerſam Galliam in extrema tegula conſtituere? Si enim ſtatim initio Provinciæ, quas jam turbant, ſeſe commoviſſent, actum erat de Francorum Monarchia, adeo graſſatum eſſet incendium. Sed miſertus eſt innocentiſſimi Regis omnipotens Deus, qui etiam hæc mala aliquando leviora reddet. Pergit de ſingulis conſtituere conventus, qui habetur in prætorio fani Germani. Neuſtriis multa & varia poſtulantibus, diutius trahitur quam exiſtimabatur. Omnia tamen ad pacem vergunt; quam det nobis in hac vita diuturnam, & in cœlo æternam ſummus bellorum Arbiter, cui te tuaque omnia commendo, & me tibi. Lutet. Pariſ. XXVI. Martii. CIϽ IϽC XLIX.

EPISTOLA CXCVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Procedet deinceps literarium noſtrum commercium, pace hic inter infenſos & diſcordes conciliata, conditionibus, modo obſerventur, haud adeo iniquis. Ut dubitemus facit fluxa aulæ fides & præteriti non ita pridem temporis recordatio. Præterea manet perfidiæ perpetuus auctor, quem Regno expellere optaverant. Sed ira noſtra ſine viribus vana quid potuit. Hactenus

ſatis fuit nobis ſine ulla querela, ſine belli denuntiatione, obſeſſis tempore anni duriſſimo, inſidias & apertam inimicorum vim effugiſſe. Potuiſſemus forſan diutius trahendo bellum voti compotes fieri: Sed adhibendum non erat remedium, quod ægrum & ipſum quoque medicum perdidiſſet. Satius ergo fuit, nec fame nec ferro oppreſſis, tempori ſervire, & Divinæ Providentiæ futura committere. Non auſit ὁ ἐπικατάρατος, ſibi ſcelerum ſuorum conſcius, in Urbem redire, dum veretur, ne quod exemplum in ſuum popularem proditum eſt, in ſe quoque ſtatuatur. Itaque ille rus colet, nos Urbem. Et hæc hactenus. Non tantum Urbe obſeſſa, ſed omnibus quoque inſeſſis itineribus quid uſpiam gentium ageretur ignoravimus. Quando ergo reſcribes noli vereri ne veterem nimis nobis occinas cantilenam. Omnia quæ hoc anno acciderunt in novorum cenſum reponemus, præſertim in re litteraria. Nam Angliæ Tragica & horribilia facinora omnes cuſtodes perrupere, ut ad nos penetrarint: & timuimus aliquando ne e pene ſimilibus initiis, ὃ μὴ γένοιτο μηδ' ἔσται, non diſſimilis exitus haberetur. Sed quid Moro tandem factum eſt? An iſtuc tandem tranſit, an adhuc Genevæ hæret? Quid Vitruvio cum novo Gloſſario diutius expectato? An adhuc præla veſtra exercet? Memento te Rollando Mareſio non reſpondiſſe, quod te facturum promiſiſti. De ſtudiis & ſcriptis quoque tuis, addes quod voles. Heraldi liber toto belli tempore quievit. Neſcio an cum libertate noſtra foras emitetur. De tua præſertim valetudine ſcire deſidero, quo in ſtatu ſit. Hic valent amici: ego quoque nuperæ podagræ compedibus ſolutus ſatis valeo. Vale tu & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. 2. Aprilis CIↃ IↃCXLIX.

EPISTOLA CXCVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Q*Uis poteſt deſerta patria beatus eſſe?* Scribebat olim Cicero Attico. Ego ſane de Urbe deſerenda ne quidem cogitavi. Quin immo cum poſſem initio Obſidionis, uxorem & liberos foras amandare, ubi videbantur tutius poſſe degere, malui omnes meos mecum habere, ut nos invicem juvaremus vel etiam ſolaremur. Nec conſilio defuit eventus; ſecurius enim hic viximus, quam in vicinis agris, quos fere omnes vaſtaverunt milites cum animo ſuo, tum ducis imperio ferociſſimi & rapaciſſimi. Deinde malo exemplo Ampliſſimum Ordinem reliquiſſem, qui quotidie de maximis rebus deliberabat. Certe *Fracta nave*, ut ait vetus auctor ad Herennium, *multi incolumes evaſerunt, ex naufragio patriæ, nemo poteſt ſalvus enatare.* Duravimus ergo & rebus ſi non ſecundis, ſaltem aliquanto minus malis, nos ſervavimus. Quamvis autem hic ſemper manſerim, tamen non potui per Neuſtriam ad te ſcribere: non enim procedebat literarium aliudve commercium inter Lutetiam & Rothomagum, inſeſſis, ut nuper ſcribebam, itineribus; ita ut non licuerit niſi cum

ſum-

EPISTOLA CXCIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ADeo aulici noſtri, adeo fidenter pacem brevi conciliatum iri cum Hiſpano jactant, ut pene perſuadeant. Dicunt enim cum Condæo tuo Purpuratum & Tellerium Peronam eſſe profectos, tanquam ad condictum locum, in quo de conditionibus cum pigneranda ſtatim tranſigatur: eoſque ad Reginam craſtino die redituros. Itaque poſt diem unum aut alterum videbimus quid inde ſperandum ſit. Accinge te interea itineri, ut nos brevi inviſas; poſt peractum tamen tuum pro Carolo Angliæ Regum noviſſimo Apologeticum. Non omnino conſtituit Bochartus iſtam defenſionem omittere: ſed voluit videre quid iſti Inſulares dicturi eſſent, antequam operi manum admoveret. Quod ais Reges ſolo Deo minores ei ſoli obnoxios eſſe, cæterum vivere ἀνυπευθύνως, vulgo id dicitur. Negant tamen Angli; quin immo populos Regibus antiquiores eos conſtituiſſe ad ſe tutandos juxta patriarum Legum & conſuetudinum præſcriptas formulas affirmant. Non autem ut ad libidinem olim aut nuper ex communi Regni conſilio ſtabilita vel refigant. Præterea teneri Reges Sacramenti ſuæ inaugurationis religione, quod ſi violaverint, ſe quoque poſſe illos contemnere & privatorum loco habere. Nec Anglicum facinus quanquam horrendum, ita eſt novum, ut exemplo careat. Dubitant eruditi & adhuc ſub judice lis eſt, an Hebræorum Reges ſubditi fuerint Synedrio, nec ne. Affirmavit Baronius & Cardinali ſubſcripſerunt viri doctiſſimi; etiam noſtrarum partium. Itaque noli credere tuam Theſin ita conſtanter veram eſſe, ut ſine controverſia admittatur. Sed hæc tu melius, quæ avide expectabimus, tum etiam te ipſum. Mittam ad Morum literas, quas ſeparatim a te accepi, & ut feſtinet iſtuc accurrere rogabo. Ad Chabreum quoque tuæ curabuntur. Triumphabit Sudorius de tuo judicio. Verſum - - - - - - ajunt male excuſum & pro *rituque Deorum* ſcribendum eſſe *reorum*. De veſtro Theologo ejuſque in Amyraldum odio mira narras. Præſertim vero Hollandiæ Miniſtros in ejus verba non ſolum juraſſe, ſed etiam alios jurare velle, mihi admiratione dignum videtur. Sane odia Theologorum in proverbium merito abiere. Hujuſmodi homines abominor. Vale & me ama. Luteriæ Pariſior. VI. Maji. CIↃ IↃC XLIX. Jam accipio binos Amyraldi libellos, unum adverſus Hiſtoricam Vincentii Rupellenſis Epiſtolam, alterum adverſus reſponſionem Guilielmi Riveti de capite ſeptimo Pauli ad Romanos. Eheu! quis tandem iſtarum rixarum finis eſt futurus?

EPISTOLA

CL. SARRA

Claudio Salmaſio

Lugdunum Batavorum.

VAnum fuit Principis & ſociorum iter de p
unde ſpes eſt pacem domeſticam firmius ſt
attinet, nihil facturos certum eſt, quo publica tr
lici perfidiarum perpetui architecti nunquam anii
qui cuncta ſapienter moderatur & prava malevol
tim atque Voſſius e Suecia redierit, fac ſciam nu
profeſſionis: nam ſi eam repudiaverit, fore no
oneri par, ſi quiſpiam mortalium, ὁποῖον Blo
Urbs ampliſſima conſenſerit. Nec diu trahetur
cum noſtrum ſedulo, & ſi me, ut ſæpe ſolet, a
fictis. Habemus hic, ut nuper ſcribebam, bi
alterum contra Guilielmum Rivetum Andreæ f
doctiorem, ſuper intellectu capitis ſeptimi ad Ron
lam Hiſtoricam Vincentii, qui vapulat egregie.
hominem eruditum ſatis modeſtum eſt: poſteri
ſtulto reſponſum ſit juxta ſtultitiam ſuam. C
utrumque ad te ſtatim deferri. Ubi habuerimus
debimus quid eo faciendum. Sane dolendum
motus excitaviſſe. Nihil autem mirum ſi Theo
obtinuerit a ſua ſynodo quicquid voluerit. Se
eunt mare, ſicut dicebatur olim de Sorbonicis,
quæſo, ſi fieri poteſt, ut habeam iſtud decretum
eſt. Inerunt enim fortaſſe quædam, quibus fa
quintus Tomus Hiſtoricorum Francicorum An
quod addam. Vale ergo, & me quod facis a
XIV. Maji. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA

CL. SARRA

Claudio Salmaſi

Lugdunum Batavorum.

QUamvis ego quoque ſim podager, tamei
quia ſum manu liber. Ante octiduum
quod tum utique verum erat; ſed paulo poſt t
ſpondebo: & prioribus quidem paucis. Rogavi
plum tuæ epiſtolæ, ut illud ad me mittat, quod ſ
habebis. Interea noli propterea diutius trahere

Valent enim hujuſmodi ſcriptiones non tantum qua pollent maxime ratione, ſed præſertim novitate commendantur. Poſterioribus, Spanhemii obitum narras. Acerbum ſane & immaturum, ſi ætas, ſi expedita facundia, ſi ſcribendi facilitas & copia attendantur. Salmurienſes vero capitalem hoſtem in eo amiſere: quicquid enim ab illis proficiſcebatur, difficili & moroſo ejus animo viam aperiebat ad rixas & nova diſſidia. Quærant jam Riveti Fratres, quem Amyraldo opponant! non enim ipſi auſint in arenam deſcendere & pedem pede conferre. Defunctum quod attinet, voti reus obiit: εἶχε τὴν εὐχὴν, ſe calamum niſi cum vita non depoſiturum. Utinam alii funeſto iſto exemplo deterriti ſcribendi cacoethen ſtatim omittant. Quis ejus in locum ſuffectus fuerit, reſciemus, ubi eum Curatores impleverint. Nec deerunt iſtic, qui ſe haud inviti ſinant expugnari, ut neceſſe non ſit tranſmarinorum gratiam captare. Ita vos veſtris & nos noſtris utemur & fruemur bonis. Reges Iſraëlis quod attinet, an ſubditi fuerint Synedrio τῶν ό adhuc diſputant eruditi. Fuiſſe ὑπευθύνους contendunt magni nominis viri & in Hebræorum libris exercitati: ita tamen ut fuſtium pœnæ, non etiam capitis ſubjici potuerint. Probat Scickardus multis teſtimoniis, quibus quid ſis oppoſiturus, libenter videbimus. Reſidentis Anglicani cædes luce palam perpetrata inter atrocia deputabitur. Sed quis ejus mandator? an enim odio ſuæ legationis, an privatæ alicujus vindictæ cauſa id acciderit, ſcire intereſt: quo comperto de reliquis judicare erit facilius. Cæterum en tibi a Moro literas, quibus eum ſolitas artes & procraſtinationes non omittere liquido conſtabit. Si ante annum mihi tibique fuiſſet obſequutus, potuiſſet forſan per obitum Frederici ex Inſula in Continentem tranſire, ejuſque ſedem cum Scholaſticam, tum Eccleſiaſticam occupare. Sed ita nati ſunt iſti homines, ut ſibi creduli amicorum conſilia fere inſuper habeant. En tibi dono emendationem in Plinio, amato tibi auctore. Locus extat lib. XIV. cap. VII. Inter vina, quæ Ptolemæo Regi Apollodorus medicus commendabat, præcipuum cenſetur *Præparentium*, ut vulgo legitur. MS. CH. legit *Peparhium*. MS. Regius unus *Perperentium*: unde vide num bene legatur *Perperenium*, laudatum Galeno vinum. *Perperene* civitas eſt Troadis Straboni & Plinio quoque memorata. Penes Sirmondum, extat vetus nummus, in cujus poſtica parte videtur grandis βότρυς, cum hac voce ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ. Vale, ſcribe ἐγρήγορει ϗ ϖελπαίτε. Lutetiæ Pariſior. XXVIII. Maji. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Cum ſoleam ad te ſcribere ſingulis hebdomadis, neſcio qui fiat ut de mea negligentia ſæpius expoſtules. Sed modo mihi conſtet officii ratio, tabellariorum fidem præſtare non poſſum. Quæ ſcripſiſti de Spanhemii reliquiis, pergratum fuit cognoſcere. Rivetus ergo ſucceſſor deſignatus eſt inchoatis vindi-

EPISTOLA CCIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ABſfui Urbe quindecim dies, filiam ducens in domum mariti: ubi cum eſſem, tertium turbavit gaudia noſtra triſtis nuncius, de Soceri mei obitu. Excurrendum ergo fuit Bleſas verſus, ad ejus viduam inſignis pietatis fœminam; cum qua nudiuſſextus huc rediimus. Statim audivi, Heraldum olim tuum ἐσχάτως ἔχειν; contra quam ipſe arbitraretur. Monitum enim ut ſuprema ordinaret, Eccleſiaſtæ ſuo affini & Medicis dixiſſe, Ea curabo & in Muſæum ibo cras, vel etiam hodie ubi diſceſſeritis: cum tamen decumbens ſupinus non poſſet caput attollere. Juſſum ergo ſurgere & muſæum petere, non potuiſſe pedem movere: & tum demum cognoviſſe, quo eſſet in ſtatu. Obiit die Martis circa undecimam horam matutinam: magno quod dudum moliebatur opere imperfecto. Quæ contra te ſcripta ſunt, ante aliquot menſes ſunt abſoluta & excuſa. Volebat vero illis addere Obſervationum & Conſiliorum juris Sylvam, quibus opus prodiret ornatius. Dum diutius hæc editio tracta eſt, typographis ſuis male conſuluit. FUIT ERGO DESIDERIUS HERALDUS. Fuit quoque Juſtellus noſter, qui nudiuſtertius ad plures abiit magno bonorum omnium deſiderio. Donec ergo aliquis reperiatur, qui melius Riveto Spanhemia στοιχεῖα intelligat, reſpirabunt a ſæviſſimo bello viri ſane doctiſſimi & innocentiſſimi Salmurienſes Profeſſores, quorum unum ſtudium eſt, veritatis & pacis amor. Quod enim adverſarii turbant, id faciunt odio perſonarum potius, quam doctrinæ; cui ſanctiſſimæ, utpote a ſacris literis hauſtæ, hactenus non defuerunt, nec etiam in poſterum deerunt fortiſſimi patroni. Nulli aſſenſum, nedum tibi, extorquere conantur. Hoc tamen dicam & vere, omnes qui iſtam imbiberunt methodum, ei firmiter adhærere, eamque agnoſcere & prædicare tanquam δυνατὸν παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν; qui ſunt characteres apud Apoſtolum διδαχῆς πιστοῦ λόγου. Expectabimus ergo ſine impatientia imperfectum iſtud opus, cui nemo poſſit aut auſit ſupremam manum imponere. Cæterum fallit Morus, aut brevi veſter erit: quod certius ex hiſce ipſius ad te literis cognoſces. Reſignavit iſtas Gothofredi, quas ad me ſcribens, negat ex animi ſui ſententia ſcriptas: ſe enim contentum eſſe Middelburgenſi Sparta, quam, adſit modo Deus, pro viribus diligenter ornabit. Præterea ſe ſupra quam dici poſſit obſtrictum eſſe generoſitati Magiſtratus Zelandiæ, qui primum ſuum conſilium non deſeruerit, quin potius contra obſtinatiſſimorum hoſtium conatus illud tutatus fuerit. De Bocharto hoc etiam habe. Hactenus nulli promiſit. Si vocabitur quid inde ſequuturum ſit neſcio; nec ipſe non mendax jurat ſe ſcire. Caſtæ & ſeveræ fœminæ inſtar, non poteſt aliquando procos non habere. Ut autem horum alicui morem gerat, facile non erit: nec enim ita liber eſt, ut poſſit ſtatim & pro arbitrio de ſe quid velit ſtatuere. Sed

ma-

magno me afficiunt beneficio, inquit, qui me iſto dignantur honore, & qui eum mihi ambiunt: quicunque futurus ſit exitus. Scilicet etiam caſtas juvat formoſas dici & orari, quamvis nolint annuere & præbere. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. xxv. Junii. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCIV.

CL. SARRAVIUS

Jacobo Oldenburgio.

Salmurium.

NOn erant tanti commendatitiæ, quas tibi tradidi, Vir Clariſſime & Doctiſſime, ut earum adhuc meminiſſes. Gaudeo tamen eas viris ſummis, quibus inſcriptæ erant non diſplicuiſſe: indeque natam occaſionem illis quidem vos humane, ut ſolent omnes ſe convenientes, excipiendi; Tibi vero me, ut feciſti, officioſe & comiter compellandi. Magni enim facio abs te viro erudito & ſolerte amari: ſemperque mihi in pretio erunt tempora, quibus tibi nobilibuſque adoleſcentibus, quorum ſpei admotus es, potero aliquatenus prodeſſe aut placere. Propius autem jam vides & intelligis, Vir Eruditiſſime, quæ ſit nobiliſſimæ Academiæ, in qua nunc degis, Theologia: quamque etiam iniquum odium, quod cum illa maligni homines pertinaciter exercent. Præjudiciis ſcilicet plerique aguntur, nec in quæſtione, ſatis impedita, dijudicanda neceſſariam adhibent diligentiam. Tu vero Salmurienſis, quam male infamant, doctrinæ adyta penetrabis, commoda & πρωτεῖα expendes; tum vero ſine affectibus judicabis. Tanto cognitore gloriabuntur procul dubio Viri incomparabiles & innocentiſſimi; ita ut vel uno tuo ſuffragio cauſam ſuam decidendam ſint permiſſuri: nec tu ullo majoris momenti negotio otia tua diſtinxeris. Vale & me ama tui amantiſſimum. Lutetiæ Pariſior. IV. Calendas Julias. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

DIcunt mercatores propter inſtitutam Cameraci obſidionem Aulicos noſtros tabellarium ſuis literis ſpoliaſſe, ut ex illis cognoſcant, quid de ſuo militari conſilio ſperare in poſterum debeant. Nullas ergo a te habuimus, quibus reſpondere poſſimus. Sed hic habes ab aliis ſatis multas: ſcilicet filius Gariſolii Montalbanenſis Theologi Geneva diſcedens, ex hiſce quatuor tres acceperat tibi ſtatim reddendas. Dum autem diutius hic moratus quam exiſtimaverat, ſcripſit ei Morus, ut eas mihi traderet tibi mittendas. Idem Morus ſcripſit tandem aliquando, literis datis 22. menſis proxime præteriti, ne amplius ad ſe ſcriberem; ſe enim eſſe in procinctu itineris & paratum iſtuc proficiſci. Nondum tamen decreviſſe an hac ſit tranſiturus, dum expectat e Germania li-

teras. Accepit a Magiſtratu & Academia ἀπολυτικὰς, quibus cum honore ad vos dimittitur; quod ſibi apprime conducere, immo neceſſarium eſſe exiſtimavit. Nuper occiſi Caroli Britanniarum Regis εἰκόνα βασιλικὴν vidi & legi cum ſumma admiratione: adeo in ea plena omnia bonitatis erga ſubditos eximiæ & in Deum pietatis. Ex eo libro potueris non pauca depromere Apologetico tuo firmando. Sed quando eum videbimus. Vale & me ama Lutetiæ Pariſior. 11. Julii CIↃ IↃC XLIX. Superiora ſcripſeram cum tuas accepi. Nihil dixi, ſcripſi aut feci a morte Spanhemii, quo vocationem Bocharti Leidam impedirem. Olim non veniſſet: jam vero quid, ſi eſſet vocatus, facturus foret neſcio, quia ipſe neſcit. In hanc ſententiam, quicquid dicas, ad te ea de re ſcripſi. Tu vero facis quod lubet: Sed noli ejus præteritionem mihi adſcribere. De Heraldo neſcio etiam unde tibi venerit in mentem, me cogitare nihil ejus famæ nocere poſſe. Nihil enim hujuſmodi ſcripſi ad te vel ad alium quempiam. Si meæ ad te non pervenerint, certe pervenire debebant: non enim ceſſavi, nec ceſſabo. Scribam enim alia manu, cum mea non potero, quod tu ita quæſo precorque facias. Iterum vale.

EPISTOLA CCVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

GAudeo impenſius te Chiragra liberatum: quia ſpes eſt fore ut etiam brevi Podagra diſcedat. Hæc poſtrema me adhuc cruciat: vel potius ejus affinis Gonagra, hactenus mihi incognita hoſpita, nec minus tamen moleſta, quam fuit altera. Scire avemus quæ fuerint Batavi, cum ſuprema ordinaret, mandata ſuper ſuis vindiciis. An juſſerit eas ita imperfectas edi, an potius ſupprimi: quidve de tota iſta controverſia, quæ procul dubio ejus animum turbaverat, dixerit. Tum enim veræ voces erumpunt, nec licet in iſto poſtremo Fabulæ Actu, alterius perſonam induere: MANET RES. Certe dum Genevæ vixit, neutiquam Gratiæ Univerſali adverſatus eſt: quin immo favit memoriæ Cameronis, hujus veteris ſententiæ novi aſſertoris: ejuſque omnia opera ſimul edi curavit, addita etiam ſua Præfatione, quæ ejus erga τὸν μακαρίτην reverentiam teſtabatur. Quibus poſtea conſiliis mutaverit, an aliis præterea odii aut amoris cauſſis, difficile erit deinceps ſcire, niſi ipſe, antequam abiret ad plures, ſignificaverit. Gratulor tibi Mori in Bataviam adventum: nunquam enim dubitavi placiturum Magnatibus & populo. Utinam bene etiam illi conveniat cum Profeſſoribus & Miniſtris, qui ut plurimum invident ſociis præſtantioribus, juxta vetus dictum κεραμεὺς κεραμεῖ. Sed non eſt veſtrarum Provinciarum propria hæc labes. Etiam Genevæ & alibi hæc peſtis graſſatur, quam prudentia, fortitudine & patientia vincere oportet. De Vidua Principis Arauſionenſis magis mirarer, eam adeo facile Spanhemii veteris amici memoriam depoſuiſſe, ut hunc novum hoſpitem jam habeat in deliciis, niſi etiam vetus eſſet,

eſſet, *Varium & mutabile ſemper Fœmina:* liceat addere etiam Princeps. Imo & hæ fœminæ Principes eo mutabiliores, quod variis affectuum nutibus jactatæ, illis reſiſtere non poſſunt, ſæpe etiam nec volunt, præſentibus tantum addictæ, de futuris aut præteritis ſecuræ. Det DEUS huic noſtro tutam & gratam iſtic ſedem & diuturnam. Tibi vero in eo habere beneficiorum a te acceptorum fidum & memorem amicum. Quas ad eum ſcribo, rogo cures diligenter. Laudabile autem eſt inprimis Reginæ Gothorum tui videndi deſiderium. Quidni ſapientem accommodes autem? Sed proximo vere non hac hieme. Cœlum enim frigore rigidum, parum convenit tuæ ætati & temperamento, quod te totum tenet. Quicquid ſit, Principibus placere viris magna ſemper laus fuit: hujuſmodi vero Reginæ, qualis hæc inclyta Virago, etiam maxima. Sed de tua ad nos profectione jamdudum in litteris tuis altum ſilentium. An conſilio mutato adhuc differs, donec noſtri æſtus plane deferbuerint? Sane adventus Regis, videtur mitioribus & proinde melioribus conſiliis locum præbere; hanc urbem quod ſpectat. Sed in remotioribus regionibus, Aquitania ſcilicet & Provincia, omnia adhuc turbarum plena; dum Parlamentis Burdigalenſi & Aquiſextienſi cum Præfectis Regiis male convenit. Sperandum tamen eſt, hinc, unde mala inceperunt, etiam remedia adhibitum iri. Certe adhiberi debent: quod ut fiat & cito, orandus eſt DEUS opt. max. cui te tuaque omnia commendo. Vale & me ama: Lutetiæ Pariſiorum x. Calend. Auguſti CIƆ IƆC XLIX.

EPISTOLA CCVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SIt ergo quando ita vis tota culpa mea, cur hactenus a veſtris Curatoribus non ſit habita ratio Bocharti. Sed ſit etiam ſolida tua gloria eoque major quod cum honori amici mei male conſuluerim, tu quod neglexerim, vel etiam impedierim, effeceris. Solius Preſbyterii ad Paſtoris munus vocatio vana procul dubio fuerit. Habebit enim Cadomenſis Eccleſia, unde jus ſuum fortiter, & jure in eo retinendo tueatur. Sed ſi accedat Academia, & eum in Profeſſorem Theologiæ deſideret, audi quid ipſe ad me ſcribat. *Tum amicis meis, quos inter inſignem obtines locum, aures præbebo, & illis morem geram. Qui enim*, inquit, *me offerrem Ampliſſimis Viris, qui iſtius ſcholæ curam gerunt? Suggeſtum Academicum nunquam conſcendi, nec ſcio an iſti muneri par ſim futurus. Si tamen illi adeo magnifice de me ſentiant, ut exiſtiment me iſtum locum poſſe occupare ſine ullo ſui meique honoris damno, tunc illorum judicio audacior factus, liberius quid me agere oporteat decernam.* Hæc ille. Ego vero, ſi me ſponſorem accipitis, fidenter ſpondeo veſtrum futurum Bochartum, niſi aliqua θεῖ βία, quam nec ego nec ille prævidere aut vincere poſſimus, intervenerit. Scio enim quantum ille mihi velit, quantumque meis

conſiliis tribuat. Quæ ſit autem mea ſententia ex ſuperioribus liquido cognoveris. Agite ergo jam tu & Rivetus quod volueritis, ut enim præterea aliquid polliceatur honeſti ratio non patitur. Morum quod attinet, credo eum jam eſſe in Batavia & tuo complexu potiri. Secundo enim Rheno, non Rhodano, ut ais, iter ſuum debebat peragere, & habes quo labores tuos ſuper ejus vocatione exantlatos conſoleris. Bene eſt autem quod caſu non certo conſilio mihi mutum fuerit tuum oraculum. Agellii locus de quo te conſulueram, habetur libri 4. Cap. 14. extremo. Heſychii vero in verbo γερωνία, in quo Laconum & Lacedæmoniorum fit mentio, tanquam diverſorum populorum, quos tamen unum eſſe vix quiſquam dubitat. Reſcribe ergo quid me ſentire oporteat de duobus iſtis articulis, & mitte præfationem Rivetianæ Synopſis cum decreto Harlemenſi. Legi impatienter, quod tu tibi jam moroſus videaris & languidus, tanquam aliquis ſenex depontanus. Ut tamen hoc perſuadeas, juveniliter ludis & exultas, ut damnes quæ, ubi prodierint, toti Orbi probabuntur. Noli ergo ἐκκακεῖν: quin potius quod ſupereſt vitæ & induſtriæ alacriter & generoſe oportet decurrere, ut reſpondeant primis ultima, quæ adhuc σὺν θεῷ ſunt eruntque adhuc remotiſſima. Vale & me ama Lutetiæ Pariſ. VI. Aug. CIↃ IↃC XLIX. Ex hiſce quas jam accipio & mitto Chabræi ad te, Morum diſces Geneva dudum diſceſſiſſe.

EPISTOLA CCVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NE adhuc dubites Morum noſtrum, quem apud vos jam dudum eſſe exiſtimo, Geneva diſceſſiſſe, præter ea quæ nuper ad te miſi & ſcripſi, ecce tibi a Gothofredo literas, quibus de ejus diſceſſu certior fies, quantoque honore eum proficiſcentem ſint proſequuti Magiſtratus, Cives, Eccleſia & Academia. Itaque ſit ille omnino veſter, qui certe Lemani Lacus neutiquam eſt accola. Ne etiam dubites veſtrum non futurum Bochartum, ecce tibi ab eo literas ad veſtrum Presbyterium, quibus gratias agit pro ſua vocatione ad Paſtorale Leydenſis Eccleſiæ officium: quas ita quæſo precorque effice ut reddantur, & cum humanitate. Sed in commune conſulant, uti jam ſcripſi, Eccleſia & Academia, & conjunctis viribus eum oppugnent, tum locus erit Proverbio: Ne Hercules quidem adverſus duos, & eum facient civem Leydenſem. Ita futurum ego cupio, credo & ſpondeo. Ego inquam, nam ille pro ingenita modeſtia ſe non arbitratur tanto honore dignum, nec Curatores veſtros, qui Biſterfeldium expetunt, de ſe cogitare. De tuo pro infelice Rege Apologetico ſolens facis, qui facis quod libet, & amicorum conſilia ſpernis. Quod tamen tibi propoſueram omni culpa & periculo vacabat. Conſuluiſſes, ſi illud ſequutus eſſes, & famæ Regiæ & propriæ ſecuritati. Videris velle irritare crabrones, & tuis inimicis occaſiones præbere in te non ſine ratione inſanien-

niendi. Sed jacta, quando ita voluiſti, alea, videbimus quid caſurum ſit. Iterumque iterumque rogo mittas Præfationem Synopſis Riveti contra Salmurienſes & articulum Synodi Harlemenſis. Poſt octiduum ſcies quid ſperare oporteat Hilarium Grammaiſonium de titulo, quem pro eo deſideras. Tibi amiciſque tuis obſequendi ſemper ero paratiſſimus. Expectatur Rex cum Matre totaque domo Regia & aulico comitatu proxima ſeptimana. Si adhuc nos deludant ſpe inani, neſcio quis futurus ſit in poſterum Galliæ ſtatus. Scit DEUS, cui te tuoſque commendo eumque rogo, ut nos oculis benignis reſpiciat. *γένοιτο γένοιτο*. Vale & me ama. Lutetiæ Paris. XIII. Aug. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

FAciam deinceps quod ſuades: ipſe mittam ad veſtrum tabellarium meas & Puteani literas: videbimus an iſta ratione noſtræ melius curabuntur. Vidi hodie quendam affinem meum Geneva digreſſum biduo poſt Morum. Dicebat eum in Comitatu nobilis Argilii Scoti ſecundo Rheno deſcendere voluiſſe, quod vix ſine periculo eſſet facturus, cum ſint omnia in utraque fluvii ripa adhuc plena turbarum. Quid ſi de eo vocando cogitent Amſtelodamenſes in locum Voſſii. Sed vereor ut iſti oneri par ſit. Valet enim ingenio & eloquentia potius, quam multiplici & varia eruditione. Omnino unus Blondellus noſter dignus eſt tanti viri ſucceſſor. Poſſet Baronianos Annales *κατὰ πόδα* examinare, & immortali fama dignum opus poſteris tradere. Poſſet quippe ſingulis annis ſingulos tomos abſolvere: quod niſi præſtiterit vir improbi laboris & incomparabilis diligentiæ & induſtriæ, neſcio quis poſſit iſtam cloacam perpurgare, quæ tamen ſæculum noſtrum peſtifero habitu dudum inficit. De Bocharto noſtro ſatis multa in prioribus. Niſi conveniant Eccleſia & Academia de ei gemino onere imponendo, nihil ſeorſim efficient. Immo niſi feſtinent & hæc & illa, vereor ut ſerius poſtea, quod neglexerint, conſilium repetant, *οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν τὸ μυστήριον τοῦτο, ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι*; habet ille unicam filiam nubilem, quam ſi nuptui collocaverit Cadomi vel in Neuſtria, non erit facile, imo impoſſibile matrem a filia divellere, nec proinde patrem. Serio ergo & cito ſibi conſulant veſtri Curatores, vel ſibi ſuam moram imputent. Nudius tertius Rex cum omni Aula in Urbem poſt ſeptimeſtrem & amplius abſentiam ingreſſus eſt. Etiam *ὁ ἐξοχώτατος* eodem curru vehebatur, eodem latere quo Condæus tuus, ejuſque Frater natu minor. Fecit Regis reverentia, ne ei quicquam noceretur: non tamen ubique bonis verbis exceptus eſt: adeo difficile eſt impudentis & vilis plebeculæ, etiam contra publicam & ſuam utilitatem, *γλῶσσαν ἀκατάσχετον κακὸν χαλιναγωγῆσαι*. Faxit DEUS ut iſte deſideratiſſimus reditus malis noſtris finem imponat. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſ. XX. Auguſti. CIↃ IↃC XLIX. Ex adjunctæ epiſtolæ exemplo diſces nullam

eſſe ſpem Phyſicos Cadomenſes expugnandi in gratiam abſentis tui Grammaiſonii, niſi velit eis ſe ſiſtere. Vereor ut Aurelii faciliores ſint. Sed quid tentaſſe nocebit.

EPISTOLA CCX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

COmmodum cum noviſſimas tuas accepi aderat mihi Drelincurtius noſter, ut mihi neceſſe non fuerit eum convenire, ut ab ipſo reſcirem, quid me reſcribere oporteret ſuper vocatione Leydenſi. Bene autem ſibi conſulit veſtrum Presbyterium, dum cogitat de viris eruditione claris ſibi adſciſcendis: ſed liceat ejus mirari, abſit verbo invidia, confidentiam: cum Lugdunum ſuum cum noſtra Lutetia audet componere; imo illud huic præponere: ſi quidem ſerio exiſtimant virum cordatum poſſe veteribus amicis valedicere, ut iſtuc novam deducat coloniam. Noluit tamen me perſcribere, quæ ſit ſua ſententia. Ipſe inquit faciam, ut per me reſciſcat Salmaſius, quod mihi ſedeat conſilium. Ab ipſo itaque expectabis literas humanitatis plenas: ſed fallor, aut de alio quærendo vobis cura incumbet. Morum Lugdunenſem quod attinet, fratris ejus eſt vos certiores facere, quid de eo ſperare poſſitis. De Bocharto vero bene reſpondiſti, non venturum quamvis centies vocaretur, niſi adjungatur Profeſſio Theologica: præterea periculum eſt in mora, cujus rationes nuper tibi ſignificavi. Nihil hic eſt novorum, præter unum ſane non contemnendum. Condæus enim tuus, olim Eminentiſſimi ὑπερασπιστὴς, ei aperte amicitiam renuntiavit: quod Aulam turbat, vereor ne etiam Regnum. In Aquitania adhuc omnia ad extrema vergunt. DEUS noſtri miſereatur. Certe ſine ejus auxilio multa mala nos prement: quod ut avertat eum quæſo precorque. Vale & me ama. Lutetiæ Paris. XVII. Septembris. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ANte octiduum nihil ſcripſi quia ducebam funus filiolæ natu minimæ; quod licet grave, ut æquiore animo feram, faciunt aliæ quinque ſuperſtites. Hodie vero pauca ſcribam, quia expecto affines & amicos, in quorum cœtu ſubſcribantur tabulæ nuptiales filiæ natu maximæ. Præterea pauca a te habeo quibus reſpondeam. Gaudeo bene eſſe Moro Middelburgi: miror tamen eum adeo omnem noſtram memoriam depoſuiſſe, ut ex quo illic habitat, nihil omnino nos de ſuis rebus ſcire voluerit. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. Kalendis Octobris. CIↃ IↃC XLIX.

EPI-

EPISTOLA CCXII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

VEre dictum olim, ſolliciti aliquid lætis ſemper intervenire. Certe nuptias noſtras fecimus inter bina funera. Alteram enim adhuc filiolam amiſi, quam peperit materfamilias inexhauſtæ fœcunditatis partu octimeſtri nec vitali, non ſine vitæ ſuæ periculo. Eam mihi ſervavit Deus optimus, cui vel hoc ſolo nomine gratias debeo & ago immortales. Alias reſpondebo Moro noſtro, eique gratulabor tam proſpera ſui adventus initia. Utinam reliqua ſimilem in modum decurrant. An eum rogabo toties a te petitum Articulum Harlemenſem & Synopſis Riveti Præfationem, an ea adhuc a te expectabo & tandem habebo, quod malim? Ipſe videris; certe hæc dudum deſideramus: quæ tamen vobis obvia credebam ab humanitate tua me poſſe & debere impetrare. De Blondello quoque & Bocharto quod agitatis lentum eſt negotium. Utemur & fruemur illis interea, quandiu per vos licebit. In ultimam uſque Tranſſylvaniam quæritis, quæ habere non poteſtis: quæ vero facilia ſunt paratu, & illis meliora negligitis. Scilicet quicquid quæritur optimum videtur. Interea verendum eſt, ne occaſio elabatur, quam fruſtra poſtea deſiderabitis. Laudo propoſitum tuum in Sueciam eundi, ad vere incomparabilem Reginam. Sed quid ceſſas? quamvis tui videndi incredibili deſiderio ardeam, tamen quia non dubito iſtud iter ſine tuo magno honore & incommodo non peractum iri, velim ut illud aliis omnibus & nobis etiam neglectis ingrediaris, ſtatim atque proxima hiems deſævierit. Neſcio quid addam. De publica re noſtra alii ſcribunt accuratius. De Criticis & aliis quæſitis dicis ea tibi dudum oblita. Vale ergo & me amare perge. Lutetiæ Pariſ. VIII. Octobris. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCXIII.

CL. SARRAVIUS

Alexandro Moro.

Middelburgum.

SErio accuſabam tuam negligentiam, & de ea apud amicos expoſtulabam, quod iſtic tamdiu immemor noſtri viveres, cum ecce noviſſimas tuas accepi. Eas uti habui, facile præteritæ injuriæ ſum oblitus: ita enim nec mitiori nomine appellabam mei apud te oblivionem. Scio novi cœli & novi hoſpitii cauſas aliquam mereri excuſationem. At etiam exiſtimavi poſſe me meo jure, & pro noſtra amicitia, aliquid literarum a te præ aliis expectare imo & exigere. Atqui in ordinem coactus ſum, & cum ad millenos ſcriberes, noſtri quoque puduit dememiniſſe. Sed vel cum paucis quod maluiſſem, vel cum omnibus, quod factum eſt, juvat te mei tandem eſſe recordatum, & ad officium rediiſſe. Vide quam libere agam. Ita loqui amant tui jam Batavi: quidni ego quoque veteres mores

res meos bonos, candidos ſcilicet & apertos, ſine fuco & fallaciis, retineam? Sed omiſſis iſtis querimoniis impenſius gaudeo, & tibi gratulor tam proſpera tui adventus iſtas in oras initia. Jam vides merito voluiſſe nos te iſtic dudum eſſe. Qua polles eruditione & induſtria, facile loci tui dignitatem tueberis & augebis. Nec tibi deerit Salmaſius noſter, cujus ſcis te primam notitiam & amicitiam mihi debere; quanquam poſtea tuo merito inter vos adoleverit & creverit. Fac ut nunquam ſeneſcat: quod tamen ſi obtineri non poteſt, ut ſunt humana omnia ad interitum prona, fac ut nunquam niſi vobiſcum moriatur. Ego qua potero tibi prodero, re, opera, conſilio bono, hic & alibi, ubicunque arbitraberis me tibi poſſe inſervire. Vale & me ama. Lutet. Pariſior. v. Novemb. CIƆ IƆC XLIX.

EPISTOLA CCXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Diuturni tui ſilentii cauſam ignoro: modo tamen tua valetudo & noſtri amor ſint in tuto, quamlibet aliam æquo animo feram. Vidimus hic Πρόσωπον τηλαυγὲς Defenſionis Regiæ. Omnino magnus eſt iſte tuus labor, & iſtam materiam profunde meditatus es. Typi ſunt elegantes; non paucis tamen erroribus deformati. Quia autem aliquando cogitaſti de Hilario Grammaiſonio in Titulum Medici promovendo, quod iſtic fieri erat difficile, propter ejus in lingua Latina ignorantiam; didici nuper ab Hoeufdio famoſo trapezita Amſtelodamenſi, qui dudum hic agitat, quæ te ſcire oporteat & poſſint amico tuo prodeſſe. Narrabat mihi quemdam artis Galenicæ peritiſſimum, ſed linguæ Latinæ ignarum, coactum fuiſſe a Doctoribus iſtius facultatis in ſuum Ordinem adſcribi, vel Praxin ſuam deſerere. Priori propoſitioni facile aſſenſum præbuit Marinus, ita enim vocabatur, modo vellent ſecum agere ſermone patrio, id eſt Belgico; Ultrajectinus enim erat. Cum de eo conveniſſent, interrogatus eſt candidatus ſenex ab æmulis Doctoribus, quorum tamen ſuffragiis, ſuo merito in eorum collegium cooptatus eſt. Hæc ſibi comperta tanquam Leydæ acta, vir bonus & locupletiſſimus teſtis aſſerebat, circa annum hujus ſæculi trigeſimum quintum. Poſtea Amſtelodamum ſeceſſit Marinus ubi diu vixit, & Hoeufdio aliiſque ſuam opem deſiderantibus adfuit. Quæ cum ita ſint, quid vetat Grammaiſonium eandem fortunam experiri? Jam aliud te volo & enixe rogo. Nempe ut velis favere vocationi Blondelli noſtri, de qua aliqui cogitant, in locum Voſſii. Scimus enim non poſſe id fieri niſi aſſentiaris, quæ tua eſt iſtic in litterariis negotiis auctoritas. Noſti hominis doctrinam ſtupendam & prodigioſam; unde tibi magnus honor accedat tua commendatione, viros eruditione illuſtres undiquaque evocatos iſtic a te ſtabilitum iri. Habebis in eo amicum fidelem & modeſtum. Accipe me de ea re vadem & pro eo ſponſorem. Nulla in re vobis difficultas ab ipſo erit. Omnia erunt plana: quod iterum ſpondeo & te me hic habiturum adjutorem non inutilem. Vir enim, ſi quiſquam, optimus, per-

permittit ſe amicorum arbitrio, quos inter poſſum gloriari me non poſtremo eſſe loco. Hoc ſi feceris inſigni beneficio Hiſtoriam ſacram affeceris. Hic enim vivit ad alienum arbitrium: & inter familiarium & magnatum diverſas prenſationes ſeneſcit, Spartam ſuam non ornans, ſed potius deſerens: quod poſtremum eſt ipſi nobiſque moleſtiſſimum. Iterum rogo & precor, ut velis quod potes in hoc negotio. Nulla majori gratia me multoſque bonos viros devinxeris. Hoc ergo fac & me ama. Lut. Par. XVI. Novemb. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCXV.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

MUltis de cauſis gratiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Holmia ad me datæ: pro quibus magnas habeo agoque gratias. Juvit enim cognoſcere, te vel in iſtis longe diſſitis regionibus, non omnem noſtri memoriam & curam depcſuiſſe: deinde audire te narrantem tot & tanta Sereniſſimæ Reginæ ſplendida & eximia decora, laude immortali digniſſima. Denique datam mihi a te occaſionem tenue aliquod officium præſtandi ejus Majeſtati non ingratum. Quod Magnam Chriſtinam ſpectat, quid dicam? Quidquid enim de ea dixero, dixeris tu Vir Magne & Eloquentiſſime, dixerint alii, ſemper id omne longe infra ejus merita reſidet. Satius ergo cum ſilentio ejus purpuram adorare, quam inani multiloquio & verborum ſtrepitu argumentum nobiliſſimum & ſplendidiſſimum deterere & obſcurare. Amat ergo inclyta illa Heroina literas noſtras; earum myſtas fovet & regaliter habet; de linguis & ſcientiis ipſa cognoſcit, nec aliorum oculis & ſermonibus credit? Sunt hæc ſane magna & ſumma digna admiratione. Sed quod præcipuum eſt, ita literis vacat, ita libros tractat; ut tamen ſceptrum nunquam deponat, & imperio regere populos, tanquam propriæ artis ſuæ, nunquam obliviſcatur. O beatam Suediam tanta ſuarum fortunarum moderatrice! O beatum Voſſium! O beatos omnes, cui datum eſt ſuavi ejus præſentia, conſpectu, colloquio & gratia frui! Quæſivi, & reperi tuo indicio, Jamblichi librum MS. & jam deſcribitur. Quia repatriavit Græculus Antonius, qui tibi aliquando ſimilem laborem ſumpſit, alium inveni, qui hoc negotium, & in eo jam totus eſt, peragat. Liber exaratus eſt elegantibus characteribus: ſed habet aliquot lacunas, quas niſi ex alio codice difficile erit replere. Statim atque ſcriba imperatum penſum abſolverit, curabo ad te iſtuc mitti. Interea ecce tibi Synopſim capitum libri Blondelliani *De Sibyllis:* Spiſſius enim eſt volumen, quam ut per curſores, ſicut poſtulas, illud mittere debuerim. Si tamen adhuc perſtes, facile erit tibi morem gerere. Ἀντιπερμάλιον eſt ingentis operis, quod in Cardinalem Perronium dudum adornaverat: Quia autem adverſarius Gallice ſcripſerat, ideo patrio etiam idiomate Reſponſionem ſuam ſcripſit amicus noſter: cum alias hujuſmodi doctrinæ & controverſiæ melius lingua Romana diſcutiantur. Perſtat idem in magno, & vereor ne nimis magno

opere contra Chiffletium, quod tamen affectum eſt. Puteanus major parat alteram editionem *Libertatum*, quod vocamus, *Eccleſiæ Gallicanæ*, caſtigatiorem priore & auctiorem: opus quantivis pretii, & quod, invitis Romanæ aulæ mancipiis, merito audit Galliæ noſtræ Palladium. Poſt aliquot ſeptimanas prælo ſubjicietur. Quid alii moliantur, cum ipſi reticeant & premant, difficile ſit dicere. Tota Puteanorum ſocietas volunt te ſalvere. Ego quoque, quem tui crede ſemper amantiſſimum. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XIX. Novemb. CIƆ IƆC XLIX.

EPSITOLA CCXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

Binis tuis reſponſum debeo: priores quippe ſerius venerunt, quam ut eis per curſorem, qui eas attulerat, potuerim tibi ſatisfacere. In iis querebaris Heinſii filium iſtic multis dixiſſe, me ſcripſiſſe ad Elzevirios te fruſtra tentaſſe Heraldum inſcitiæ arguere, cum eſſet vir undiquaque doctiſſimus. Sed ego potius queror & jure, te ita male ſuſpicioſum eſſe & adeo facilem, ut quicquid de me tibi dicitur, ſine diligenti inquiſitione, credas. Sane cum tibi amici ſint Elzevirii, quare eos non conſuluiſti ſuper rei iſtius veritate, ſi eam talem exiſtimaſti, de qua mecum expoſtulares? Quare non juſſiſti Nicolaum iſtas meas literas tibi exhibere, quemadmodum tu ante aliquot meas cum illo communicaſti, in quibus neſcio quid de eo liberius ad te ſcripſeram. Vidi enim & penes me adhuc ſunt, quas ſcripſit ad communem amicum, in quibus tota hæc hiſtoria enarratur. Quas ubi primum legi, indolui iſto tuo facto periiſſe mihi libertatem deinceps tecum familiarius agendi. Statueram tamen id ſilentio involvere, & feciſſem, niſi mihi illud renovandi occaſionem præbuiſſes. Iſtos autem meos de Heraldo ſermones quod ſpectat, ſcias rem eſſe falſiſſimam; & mihi ita affirmanti credas velim. Orationem in obitum Spanhemii ad me miſit defuncti filius. Gratias egi & laudavi oratorem, quod ſuum argumentum bene executus eſſet & laudabiliter. Si quid in hac re peccavi, libenter patiar te cenſorem: nec ſcire debui, unde Heydanus efformaverit aut compilaverit ſuam laudationem. Ut finiam priori tuæ epiſtolæ reſpondere. Scomma Molinæi frigidum mihi viſum eſt de alaudis captis a neſcio quibus hominibus, quia ſufficit ut propoſitio hypothetica locum habeat, alaudas captas eſſe ſub retibus, non autem requiritur ut homines illas capiant, aſſent & comedant. Sed hæc nihili omittamus. Tuam defenſionem quod ſpectat, dolendum eſſet in ipſis naſcendi primordiis interire. Sed voluiſti iſtam aleam ſubire ſpreto ſtrenue, quod tibi propoſueram, conſilio. Videbimus ergo quid ex generoſo tuo animo boni aut mali eveniet. Sed malum avertat omnis boni Auctor, cui te commendatum opto. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſ. XXVI. Novemb. CIƆ IƆC XLIX.

EPI-

EPISTOLA CCXVII.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Amſtelodamum.

SCripſi haud ita pridem, qua via iſta Lud. Jacobi Paralipomena ad te miſerim: quæ hic repetere nihil eſt neceſſe. Gaudeo ea vel ſero tibi aliquando eſſe reddita. Quæ Hiſtoricos Græcos ſpectant reliqua, ecce mitto; quandoquidem liber vergit ad umbilicum. Alias commodam nactus occaſionem, habebis etiam quæ idem collegit de Hiſtoricis Latinis, cum Bertii Euſebianis, de quibus olim ſcripſi, Menagii noſtri dono. Debemus ſaltem conferre impenſas vobis ſuperba palatia ædificantibus. Gratulor tibi fauſtum in patriam reditum poſt vicinas provincias luſtratas, & viſos in iis viros eruditos. Chifſletio dixerim libenter, quod olim Achab Regi Syriæ Benadab, *Ne glorietur accinctus æque ac diſcinctus.* Neſcit enim cum quo adverſario certamen ei ineundum ſit, quantuſque in clypeum aſſurgat, & quo turbine torqueat haſtam Blondellus noſter. Non dicam indicta ore alio dicturum hunc noſtrum, ſed ne cogitata quidem; eaque tam multa & tam grandia, ut portentum ingenii admiraturus ſit Hiſpanicæ potentiæ Vindex alias non contemnendus. Sed nimis lentum eſt, inquies, omne iſtud negotium. Fateor ſane & dolet non citius progredi: ſed quia omnia etiam minutiſſima exequitur: quia multa nova & vera lumina accendit, facere non poteſt, quin ejus opus in majorem molem creſcat. Præterea non hoc unum agit noſter: quin ad alia ſupiuſcule divertit: ut nuper *De jure Tremollia Ducis in regno Neapolitano*; & *De Sibyllis earumque Carminibus*, ea commentatus eſt, quæ fruſtra ab alio quovis expeterentur. Interea ergo triumphet Eques Hiſpanicus; ſed cum iſta cogitatione, ſibi aliquando rem fore cum pedite Gallo, qui eum, cum ſuis armillis & torquibus, in terram ſit dejecturus & jugulaturus. Vale. Lut. Pariſ. x. Decemb. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

BEne & ſapienter, ut ſolent omnia, fecere Ordines Bataviæ, dum in tuam DEFENSIONEM nihil ſingulariter ſtatuere. Carebit ſcilicet auctoritate publica privatum opus, ſine qua ſtare poteſt, nec ideo minus probabitur. Hactenus ſatis cognitum quid in humanioribus litteris, quid in antiquitate ſacra & profana, quid in Juriſprudentia, quid in Medicina valeres, quid autem in Politica, quid in Oratoria poſſes hinc etiam conſtabit. In utroque enim hoc argumento verſari debet Apologeticus in gratiam Regis miſerrimi ſcriptus: nec dubitare fas eſt, te noſtræ expectationi facturum eſſe ſatis. Quia autem exem-

 pla-

plarium huc a te mittendorum videris me deſtinare largitorem, quæſo, ut jam ſæpius fruſtra feci, mittere velis indiculum amicorum, quos inter erunt diſtribuenda. Solent enim nonnulli queri ſe a me ommitti, quaſi poſſem omnibus conſulere. Oneror itaque invidia, cui ferendæ ego præſens ſum impar, & quam tu remotior facile contemnas. Obiiſſe Latium virum bonum doleo, tui cauſa & reipublicæ quoque literariæ. Erat enim vir candidus & apertus & ſtudiis noſtris favebat. Sed omnes idem iter inſiſtemus. Cæterum gratulor tibi ſerio litterarum commercium quod habes cum Suediæ Regina. Utinam coram poſſes ejus divinas audire & reddere voces. Omnia debes poſthabere iſti colloquio & eo ſtatim avolare. Vale. Lutetiæ Pariſ. XXVII. Decemb. CIↃ IↃC XLIX.

EPISTOLA CCXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SIve Latinas ſive Gallicas ſcribas literas, ſemper mihi ſunt gratiſſimæ. Priores vel ſola ſua dialecto placent; alteræ vero, quia ut plurimum ſunt prolixiores, quales erant poſtremæ tuæ. τὸ πάνυ Blondelli vocationem Amſtelodamenſem ipſi gratulor. Eam dudum bonos aliquot viros moliri intellexeram: confectum vero negotium & emiſſos vocationis codicillos neſcio. Cras forſan me conveniet, & quid in ea re actum ſit, certo cognoſcam. Si me audiet, & puto audiet, eo ibit non lento gradu. Bene ſit Ampliſſimæ Urbi, quæ talem virum doctum, ſapientem, modeſtum & pacis ſtudioſum acquirit. Væ Galliæ novercæ ſuos filios ejicienti, quia eos non fovet, nec pro meritis habet. Expectabo quæ huc deſtinaſti exemplaria defenſionis Regiæ, quæ etiam poſſet hic recudi præcipue Gallice, ſi velis tuam verſionem mittere. Vidua Mathurini Puteani, quæ res tuas hic procurat, meretur aliis præferri: ego tua cauſa operas typographicas dirigam. Hæc ſcribo podager & κλινήρης. Tu vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum pridie Kalendas Januarias Anni CIↃ IↃC L. quem tibi tuiſque fauſtum fortunatumque voveo & opto; nobis vero præterito meliorem, certe diſſimilem.

EPISTOLA CCXX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

GRavi hemicraniæ dolore, poſt leniores podagræ, nunc afflictus, pauca omnino a me haberes, imo nihil, niſi quæ in opiſtographo continentur, tibi mittere promiſiſſem. Vignerius Oratorianus Preſbyter Nicolai Bleſenſis filius, ea heri attulit & rogavit, ut velles meo & ſuo rogatu, de iis ſententiam tuam promere. Dicit habere ſe affectum Commentarium de hujuſmodi nugis, quæ aliquando

ſeria

ſeria ducunt, te præſertim earum interprete. Hoc facies commodo tuo. Imo cito facies, aut nunquam. Soles enim facile hujuſmodi promiſſorum oblviſci: & poſſem ex ſyngrapha adverſus te agere, niſi bona potius verba hoc anno ineunte eſſent dicenda. Vale & me ama, qui æternum ſervo amorem. Lutetiæ Pariſ. Nonis Januariis CIↃ IↃC L. Ne mea brevitas nuda & inornata videatur, hic habes Carmen Elegans, in cujus titulo voluit me exornatum L. Senator Pariſienſis.

P. L. CARMEN

IN ALBAS LIGÆ PROCESSIONES.

DOCTISSIMO SARRAVIO.

Larvata ritu quod ſodalitas novo
Albo ſtupentem venit Urbem ſyrmate:
Et tecta vultus cernuos, torvum tuens;
Geſtat retortis lora pendula funibus:
Ne tu cachinnos ſolve, neu miſce jocos.
Sed tacitus oculis, auribus, lingua fave.
Hic pura virtus: Pura cultus hic pii
Medulla. Fatis quiſquis huc felicibus
Fratrum vocatur Candidatorum comes;
Compendioſa currit in cœlum via;
Cœloque victo potitur & victis diis.
Rides & ægra mentis hoc morbum vocas?
Non imperitum vulgus hi poſſunt doli
Nugis ſuperbis fallere, an fallent Deum?
Perſona vultus muta nequicquam tegit
Animi receſſus cum penetrales patent.
Male in cucullo lineo latet ſcelus.
Quid omineris? Ni taces præſens malum
Iram Deorum ſenties Harpocrates.

EPISTOLA CCXXI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Hagam.

REm magnam &, antequam accidiſſet, arduam omnibus creditam, quin & factu impoſſibilem, iſtuc procul dubio velox fama detulerit: injectas nempe Reginæ mandato manus in Condæum Principem, ejus fratrem Contium, horumque profratrem Longovillanum Ducem; qui in Vincenarum arce ſub arcta cuſtodia jam aſſervantur. Factum id omnibus mirantibus, die Martis hujus menſis decima octava, veſperi. Cauſas iſtius facinoris explicuit Rex prægrandi ad Senatum noſtrum epiſtola, cujus exemplum miſiſſem, niſi veritus eſ-

 ſem

ſum faſciculum tuum [illegible]. Omnino [illegible] Principis [illegible] An[illegible]-ſtræ formidoloſa [illegible] viſa eſt. Quæ autem fuerint ejus conſilia, aperient forſan dies ſequentes. Interea quas ſupra non auribus, ſed totis corporibus tenent, videant quorum ea res eſt, ne inde [illegible] aut compareant. Omnino enim Galliæ inteſtino bello tota conflagrante, quod avertat DEUS optimus, cupus, abſit verbo blaſphemia, potiones hactenus viſa eſt erga nos indulgentia. Nondum ſcio an acceperit Blondellus Amſtelodamenſis vocationis diploma: quin heri aut hodie tamen id habet, niſi velit id me celatum, quod vix crediderim. Certe poſtrema die dominica negabat ſe a tribus ſeptimanis quidquam iſtinc habuiſſe. Cæterum miror Moro grave fuiſſe in Profeſſione Hiſtorica ſibi prælatum Blondellum, cui omnes in ea ſcientia cedunt juveneſque ſeneſque. Ut enim tum tantum delatus is honor fuerit Blondello, cum eum recuſaverit Morus, audi me patienter quod tertio dicentem, non credo. Defenſionem tuam Gallicam debes Viduæ Puteanæ, quæ cum ſuo marito dudum tibi operam navavit: cum præſertim iſtic vulgaria noſtra parum caſtigate excudantur. Itaque eam ocyus huc tranſmitte: verendum enim eſt ne audaculus aliquis id ipſum vel te invito aggrediatur. Quanquam autem incredibili tui videndi ardeam deſiderio, tamen Suedicum iter tibi præferendum cenſeo. Ita ſoleo amicorum commoda meis votis antehabere. Vale itaque & eo vola. Lutetiæ Pariſior. XXII. Januarii CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Hagam.

Expectabo reditum tuum Leydam, ut illic poſſis melius & commodius reſpondere Vignieri quæſitis: quod tamen ſi omiſeris, noli vereri ut ex Syngrapha tecum agam. Nulla enim ſunt tribunalia, in quibus te reum peragere poſſem, niſi forſan neglecti officii; quod, ut ſunt tempora, facile contemnitur. Ago gratias quod pollicearis indiculum amicorum, quibus tua DEFENSIO danda erit. Sed memineris eum ocyus mittere. Aquilo enim, qui aliquot abhinc diebus continuo flat, naves ſtatim adduxerit, & cum iis librorum tuorum faſciculum: quem non aperire aut ſaltem ſpargere certum eſt, donec promiſſum catalogum accepero. Sed num addidiſti quintæ Editioni, quæ Amſtelodami adornatur, eximiam illam Præfationem, quam integro libro olim præferebas. Verſionem autem Gallicam poſſes pluribus vicibus huc mittere, ut citius editio inchöetur. Vidi literas vocationis Blondelli; & intellexi artes æmulorum, qui eam turbare conati ſunt. Omnino accipiet conditionem, deſerta patria, quæ tales viros non meretur habere; adeo parce & illiberaliter cum iis agit. Utinam illic lautius & beatius vivat; quod factu facile omnes exiſtimant. Regis patruus Urbem non vult deſerere; unde multi credunt, quidquid ſimulent, iter non factum iri, duro præſertim hoc frigore: quod etiam me

plura ſcribere vetat. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum XXIX. Januarii CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

PAucis contentus eſto; nihil enim a te per hunc curſorem habui. An es jam ingreſſus iter Suedicum? an ſaltem ad illud ſerio te accingis? Omnino bonum factum, quod omnes moras rumpas ut eo te conferas. Heri accepi literas a Voſſio noſtro, qui de ſuæ Dominæ virtutibus & eruditione pergit admiranda, & quæ tamen apud me facile fidem inveniunt, dicere. Ejus munificentia ad me quoque pervenit. Quia enim illi tenue aliquod officium præſtiti, miſit ad me aureum nummum, qui ſuam iconem refert. Hoc ego ſi retuli præmium leviſſimæ operæ, qua mercede longinqua tua peregrinatio & immenſa doctrina penſabuntur? Nondum advenit faſciculus, in quo ſunt REGIÆ DEFENSIONIS libri: vereor ut ſerius reddatur. Wlacus enim Anglus typographus curavit ad ſe iſtinc per curſorem mitti unum exemplum ejus formæ, quam in duodecimo vocant: & jam fatagunt operæ typographicæ, ut diligentiſſime edatur. Vidi nobilem Anglum expoſtulantem, quod non miſeris unum exemplum mittere ad defuncti Caroli viduam, quæ hic degit; *Quamvis enim* inquiebat, *ſit in re minime lauta, tamen potuiſſe ſolvere premium tabellarii, qui illud attuliſſet.* Expectabam tuam reſponſionem ad Vignerii quæſita: quod ſi facere neglexeris, ſolens feceris. Satius eſt tamen adhuc præſtolari, quam ita præcipitanter te damnare. Itaque ἐπέχω. Statim enim viderimus, quid nobis ſperandum ſit. Regis iter Normannicum parum procedit: quia dicunt omnes arces deditum iri, nec neceſſe fore ulterius progredi. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. V. Februarii. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUamvis jam ſecundum ceſſes, iterum ſcribere non deſinam; ea tamen lege, ut ſi tertium ſilueris, ego quoque tuo exemplo conticeſcam. Vix enim crediderim te in Suediam nobis inſalutatis eſſe profectum: cum præſertim anni tempeſtas ſit adhuc incommoda. An vero meditaris ad Vignerii quæſita prolixam aliquam reſponſionem? Hoc ſane velim: ſed cum ſis totus itineris, credibile non eſt te iſtis nugis quamvis eruditis, velle, quod ſupereſt tempus impendere. Modo autem valeas quidquid ſit, bene erit. Nondum advenerunt tua exemplaria, quæ ad nos deſtinaſti, nimis lenta via maris, quæ ea huc debet ſiſtere. Interea procedit editio non inelegans, quæ hic in quarto excuditur. Etiam

Etiam Gallicam verſionem volebant adornare, niſi interceſſiſſem & dixiſſem te auctore hoc jam eſſe curatum. Vide ergo ut ocyus Latina & Gallica tua habeamus. Invenies hic multos laudatores: ſed aliquos etiam Cenſores. Quî aliter in tanta ſentiendi, & quidlibet effutiendi licentia? Multi enim Aulæ addictius ſerviunt, propter ſpem præmii: alii vero libertatem magis amant; quam exiſtimant ſe in moderato regio imperio facilius poſſe tueri. Varia itaque experieris hominum judicia: ſed ſat erit melioribus & potioribus placuiſſe. In Neuſtria omnia ad pacem vergunt: ſed in Heduis tuis turbatur. Fama eſt eo Regem iturum ſtatim atque de Franciſcopoli fuerit tranſactum, quod brevi fore ſperatur. Cadomenſes enim ſicut & Diepenſes ſunt in Regis obſequio. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XII. Febuarii. CIϽ IϽC L.

EPISTOLA CCXXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

POſtquam te ſcivi Hagæ viridaria luſtrantem, nihil inexpectatius accidit, quam intelligere te lecto affixum, podagra miſerabiliter torqueri. Sed hæc deflenda eſt hujus vitæ conditio & omnium humanarum rerum viciſſitudo, ut læta & triſtia ſibi invicem ſuccedant, ita tamen ut hæc ſæpius, quam illa recurrant aut ſaltem diutius inhæreant. Verum triſtia hæc vel ſola recordatione moleſta omittamus. Penes me ſunt aliquot quaterniones tuæ Defenſionis. Miratus ſum, & procul dubio mecum erunt multi in eadem ſententia, ubi legi in Præfatione *neceſſarios tibi videri Epiſcopos in regimine Eccleſiæ Anglicanæ.* Tibi inquam, qui in Wallone Meſſalino, adeo acriter eos inſectatus es, ut forſan inde arrepta ſit, ſi non nata occaſio eos penitus amovendi. Hoc ſane dicent eſſe τῷ καιρῷ δουλεύειν potius, quam τῇ ἀληθείᾳ πείθεσθαι. Reliqua cum voluptate legi. Exemplaria tua non comparent. Bonum factum quod laterculum miſeris eorum, quibus tuo nomine dari debent, quod a me religioſe præſtabitur. Vereor tamen ne inter Paſtores noſtros omiſeris eorum principem, virum doctiſſimum, tum tui ſtudioſiſſimum, Michaelem Falcarium, cum quo τὴν εἰκάδα impleveris. B. Amici noſtri vetus eſt vitium, quod iſtic & hic quoque juvenceſque seneſque dudum notaverunt; ſed tamen quod multis eximiis dotibus compenſetur; & poſſit frequente Latini ſermonis uſu corrigi. Fatebor autem me de amicis ſiniſtre & perverſe ſentire & ſcribere, te vero minime obliviosum eſſe, ubi ad quæſita Oratoriani presbyteri reſponderis. Interea velim me feras non ſine ratione, ita arbitror, conquerentem: hoc enim te poſſit vivida, qua polles, memoria docere. Vale & cum mea παρρησίᾳ patere te ſæpius interpellantem. Si obſequerer deſiderio meo, nec vererer eſſe moleſtus, plura adhuc hujuſmodi de quibus expoſtulares. Iterum Vale & in Suediam vel vola, vel curre, vel naviga, vel defertor; ſed ad nos poſtea revertitor. Ita voveo & opto. Lutetiæ Pariſior. XVIII. Februarii. CIϽ IϽC L.

EPI-

EPISTOLA CCXXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ADvenerunt quidem exemplaria tuæ Defenſionis, ſed non tua, quæ nuſpiam comparent. Quid hoc eſt? inquies. Jam reſcies, & quid tua cauſa fecerim bene aut male, prout tibi videbitur. Statim atque audivi in via Jacobæa proſtare vænales novos e Batavia libros, pro more meo eo advolavi. Unam, duas, tres, plures adhuc officinas ingreſſus, quæſivi de tuo Libro quem inveni. Petitum, & alios interrogavi, quot tuo nomine mihi dare deberent, an quinquaginta juxta priores literas tuas, an tantum viginti juxta poſteriores. Negavit ille, negaverunt alii, ſe quidquam mihi eſſe daturos, niſi meis ſumptibus; nec ulla a quoquam ſe habuiſſe mandata, quibus mihi aliquid eſſent daturi. Quid facerem? Dixeram haud ita pridem me tua exemplaria expectare, & largiturum eſſe his & illis: jam vero deluſos ſe conquerentur. Meo periculo, inquam, meam & Salmaſianam fidem liberabo. Accepi ergo a Petito novem amplioris chartæ, & duodecim contractioris, viginti ſcilicet exemplaria & unum; & ſyngrapha mea cavi, me ea de meo ſoluturum, niſi Tu aut Elzevirius ei ſatisfaceretis. Exiſtimavi me hoc tibi debere præſtare; & Elzeviriorum oblivione aut incuria id accidiſſe. Tu vero vide quomodo nomen iſtud tuum, aut meum, ſis expuncturus. Certe ſi expectaſſem tuam reſponſionem, periiſſet occaſio ea donandi Magnatibus & amicis. Malui ergo hujus qualiſcunque jacturæ aleam ſubire, quam tres hebdomadas, dum ſcriberem, tuque reſcriberes, expectare. Laterculum tuum implevi, & omnia hic donata vel alio miſſa. Quia non potuit Petitus omnia in folio ſuppeditare, coactus ſum aliquot in duodecimo accipere. Scribe ergo ut mea cautio mihi reſtituatur: & alia ſi quæ amicis deſtinaveris, vide, ut in unum faſciculum componantur, mihi aut alii reddendum. Miſerum eſt enim cum iſtis hominibus contendere, ut non ſuum reddant. De Vignerii quæſitis fiet quod voles, & quando voles, imo vel poſt tuum e Suedia reditum. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. XXVI. Februarii. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

NIhil a te accepimus a poſtremo veſtro tabellario. Sed ex epiſtola uxoris tuæ ad viduam Puteanam, intelleximus te adhuc podagra teneri; quod ſane, prout debeo, fero moleſtiſſime. Habuit etiam illa aliquot chartas Defenſionis Gallicæ; quam ſi ſtatim prælo ſubjiciat, libenter, uti promiſi, operis typographicis opem feram. Vide tantum ut reliqua ocyus mittantur. Quia autem

tem inſcripta eſt Carolo Secundo Filio, &c. credat aliquis deeſſe ad eum Epiſtolam ἐν κεφαλίδι τȣ̃ βιβλίȣ, quia in ipſo opere nuſquam a te compellatur. Totum enim accurate perlegi cum magna voluptate. Presbyterianos fratres offendit accuſatio nefandi criminis, cujus eos facis participes: quamvis enim poſtmodum videaris iſtud onus rejicere in Independentes, rurſum tamen eos inſectaris, nec vis iſtius culpæ eſſe immunes: quod ſane durum eſt a conſectaneo pati. Satis prævidiſti eorum querelas, quas vitaſſe conſultius fuiſſet. Circa editiones vulnus eſt immedicabile. Quid tamen vetat, quin in Gallicis chartis, quæ ſunt adhuc penes te, aliquid lenimenti adferatur? Saltem ea populus non legeret, nec de te ob iſtam tuam libertatem male forſan ſentiret. Si me audies id in fratrum gratiam præſtabis. *De neceſſitate Epiſcopatus Anglicani* quod obiter dixeras in Præfatione, uti jam monui, fortius adhuc urges ipſo opere, contra dictata Wallonis Meſſalini; quod tibi vitio vertetur: diceturque te calidum & frigidum eodem ex ore efflare, nec generoſitati tuæ id convenire exiſtimabitur. Paſſim negas extare exemplum ullius Regis, qui ita publice traductus fuerit & carnifici traditus: Alicubi tamen dicis aliquot Scotiæ Reges, in publico capitali ſupplicio eſſe affectos: quæ conciliatione indigere videntur. Unum addam, cum capita duodecim, in quæ opus diviſiſti, ſingula ſua argumenta ediſſerant, potuiſſe te unicuique ſuum titulum præfigere. Vale ſi valere potes, & me ama. Lutetiæ Pariſior. v. Martii. CIↄ IↄC L.

EPISTOLA CCXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

TE ergo habemus reum fatentem. Sive enim tempori ſervias, ſive cauſæ, nobis perinde eſt. Atqui dicebatur antea te ἄτρεπτον νȣ̃ν ἔχειν, qui ne ipſi quidem Jovi, Termini in modum, cederet. Præterea credo non licere Advocato vel Regio, in cauſa domini ſui, aliter dicere publice, quam privatim loquatur & ſentiat: quemadmodum non ſunt diverſæ leges, quibus domi utimur, ab illis juxta quas in foro placita decernuntur. At ſcripſiſti inquis, ex imperio. Ergo poteſt tibi imperari, ut ſententiam mutes? Epictetus tamen tuus docet hoc eſſe τῶν ἐφ' ἡμῖν, idque ita eſſe in poteſtate noſtra, ut invitis non eripiatur. Sed hæc ingrata omitto. Serio hic inchoata eſt editio Gallica forma quam dicunt quartam, characteribus elegantibus: modo pergas mittere verſionem tuam, ſtatim negotium finem accipiet. Scripſi viduæ Puteanæ ut ſpecimen ſuæ editionis tibi mitteret. Suedici itineris conſilium bene eſt quod non deſeris: & digna eſt Magna Chriſtina, quæ ex ultimis orbis finibus inviſatur. Menagius eam nuper compellavit & laudavit in Præfatione *Carminum Latinorum Balzacii*, quæ iſti Heroinæ dedicavit. Ita literarum quidquid eſt, eo jam volat, & pacis egregiæ artes, belli præclaris facinoribus ſuccedunt. Poſtquam vero iſtam frigidiorem & obſcuriorem plagam præſentia tua accenderis

& il-

& illuſtraveris, nihil ejus gloriæ deerit; nec quiſquam non ſibi glorioſum ducet, per tua incedere veſtigia, quanquam nequeat aſſequi. Sed ſi ceſſiſti Regi imperanti, noli cedere Reginæ roganti ut apud ſe hiemem tranſigas, niſi velis æternum ibi manere. Vereor enim, mi Salmaſi, ne ſævi aëris inclementia corpuſculum tuum affligat & perdat. Itaque citius diſcede, ut citius etiam revertaris. DEUS iter ſecundet. Vale & me vel ſub axe Arctico ama. Lutetiæ Pariſior. XII. Martii. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SAtis prævideram, quæ tua eſt fides & generoſitas, me extra omnem futurum eſſe aleam, accipiendo a Petito promiſſa exemplaria & ea amicis in laterculo comprehenſis diſtribuendo. Omne id incuria typographorum factum eſſe arbitror, potius quam malo animo. Scripſerunt enim nuper Petito, ut mihi daret viginti exempla majoris formæ. Ille vero ut nuper ſcribebam, quod olim non potuit ne nunc quidem poſſit, divenditis illis majoribus. Itaque ſatis erit, mihi ſyngrapham meam reſtituat; quod nondum fecit, ſed facturum eſſe dixit meo amanuenſi, quem ad eum iſtam ob rem miſeram. Tuum erit cum Elzevirio inire rationes; quibus tibi novem tantum majora & duodecim minora imputabit. Editio Gallica commode procedit: ſed quia volunt eam, quantum poſſunt, maturare, deinceps acceptis tertio & quarto capitibus, pollicentur ſingulis diebus binas chartas: quod ſi præſtiterint paulo poſt Paſchales ferias opus erit abſolutum. Conſtabit octoginta aut circiter foliis. Proximus tuus in Suediam diſceſſus facit ut te meis verbis roget Balzacius, niſi adhuc acceperis faſciculum in quo habentur ejus varia opuſcula Gallica iſtic edenda, cures te licet abſente, eum aperiri & typographo, cujus ea res eſt, tradi. Præterea ſcire deſiderat, num acceperis chartæ puræ ſive albæ grandiuſculum τετράγωνον quem tibi dono miſit. Blondellus etiam noſter, cujus hic habes literas, auctor mihi eſt ad te ſcribendi, num pati velis itineris comitem virum bonum, qui etiam in Suediam cogitat; nullo modo tibi oneri futurum. Reſpondi, ſi ſolus eas, non ingratum forſan tibi fore ejus contubernium: ſed ſi uxorem & familiam tecum ducas, quod potius exiſtimo, me non credere hoc poſſe fieri ſine magno tuo incommodo. Tu vero vel illi vel mihi ſcribes, quod præterea eum ſcire oportet. Penes me eſt grandis Bocharti noſtri Epiſtola, ſuper Anglicana anni proxime præteriti Tragœdia. Jus regium it ſtabilitum maxime ex Sacra Scriptura, & a noſtris ſuſpicionem amolitur, qua nonnulli eos infamant. Niſi Morleyus Regis Sacellanus, cui inſcripta eſt, ejus editionem procuret; hoc alii præſtabunt: iniquum enim eſſet adeo pium & nobilem fœtum premi & ſuffocari. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſior. XIX. Martii. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXX.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

PRidem accepi humaniſſimas literas tuas, ultima Decembris, & duodecima Junuarii, Holmia ad me datas. Mentiar autem ni ſtatim dixero me vix unquam majori perfuſum eſſe lætitia. Unde ergo factum inquies, ut tamdiu nihil reſponderis? Serio pudet Mi Voſſi: ſed audi cauſſam ceſſationis meæ, coram quolibet judice juſtam & legitimam. Nolebam ſcilicet manibus vacuis me tibi ſiſtere: & per pigerrimum ſcribam ſtabat, ne poſſem promiſſum codicem exhibere. Quoties ad eum ſcripſerim, miſerim, iverim; quoties me inani ſpe deluſerit, induxerit, totoſque quatuor menſes fruſtratus ſit: quoties ne mihi occurreret latuerit, dicere nihil attinet, niſi quod id te ſcire oportet, ut mihi apud te conſtet officii ratio. Sed tandem aliquando abſolutum opus hic habes, quod utinam Chriſtinæ placeat. Ad exemplar regium a me recenſitum eſt, contra legente Bullialdo noſtro, hujuſmodi rerum uti & aliarum multarum, peritiſſimo. Aliquot locos auſi ſumus in ora libri leviter tangere, ita tamen ut primæva manus in ipſo textu illibata maneret. Ubicumque deficiente ſcriptura ductæ ſunt lineæ, ſcias in exemplari lacunam eſſe; quam niſi ex alio codice implere inſignis fuiſſet temeritatis: alium autem non habemus. Extant, quod ſcire cupit Sereniſſima ac Potentiſſima Regina, in Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca, Commentarii Procli in Alcibiadem & Parmenidem Platonis, cum aliis plurimis ejuſdem auctoris, quorum Indicem hiſce adjungam, cum numeris ſub quibus habentur, ut facilius inveniantur. Per Ampliſſimorum Fratrum Puteanorum prolixam & obviam humanitatem, omnibus ad eam patet aditus: nec verendum eſt ne ſapientiſſimæ ac vere incomparabili Dominæ tuæ quidquam denegetur. Veniat ergo ocyus ille Upſalienſis deſcriptor, qui opes noſtras vobiſcum communicet. Habentur etiam in Bibliotheca Thuana, & in Puteana Procli edita multa, quorum etiam Catalogum addam, ut ſi ea deſideratis, ea quærere & nanciſci poſſitis. Hic omnem operam meam vobis addico, ut voti compotes fiatis: Et ſi quid negligentia peccatum eſt, cujus velim me credas inſontem, id diligentia non vulgari ſarcietur. Inerat autem prioribus literis tuis aureum numiſma, Chriſtinæ Minervæ mirabilem vultum referens; pro quo quas debeo magnas habeo & ago gratias. Sed quare non ſcripſiſti num a te illud habeam, num vero a liberaliſſima Domina tua? Scio illud vel a te miſſum, impenſius gratum eſſe debuiſſe, & ſane gratiſſimum eſt & fuit: ſed ſi ab incomparabili Heroina mihi deſtinatum eſt, non dubitas longe maximum ejus pretium apud me eſſe futurum. Apud me ſervatur qua par eſt obſervantia, & reverentia. Oſtento regium vultum eum intueri cupientibus: & quis non cupiat cognoſcere ævi noſtri maximum miraculum, ejuſque faciem conſpicere? Undique ſane in ædes meas factus eſt concurſus, ut videretur; & ab

illo

illo Sole factæ ſunt illuſtriores. Expreſſit divina hæc facies a me aliquot diſticha; quæ vide an huic chartæ illini digna. Jamblichum autem, quem jam mitto, offer quæſo meo nomine cum humillimi & addictiſſimi cultus & obſequii devotione Ter maximæ Dominæ tuæ, vel δῶρον, ſi a te mihi nummus venit, vel quod malim, ἀντίδωρον, ſi illa me benigna ſua munificentia occupavit. Tuas ad Bochartum ſedulo & tuto curavi: & puto jam reſcripſerit, alia via quam mea uſus. Ejus liber *De Animalibus Biblicis* abſolutus eſt, & brevi typographo tradetur. Non difficulter autem ab eo quod volebas impetravi, ut eum inſcriberet Sereniſſimæ Reginæ; quæ ſane ſola digna eſt hujuſmodi opera tractare & tueri; nec etiam hoc opus ejus regiis manibus & ſtudiis indignum eſt. Urgeo quantum poſſum, editionem; nec deſpero eam a viro quamvis modeſtiſſimo brevi extorquere. Idem ſcripſit nuper a quodam Regis Angliæ Sacellano interpellatus, grandem epiſtolam præcipue *De Jure regio*, quod ex ſacra præſertim ſcriptura aſſerit fortiter, & pro meritis commendat. Auctor ei fui ut eam edat in lucem. Noſtra enim intereſt hujuſmodi ſcriptiones publicari, ut videant, qui nos quaſi Regiæ dominationis adverſarios traducunt, quomodo noſtrarum partium doctiſſimi jus Monarchicum defendant & ament. Blondellum vero quod attinet, pauca habeo quæ ſcribam; niſi quod totus jam eſt itineris Batavici. Amſtelodamum enim vocatus ut locum μακαρίτου parentis tui immortali vita digniſſimi, a te recuſatum, impleret, conditionem accepit; & eo DEO volente, proximo Junio ibit. Sarcinas ergo colligit, & Bataviam tantum cogitat. Cum eo ſæpius egi *De Critici ſacri* editione: nec renuit vir optimus & doctiſſimus utiliſſimum Eccleſiæ opus poſteris tradere. Sed aliis minoribus diſtractus dum amicis morem gerit, ei totum tempus perit. Hoc autem ei conſilium dedi ut inde Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ profeſſionem auſpicetur: & vice Apparatus genuinos ſacros a ſuppoſititiis diſcernat. Faciam inquit, ſi Urbis Conſules in quorum poteſtate ſum futurus, aliud mihi penſum non imperaverint. Immo vero dixi, Debes cum privatorum ſtudiorum tuorum, tum lectionum publicarum Dominus eſſe, nec ab aliis pendere, modo in ornanda Sparta tua labores. Vide ergo tu, qui apud illos plurimum potes, ut quod cupis ipſi mandetur. Criticæ Cappelli editionem credo ante Paſcha abſolutum iri. Opus eſt improbi laboris, nec vulgaris induſtriæ. Qui literas Hebraicas amant in eo habebunt unde ſitim levent: æmuli vero jam allatrant, vel priuſquam ſciant quid in eo contineatur. Ab ejus quippe doctrina, ſobrie, caſte, & pie utentibus, nihil eſt metuendum: ſed malis animis nec optima placent. Quantum tibi ego & Dallæus debeamus fidem facit editio libri *De Pœnis & Satisfactionibus Humanis*, qua ſine te non frueremur. Convaleſcit jam vir maximus a graviſſimo morbo, quo pœne periit. Habet parata multa, quæ Blawio edenda ſtatim ſi velit dabit. Noſtrates enim Gallica tantum excudere amant. Vale. Lutet. Pariſ. XXVI. Martii CIↃ IↃC L.



CARMINA IN NUMMUM SERENISSIMÆ CHRISTINÆ SUEDORUM REGINÆ.

In cujus antica parte eſt PALLAS *galeata olivæ ramum aſpectans: In poſtica* SOL.

A*ttica falſa fuit, ſed vera hæc Arctica* PALLAS;
Dicere me verum, SOL *mihi teſtis adeſt.*

Si coluiſſe voles Phœbum & coluiſſe Minervam,
Tu cole CHRISTINAM, *Numen utrumque coles.*

Objectam PALLAS *galeata aſpectat olivam:*
Elige ſeu pacem, ſeu magis arma velis.

Imperio digna hæc facies armata MINERVÆ,
Solis ab Eoo cardine ad Heſperium.

Sol radios expande tuos, Ecce æmula terris
CHRISTINA *affulget lumine inocciduo.*

Attica quæ quondam fuerat, nunc Arctica PALLAS
Dat ſua, dat Phœbi pleniſſima munera terris.

EPI-

EPISTOLA CCXXXI.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

ANte menſem prolixe ſcripſi, cum mitterem ad vere incomparabilem Reginam dudum promiſſum Jamblichum Græce deſcriptum; quem opto in regias digniſſimas manus deveniſſe & placuiſſe. Jam vero tantum ſcribo, ut haſce ſummi viri & amici Bocharti, ad te allegem. Me auctore aggreditur Bullialdus libro commentario ornare miſſum Jamblichum: quia certiorem eum feci, fore id gratiſſimum ſapientiſſimæ veſtræ Heroinæ. Non indiligenter enim aliquando verſatus eſt in hujuſmodi Platonicorum ſcriptis; nec dubito eum poſſe γονιμῶδες aliquid dare. Vale & me amare perge: & apud magnam Chriſtinam commenda, tanquam ejus virtutibus, Regiæque dignitati addictiſſimum. Lutetiæ. Pariſior. XXIII. Aprilis. CIƆ IƆC L.

EPSITOLA CCXXXII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

REcepi a Petito quam ei tradideram cautionem, & apocham dedi ab eo acceptorum exemplarium, ut cum Elzevirio poſſit ſuas expedire rationes, & tu quoque cum illo. Si libeat mittere Latinam Præfationem, quæ in editionibus hactenus factis deſideratur, commode addi poterit editioni, quæ in quarto hic edita eſt, & totam, quanta quanta eſt, reliquit Vvlacus ad quem pertinet, viduæ Puteanæ, ut eam cum Gallica verſione, quæ ſatis diligenter excuditur, diſtrahat. Quotidie una charta conficitur; & duas promittit typographus ſtatim atque alium librum, qui dudum ſub ejus prælo ſudat, abſolverit, idque proxima ſeptimana factum iri non vana ſpes eſt. Cæterum gaviſus ſum cum vidi te in Gallica verſione ſuſtuliſſe, quæ in Latina editione capite tertio dixeras ad locum Ambroſii, *De remiſſione peccatorum*, quaſi locum non habuerit ſub Veteri Teſtamento, quemadmodum habet ſub Novo. Hæc enim doctrina offenſionis juſtam præbebat materiam: & vel ex ipſis Davidis verbis Pſalmi XXXI. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates:* quibus uſus eſt Paulus ad Rom. cap. IV. contrarium clare evincitur. Soror uxoris tuæ mecum communicavit conſilium Suedicæ tecum profectionis; & auctor fui ut tibi morem gereret. Alii fortiter obnituntur, neſcio quam ob cauſam; mihique ſuccenſent, quod ſuis votis non faveam. Faciet illa & decernet pro ſuo arbitrio. Ego qui rebus noſtris bene ominari non poſſum, gratulor omnibus, qui hinc diſcedendi honeſtam habent occaſionem. Utinam fallar opinionis, & bene omnia ex DEI conſtanti erga nos indulgentia ſuccedant. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum. XXVI. Martii. CIƆ IƆC L.

EPI-

EPISTOLA CCXXXIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

GRaviter ut ſemper, poſtrema tua dogmata defendis, damnatis prioribus. Ego pauca reponam, nec enim mea res eſt aut admodum diſſentimus. Mutatio ſententiæ, pro variis cauſarum figuris, nolo eſſe crimen; imo ne quidem delictum. Sed in uno eodemque argumento, modo Epiſcopos reos peragere violati in eum modum Eccleſiaſtici Regiminis, ut nullo modo tolerari aut emendari poſſint, quin potius debeant ſolio deturbari; modo eos tantum in ordinem cogere, & damnare & quidem verbis atrocibus eos a quibus prior ſententia executioni mandata eſt, ſaltem inconſtantiæ notam non poſſit effugere. Hæc dico, eo tamen animo ut exiſtimem in Regno & ſtatu Monarchico melius convenire regimen Epiſcoporum, quam Presbyteriorum. Oportet ſcilicet quantum fieri poteſt Eccleſiaſtica temperare ſæcularium in modum; quamvis in noſtra Gallia, Reformatos quod ſpectat, aliter ſit conſtitutum, nec male nobis ſuccedat. Et hæc hactenus. Quicquid delicatulos noſtros ſuggilles, mallent adſcripſiſſes lemmata ſingulis Defenſionis capitibus. Quid agas? ita vivitur. Quidni ergo quod conſulto in editione Latina omiſiſti, in Gallica mutes & addas? Vel ergo ea mitte quæ in libri initio aut fine apponantur, vel patere æquo animo ea ab alio concinnari. Pergitur alacriter in typographio; ſed facit character craſſior, ut in molem ampliorem creſcat liber. Appingent miſeri Regis effigiem: volebant & tuam, hujuſque ego auctor eſſem. Dixi me ea de re ad te relaturum. Dic ergo quid facto opus ſit. Ego ita ſentio, cum omnes ſciant opus tuum eſſe, nihil vetare quin iconi Regiæ tua quoque addatur. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſ. 11. Aprilis. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXXIV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SCripſeram de libris & chartis Balzacii, aliiſque, de quibus reſponſionem tuam expectabam. Sed de iis in tuis ὐδὲ γρῦ; ſicuti neque de quæſitis olim Oratoriani presbyteri. Hæc omnia apud te oblivionis velo tecta ſunt, &, quando ita vis, ſunto. Elzevirii futuri ſint tui amplius nec ne, parum mea refert: ſed quantum poſſum amicorum culpas elevo, niſi de malo animo mihi conſtet. De presbyterianis nihil omnino loquutus fueram. Tu vero acriter in eos inſurgis, & duriora polliceris. Indulge quantumlibet tuis affectibus: aliis mitior placet ſententia. Si aliqui tuam erga illos laudant moderationem: aliqui etiam atrocitatem tuam culpant, nec facile eſt aut neceſſe horum aut illorum inire numerum, ut conſtet qui pluribus ſuffragiis ſint potiores. *Bocharti*

charti epiſtola, non liber, non Apologeticus prodibit & laudabitur: & culpabitur etiam. Quare enim meliori fato uteretur, quam tua Defenſio? Presbyterianorum multos excuſat, quod facile eſt: non omnes ergo damnat, nec ſane neceſſe fuit. Præcipuus ei labor in argumentis e ſacro Codice deſumptis: quod magnifice exequitur, modeſte tamen pro ſuo ingenio. Tu quia rogatus es, ſcripſiſti: ille vero quia interrogatus eſt, reſpondit. Tu ad Regem; ille ad ejus Sacellanum. Omnino varia ſunt veſtra munia & officia. Tibi liberum fuit per varia argumentorum genera expatiari; illi neceſſe fuit ad quæſita appoſite reſpondere. Nihil habeo quod addam. Vale ergo & me ama. Lutetiæ Pariſiorum. IX. Aprilis. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXXV.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUamvis repugnare videaris, optime feciſti expungendo illam periodum tuæ Defenſionis, in qua aſſerueras, remiſſionem peccatorum locum non habuiſſe ſub Veteri Fœdere. Ut enim jacet, non quæritur, quæ ſit fueritve ea de re Patrum ſententia, & an crediderint necne, ſe ſalutem conſequuturos eſſe vi & meritis mortis Chriſti: quod ſi ageretur facile me judice obtineres veteres illos confuſe tantum καὶ ἐν αἰνίγματι, non vero diſtincte cognoviſſe venturi Meſſiæ munia, nec proinde eorum effectus aut fructus. Sed non concederem, quamvis remiſſio peccatorum minus cognita illis fuerit, idcirco eam quaſi in ſuſpenſo fuiſſe & incertam. Nec locus Pauli ad Ebræos IX. 8. a te allatus id evincit. Dicit quidem non propalatam μήπω πεφανερῶσθαι, quod eſt cognitam & publicatam Sanctorum viam: ſed non inde ſequitur nullam fuiſſe viam, quia non fuerit cognita. Quam multa enim poſtea revelata ſunt, quæ illos fugerunt. Nec ſententiam tuam juvat alter ille a te quoque allatus locus Apoſtoli Rom. III. 25. in quo negas hæc verba διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων poſſe intelligi de *remiſſione* peccatorum, ſed tantum de eorum *prætermiſſione* & quaſi *præteritione*. Nec enim inquis, πάρεσις poteſt idem eſſe quod ἄφεσις. Sed contra te ſtat accuratus Græci ſermonis interpres Heſychius; qui hunc ipſum Pauli locum explicans ait, Πάρεσιν eſſe ἄφεσιν, συγχώρησιν *remiſſionem* vel *conceſſionem*, & quidem gratuitam. Sed te totum jam itineris non oportet hiſce, quanquam non contemnendis, diutius detinere. Dedicationem autem, ſi potes, mitte: vel Latinam editioni Vvlaki præfigendam; vel ſaltem brevem aliquam Gallicam editioni, quam adornamus, idoneam. Precor tibi Suedicum iter breve & proſperum. Si enim longius ſit, ſed nolo male ominari. Vale ergo cum tua & me vel ſub plaga Hyperborea ardenter ama. Lutet. Pariſ. XVI. Aprilis. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXXVI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

BEne eſt, quod ex editione Defenſionis tuæ, quam adornat Ludovicus Elzevirius, ea tollantur, quæ præbent offenſionis materiam; quod eam reddet exquiſitiorem. Curabo in Gallica verſione tranſpoſitionem & luxationem, quam notas, reſtitui, quod duorum foliorum opus erit: non tanti quin melius ſit tantulam jacturam facere, ut iſtud vulnus ſanetur. Non poterit idem præſtari in Latina Vvlaki, quia quotidie diſtrahitur. Si Morleyus Cappellanus legendam tibi tradidit Bocharti epiſtolam, cognoveris nihil minus ſimile eſſe tuæ Apologiæ, quam iſta Epiſtola. Et mirum videri poſſit, vos idem fere argumentum proſequutos, vix unquam eadem via proceſſiſſe. Epiſcopis, quidquid dicat is cui ſcripta eſt, minus favet ejus auctor quam ipſe faveas: nec ea poteſt eſſe vera cauſa, quare ejus editionem procurare nolit. Sed ſatis eſt quod non intercedat. Alii forſan hoc curabunt; qui judicant poſt luculentam tuam meſſem, hoc etiam ſpicilegium non inutiliter legi. Cognoveris etiam quo cultu idem Bochartus te proſequatur; qui quæſiverit occaſionem τὸν Μέγαν Salmaſium laudandi. Ita ſemper ſolet amicis quacunque ratione poteſt conſulere, iiſque benefacere: quod negligunt permulti hoc ſeculo; quo nunquam vilior annona ingratorum. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XXIII. Aprilis. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXXVII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

SI iratior, ut vis, ſcripſi, non ea eſt cauſa, quam videris anxie inveſtigare. Nec enim Elzevirios aut Presbyterianos apud te defendere cogitavi. Aliquando forſan mutata perſona, ipſe id facis: eandemque operam miſeris Presbyterianis præſtabis, quam nuper Epiſcopis, olim à te profligatis, præſtitiſſe & ſemper tibi honeſta & juſta facti ratio conſtabit. Tantum querebar, quod ad minuta quædam reſpondere neglexiſſes, ad quæ nec poſtea reſpondere voluiſti. Sed hæc fuerint: nec enim juvat iſtis minutiis immorari. Cæterum non heri aut hodie nata eſt quæſtio *De Jure ac Poteſtate Regum: nempe an Legibus ſubjiciantur, an vero illas impune calcare poſſint*; quod poſtremum magnifice & fortiter defendiſti. Apollonius contrariam ſententiam ſi foveat, mirandum non eſt in Republica, Legum cauſam videri potiorem, nec diſſimi Aſſertoribus. Ut enim quiſquam ſanæ mentis, nedum ille qui vir doctus & cordatus audit, probet quod immaniter & atrociter in Anglia ſuperiore anno patratum eſt, vix credi poteſt. Nondum hic quidquam contra tuam Defenſio-

ſionem legitur, quamvis vulgo feratur plures jam calamum in te ſtrinxiſſe, qui tuis veſtigiis inſiſtentes dure & acerbe agunt. Quia Morleyus negat, ut ſcribis, editionem epiſtolæ Bocharti noſtri, hic excudetur cum bona ejus gratia. Poterit enim noſtris jam prodeſſe, quod aliquando Regi Angliæ non inutile futurum agnoſcit. Sed heus tu, amice, verumne eſt quod hic jactatur, te profectionis Suedicæ conſilium abjeciſſe? Vel quia times in Anglorum itineri tuo inſidiantium claſſem incidere: vel quia Chriſtina mutato animo, nullum vult amplius cum peregrinis, præcipue autem Gallis, exercere commercium. Prior cauſa tua eſt, altera vero Reginæ. Neutra autem mihi veriſimilis videtur. Potes enim terra iter faciendo ſecuritati tuæ conſulere, quod etiam ſanitati tuæ magis conducit; & ita ἐγκαθέτους ſi qui ſint, fruſtraberis & vitabis. Nec ea ſunt negotia, quæ te in Suediam vocant, ut Regni Gothici Magnatibus poſſint ſuſpicionem facere. Quicquid ſit ſi eo non eas, ajunt quod me ſolatur, ſpem eſſe te huc venturum. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum. XXX. Aprilis. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXXXVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

POſt explicationem in poſtremis tuis literis allatam, facile de plurimis conveniemus. Tecum enim ſentio, rudem omnino & infirmam fuiſſe Patrum Veteris Teſtamenti in Meſſiam fidem; quæ Chriſtum tantum exiſtimaverit liberatorem ſervitutis temporalis, non autem ſpiritualem redemptorem ſuo ſanguine ab æternis propter peccata pœnis. Eandem quoque fuiſſe ſententiam Apoſtolorum & primorum fidelium, poſt Chriſtum natum, imo quamdiu vixit in terris, & poſt ejus in cœlum aſcenſum; donec die Pentecoſtes miſit ſuper fideles Spiritum Sanctum, qui eis omnia revelavit juxta promiſſionem Chriſti Joh. XIV. 26. ὁ δὲ παράκλητος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, &c. ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα. Tum demum enim Apoſtoli, qui antea idiotæ, Chriſtum θεάνθρωπον καὶ λυτρωτὴν τοῦ κόσμου ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ ignorabant, facti ſunt Doctores myſteriorum fidei Chriſtianæ; eamque Judæis primum deinde & Gentilibus prædicarunt. Ignorata ergo fuit olim mors Chriſti ejuſque meritum, & proinde remiſſio peccatorum quæ ab ea proveniebat. Quamvis autem ignorata fuerit, fuit tamen revera: & in vim ejus meriti, non quidem præſentis, ſed aliquando certo futuri, Patres V. T. peccatorum, remiſſionem ſunt conſequuti. Si enim eam non ſunt conſequuti, ergo perpetuis cruciatibus addicti fuerunt: quod non arbitror velle te de iis dicere aut credere. Contra affers locum Pauli ad Ebr. XI. 8. ex quo a contrario ſenſu argumentaris & dicis. *Ergo quamdiu fuit oblatio pro peccatis; non fuit remiſſio peccatorum.* Reſpondeo. Quemadmodum iſtæ oblationes ſacrificiorum legalium non erant ἱκανοὶ per ſe, hoc eſt actu & vi ſua non poterant ſatisfacere pro peccatis, ſed

 ope-

operabantur tamen in vim cruenti Chriſti ſacrificii aliquando futuri, ita actu non fuiſſe iſtis Patribus indultam remiſſionem peccatorum; quia revera nondum ſolutum erat pretium redemptionis. Verumtamen agnus ille, qui tollit peccata mundi, immolatus ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Apoc. XIII. 8. ab eo tempore exeruit ſuam efficaciam. Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Sed inutile videatur, poſtquam offenſionis cauſam removiſti, amplius ea de re verba facere. De tua in Septentrionem profectione quia ſiles, pergam quærere an verus ſit rumor, qui percrebuit, te conſilium eo eundi depoſuiſſe; quod ſane factum nolim. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum. VII. Maji. CIƆ IƆC L.

EPISTOLA CCXXXIX.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUod iterum neque tu neque uxor ullas cuiquam ſcribatis, ſecius aliquid nos cogit ſuſpicari. Tempus ſane podagricis iniquius fuit: quod ipſe quoque aliquot dies ſum expertus; ſed ſtatim convalui. Interea ſcias oportet Verſionis Gallicæ chartas, quas habuimus, eſſe fere abſolutas: & ceſſabunt operæ, niſi eas, quæ deſiderantur proximus nuncius attulerit. Optant omnes periocham capitum. Vide ergo num hæc a me concinnata, fidelis ſit: & vel aliam mitte, vel patere hanc apponi. Hodie incidi in locum Senecæ epiſt. LIII. quem tecum communicabo: ut ſcilicet podagra aliquod a te accipiat beneficium pro omnibus illis, quibus te vexat cruciatibus. *Dubio & incipiente morbo quæritur nomen: Qui talaria cœpit intendere & utroſque pedes dextros fecit, neceſſe eſt podagram fateri* Quid ſit *talaria intendere* ſcio: quid *utroſque pedes dextros facere* neſcio, & tamen podagram dudum fateor. Scilicet ignarus podager a doctiſſimo podagro hujus loci verum intellectum ſcire velit. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum. XV. Maji, pœne fatali ante XL. annos huic Urbi & Regno die. CIƆ IƆC L.

EPISTOLA CCXL.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

UT reſpondeam tuis, quas jam, ſine die & conſule, accipio literis, hoc primum dicam, Mi Voſſi, fruſtra te eſſe cum vereris ne tui aliquando non meminerim. Ingratiſſimus enim ſim quotquot vivunt mortalium, niſi quamdiu ſpiritus hos reget artus, omnem tibi placendi & inſerviendi ſedulo captem occaſionem. Sed jam ut puto acceperis diutius quam par erat, fateor ſed cauſam dixi, expectatum faſciculum, in quo Jamblichus cum aliquot aliis chartis quæ Sereniſſimæ Reginæ non diſplicuerint. Unde hunc præcipue fructum

ctum colligam, ut deinceps me obliviosum non exiſtimes eorum, quibus officii & amicitiæ legibus teneor. Ego vero impatienter expectabo reſponſionem tuam, qua reſciſcam meum faſciculum in manus tuas deveniſſe. Extremo Martio eum commiſi communi amico Clariſſimo Wicquefortio, qui onus libenter in ſe ſuſcepit eum ad te curandi. Magna me liberaveris ſollicitudine, ſi ſtatim me feceris ea de re certiorem. Ab illo tempore bis etiam ad te ſcripſi. Bochartum quod attinet hoc tantum dicam, quia nimis modeſtus eſt, ſibi etiam nimis diffidit, nec de iis eſt quos ἡ γνῶσις φυσιοῖ. Itaque veretur Regiis oculis exponere fœtum, ut ait, minus adhuc iis dignum. Urgeo quantum poſſum editionem, quam ſemper differt. Jam ſcripſi abſolutam eſſe Criticam Sacram Cappelli: ſed nondum proſtat: nempe quia chartæ componuntur. Eam curabo ſtatim atque fieri poterit ad te mitti, quandoquidem ejus fama ad aures Magnæ Chriſtinæ pervenit. Id, quæſo precorque, tibi debeam, ut ſciat me ejus magnorum meritorum eſſe ſtudioſiſſimum, & prout debeo, devotiſſimum cultorem. Vale & me libere utere: ſic enim me a te conſtanter amari non dubitabo. Suedus deſcriptor adhuc expectatur. Lutetiæ Pariſiorum. XIV. Maji. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXLI.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

QUia intellexeramus te in Zelandia fuiſſe, exiſtimaveramus te illinc in Suediam ſolviſſe; quod querelis Viduæ Mathurini a Puteo locum dabat. Expoſtulabat ſcilicet quod diſceſſiſſes, antequam ultimum Defenſionis Gallicæ caput tranſmiſiſſes: quod ſi haberemus abſolutum eſſet opus, quod jam languet μείουρον. Sed bene eſt, quod illud proxima occaſione polliceris. Apponentur ergo lemmata capitum, quæ ego confeci, tu probaſti: ſine quibus videbatur aliquid deſiderari. Ecebolii factum nec miror nec moror; ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου. Cognoſcit ſuos DEUS, cujus δῶρα ἀμεταμέλητα. Si Paſtoribus noſtris maledixerit, recident iſtiuſmodi ſputa in ejus os impurum, quod inde adhuc magis puteſcet. Bene ſit, quod non omittas conſilium profectionis ad incomparabilem Reginam; quæ procul dubio a te aliquid eliciet te & ſe dignum. Jam hic proſtat Critica Sacra Cappelli: magnum opus & arduum, quod mihi vitam debet. Præbebit adhuc occaſionem æmulis Salmurienſium eos inſectandi: ſed ſufficiunt adverſariorum ictibus ſuſtinendis & propulſandis. Si hiemem tranſigas Holmiæ, quod futurum puto, noli noſtri, inter regios apparatus & aulicas delicias, oblivìſci, qui tui ſemper meminerimus. Iter tuum ſecundet, qui id facere poteſt DEUS Opt. Max. Vale & me ama. Lutetiæ Pariſiorum. III. Junii. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXLII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

ABfui fere octiduum, generum & filiam inviſens: idcirco nullas a me proxime præteritus tabellarius tibi reddiderit. Reverſus, Gallicas tuas hic inveni, quibus jam reſpondeo; nihil enim a te poſtremus curſor nobis attulit. Scribe quacumque dialecto libuerit, vel in Belgio vel in Suedia, ſed ſcribe. Bene eſt, quod tandem aliquando poſtremum Gallicæ Defenſionis caput miſiſti. Tota jam proſtaret ſi citius illud habuiſſemus. Ceſſaverunt enim operæ quindecim fere dies, quæ nunc pergunt alacriter. *Dextri pedes* in Seneca ignorati minus nos torquebunt, quam ipſa podagra ſæpius eheu! ſæpiuſque, moleſtiſſime recurrens. Forſan diſcemus experientia & malo noſtro, quod lectio aut meditatio nos hactenus docere non potuit. A Bocharto nihil unquam procedet, quod non ſit civile & tui valde ſtudioſum. Certant enim in eo viro ſumma modeſtia cum pari eruditione. Neſcio an legeris ejus Epiſtolam ad Morleyum, quæ hic ſummopere laudatur. In Anglia autem Independentibus parricidis valde improbatur. Vide Ecebolii literas, & miratus ſum hominis *θυμὸν αἰολοπρόσωπον*. Aliquid ultro adferet volvenda dies, quo palam fiet, quid præſertim iſtis mutationibus ſectatus ſit homo, ſi quiſquam, vaniſſimus & confidentiſſimus. De itinere tuo quamvis nihil dicas, illi tamen bene precari non deſinam. Sed i cito ut cito redire poſſis. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum. XVII. Junii. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXLIII.

C.L. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdunum Batavorum.

OLim inter *ἀδιάφορα* fere deputabam, ſive Gallicas a te haberem ſive Latinas literas. Poſteriores enim vel ſola ſua dialecto placebant; priores vero, quia ut plurimum erant prolixiores, non ideo minus erant gratæ. Jam vero Gallicas tantum, valde breves, & raras ſcribis: quod videor tecum queri poſſe. Vel ergo muta linguam, vel ſaltem adde paginas. Imo ex Suedia Latinas tantum eaſque bene longas habere me par eſt: larga enim ſe præbebit materia, & ut quidem reor, nec aliter DEUS ſinit, ſcripta jucundiſſima. Abſolvitur hodie Gallica tua Apologia: quæ ejus pro te mihi dederit Vidua Puteana, diligenter ad Morum curabuntur. An etiam ad eum mittentur, quas tibi Holmiam ſcribemus, ſcribe. Fauſtum vobis iter precamur. Vale & abi. Lutetiæ Pariſiorum, Cal. Juliis. CIↃ IↃC L.

EPI-

EPISTOLA CCXLIV.

SACRÆ MAJESTATI

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ SUEDIÆ REGINÆ.

Holmiam.

SERENISSIMA REGINA,

Quamvis intellexiſſem non ingrata tibi fuiſſe minuta quædam officia, quæ tibi præſtiteram; nunquam tamen ea tanti feci, ut exiſtimaverim me ea tibi debere venditare. Satiſque mihi fuit, quod in meis ad Voſſium tuum litteris, aliquando legeres, quomodo erga Regias virtutes tuas eſſem affectus. Poſtquam vero idem ille vir doctiſſimus & vetus amicus meus, coram animum addidit te compellandi, ſpoponditque liberum, & tutum mihi fore ad te aditum, audacior factus, Ecce me tibi ſiſto ô MAXIMA REGINARUM, cum precibus ut me, quem fortem promitto & bonum, tuorum in numero habere velis. Poſſem hic rationes addere, quæ me tuum effecerunt. Sed quid aliud facere me oporteret, quam in hanc chartam conjicere tot Panegyricos, tot Odas, tot Epiſtolas; quæ licet nihil indictum omiſiſſe videantur, nunquam tamen laudum tuarum argumentum impleverint. Creſcunt enim in te cum ætate virtutes, erga quas tanto impetu ferris, ut nemo te ſequi, vel eas aſſequi poſſit. Harum inexhauſta ſcaturigo tibi quicquid eſt bonorum conciliavit, & me cum illis. Quanquam & privatim etiam tibi teneor, honorario quod ſerius cognovi a te eſſe profectum; pro quo gratias ago ſummas. Hoc quoque mihi fiduciam addidit has ad te ſcribendi. Nempe dixi, Bene volumus iis, erga quos benigni ſumus. Nec diſplicere poſſit INCOMPARABILI REGINÆ gratus animus. Tradiderit tibi Voſſius, quos ei dedi tibi offerendos Manuſcriptos De Concilio Florentino: quos tibi placuiſſe ſummopere opto. Cæterum crede omnia mea, meque ipſum in tua plane eſſe poteſtate; quibus utere, rogo precorque, pro arbitratu. Ego tibi cum fide & diligentia inſerviam. Vale SERENISSIMA AC POTENTISSIMA REGINA, & regna diu & feliciter. Hæc ſunt vota

TUÆ MAJESTATI

Deditiſſimi ac devotiſſimi

CL. SARRAVII.

Lutetiæ Pariſior. III. *Septemb.* CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXLV.

A MONSIEUR SARRAU,

Conſeiller du Parlement de Paris.

MONSIEUR, *Je vous demande pardon, de ce que je ne vous ay pas pluſtoſt remercié de cét excellent preſent, que vous m'avés envoyé par le Sieur Voſſius; & de ce que je n'ay pas fait pluſtoſt reſponſe à la lettre, que vous avés*

pris

pris la peine de m'eſcrire. Ne croyés pas, Monſieur, que je ſois mécomiſſante envers une perſonne, qui m'a voulu donner part d'un ſi precieux threſor, qu'eſt celuy que j'ay receu de vous: Ny que je ſois inſenſible envers les offres d'affection, qu'un homme de voſtre merite m'a faites par une lettre ſi civile. Je vous conjure de croire que je ſçay eſtimer & l'un & l'autre comme je dois: & que je ne me rendray jamais indigne ny par ingratitude, ny par inſenſibilité, de l'eſtime que vous temoignés avoir pour moy. Et puiſque voſtre civilité s'eſt ſervie de ces termes pour m'aſſurer de voſtre affection, par leſquels vous me voulés faire accroire que vous vous eſtes donné à moy. Je vous diray que c'eſt avec joye que je vous accepte au nombre des miens. Et ce ſera d'oreſnavant avec voſtre permiſſion, que je me vanteray de cette acquiſition. Je vous prie de croire que j'uſeray du droit, que vous m'avés donné ſur vous, avec la reſerve & la diſcretion que je dois avoir pour un homme de voſtre merite. Et je ne vous feray jamais ſentir combien je ſuis abſolue, qu'en vous commandant de changer la qualité de ſerviteur en cel'e d'amy. C'eſt en cette qualité que je vous accepte entre les miens: & c'eſt en ce ſeul regard que je pretens d'exercer le pouvoir que vous m'avés donné. Si apres cela il me reſte encore quelque autorité: Je vous diray que je deſire de vous la conſervation du bien, que vous m'avés accordé. Ne me refuſés pas la continuation de voſtre amitie apres me l'avoir donnée ſi genereuſement. Il eſt vray je ne la merite pas. Auſſi n'eſt-ce pas par merite que j'y pretens. C'eſt voſtre generoſité & non pas mon merite, qui a juſtifié ma pretention. Neantmoins je vous puis aſſurer en revange, que vous aves entierement acquis l'eſtime & l'amitié de

CHRISTINE.

De Stochdlme XXIII. Novemb. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXLVI.

CL. SARRAVIUS

Davidi Blondello.

Amſtelodamum.

ME rogavit eximius hic adoleſcens, ut ſe tibi commendarem: quod facio libentiſſime; cum propter ejus haud vulgarem eruditionem: eſt inter nos enim ſupra ætatem doctus, tum etiam propter amicitiam, quæ inter nos intercedit. Ei nomen eſt Petrus Lambecius, patria Hamburgum. Vixit Romæ apud avunculum Lucam Holſtenium duos annos, quos humanioribus litteris excolendis & Hiſtoriæ impendit: poſtea Toloſæ totum annum moratus eſt, & juris ſtudiis diligenter incubuit. Jam vero parentum vota eum ad ſe revocant: quod priuſquam faciat, Amſtelodami aliquamdiu ſubſiſtet, tui præſertim videndi & audiendi cauſa: quod ut ipſi benigne concedas, quanquam tu orandus non es, cui bene facere omnibus a natura datum eſt, tamen enixe precor ut aliquantulam privati tui temporis uſuram ei largiaris. Ille ſe ſtatim tibi commendaverit, & magnam a me gratiam iniveris. Jam vero aliud te volo. Interrogor quotidie ab ami-

amicis communibus, quid te factum ſit. De tuo enim pertinaci quod vocant, ſilentio, plurimi expoſtulant. Reſpondeo me nihil a te ex quo diſceſſiſti habuiſſe. Cæterum ex aliquot familiarium literis ad me alioſque datis, cognoviſſe, te Franciſcopoli ſecundo vento ſolviſſe, & in Bataviam feliciter appuliſſe quinetiam Salmaſium inviſiſſe, antequam in Suediam proficiſceretur. Præterea nihil eſſe, quod dicam. Tu vero veteres amicos noli ita negligere, & de te rebuſque tuis fac nos certiores. Interea Vale tu cum tua & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XXII. Septembr. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCXLVII.

CL. SARRAVIUS

Davidi Blondello.

Amſtelodamum.

JAm antea ex variis variorum literis intellexeram, te proſpera navigatione uſum feliciter iſtuc appuliſſe: tibique gratulatus ſum adeo fortunatum adventum literis, quas a Petro Lambecio vel jam habuiſti, vel brevi habiturus es. Idipſum autem a te ipſo cognoſcere fuit ſane perquam jucundum. Statim autem pudore ſuffuſus ſum tam prolixa gratiarum actione: nihil enim inexpectatius mihi dudum accidit. Nec enim minutula quædam officia quæ tibi præſtiti, digna erant quæ memoria aſſervares. Itineris tui fortunam cum voluptate legi. Conſulum Amſtelodamenſium pronus & benevolus erga te animus magno incitamento tibi erit ad aliquid, famæ tuæ conveniens, aggrediendum. Baronius vocetur ad partes, aliis forſan metuendus adverſarius, ſed tibi facili negotio debellandus. Ille ergo te totum occupet, cum in publicis lectionibus, tum in privatis ſtudiis: valeantque alia omnia: præſertim vero Chiffletiana. Nec enim, quod coram ſæpius dixi, adeo bene de te merita eſt patria, ut ejus ergo debeas cauſam DEI ejuſque Eccleſiæ, propria commoda, amicorum preces, patronorum denique jam tuorum vota & expectationem inſuper habere. Patere me quæſo precorque, libere tecum per literas agentem, ſicut olim, dum licebat loqui, ſolebam. Hæc enim tibi oggerere non deſinam, donec ſcivero te magnum illud opus inchoaſſe, in quo etiam ſolo te exerceas. Tum enim meminiſſe te oportebit ejus quod ſæpius mihi dixiſti, *Non poſſe te duobus vacare, & neceſſe eſſe, ut uni rei omiſſis aliis incumbas.* Valetudo mea aliquantum procedit: & meliorem in dies ſperare liceret, niſi lateri hæreret lethalis arundo. Calculus enim, quo dudum laborat ren dexter, ei dum ſe affricuit, ulcus fecit; quod diuturnum morbum facere ſolere, eumque pœne inſanabilem dicunt Medicorum filii. Remediis tamen utor iiſque continuis, lacte aſinino ſummo mane bibendo: & hydromelite non alio ullo potu me proluendo. Trochiſcis etiam a Gordonio dictis, utor. Hæc mea jam vita eſt. Vale. Lutetiæ Pariſ. Calend. Octob. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CCXLVIII.

CL. SARRAVIUS

Claudio Salmaſio.

Holmiam.

EX Uxoris tuæ ad meam literis certior factus ſum de tuo Holmiam adventu, quem antea ex incertis poene rumoribus intellexeram: & lætatus ſum te hanc itineris tui metam feliciter attigiſſe. Sed quod iſtic valetudine minus commoda utaris, moleſtiſſime fero. Omnis enim tam longæ peregrinationis fructus, nempe cum Sereniſſima Regina literarium & familiare commercium, poene perierit, ſi te perpetuo oporteat lecto decumbere. Opto ergo tibi convenientem cœli tempeſtatem, qua deinceps uſus pedum tibi conſtet, ut ad doctiſſimam Chriſtinam itare poſſis. Quid in ejus Coronatione memoria dignum videris, a te expectabo: ſed præſertim quomodo tibi conveniat cum iſtius Aulæ eruditis: an faſces ſubmittant libenter: gaudeant an doleant eum coram videre, a quo tam multa edocti, tam multa adhuc doceantur. Hinc neſcio quid tibi narrare poſſim. Omittere tamen non debeo, prodiiſſe haud ita pridem ingentem Tomum, niſi quod in duas partes dividitur, Petavii veteris ſcilicet amici tui, *De Incarnatione.* Addidit Appendicem *De Hierarchia Eccleſiaſtica*; qua te præſertim Apparatumque tuum petit, deinde & Blondellum. Adverſum te more ſolito impotenter & furioſe debacchatur: cum Blondello agit minus inclementer. Hic ſi me audiet aliud curabit, potius quam ut ad eum confutandum ſe accingat: & ſane Amſtelodamenſes Conſules hoc ab eo non requirent. Decernes tu pro arbitrio quid te facere oporteat. Sane Sapientiſſima & Incomparabilis Regina aliud te rogabit, quam ut Petavios aut etiam Heraldos pro ſuis meritis, male tractes. Vale Tu cum Tua a me meaque. Lutetiæ Pariſior. XXIII. Octobr. CIϽ IϽC L.

EPISTOLA CCXLIX.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

IAm acceperis opinor, quas ad te & ad Sereniſſimam Reginam tertia die menſis proxime præteriti ſcripſi: ex quibus cognoveris ceſſationis meæ nimis juſtam rationem. Sciam libenter an Incomparabili Principi non diſplicuerit libertas qua uſus ſum. Sine te nunquam id aggreſſus fuiſſem: nec enim æquum eſt nos homunciones regiis & immortalibus curis imprudenter obſtrepere. Vide tamen ut quod te auctore factum eſt fortiter tuearis. Quanquam vereor ne mea culpa dicam an temeritate ita peccaverim, ut veniæ non ſit locus. Nondum enim ſatis liber eram a morbo, ut de hujus momenti negotio debuerim cogitare. Quomodocunque autem ſors ceciderit, de iſto caſu fac me quæſo certiorem. Tibi gratulor fauſtum in Suediam ad eximiam Dominam reditum; cui placuiſſe mu-

nuſcu-

muſculum quod a me obtuliſſi, cum voluptate intellexi. Magna ei procul dubio ex tua commendatione, gratia acceſſerit; quanquam per ſe non eſt omnino indignum quod laudetur & ametur. Cæterum faciam libenter, quod Regina ſuo jure imperare poterat, tu vero pro tua modeſtia ejus nomine rogare maluiſti: nempe ut quæ nova alicujus pretii hic & alibi nova in Gallia noſtra prodibunt ea ad te allegem; minuta per curſores, mole ampliora per aliam occaſionem minus expeditam. Sed ut quod illa mandat plenius exſequar, ſcire me oporteat an etiam Theologica omnis generis habere velit. Scribuntur ſcilicet adverſarii libelli quam plurimi, quibus Sorboniſtæ, Monachi & alii de Gratia aliiſque articulis ſe mutuis vulneribus confodiunt; An etiam omnes iſtos deſiderat? An quæ Gallica lingua quotidie eduntur otioſorum oblectamenta & delicias, infinita opera fictas hiſtorias narrantia? Præterea libros iſtos compactos an incompactos, regia magnificentia veſtitos, an privata tantum modeſtia decoros mittere oportet? Hæc te mihi explicare velim: poſtea in me nulla mora erit. Doleo vicem Magni Viri & Summi amici noſtri, Salmaſium intelligi non dubitas, ejuſque afflictæ valetudinis me miſeret. De ejus ſtatu quoties ſcribes, raro enim ſcribit, noli quæſo oblivſci me monere. Sane vereor ne cœli veſtri pœne damnata frigora ei ſint moleſtiſſima. Hiemem enim neceſſe eſt iſtic tranſigat. Qua autem in re ejus opera & præſentia utatur Maxima Regina, cuive rei eum deſtinet ſcire laboro. Velim ego ut Novum Fœdus coram ea legat ſua lingua, Græcam intelligo; in qua vix credas quam multa δυσνόητα poſſit explicare & enarrare; idque te coram ejus ſenſus excipiente & literis mandante. Cauſſabitur autem procul dubio ſibi ad manum non eſſe Variarum Lectionum immenſam ſegetem, quibus divinum iſtud opus ornari meretur. Sed propterea non deſinite eum urgere: habet enim in numerato omnia quæ unquam legit & expedita facundia pollet, qua ea eloquatur. Præterea Valla, Eraſmus, Camerarius, Beza, Heinſius, Grotius quorum illi ſuppeditabitis monumenta, ſatis largam diſſerendi materiam præbeant, & aliquando poterit accuratius ea retractare. Nullo certe diviniore labore poſſit literarium veſtrum commercium nobilitari. Puteani te ſalutant. Ego quoque qui tui ſum, eroque ſemper amantiſſimus. Vale. Lutetiæ Pariſ. XXII. Octob. CIƆIƆCXL.

EPISTOLA CCL.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

SEcundum tuum, an potius Sereniſſimæ Reginæ, mandatum, mitto, & quidem ut juſſit per curſores, muſteum adhuc opus & a prælo recentiſſimum, contra Cappelli noſtri Criticam Sacram. Quamvis enim aperte faveam & cauſæ & viro, qui hic oppugnatur certe non expugnatur, abſit tamen ut nolim in iſtam controverſiam penitius inquiri. Anglus quia proximior, prior inſurgit,

quem

quem alii mox ſequentur. Omnibus autem etiam conjunctis ſufficiat Andegavenſis Profeſſor, haud impar iſti oneri: & ſuam doctrinam aſſertum ibit contra horum animoſos conatus. Non indigna eſt hæc cognitio doctiſſimæ Dominæ tuæ ſtudiis; ſed judicare non feſtinet; priuſquam reo ſua defendenti benignas aures præbuerit. Habuit hic olim harum rerum callentiſſimum Hugonem Grotium ſibi conſentientem; cujus extat de Critica noſtra luculentum teſtimonium inter ejus epiſtolas ad Gallos pag. 465. cujus ἰδιόχειρον penes me eſt. Sed ille fuit, nec poteſt Bootio, niſi magni quod nunquam morietur nominis auctoritate, refragari. At ſupereſt, diuque ſuperſit, precor, ὁ μέγας Bochartus harum literarum Princeps Cappello ὁμόψηφος, qui litem iſtam poſſit ſuam facere, & adverſariorum conatus infringere. Sed bona cauſa non indiget iſtis præjudiciis, & coram univerſo doctorum Senatu deinceps diſceptabitur, quidni Præſide Magna Chriſtina, cui me ſemper commendatum volo. Ante octiduum noviſſimis tuis reſpondi, nec aliud jam occurrit quod dicam. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XXIX. Octobr. CIↃ IↃC L.

EPISTOLA CCLI.

CL. SARRAVIUS

Davidi Blondello.

Amſtelodamum.

SErius ante octiduum alteram tuam Epiſtolam accepi, quam ut ei perreditum ejuſdem curſoris reſpondere potuerim. Id itaque jam exequar. Laudo conſilium tuum de Critico Sacro tractando; ita tamen ut poſtea Baronius te totum habeat. Sed quando fiet ut iſtam κρίσιν aggrediaris? Audio enim te poſtulaſſe & impetraſſe a Scholæ tuæ Curatoribus, ut tibi porro liceret Chiffletium defricare. Miror ſane te eo animo fieri circa opus, quod cane pejus & angue odiſſe deberes. Sed quod coram obtinere non potui, ut iſtud onus deponeres, fruſtra jam tanta locorum intercapedine conſequi ſperem. Fac ergo quod animo allubeſcet tuo. Sed tibi multum jam temporis in iſto labore periit, & adhuc peribit, quod rebus melioribus & magis neceſſariis impendiſſes. Idem dicam de Verſione Tractatus tui de Primatu; quam abſit ut aggrediaris. Hoc juvenis aliquis Gallicæ & Latinæ linguæ peritus faciat: tu enim ad majora vocaris, quam ut in iſtis bonas horas male colloces. Totus jam eſt Bochartus noſter in deſcribendo libro ſuo De Animalibus Biblicis, quem iſtic potius quam hic edi velit propter typorum veſtrorum elegantiam. Sciam quæſo num Typographorum Princeps ſuo merito Blawius velit hanc gratiam inire ab optimo & eruditiſſimo viro, qui libenter eum omnibus aliis prætulit. Hoc enim ut a te cognoſcerem dedit mihi in mandatis. Nec opus eſt quidquam addam in Auctoris aut operis commendationem. Utrumque enim apprime noſti, & verum pretium utrique pones. Dallæo noſtro eam literarum partem prælegi, qua cupiebas ut Latinam faceret ſuam Apologiam: quid ſtatuet ea de re faciam ſtatim reſciſcas. De Salmaſii fortuna Suedica audiam quæcunque dices libentiſſime. Nullas adhuc ab eo ex

quo

quo in iſta Aula degit accepi. Sed ejus uxor de ſuo adventu meam monuit & adverſam mariti valetudinem cauſſata eſt. Tu reſcribes quando libebit, & licebit ſine ullo tuo incommodo, de rebus tuis præſertim; quibus ſi aliqua ratione conſulere & prodeſſe potero, tum me beatum arbitrabor. Vale. Lutetiæ Paris. v. Nov. CIƆIƆCL.

EPISTOLA CCLII.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

HIc habes linguæ noſtræ Origines, collectore & editore Menagio: cujus votum eſt tantum ſcire, quantum ſcit ejus liber. Omnibus paginis ὁ μακαρίτης pater tuus, Salmaſius & Bochartus laudantur. Quia ita juſſiſti, mittitur per curſores: ſaltem dixi Bidalio ut id ita curaret, te enim ita velle. Hoc exemplum petii & impetravi a Menagio pro Sereniſſima Regina: vulgo enim minus ſuperbe compinguntur. Multa addentur in ſecunda editione, de qua jam cogitatur. In tam vaſto quippe argumento, ſemper ſuppetet ſcribendi materia, & poſſit quilibet ſymbolam conferre. Grandi iſti volumini comitem dedi puſillum tractatum. Materia plane regia eſt: nec diſplicebit Reginæ videre noſtros Gallos, pro regia auctoritate contendentes. An placuerit epiſtola, qua te auctore eam compellavi, ſcire deſidero. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. v. Novembr. CIƆ IƆC L.

EPISTOLA CCLIII.

CL. SARRAVIUS

Johanni Frederico Gronovio.

Daventriam.

QUod tardius humaniſſimis tuis literis quinta Julii datis, reſpondeam, tuebor me duabus exceptionibus; quæ tibi etiam legitimæ videbuntur. Prior eſt morbus trimeſtris a febre ſæpius recurrente, quæ ita me afflixit, ut aliquando ſpes nulla ſalutis ſupereſſet. Quintilis, Sextilis & September adverſa iſta valetudine impeditum detinuerunt. Horum autem menſium primus acerbiſſimus mihi fuit, cum morbi vehementia, tum præſentia Voſſii & Bocharti, qua frui non licebat. Ego enim qui ambos magnopere videre deſideraveram, & eorum ſuavi conſortio proficere, lecto affixus illis & mihi inutilis factus ſum. Altera eſt, quod cum in extrema tua epiſtola me rogaſſes, ut Crucei librum ad te mitterem, nuper admodum exemplar, quod hic habes reperire potuerim: & pudebat ſine eo te convenire. Hæc eſt gemina ſilentii mei excuſatio. Ut enim oblivione aut incuria in hoc erga te officio peccem, ingratus ſim ſi faciam. Adeo enim comiter agis, adeo amanter, ut ferreus ſim, ſi eo non movear aut exciter ad diligentiam tuam imitandam. Naudæo tuas in Senecas Notas tradidi. Mihi ſane eximiæ videntur: fere enim omnes ad ipſum textum contuli, ut melius de

illis judicarem. Tibi gratulor quod iſtic nactus ſis Typographum virum honeſtum & locupletem: nec poſſit typos ſuos nobilitare meliori & magis vendibili libro. Iſtius enim generis ſcripta, cum per varios auctores ambulent, omnibus placent, quia omnes ſibi reperiunt quod ſuo palato ſapiat. De Seneca Tragico videris curam depoſuiſſe, adeo de illo ſiles. Cave facias. Cum enim habeas unde eum meliorem facias, & ornes; non eſt indignus cura & amore tuo. Perge ergo in iſto quoque Seneca literas demereri. Te ſane ſolum iſtis in regionibus excellere video, & eruditam criſim exercere. Nec enim illos qui Florum, Suetonium, Curtium, alioſque auctores nuper adornarunt, tibi æquiparem. Sola typorum elegantia iſtas editiones commendat, non autem eorum labor, qui nobis eos ita belle & nitide cultos exhibent. Tu vero altiora ſapis, & penetras in ipſum profundum: quod ut diu cum tua gloria, & publica utilitate facias DEUM ex animo precor. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XII. Novembr. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CCLIV.

CL. SARRAVIUS

Davidi Blondello.

Amſtelodamum.

Fiat ergo de tuis Chiffletianis quodcumque volueris: De illis in poſterum nihil a me averſa aure audies. Bene eſt tamen quod ea prælo ſubjeceris: id enim tibi finem iis tandem aliquando imponendi neceſſitatem adferet: urgente nimirum præſente typographo, ne ſuus tuuſque labor imperfectus maneat. Addam huic chartæ aliquot excerpta ex Appendice Petavii, quæ legiſſe juvabit, donec ipſum librum habeas; quem non dubito Cramoyſium iſtuc ſtatim curaturum. Quanquam lentum eſt omne iſtud negotium libros maritima via tranſmittendi. Pergit Salmaſius ægrotare Holmiæ, ſicut ejus uxor ad meam ſcribit: nam nec ego, nec alius quiſpiam, ullas ab eo habuimus, ex quo eo appulit. Quæ de eo ſcribis ſunt veriſſimillima. Mitius & cautius forſan aget deinceps cum ſuis adverſariis. Ejus vehementior impetus bonis & gravibus dudum improbatus eſt: ſed non ſolet facilem ſe præbere amicorum monitis; uti nec alii plurimi præſtantiſſimi viri, qui ſe ſuaque amant, & privatis affectibus indulgent. Hodie ad Bochartum ſcribam, & faciam ut reſciſcat pronum erga ſe Blawii animum. Si quæ ſint icones ſculpendæ, erunt omnino paucæ. Sed creſcit opus inter manus auctoris, qui dum illud nitidius deſcribit, ut operarum laborem minuat, multa ex libris Arabicis præſertim addit, Latinis Græcis aliiſque Europæis hactenus ignorata. Aderam heri Præſidi Belleuræo, qui deſtinatur ad Ordines Fœderatos extra ordinem Legatus: nec iſtud onus abnuit vir ſapientiſſimus; quo que magis idoneus ad negotii de quo agitur procurationem mitti non poteſt. Tui injecta mentione cognovi quanti te faceret; adeo ut diceret, ſi tum cum diſceſſit Blondellus potuiſſem apud Magnates, quod jam poſſum, nunquam ſiviſſem eum e Gallia diſcedere: quin aperte interceſſiſſem iis conditionibus,

quas ipſe bonas, honeſtas & tutas judicaſſet. Memmius Avauxius fato functus eſt ante occiduum maxima Regni jactura. Mauſſacus etiam λίπε φάος ἠελίοιο, dyſuria, quam veſicæ ſectione medici curare voluerunt, extinctus. Tu vale cum tua quam feliciſſime & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XXVI. Novembr. CIↃIↃCL.

EPSITOLA CCLV.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

JAm accipio litteras tuas, quibus meis reſpondes, quas ad te XXII. proxime præteriti Octobris ſcripſeram. Illæ autem de aliis tuis, quas ad me dediſſe te memoras, mentionem faciunt, quas tamen nullus vidi. Neſcio qui factum ſit ut in via hæſerint. Nolo enim credere eas periiſſe, quod ſane mihi moleſtiſſimum accideret. Ex poſterioribus enim colligo priores tuas meminiſſe earum, quas te auctore & fundo ad Incomparabilem Reginam auſus ſum inſigni audacia, adhuc æger, ſcribere. Vehementer autem ſcire deſidero, quæ fuerit earum fortuna, & quo vultu acceptæ fuerint. Ne tamen exiſtimem eas ſucceſſu caruiſſe, facit quod ais Sereniſſimam Reginam de reſpondendo cogitaſſe: quod ſi quidquam aliquando, erit certe mihi non tantum gratum, ſed etiam glorioſum. Sed dum divinas illas lineas expecto, grave tibi non ſit amiciſſime Voſſi, rurſum mihi ſcribere, quod prioribus illis tuis jam me reſcire ea de re voluiſti. Quamvis enim illis nolim male ominari, vereor tamen ne ſerius in manus meas deveniant: & licet ſtatim earum futurus ſim compos, non inſuave fuerit δὶς ϗ τρὶς ταὐτὰ τὰ καλὰ audire. De libris autem & libellis iſtuc mittendis faciam omnino quod præſcribis. Cappellus Bootio reſpondit: liber Salmurii excuditur. Ejus collega Amyraldus ſcripſit ſermone vulgari eximiam Paraphraſim in Euangelium Joannis, quæ nuper admodum prodiit. Bidalio a me dabitur cum duobus Tomis Petavianis. Minutum nihil habeo quod per curſores mittatur. Perge quæſo de Salmaſio aliquid narrare: neſcio quare amicos Pariſienſes oblivioni mandaverit. Sed modo ſciamus eum valere & aliquid ſe & Regina, apud quam degit, dignum commentari, ſatis erit nobis. Ei a me ſi placet multam ſalutem: tibi quoque Vir Amiciſſime. Reginæ vero omnia fauſta & optata bene precari nunquam deſinam; nec quæcunque juſſerit animo promtiſſimo & deditiſſimo exequi. Utinam autem paria votis meis ejus cauſſa præſtare poſſem. Vale & me amare perge tui ſemper ſtudioſiſſimum. Lut. Pariſ. XXIV. Dec. CIↃIↃCL.

EPI-

EPISTOLA CCLVI.

C. L. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmium.

IMpatienter expecto faſciculum, quem reddere mihi debet nauta, qui eum a te accepit. Interea paſcam mentem & oculos aſpectu & lectione regiarum literarum, quas cum tuis heri accepi. Beaſti me amiciſſime Voſſi ingenti & inexpectata felicitate. Quid enim illis ſuavius! quid humanius! quid amabilius! In illis nemo me agnoſcat, adeo eſt ſupra ſortem meam, quod me tanto honore dignata ſit; dum nempe iis verbis me compellat, quæ regiæ fortunæ minus convenire viderentur, niſi in tanta ſublimitate magnum quoque eſſet etiam infimos comiter affari. Quam blande autem mecum agat cogitare non poſſum, quin animum meum ſubeat infinitæ virtutis admiratio. Cæterum Gallicam noſtram linguam expedite eloquitur & cum ſumma facilitate & elegantia. Bene ſit Sueciæ, cui talem Dominam habere contigit, & diu habeat opto & precor. Non auſim autem ejus Majeſtati reſcribere, niſi iterum auctor ſis. Sed ſciat quæſo, me ejus futurum quamdiu vivam cultorem ſtudioſiſſimum & ad omnia ſervitia paratiſſimum. Ante menſem Bidalio tradideram *Origines Menagii* per curſores uti ſignificaveras, ad te mittendas; quas tamen inſuper habitis monitis meis, miſit tantum cum Manuſcriptis codicibus Petavii Senatoris. Quod dico non ut ejus factum culpem, craſſior enim eſt liber, quam ut per veredos mittendus fuerit, ſed quia ita volueras, volo etiam mihi apud te conſtare officii rationem. Heri ingenti vulnere percuſſa eſt Gallia & præſertim Senatus noſter morte Præſidis Memmii, Avauxii fratris, cui ſex ſeptimanas tantum ſuperfuit. Iruallius trium fratrum natu minimus in dignitatis honorem ſuccedet. Patrono ſuo orbatus Henricus Valeſius de Suedica profectione facilius cogitabit & ſtatuet. Bodini librum cujus meminiſti non habeo, nec habent Puteani: ſed ſcio ubi extet & curabo ſtatim atque eum habuero, ut diligentiſſime deſcribatur. Interea vide de iſto opere Magni Grotii judicium in collectione ejus Epiſtolarum ad Gallos epiſtola CLVIII. pag. 431 & 432: & habeat in mandatus Bidalius mittendi per curſores, quæ per hujuſmodi viam iſtuc deſtinabo. Salmaſius vel non poteſt vel non vult ad nos ſcribere, Pariſienſium videtur omnem memoriam abjeciſſe. Semel tantum, aut ſaltem bis, ejus uxor meam compellavit, ex quo Holmiam appulere: itaque rem mihi feceris gratiſſimam ſi de ejus rebus, & præſertim valetudine diligenter perſcripſeris. Amici te ſalutant; ego quoque, qui ſemper tuus ἐξ ὅλης τῆς καρδίας. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſior. XXX. Decembr. CIϽ IϽC L.

EPISTOLA CCLVII.

CL. SARRAVIUS

Davidi Blondello.

Amſtelodamum.

EXperientia propria edoctus, Vir Reverende ac Præſtantiſſime, ſcio quanta ſit boni fratris jactura: idcirco magis doleo vicem tuam, quod tui ad plures diſceſſum lugere cogaris. Sed quid agas; hac lege vivimus, ut quandocunque DEUS juſſerit, voluerit, nos mori oporteat. Hanc fati neceſſitatem ſenſit heri Præſes Memmius vetus amicus noſter. Avauxii Fratris obitum ubi videt, *Durior*, inquit, *hic ictus, quam ut ei ferendo par eſſe poſſim, aut diutius ſupereſſe* Septem tantum dies ægrotavit. Univerſa Gallia, ſed præſertim Senatus noſter, fert ejus obitum cum ſummo animi mœrore. Valebat enim auctoritate, & facundia cum uſu rerum conjuncta, quæ ejus conſiliis magnum pondus addebat. Iruallius Frater e tribus ſolus ſuperſtes, in dignitatis honorem ſuccedet. Gaudeo iſtic eſſe Petavii *De Incarnatione* volumina; ex quibus cognoſces num & quomodo te reſpondere oporteat. Nolim ſane ut gravioribus omiſſis de iſtis cogites. Sed ſi aliquando id facere decreveris, de Salmaſio nihil omnino tibi dicendum erit, ſua ipſe defendat: & appendicis vice reſponſio tua majori operi accedat. Utinam ſerio facias quod ais te meditari, ut ſcilicet Chiffletiana tua abiicias. Improbus enim iſte labor, quamvis omnibus Gallis utilis, paucis tamen gratus erit, quia pauci id eſt vel duo vel nemo, ejus meritum intelligent. Interea perierit tibi in eo opere multum temporis, quod melioribus deberi videbatur. Belleuræus paratus eſt iſtuc proficiſci; ſed dum ei de viatico gaza regia non proſpicit, lentum eſt omne iſtud negocium. Bene autem feceris ſi Hagam ejus videndi cauſa, poſtquam eo venerit, excurras. Eſt enim vir humaniſſimus, & qui viros eruditione inſignes, qualis tu es inprimis; magni facit. Quid in Suedia agat amicus noſter, nondum ſcire potui. Ab incomparabili regni iſtius Regina accepi nudiuſtertius literas admodum civiles: & ſi quid in eis culpare liceret, humanitatis & manſuetudinis exceſſum improbarem. Sed quia rarum eſt hoc in tanto faſtigio vitium, ideo facile & nullo periculo omittetur. Valent omnes amici: valet etiam familia, quæ te cum tua ſalvere cupit. Ego inprimis, quem ut amare pergas etiam atque etiam rogo. Lut. Pariſior. xxx. Decembr. CIↃ. ƆCL.

EPISTOLA CCLVIII.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

TRiſtani Sanctamantii ſcriptum contentioſum, & non ineruditum hic habes; in quo bonus Sirmondus male habetur. Ita vivitur & difficile eſt ſervare modum. Mitto etiam *Vindicias Catholicorum Hiberniæ*, quibus multa

continentur hactenus ignorata, de iſtius regni rebus. Regaltii *Commodianum* non miſi; quia prodiit ſub tempus diſceſſus tui, paulo ante vel paulo poſt; quod definire non ſinit morbus quo dudum laboravi. Niſi eum tecum abſtuleris, facile erit eum iſtuc tranſmittere. Tradidi autem Bidalio haud ita pridem Gallicos libros quinque, ut eos compingi curaret, & iſtuc mitteret: *Hippolyti Cardinalis Eſtenſis Negociationes*: *Drelincurtii noſtri Eccleſiaſta Conſiderationes*, viro Chriſtiano de morte cogitanti apprime utiles, opus eſt inſignis pietatis: *Petri Launai Commentariorum in Epiſtolas Paulinas* tomos duos: Ejuſdem *Paraphraſin & Expoſitiones in Apocalypſin*. Bibliographia Pariſienſis anni ſuperioris nondum abſoluta eſt: quod ubi factum fuerit eam mittam, ut in ea videas, quos libros hic editos non habeas, & quos habere velis. Bodini liber quem rogas repertu eſt difficilis; nec extat in Bibliotheca Regia neque in Thuana, aut Richeliana, aut Mazarina. Neque Puteani fratres, neque Bignonius, neque Patinus, neque Moræus eum habent. Audio tamen haberi inter libros nuper fato functi Præſidis Memmii, quos ejus Vidua diligenter cuſtodit. Operam ſuam mihi addixit Valeſius, ut inde eum educat; quod vivente domino pœne impoſſibile fuiſſet, ita ſollicite ſua ſibi uni ſervabat, cum nullo communicanda. Interea nactus ſum priorem librum e ſeptem quibus opus conſtat, quem ſtatim deſcribendum curabo, & ad incomparabilem Reginam allegabo. Ei me ſemper commendatum quæſo precorque. Nondum ejus navis oris noſtris appulit. Doleo vicem Salmaſii noſtri, quem opto melius valere; Te vero ſemper optime, & me amare tui ſtudioſiſſimum. Vale Lutetiæ Pariſior. XXI. Januar. CIↃ IↃCLI.

EPISTOLA CCLIX.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

SI qui ſint libri in hac Bibliographia, & erunt procul dubio aliquot, quos habere velis, ſtatim atque monueris ad te mittentur. Qui dicuntur prodiiſſe hoc anno 1651. nondum prodiere; ſed brevi prodibunt & antequam reſcripſeris. Nondum advenit navis Suecica, quæ mihi tabulam Regiam adfert, & vereor ne ea æternum caream. Audio enim coactos nautas ad Angliæ littora appellere, ibi detineri: quo inhumano facinore, vota mea fruſtrata video cum ſummo animi mœrore. Valeat tamen incomparabilis Regina, Tu quoque Præſtantiſſime Voſſi, & me amare perge tui ſemper ſtudioſiſſimum. Lutetiæ Pariſior. XXVIII. Januar. CIↃ IↃCLI.

Quas ad me mittes litteras, include faſciculo Bidalii, qui diligentius eas ad me curabit, quam ſoleant tabellariorum famuli.

EPISTOLA CCLX.

CL. SARRAVIUS.

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

BOdini de abditis rerum ſublimium arcanis, hunc tantum quem jam mitto librum, primum hactenus nanciſci potui. Eum olim ex auctoris autographo, qui tum erat Joannis Cordeſii, deſcripſit Ardiſius vir doctus in Caſtelleto, quod vocatur, Conſilarius. Priuſquam autem reliqua perfeciſſet, repetitus eſt liber, qui jam nuſpiam comparet. Dicunt Cordeſii ex ſorore nepotem eum ſecum in quemdam Lemovicenſem pagum aſportaſſe: Sed quid iſto nepote factum ſit neſcitur. Dicunt alii ſcriptum horribilis carminis viſum flammis ultricibus eſſe datum: certe eſſe dandum, potius quam cum quoquam communicandum. Præſide Memmio vita functo fiet, ut moris eſt, deſcriptio omnium ejus mobilium, quæ inter etiam librorum Valeſius ſuam operam pollicitus eſt iſti apographo recipiendo, quod inde expectare par eſt. Quamvis enim omnem adhibuerim diligentiam in eo inveſtigando neminem tamen novi, apud quem cubet vel lateat. Pergam tamen quærere, & forſan ejus compos fiam, quando de eo reperiundo ſpem, non ſane curam depoſuero. Superiora ita λεπτομερῶς explicare oportuit, ut ſcires me omnem movere lapidem, ut Maximæ Reginæ inſerviam; quod porro libenter faciam & cum ſummo ſtudio. Aliud jam dicam, quod licet tenue, tamen cum voluptate ſcribam. Uxor mea, partu noviſſimo filiam peperit, quam, ſacro fonte dum abluitur, in honorem Summæ & Incomparabilis Reginæ nominari volui CHRISTINAM. Factum id poſtrema die Dominica, Carentoni, in publico Eccleſiæ noſtræ cœtu. Quamvis enim ſit Gallis noſtris fere inuſitatum iſtud nomen, is eſt tamen apud me ejus honor & reverentia, ut gaviſus ſim hanc mihi datam, imo natam occaſionem illud familiæ meæ inſerendi. Quærentibus autem quæ ſit iſtius denominationis ratio, non invitus excurro in laudes divinæ veſtræ Principis, cujus quoties filiam meam videro, meminiſſe juvabit. Nondum nauta nec proinde icon regia, aut numiſmata advenere; neque literæ: quæ omnia dudum impatienter expecto. Male ſit iſtis Inſularibus, qui tamdiu gaudia noſtra morantur. Sciat quæſo immortali vita, ſicut & fama, digniſſima Regina, me ejus ſemper fore cultorem addictiſſimum. Vale tu & me amare perge Tui quoque amantiſſimum. Lut. Pariſior. III. Februar. CIↃ IↃCLI.

EPISTOLA CCLXI.

CL. SARRAVIUS.

Davidi Blondello.

Amſtelodamum.

MErito Menantii noſtri acerbum & infelicem caſum deploras, Vir Reverende & Præſtantiſſime. Magna quippe in iſto amico noſtro jactura facta

eſt. Quid eo factum ſit juxta cum ignariſſimis ſcio, adeo varii de eo ſparguntur rumores; qui tamen eo fere recidunt ἢ ὅτι κέκαρται, ἢ ὅτι πέπτωκεν ἀπὸ νοῦ, utrumlibet ſane miſeratione digniſſimum. Ejus pietatis inſignis & in vera fide conſtantiæ poſſum me jactare teſtem idoneum: quo fit ut quoties de eo cogito, cogito autem ſæpiſſime, toties animum meum ſubeat neſcio quis horror humanæ imbecillitatis, quando præſertim DEUS nos nobis permittit. Rivetus ſtadium ſuum decurrerat, & poſſit Eccleſia carere Schola Bredana, ſi ejus caſu ruitura eſt: Tot enim in provinciis veſtris ſunt hujuſmodi ἀκροατήρια, ut ſua copia laborent; ſatiuſque ſit ea redigi ad minorem numerum. Quid faciat in Suedia amicus noſter ex tuis pœne ſolis literis intelligo: ipſe enim videtur ſibi ſilentium indixiſſe: nullas ſane ex quo ibi degit ab eo habuimus. Rem autem mihi feceris gratiſſimam, ſi perrexeris me monere de iis quæ de illo cognoveris. Filia mea, quando & hoc ſcire deſideras, dudum me fecit avum. Peperit enim Auguſto præterito filium qui valet, & cum bono DEO vitalis erit. De ſtudiis tuis nihil omnino ſcripſiſti, quod tamen præcipue ſcire laboro: quando videlicet auſpicaturus ſis tuas publicas lectiones; quodque earum, quod etiam privatarum tuarum lucubrationum argumentum; quæ quæſo diligenter exponas mihi valde velim; num etiam Dallæi noſtri opuſcula prælo ſuo commiſerit Blavvius, nam Albertini grande opus præcedere debent. Heri & hodie omnia hic feſtivitatis plena, reverſis Franciſcopoli Principibus captivis. In Senatu noſtro Condæus & Contius fratres hodie ſederunt, & debitas pro ſua libertate nobis egerunt gratias. Tanto autem applauſu excepti ſunt, ut uſque ad Fanum Dionyſianum populus fere totus obviam effuſus procurreret. Faxit DEUS ut hic reditus concordiam regiæ familiæ ſanciat, auctoritatem regiam firmet, pacemque cum privatam tum publicam procuret & pariat. Opto te cum tua benevalere Lut. Pariſ. XVII. Feb. CIↃ IↃC LI.

EPISTOLA CCLXII.

SACRÆ MAJESTATI

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ SUEDIÆ REGINÆ.

Holmiam.

SERENISSIMA REGINA,

Advolutus genibus tuis, apud Majeſtatem tuam ſupplex deprecor alteram hanc temeritatis meæ culpam; qua rurſum audeo tibi eſſe moleſtus. Sed animum mihi addidit inſignis & pœne nimia illa tua bonitas, quam eximiam haud ita pridem expertus ſum, quando prioribus literis meis reſpondere voluiſti. Tuis enim ita ſum affectus, cum eas primum legerem, ut mei vix compos eſſem, adeo in eis omnia excelſa & laudabilia, ſupra famam & fidem. Poſtquam vero eas iterumque iterumque ex intervallo revolvi, animum meum ſubiit non vulgaris admiratio tot variarum virtutum in te congeſtarum. Ita enim te deprimis, ut ſemper Maxima ſis & videaris: ita rurſum dignitatem ſummam tuam tueris, ut vel infimis, quales

ego

ego imprimis, te æquiparare non dedigneris. Abſit tamen a moribus meis, & ſane abeſt quam longiſſime, ut ita mihimet ſim ignotus, ut intelligam exceſſum humanitatis tuæ. Non ibo per ſingula Epiſtolæ tuæ capita, ſed unum tantum leviter attingam, quo tamen pleniſſime conſtet de iſta tua incredibili humilitate. Glorioſum mihi fore arbitratus fueram, aliqua tibi inſervire, ideoque ex animo totum me tibi addixeram. Tu vero me non ut Dominus ſervum, non ut Patronus clientem aut libertum, ſed ut amicus amicum habere vis. Pace tua DOCTISSIMA ET SAPIENTISSIMA REGINA, me videris ignorare: Amicus enim tuus dici recuſo: apprime gnarus diſcriminis quod intercedit inter faſtigii ſublimitatem, & hominis privati tenuem fortunam; & inter adeo diſparata amicitiam convenire non poſſe. Sim ergo, quando ita gratum eſt, tuus, ſed meis non tuis conditionibus; liceatque mihi pretium ponere rei & perſonæ meæ. Obſequio meo, quod proprium feci Majeſtati tuæ, utere, MAXIMA REGINARUM, ſed ea lege qua tibi ſum auctoratus. Poſſum quippe perſonam ſuſtinere humillimi ſervi & obſequentiſſimi; non poſſum autem, nec ſi poſſim velim, alterius invidioſi nominis, quo nimis premerer. Imperabis ergo jure tuo, ego parebo libenter, & decorum mihi erit & jucundum mandata tua implere. Faciam certe quod potero, ſicut nuper feci in tibi comparanda libraria ſuppellectile Memmiana. Hactenus negat Præſes Iruallius & reluctatur, quanquam civiliter: ſed vidua binarum filiarum mater, rei familiaris augendæ, quamvis in re admodum lauta, ſtudioſiſſima, favet empturienti Bidilio, qui egregiam, ut ſolet, Majeſtati Tuæ navat operam, uti & Valeſius in ea domo dudum familiaris. Hoc negotium cum tempore matureſcet, illudque quantum fieri poterit calefaciam: ſed nondum, ut ajunt, abſoluto catalogo in quo lente feſtinatur, difficile ſit certi aliquid ea de re pronunciare. Cæterum DOMINA, gratias ago tibi ſummas pro multis tuis erga me beneficiis, Pro humaniſſimis LITERIS PROPRIA TUA MANUSCRIPTIS, pro TABULA DIVINI VULTUS TUI, & pro NUMMO AUREO TUÆ CORONATIONIS. Poteras iſta ſeorſim diſtribuendo, plures gratiarum actiones mereri; Aliquis diceret manu oportuiſſe ſerere, non ipſo ſacco. Tu vero liberalitate & magnificentia veterum & recentiorum exempla, non tantum provocas, ſed etiam ſuperas, novamque benefaciendi viam aperis, quam verendum non eſt ne nimis multi ingrediantur. In LITERIS TUIS jucundiſſimum fuit videre faciles doctiſſimæ tuæ manus ductus & elegantes apices, vulgariſque noſtri Gallici ſermonis facundiam ipſis indigenis parem: ſed præcipue ſublimia animi ſenſa & meram bonitatem gratiſſimum fuit cognoſcere. In DIVINI VULTUS TUI IMAGINE, faciem vere dignam imperio, in qua gravitas cum comitate ſuaviter conjuncta eſt, libentiſſime intuemur. In NUMISMATE TUÆ INAUGURATIONIS, populorum omnium vota cœlo tandem exaudita Majeſtati tuæ ipſiſque gratulamur. Nec enim ſacro-ſanctus & ſplendidus iſte Coronationis ritus, mera eſt, quod quidam ſomniant, cæremonia, quæ dicis cauſa

peragitur; ſed eſt verum fœdus, quod initur inter Principem & ſubditos: unde fit ut ille legitime præſit, illi vero debitum cultum præſtare teneantur. Diutiſſime autem duret ſacrum iſtud vinculum, quod nulla malignitate aut diſcordia ſolvatur: quin potius in dies fortius ſtringatur; ut tui populi, Te Domina, floreant & vigeant; Tu vero in illorum obedientia æternum gaudeas, domineris, regnes fœliciter. Ita voveo & ſpero ego.

TUÆ MAJESTATI

Deditiſſimus ac devotiſſimus

CL. SARRAVIUS.

Lutetiæ Pariſior XVII. *Martii* CIↃ IↃC LI.

EPISTOLA CCLXIII.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

NOn ſine ratione dubitavi, an Sereniſſimæ Reginæ reſcriberem: quamvis enim pro ſumma ſua bonitate, non dedignata ſit ſemel noſtras legere literas, iiſque reſpondere, verebar tamen ne ſæpius eam compellando moleſtus evaderem. Cum vero tu, qui propius ejus animum noſti, ſuaſeris hoc rurſus ſubire periculum, arbitratus ſum tuum conſilium ſequendo, me non poſſe errare. Reſcribo ergo ejus Majeſtati, cui meas offeres, tunc cum molliſſima fandi tempora, ſimul cum omni cultu & obſequio meo. Tandem aliquando Εἰκὼν βασιλικὴ, meo nomine ſignata tua manu, in meas devenit: quam præcellere cæteris facile credidi, tum quia ita tibi affirmanti facile aſſentior, tum quia aliis duabus eſt formoſior. Miror in ea εἶδος ἄξιον τυραννίδος & modeſtiam in vultu ſingularem. Nummos quoque accepi, quorum unum mihi ſervavi; reliquos vero Dallæo, Gujeto, & Menagio tradidi, qui ut puto gratias egerint. Hactenus aliquot libros majores tradidi Bidalio tibi mittendos: ſed negat curſor illis ſarcinas ſuas implere: itaque ſerius eos habebis, cum forſan iis perierit gratia novitatis. Omnium Elenchum Bidalius ſtatim mittet. Memmianam Bibliothecam quod attinet nondum deſperamus voti compotes fieri. Negat Præſes Iruallius, ſed defuncti Vidua, bonarum literarum rudis, mavult eam vendere quam retinere. Sed quia eſt admodum locuples, vereor ne duras admodum conditiones apponat, quas tamen induſtria & patientia, quantum fieri poterit, emolliemus. Heinſii poemata & Claudianum etiam habuimus, pro quibus auctori pro ſua liberalitate, & magis pro animo noſtri ſemper memore gratias a te agi, ni grave eſt, velim: quod ut facias quæſo precorque. Salmaſium noſtrum opto bene valere: nullas adhuc ab eo Suedicas habuimus literas, quod faciet quando ei libuerit. Vale vir amiciſſime & præſtantiſſime: & me amare perge Tui ſemper ſtudioſiſſimum & amantiſſimum. Lut. Pariſ. XVII. Martii. CIↃ IↃC LI.

EPI-

EPISTOLA CCLXIV.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

FAtebor tibi uni crimen meum, quod vide ne diſpaleſcat. Quem ad Sereniſſimam Reginam mitto catalogum manuſcriptorum codicum Bibliothecæ Memmianæ, neſcio an furatus ſim, quia neſcio an invita domina eum contrectaverim; certe ea inſcia eum habui & deſcripſi. In eo neque laudatum *Varronem* inveni, neque deſideratum *Bodini* Dialogum, quos procul dubio aliquis ſurripuerit. Venales ſunt, ſed in aurem tantum dicitur, nec auctioni publicæ permittuntur. Appoſuerunt primo pretium, quod ſcribet Bidalius, erubeſceret enim hæc charta ſi ei inſcriberetur: poſtea dixerunt ſe aliquatenus diminuere paratos. Fecit autem hæc pretii iniquitas ut exiſtimaverimus ego & Bidalius negotium eſſe trahendum, ut cognoſcant nos non cæco affectu duci erga rem pœne ignotam. Quod enim mireris nondum potuimus ipſos codices inſpicere, ut de eorum ætate, id eſt bonitate conſtaret. Quibus adſcripſi lineolam ſcias ita vocari in catalogo, quo uſus ſum ſatis mendoſo. Sunt adhuc fere centum Gallici, qui apud me parui pretii, apud vos vero nullius futuri ſunt. Omnes tamen habendi ſunt, quia illis omiſſis nihil remitterent de pretio. Credat autem Sereniſſima Regina me omnem curam adhibiturum, ut voti compos fiat, ita tamen ut ſemper meminerim Pliniani dicti *Mala emptio ſemper ingrata eſt*; eo maxime quod exprobrare emptori ſtultitiam ſuam videatur. Vale & me amare perge Tui ſemper ſtudioſiſſimum & amantiſſimum. Lutetiæ Pariſiorum XXV. Martii CIƆ IƆC LI.

EPISTOLA CCLXV.

SACRÆ MAJESTATI

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ SUEDIÆ REGINÆ.

Holmiam.

SERENISSIMA REGINA,

Mitto tibi quem hic habes, Catalogum Manuſcriptorum codicum Græcorum & Latinorum Bibliothecæ Memmianæ: Sunt præterea aliquot Gallici, quæ res noſtras ſpectant, nullius uſus iſtic futuri. Omnino eximia eſt iſta libraria ſuppellex: ſed ei ponitur pretium adeo immenſum & iniquum, ut crediderim venditores velle abuti laudabili tuo deſiderio eam comparandi. Itaque conſultius & tutius judicavimus, trahere aliquot dies iſtud negotium, donec aliquid de iſto ſuo malo animo remiſerint. Hanc moram velis quæſo patienter ferre SERENISSIMA REGINA, & reſcribere ocyus quid nos facere oporteat, ut Tuæ Majeſtati ex præſcripta formula inſerviamus. Si tamen benigna affulgeat occaſio, eam non ſinemus elabi, certe nihil omittere,

quo

quo iſto theſauro cito potiaris. Certe eo digna ſola videris cum eum habere tantum cupias, ut, poſtquam eo uſa fueris, typographiæ beneficio, cum orbe literario communicetur. Hoc cedet magnæ tuæ gloriæ, & publicæ utilitati, cui nata & facta videris. Ego MAXIMA REGINA, ſummi beneficii loco deputo, quacunque in re tibi obſequi & obedire; votorumque meorum ſumma fuerit placere & ſervire Majeſtati tuæ; cui ab omnium bonorum largitore DEO OPT. MAX. omnia magna & fauſta nunquam deſinam precari. Vale SERENISSIMA ET POTENTISSIMA REGINA & regna diu ac fœliciter.

TUÆ MAJESTATI

Deditiſſimus ac devotiſſimus
CL. SARRAVIUS.

Lutetiæ Pariſiorum XXV. *Martii* CIↃ IↃC LI.

EPISTOLA CCLXVI.
A MONSIEUR SARRAU,
Conſeiller du Parlement de Paris.

MONSIEUR, Vos deux lettres que je receus hier m'ont donné des mouvemens ſi divers, que je me trouve empeſchée de vous exprimer les ſentimens qu'elles m'ont cauſe. Et puiſque vous avès pris la peine de me rendre de ſi bons offices, ſans que je les aye meritès, je me vois engagée de vous en témoigner ma reconnoiſſance. Je deſirerois de pouvoir le faire dignement par la preſente, encore que je ne pretende pas de m'aquitter à ſi bon marché envers vous. Je vous proteſte que je n'ignore pas combien je dois eſtimer la generoſité, qui vous porte à travailler avec tant d'affection à ſervir une perſonne, qui en eſt ſi indigne que moy; puiſque par aucun merite je n'ay pu pretendre à vous obliger de prendre tant de peine pour mes affaires. Vous m'avès voulu témoigner par l'achapt de mes MSS. que je ne m'eſtois pas trompée, lorſque j'eſperois de voſtre generoſitè, l'effet des proteſtations que vous m'avés faites. Je vous prie de croire celle que je vous fais a preſent, & de ne douter point de la reſolution, que j'ay priſe de rechercher avec ſoin les occaſions, par leſqu'elles je puiſſe m'aquitter envers vous. Si je le fais jamais au poinct que je le deſire, je m'aſſure que vous n'aures point ſujet de vous repentir de m'avoir donné quelque lieu en voſtre affection. Au reſte Monſieur, je vous diray touchant la Bibliotheque que vous marchandès pour moy, que ceux qui s'en veulent deffaire ſont injuſtes d'en demander une ſomme qui eſtonneroit tout autre que moy. Je vous laiße la diſpoſition d'accorder avec eux, & d'en faire le prix. Mais ſur tout Monſieur, ayés ſoin que l'on n'oſte aucun MS. des Anciens. J'ay oüy dire de ceux qui ont connoiſſance de cette Bibliotheque qu'il y avoit un Varron *que je ne trouve pas dans le Catalogue. Ce qui me fait apprehender que l'on n'oſte celuy là, & d'autres de meſme importance. Mais je m'en remets tout a fait à vous, & j'eſpere que voſtre ſoin me rendra entie-*

entierement contente. Cependant Monſieur vous m'obligerès de commander à mon Marchand, qu'il dépeche mon navire, & qu'il ne me prive pas long-temps de ce que j'attens, afin que je puiſſe avoir icy quelque gouſt des belles choſes dont voſtre belle France abonde. J'ay commandé au Sieur Voſſius de vous prier de ma part, de me faire avoir un Secretaire, qui ſoit ſage & fidelle; & qui ſoit pourveu des bonnes qualités, qu'il vous a amplement dépeintes dans ſa lettre. Si vous prenés la peine de me ſatisfaire en cette rencontre, je vous ſeray obligée toute ma vie, comme d'un office le plus ſignalé qu'on me puiſſe rendre. Voyés Monſieur avec combien de rigueur j'uſe du pouvoir, que vous m'avès donné ſur vous. Voſtre civilité l'excuſera puiſque vous voulès que je faſſe ainſi. Pour moy, je deſirerois que cette façon d'agir vous fuſt importune, afin qu'il me fuſt permis de vous traitter en amy; Car je vous ay accepté comme tel dés le premier moment que je receus vos proteſtations. Mais puiſque vous ne le voules pas; je veux differer de vous donner l'amitié d'une Reyne, puiſque celles des Rois ſont toujours ſuſpectes, jusqu'a ce que la mienne puiſſe eſtre hors de ſoupçon. Alors vous connoiſtrès que malgré tous les changemens j'auray pour vous une affection inebranlable, & une eſtime telle, que je dois avoir pour voſtre merite: Et que je ſuis.

CHRISTINE.

De Stocholme le XII. Avril CIƆ IƆC LI.

EPISTOLA CCLXVII.

TAN. FABER

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

P. Ovidium Naſonem tibi in amoribus eſſe cum accipio, Clariſſime Sarravi, non poſſum, ita me dii ament, non mihi plane & ex animo gratulari, quando ea re factum eſſe video ut rivales ſimus. Quem autem magis lepidum, venuſtum magis, *bonarumque*, ut ait ille, *artium magis principem colamus?* Sane, niſi me animus fallit, neminem. In eo enim Charites & ſuaviores Muſæ quid efficere poſſint, expertæ videntur. Sed illum proh dolor! & librariorum oſcitantia, & deteriorum ſeculorum incuria, tot maculis turparunt, vix ut locis aliquot poſſit agnoſci, cujus tamen olim

In toto nuſquam corpore menda fuit.

Ac ne te pluribus morer, quis, niſi plumbeus, ferat eam labem, quæ his verſibus aſperſa eſt:

Triſtium Eleg. 2. Lib. 4.

Druſus in his meruit quondam cognomina terris,
Qua bona progenies digna parente fuit.

Nemini, opinor, qui vel tantillum quid ſapiat, erit dubium, quin ſcripſerit poetarum ingenioſiſſimus, *Qua bona progenies digna parente tulit*; hac ſententia; Druſum Neronem olim in Germania novum ſibi cognomen peperiſſe,

quod ejus filius, digna tanto patre progenies, tulit quippe qui Germanicus Cæſar dictus ſit (eum autem in primis coluit noſter. Itaque adeo cognomen Germanici meruit Druſus pater, filius tulit. Sic Aſinius Pollio ab Salonis Dalmatiæ expugnatis Salonini cognomen ferendum filio tranſmiſit: &c.

Quis autem ſatis pro dignitate defleat locum hunc Ponticorum L. II. Eleg. V. ad Solanum;

Surgit Iuleo juvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis;
Dumque ſilent; *aſtat; ſtatus eſt vultuſque diſertis;*
Spemque docens *docta vocis* amicus *habet.*

Ibi interpretum mira *ἀφασία* eſt; neque injuria; quando poſteriores duo verſus in mendo cubant, ita ſcilicet Muſis approbantibus reſtituendi:

Dumque ſilens aſtat, ſtatus eſt vultuſque diſerti!
Spemque decens docta vocis amictus habet.

Quo nihil eſſe poteſt venuſtius. Hæc autem *διανοίας* vis eſt: Ubi in ſuggeſtum aſcendit Germanicus Cæſar, ut *μελέτην* aliquam rhetoricam pronunciet, facile cuivis apparere, vel ex ipſo corporis ſtatu, vel ex modeſta illa compoſitaque veſtis *εὐσχημοσύνῃ*, miræ cujuſdam ſingulariſque facundiæ orationem eſſe ab illo expectandam. Quod quin tibi placeat, Vir Clariſſime, qui tuus in his litteris genius eſt, nullus dubito. Verum niſi moleſtum eſt, quid illud, quod Eleg. III. ad Maximum legitur?

Quæque ita concuſſa eſt, ut jam caſura putetur,
Reſtat adhuc humeris fulta carina *tuis.*

ὢ πόποι! Carina caſura! quo tandem? niſi fortean in chaos Heſiodeum, dein carina fulta humeris. *χελιδόνων μουσεῖα.* Lege mihi fidenter, idque manuducente Ovidio;

Reſtat adhuc humeris fulta ruina tuis.

Ipſomet, inquam, Ovidio præeunte; quippe qui alibi dixerit

Te mea ſuppoſita veluti trabe fulta ruina eſt.

Qui locus eſt huic plane germanus. Verum, Sarravi Clariſſime, quando non erubeſcit Epiſtola, & jam gnauiter frontem perfricui, non poſſum facere, quin de quodam Platonis loco agam, priuſquam ſcribendi finem facio, ſed tamen, quoad ejus poterit fieri, pauciſſimis. Locus ipſe eſt. II. Πολιτείας edit. Stephanianæ p. CCCLIX. Læmarianæ autem CCCCXXIII. *εἴη δ' ἂν ἡ ἐξουσία, ἣν λέγω, τοιάδε μάλιστα, εἰ αὐτῷ γένοιτο οἵαν ποτὲ φασὶ δύναμιν τῷ Γύγου τοῦ Λυδοῦ προγόνῳ γενέσθαι. εἶναι μὲν γὰρ αὐτὸν*, &c. Vides quid ſit, Clariſſime Sarravi. Ut autem quod ſentio dicam, ſic habeto. Nunquam non miratus ſum, locum adeo illuſtrem à viris doctis olim emendatum non fuiſſe (nam hodie quidem qui hoſce libros legant, ſunt perquam pauci.) Ceterum a veteribus libris nihil auxilii quidquam eſt. Et ita plane in codice illo legebatur, quo uſus eſt Clariſſimus Ficinus; nam ille alter Interpres, Serranus, inquam, ſcis ipſe, vel re ipſa expertus, vel Caſauboni auctoritate admonitus, (ejus enim commen-

men-

mentarium in Theophraſti characteres legiſti) quam imparatus ad hanc interpretandi tanti ſcriptoris provinciam acceſſerit: Quamobrem omnia ſunt ab ingenio & diligenti Platonis lectione, nec non Ciceronis teſtimonio petenda. Primum omnium agitur de mirabili illo annullo; quem oblatum fuiſſe τῷ τοῦ Γύγου προγόνῳ, nullus eſt qui e veteribus dixerit. Itaque nihil quidquam cauſæ eſſe videtur, quin audacter affirmemus locum hunc eſſe corruptum. Sed dixerit fortaſſe quiſpiam, Platoni aliam, quam quæ apud poſteriores ſcriptores invaluit, παράδοσιν ſequi placuiſſe. Verum id fieri haudquaquam poteſt. Nam infra lib. videlicet X. hunc ipſum locum reſpiciens & ad ipſum nos remittens, ſcripſit, ἀλλ' αὐτὴν τὴν δικαιοσύνην αὐτῇ ψυχῇ ἄριστον εὕρομεν, καὶ ποιητέον αὐτῇ τὰ δίκαια ἐάν τ' ἔχῃ τὸν Γύγου δακτύλιον, ἐάν τε μή. Præterea M. Tullius, qui locum ſuperiorem libro de Officiis tertio tranſtulit, aliter ſcripſiſſe Platonem, probat. Ita enim ille: *Satis enim nobis, (ſi modo in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos, homineſque celare poſſimus, nihil tamen avare, nihil injuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum. Hinc ille Gyges inducitur a Platone; qui, cum terra diſceſſiſſet*, & cetera; quæ ille verbum de verbo expreſſa extulit; ſed nil opus eſt tranſcribere. Quamobrem ut ne quid in hac re operæ ponamus amplius, lego & ſuppleo, τῷ Γύγῃ Κροίσου τοῦ Λυδοῦ προγόνῳ γενέσθαι. *Gygi, qui unus ex Crœſi Lydi majoribus ſeu progenitoribus fuit.* Crœſi autem ſtemma a Gyge repetere non vacat. Nam id cuivis ex Herodoto perquam facile factu eſt. Verum hoc abierit; nunc autem

εἰ ἐθέλεις ἕτερον σοι λόγον ἐκκορυφώσω
εὖ καὶ ἐπισταμένως - - - -

Locus enim eſt in Curculione Plautina Act. 1. Scen. 1. non corruptus ille quidem, ſed plane, audiant licet interpretes, a nemine intellectus.

PH. Nunc ara Veneris hac eſt ante harum fores,
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.
PA. Quid antepones Veneri a jentaculo?
PA. Me, te, atque hoſce omnes. PA. Tum tu Venerem vomere vis.

Ex iſtis verbis, *Me, te, atque hoſce*, &c. quæ delirantis ſunt, ut ſatis apparet, nil difficilius quam reſponſionem Palinuri intelligere, ſcil. *Vis igitur Venerem vomere*; neque ſe hinc expedierit Oedipus. Ubi nihil video mihi apud interpretes ſubſidii quidquam eſſe, (ita perſpicaces, ita Lyncei ſunt) nil ego melius fore opportuniuſve judicavi, quam ſi verſum illum Græcum olim (comœdia enim hæc, ut cæteræ Plautinæ, Græca eſt) ſua lingua denuo cuderem; fore ſperans ut aliquis locus conjecturæ ſeſe aperiret. Statim itaque ſumpto in manum ſtylo jambicum trimetrum repoſui, quem ego arbitror ipſiſſimum eſſe, qui a Comœdiæ auctore (quicumque ille ſit) ſcriptus fuerat. Totidem enim vocibus Græcis plane redditur, quot a Plauto Latinis converſus eſt. *audire atque togam jubeo componere.*

Φ. ἐμὲ, σὲ ϰ̀ πάντας. ΠΑ. τὴν γοῦν Ἀφροδίτην φίλαις ἐμέσαι - - - - Id ubi video, ὦ πόνοι exclamo, iſtuc ipſum eſt quod quæris. Videlicet venuſtula res eſt Græce, & argutiolam plane vernilem (ſervus enim loquitur) redolens, alluſio facta ad ἐμὲ σὲ, reddita autem per ἐμέσαι quod *vomere* eſt. Cæterum & imprudenter & infeliciter hæc a Plauto converſa videntur. At interim me hominem ineptum, & ruſticæ cujuſdam ſimplicitatis ſcilicet; qui cum ne nomen quidem meum fando unquam audieris, neque ullum ad te aditum habeam, niſi quem ſingularis tua in omnes qui literas amplectuntur, benevolentia aperuit, tam inverecunda tamen libertate utar, ad te ut ſcribere haſce nugas non dubitarim. Sed enim cum magna mihi religio eſſet id facere, vicit meum aut metum aut pudorem, Clariſſimorum virorum L. Cappelli ac M. Amyraldi conſilium; qui quanta tua ſit humanitas experti, ita mihi perſuaſerunt, nunquam fore ut indigne ferres, ſi quid hujus generis mihi apud te permitterem. Eorum itaque auctoritate me tuebor, & ſi quid in his literulis poſſim, ad te mittam, modo ſi meum hunc conatum tibi non ingratum accidiſſe intellexero. Vale. Salmurii. XIV. Cal. April. CIↃ IↃC LI.

EPISTOLA CCLXVIII.

CL. SARRAVIUS

Iſaaco Sarravio.

Salmurium.

ELegantiſſimam & doctiſſimam, Mi Fili, accepi ab Eruditiſſimo Fabro epiſtolam. Meminiſtin' cum iſtuc proficiſcereris me eum tibi inter eos quos colere deberes præcipue commendaſſe. Sola tamen fama eum mihi indicaverat, quem non arbitrabar iſtud ſcientiarum culmen attigiſſe. Jam vero neminem de ejus meritis interrogabo, quin alios docebo & confidenter prædicabo tanti viri omni laude dignas virtutes. Non enim tantum caſtigate & ornate ſcribit, ſed auctorum ſenſus reconditos eruit ſolerter, & candide proponit & perſpicue explicat. Qui has omnes dotes poſſideat, verum dico, novi neminem. Vide, Mi Fili, ut in ejus amicitiam quoquo modo vel irrepas vel irrumpas, nec ullo meliori compendio tuas ſubſecivas horas prodegeris. Quas ad eum ſcribo offeres cum omni opera mea, quam ei libentiſſime impendam. Num pergas inſinuare te in Philoſophiam cum voluptate intelligam. Hæc ſint tuum ἔργον: πάρεργα vicem jam obtineant, quæ olim præcipua erant utriuſque linguæ Latinæ & Græcæ aſſidua pœne conſuetudo & familiaritas. Nec Ebræam omiſeris, quæ omnium non ſolum prima & antiquiſſima & proinde præſtantiſſima, ſed etiam ſola divina, eſt & hactenus in ſacris Bibliis ab omni labe immunis. Stilum præcipue exercere juvet. *Latine loqui eſt in magna laude ponendum*, inquit Cicero. Et qui laudis hujus cupidine non tangitur fruſtra eruditi nomen ſperet. Vale & me ama, tui ſemper, ſi meteberis, amantiſſimum. Lutetiæ Pariſior. XXIX. Martii. CIↃ IↃC LI.

EPISTOLA CCLXIX.

CL. SARRAVIUS

Tan. Fabro.

Salmurium.

IN deliciis mihi ſuo merito ſemper habitum Ovidium Naſonem, in poſterum ſi fieri poſſit, magis adhuc diligam; eo quod tibi præbuerit occaſionem me compellandi, noſtræque noticiæ & amicitiæ primum gradum fecerit. Non heri tamen aut hodie demum mihi notus es, Vir Doctiſſime & Præſtantiſſime, ſed tua pridem mihi audita eruditio, & cognita virtus. Quantum in lingua Græca & Latina ſupra doctorum vulgus ſapias, & valeas, nemo fere hic ignorat. Ipſe ego filio mandaveram cum iſtuc proficiſceretur, ut quidvis tentaret, quo poſſet tibi fieri familiaris; certus eum ex tuo conſortio nunquam niſi doctiorem & meliorem deceſſurum. Hunc igitur quæſo meum amare velis; & pati ut de tuo pleniſſimo & exundante fonte aliquando os proluat, auribuſque hauriat, ſemper & ubique profutura. Quod vero me occupaveris elegantiſſima & doctiſſima tua epiſtola, gratias habeo magnas & ſi poſſem referrem. In ea miratus ſum, & mecum non pauci quibuſcum eam communicavi, puritatem ſermonis ſingularem, judicium ſolers & accuratum, & ſagacitatem in veris Auctorum ſenſibus indagandis eximiam, ut conſtat ex quinque locis fœliciter reſtitutis. Bonæ enim mentis plane vacuus ſit, nec harum litterarum ullum guſtum habens, qui ſtatim ευστοχίαν tuam non perſpiciat. Utinam autem Critico tuo pumice expolitum totum illum Poëtam haberemus: tum certe cujuſvis animadverſionibus facile careremus, nedum illius viri, qui decem abhinc annis inani ſuarum expectatione nos lactat. De tuis quoque in Platonem & Plautum eruditis Obſervationibus tibi gratulor, mihi gaudeo. Cæterum perge nos hujuſmodi munuſculis beare, quæ grata manu magiſque grato animo accipiemus. Sed te beatum cui vacat iſta meditari, & penitiſſime ſcrutari. Hunc fundum ſi diligenter colere pergas, uberrimos inde gloriæ & famæ fructus colliges. Ego quantum potero laudabiles conatus tuos cum utilitate publica conjunctos juvabo & promovebo. Ita credas velim, Mi Faber, meque ex animo ſemper fore tui ſtudioſiſſimum & amantiſſimum. Vale. Lut. Pariſ. XXIX. Martii. ∞ I Ɔ IƆC LI.

EPISTOLA CCLXX.

CL. SARRAVIUS

Davidi Blondello.

Amſtelodamum.

COntuli dubia tua cum Pontificia Bulla editionis Romanæ; quam ipſam ad te miſiſſem, ſi mea fuiſſet: ſed quia neceſſe fuit eam reſtituere, idcirco hiſce animadverſionibus contentus eſto. Pag. 3. tuæ editionis legitur, ut ais, *accepimus quod per plures annos Oſnabrug.* In editione Rom. ſic habetur *ac-*

cepimus quod per complures unius Oſnabrugis die VI. Auguſti. Verum autem *paucis* quod deſiderari exiſtimas non habetur ibi, ſed habetur poſtea. Ibidem *pactis turnis ac juribus :* editio Rom. habet, *rebus , bonis , ac juribus.* Pagina tibi quinta , *tenores etiam veriores & datas :* ita etiam habet editio Romana, totidem apicibus. Data dicitur XXVI. Novembris Pontificatus anno quinto. In editione Rom. quam vidi nulla legitur facta publicatio. Hæc tantum habeo quæ reſcribam ad tua quæſita. Dicunt Salmaſium noſtrum in Suedia periculoſiſſimo morbo laborare , quod valde me cruciat. Bene eſt quod Recitationes tuas inchoaveris; ſed melius erit in iis pergere, & tandem aliquando Spartam tuam ornare. Sirmondus de Pœnitentia publica commentatiunculam edidit: addiditque tractatum, quo docet, quod & verum eſt, olim panem communem uſitatum fuiſſe in Sacramento Euchariſtiæ. Audomarus Talæus noſter fortem ad Reginam habuit Orationem , ex auctoritate Senatus noſtri, contra Cardinales, etiam Gallos: publicabitur & eam ad te mittam. Interea Vale cum Tua & nos amare perge tui ſemper ſtudioſiſſimos & amantiſſimos. Lut. Pariſ. Cal. April. CIↃ IↃCLI.

EPISTOLA CCLXXI.

C.L. SARRAVIUS

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

PRidie quam Lutetia in hanc Cenomanorum urbem venirem a Senatu noſtro delegatus, Vir Præſtantiſſime & Eruditiſſime, vidi M.B. codices MSS. ut proculdubio tibi ſcripſerit Bidalius. Quod tum autem mihi non licuit negotiorum mole oppreſſus, id jam faciam. De iis ergo dicam ut eſt in Proverbio Θησαυρὸς ἄνθρακες. Sed revera minuit præſentia famam, nec ii ſunt quales fama eos prædicat. Græcorum enim plerique ſunt chartacei; pauci omnino, quinque, credo, aut ſex in membrana ſcripti, nec omnes valde antiqui. Ii enim, quos chartaceos dixi, vix excedunt ætatem captæ Conſtantinopolis, quo tempore multi Græculi per Europam divagantes, ſecum aliquot libros aſportarunt; quos tenuis victus aut pecuniæ ratione in gratiam eruditorum & curioſorum deſcribebant. Latinorum plures quidem ſunt membranacei ſive in pergamena exarati, qui tamen quartam aut quintam eorum partem vix faciunt. Ex Catalogo videris eorum qualitatem, quantitatem, quæ non accedit ad ſextam partem Petavianorum. Gallicos enim parvi facio. Audio tamen non eſſe vænales niſi XLV. M. libris noſtratibus; quod ſane iniquiſſimum pretium mihi videtur. Suaſi Bidalio ut offerret XX. M. quamquam & hoc adhuc immenſum eſt & abnorme. Sed quia res nobis eſt cum D. quæ ideo tantum vendit, quia grandem pecuniam inde ſperat: Et Sereniſſima Regina videtur hanc librariam ſupellectilem avide expetere, exiſtimavi poſſe eo uſque iſtam annonam incendi. Si præterea aliquid faciendum ſit, ipſe præſcribes ex mandato Sapientiſſimæ Reginæ. Mihi quippe pudendum aliquatenus viſum eſt ex eorum

rum φιλαργυρείᾳ ita pendere, ut ſimus poſtea omnibus ludibrio, quaſi verum vel etiam, ut ajunt Juriſconſulti, affectionis pretium ignoraverimus. Poteſt autem ſuo jure Regina imperare quod libuerit: Et quod nobis probroſum eſſet ipſi laudi cedet, Pecunia ſcilicet venditores pene obruere, ut iſtud quidquid eſt ſibi acquirat. Quicquid autem contra ſentias Bodini Dialogus, cujus primum librum miſi, is eſt quem poſtulat Sereniſſima Regina. Quæ enim Judaicam & Chriſtianam Religionem ſpectant habentur in ſequentibus. Repertum eſt ejus apographum M. ſed nolunt illud communicare, imo nec ipſe vidi: ſervatur enim velut pretioſiſſimum κειμήλιον. Bibliothecæ Cluniacenſis liber non facile reperitur. Statim atque in Urbem rediero, quæretur diligentiſſime. Sacræ Majeſtati ſemper me ſerio & ex animo commendatum volo. Quod ut ſedulo facias, rogo precorque. Vale. Ama nos, charoſque habe, qui te plus noſtris oculis amamus. Apud Cenomanorum urbem XIIV. April. CIↃ IↃC LI.

EPISTOLA CCLXXII.

A MONSIEUR DE SAUMAISE.

à Leyden.

MONSIEUR,

VOtre Lettre ſur le Livre de Mr. Bochart eſt excellente, & ſi je l'oſois communiquer au principal intereſſé, ſans doute qu'il en feroit eſtime. Mais il vaut mieux que cela ſe paſſe directement entre vous deux, ſans entremetteur. Comme il ne ſçait pas la Langue Perſique, il peut s'être abuſé en ce qui concerne ce païs là. Il a appris depuis quelques mois la Langue Ethiopique ou Abyſſine; par le moïen de laquelle il dit que s'il l'eût ſçu, il eût corrigé quelques endroits qu'il a mis dans ſon livre. Au fond ſon deſſein n'eſt pas de montrer que les Phœniciens ont changé tous les noms des lieux où ils ont été: mais de montrer juſques où ſe ſont étenduës les navigations. Ce qu'il montre par les origines des noms des lieux tirez de cette Langue. Il ſera bon que vous lui donniez occaſion de s'en expliquer plus clairement. Je m'étonne que vous appelliez fondemens ruineux ce qui eſt pris de la Bible. Que les Chananéens aïent été chaſſez de leur païs par les enfans d'Iſraël le V. T. le dit. Où s'en ſont ils allez? C'eſt ce que Monſr. Bochart montre par les noms, qu'ils ont apparemment donné aux lieux où ils ont ſéjourné. Mais il vaut mieux vous laiſſer à demêler cette querelle avec lui. Seulement je vous prie qu'il n'en paroiſſe rien en public. Vous avez dans cette ouvrage là des temoignages en grand nombre de l'eſtime qu'il fait de vous; dont ſe ſeroit le mal reconnoitre, que de le traduire & d'écrire contre le conſentiment univerſel des doctes, ou qui ſont eſtimez tels. Quant à ἐξήγερται je le croiois ſeulement plurier, & il eſt auſſi ſingulier. La difficulté en a été meuë par les anciens Grammairiens Grecs, qui la réſolvent par là que ἐξήρανται, πέφανται &c. ſont de la 3. perſonne du ſingulier & du plurier. C'eſt ce que j'ai appris depuis celle que je me donnai l'honneur de vous écrire ſur cette queſtion. La fin du Parlement où nous

ſom-

ſommes m'excuſera ſi je ne vous entretien plus longuement, vous baiſant au ſurplus tres humblement les mains, & à Madame, comme fait ma femme à tous deux. Et ſe ſuis de tout mon cœur.

MONSIEUR,

Votre tres humble & tres obeïſſant ſerviteur.

SARRAU,

à Paris ce XXIX. Aouſt. CIC IDC XLVIII.

EPISTOLA CCLXXIII.

A MONSIEUR DE SAUMAISE

a Leyden.

MONSIEUR,

LE jeune Heins n'eſt pas encore parti. Je ne le viſite point chez lui pour l'interroger au ſujet de la votre, ſi c'eſt lui qui a mande à ſon pere ou à ſon beau frere ce que ce dernier a écrit dans ſa réponce contre vous. Je ne laiſſerai pas de vous dire, qu'il y a quelque tems ce jeune Heins m'etant venu voir, il me demanda ſi ce n'étoit pas à moi que vous uſſiez écrit, que ſon pere vous avoit avoüé être l'auteur du Livre contre Monſr. de Croy. Je lui répondis que non, & que je ne croïois pas que vous vécuſſiez enſemble en cette confidence, pour ſcavoir de lui & de ſa bouche les choſes qu'il ne déſiroit pas être ſçûës. Et je m'hazardai juſques là de dire que je croïois avoir autant de part en vos ſecrets qu'aucun autre de France: & que s'il y avoit quelque choſe de cette nature, vous me l'auriez auſſi toſt fait ſcavoir qu'à qui que ce fût. Cela ne paſſa pas outre. Pour les ſubmiſſos precatores *Mr. Menage croit que cela le regarde. Il a voulu bien vivre avec Heraut, Sengeber, Fabrot, Heins le jeune & avec tout le monde, ce que je ne puis pas blâmer; mais il eſt bien difficile d'en venir à bout. Il eſt arrivé que Sengeber, comme j'ûs empêché la veuve du Puis d'imprimer ſon livre, a été oblige de le faire à ſes dépens. Il eſt pauvre & n'a pas en de quoi fournir le dernier quatrin, ainſi la beſogne eſt demeurée imparfaite. Sengeber a demandé en argent à Menage vingt piſtoles à emprunter, mais il ne les lui a pas prêtées: de honte qu'il en a, il s'eſt abſtenu depuis deux ou trois mois de voir ni Menage ni Heraut. Ce dernier à creu & dit que c'étoit M. qui l'avoit prié de ſupprimer ſon livre en votre faveur, ce qui eſt tres faux: car il ſemble qu'ils ne ſoient plus amis, & Menage me diſoit encore hier que Sengeber, qui le venoit voir tous les jours, depuis plus de deux mois n'a point mis le pied chez lui. Voila l'hiſtoire, la ſuitte eſt qu'Heraut aïant découvert à quoi il tenoit que le livre de Sengeber ne ſortît au jour, l'a fait chercher pour lui offrir l'argent, que Menage lui a refuſé. Je ne ſcai s'il l'a trouve & je croi qu'oui, d'autant qu'on m'a dit que l'Imprimeur continuoit à travailler, & avoit le reſte de la copie de Sengeber. Heraut devient tous les jours plus facheux: il a fait un gros & immenſe Ecrit, cherchant de tous côtez à vous reprendre & à vous mettre en colére, ce dit il, & en lit des pages & des Chapitres*

pitres entiers à tous venans, qui en prennent leurs divertiſſemens, comme vous ſcavez qu'on prend plaiſir a oüir des médiſances. Je vous ai écrit ce que deſſus parceque vous l'avez deſiré & pour vous complaire. Aureſte je ne doute point que toutes ces picqueteries ne vous chagrinent, & ne troublent votre repos. C'eſt tout leur deſſein & ils obtiennent à leurs fins, comme nous diſons au palais. Mais vous devez une bonne fois fermer les aureilles à toutes ces mediſances là, & vous venger d'eux en faiſant des ouvrages dignes de vous. Car quand on voit une piéce ſortir au jour, qu'on dit étre de vous, on y court comme au feu, & lors qu'on n'y voit que des vetilles & de menuës queſtions, quoique traitées avec erudition & recherchées avec ſoin, on ne laiſſe pas de dire; à quoi s'amuſe ce grand homme? eſt ce là ce que la poſterité doit loüer? eſt ce là ce qu'il nous a promis & que nous attendons de lui? Tous ſes livres ſont remplis de promeſſes magnifiques, de Traitez & de commentaires ſur Pline, ſur Tertullien, ſur le Noveau Teſtament, ſur Dioſcoride, & il nous donne des piéces contre des gens de neant, & qu'on ſçauroit à peine être au monde, s'il ne leur faiſoit l'honneur de les mettre en credit. Je ſcai vos réponces & tâche de les faire valoir. Mais je trouve peu de perſonnes qui les agrée. Il devroit, diſent ils, mépriſer toute cette racaille & s'en défaire une bonne fois. Ne dites rien à un chien qui abbaïe, il eſt obligé de ſe taire, mais ſi vous l'irritez, il recommence de plus belle, & argmente ſa clabauderie. Je vous prie de m'excuſer ſi je vous entretiens de choſes facheuſes: mais ces diſcours battent ſi ſouvent mes aureilles, que je ſuis contraint malgré moi d'en faire rejaillir quelque écho juſques à vous &c.

à Paris ce 13. Avril.

Vôtre &c.

SARRAU.

EPISTOLA CCLXXIV.

A MONSIEUR DE SAUMAISE.

a Leyden.

MONSIEUR,

J'Ai ſouffert en liſant vôtre derniere & prend cette plume avec peine pour y repondre. Neanmoins pour ne me pas manquer à moi même j'ai crû le devoir faire, & eſpere m'y comporter avec telle moderation, que me tenant ſur ma defenſive, vous reconnoitrez que ſi je me plaind, ce n'eſt pas ſans raiſon. D'abord vous dites que vous ne ſçavez pas de quoi je me plaind de vous. Je vous l'avois marqué aſſez preciſement, & le repeterai icy puiſque vous l'avez oublié, ou ne l'avez pas voulu lire dans celle à laquelle vous repondiez. Je me plaind de ce que vous m'accuſez de vous fouler aux pieds, & de relever les autres, & tout cela ſans grande connoiſſance de cauſe. Que je meſure les autheurs à l'aune de mon affection. En quoi vous me faites paſſer pour un paſſionné d'un part, & pour un ignorant & fat de l'autre. Pour le dernier je paſ-

ſerois aſſez tôt condamnation, encore que je puiſſe dire, que les matieres dont il eſt queſtion, & qui ont donné ſujet à ce démêlé, ne ſoient pas ſi relevées, que ma mediocre capacité ne les puiſſe entendre pour en dire mon ſentiment aprés les autres. Pour la paſſion, ſi vous la preniez pour une ardeur & pour une inclination à defendre ce que je crois veritable, je l'avoüerois encore tres volontiers: & les eſprits tiedes ne ſont pas ſelon mon humeur. Mais en ce que vous me pretendez avengle & inique, c'eſt où je croi qu'eſt l'offence, jointe avec un affecté mepris.

Vous vous plaignez que je dis que vous voulez dominer par tout, & que je dis qu'un docteur en droit a eu raiſon de vous appeller le tyran des lettres. Pour le dernier chef, je ne l'ai ni dit ni écrit: je prend droit par mes lettres, & ne ſçai qui eſt ce docteur en droit dont vous parlez. Je vous ai bien dit qu'un quidam, car je ne croi pas l'avoir ni nommé ni deſigné, diſoit, qu'Heins étoit le Prince des docteurs & vous le tyran, par ce que vous les gourmandiez. Sur quoi je n'ai point dit mon avis. Pour la premiere partie, que vous voulez dominer par tout, je ne ſçai pas au vrai ſi ce ſont mes termes: mais tant y a quand ce les ſeroient, je n'aurois pas peut être trop mal rencontré. Je ne voi rien qui vous contente de deça, ni dela, & c'eſt où je pourrois vous rendre vos paroles; que vous foulez tout aux pieds. Je laiſſe ceux de vos quartiers & me contente de ceux de nôtre France: L'un défend une opinion, dont il recevra avec ceux qui lui adherent de la honte & de la confuſion: L'autre bâtit tout ſon édifice ſur un fondement faux & tres faux. Pour le dernier, vous le renverſerez uno flatu. Pas un de ces Meſſieurs là n'a jetté aucune pierre en vôtre jardin, au contraire ils y ont planté des fleurs & vous en ont couronné la tête. Voila la reconnoiſſance qu'ils en reçoivent. Il me ſemble que c'eſt vouloir dominer par tout & abbatre tout. Vos raiſons vous ſemblent excellentes, & je ne nie pas qu'elles ne ſoient telles, que ſouvent elles ne portent coup. Mais le vent Borée n'abbat pas toutes les tours contre leſquelles il ſouffle: & ſouvent aprés avoir bien fait du bruit, il ſe trouve qu'il n'y a qu'une ardoiſe de caſſée.

Vous ajoûtez, pour ce qui eſt de la Grace Univerſelle; je ne ſuis pas ſeul de ce ſentiment: que pluſieurs Egliſes de France & toutes celles de vôtre Hollande, & même quelque Miniſtre de Paris tient vôtre parti. Si vous n'êtes pas ſeul de vôtre avis, auſſi ne ſuis je pas ſeul du mien. Si vos doctes vous défendent, les miens ne m'abbandonneront pas, & je n'ai pas appris que le nombre doive prevaloir à la raiſon. S'il eſt beſoin pourtant de compter, nôtre parti ne ſe trouvera pas denué; en ſorte qu'on n'en puiſſe faire un gros conſiderable d'anciens & de modernes, de vivans & de morts, dont les noms & la memoire ſont en benediction. Pour ceux de Hollande s'ils veulent prendre patience, ils auront leur fait. Mais pour celui de Paris que vous pretendez être de vôtre côté, j'en doute fort avec vôtre permiſſion. Nous avons oüi de nos oreilles ce qu'il en a dit en plaine chaire, & qu'il a depuis fait imprimer de ſon propre mouvement, a fin de croire le contraire de ce que vous me voulez perſuader. Lorſque

l'E-

l'Ecrit de Mr. du Moulin paroitra, on verra ce qu'on aura à faire. Mais ce bon homme emploie mal la ſanté, que Dieu lui a redonnée. On dit qu'il n'a fait que rapetaſſer un Ecrit à la main, qu'il avoit fait dez le Synode d'Alençon: la reponce en étoit toute faite dez le même tems, & puis qu'il a trouvé a propos de moûler le ſien, il faudra faire le même de la reponce, & alors les non paſſionnez & les clair voians en jugeront. Pour ce qui eſt du Livre de Monſr. Blondel, vous dites que je vous ai cent fois bravé. Ca n'avienne, mais comme vous le mettez bien bas, je tâche de ne le pas laiſſer tomber & je n'ai jamais commencé. C'eſt vous Monſieur, qui me donnates avis qu'il étoit imprimé, & en même tems en fites un jugement deſavantageux & menaciez d'écrire contre lui: ce que vous aviez ſi fort reſolu, que cela a été cauſe que d'autres ont ſupprimé ce qu'ils avoient deja fait ſur cette matiere. Voila le commencement de l'hiſtoire du fait. A tout cela je n'ai fait que parer: & comme vous abbaiſſez ce bon perſonnage qui eſt l'humilité même, je l'ai relevé en termes de civilité quelquefois à la verité, mais ſans vous défier, ni vous prendre à partie qu'autant que vous le voudrez être. Et s'il faut que le nombre ſerve à nôtre cauſe, icy l'opinion que vous pretendez faire revivre, eſt ſifflée par tout. Quelques uns pourtant de ces ſiffleurs diſent: Laiſſez faire Monſieur de Saumaiſe, il deffendra bien cette cauſe & montrera bien que Monſieur Blondel s'eſt trompé avec toute ſa Chronologie. Puis ils diſent: Monſieur de Saumaiſe a d'autres choſes à faire de plus grande conſequence que cela, & ſa ſanté ne lui permet pas de faire tout ce qu'il pourroit & qu'il voudroit. De plus ce n'eſt pas là ſa querelle, il fera bien de ne ſe pas tailler davantage de beſogne. A mon ſens ce dernier parti n'eſt pas le pire. Vous appellez par raillerie mes trois mignons trois grands & illuſtres perſonnages, eſtimez de tous ceux qui les connoiſſent, qui ont eu de la veneration & du reſpect pour vous: & peutêtre que je n'y ai pas peu ſervi. Si vous n'êtes pas de leur avis, ils ne ſont pas du vôtre, & ne voudroient pas avoir dit de vos Ecrits ce que vous dites des leurs, encore que peutêtre ils y pûſſent faire quelque égratignure: mais lorſqu'ils vous rencontrent en leur chemin ils baiſſent la lance. Si pourtant il vous prenoit envie de leur rompre en viſiére, vous les trouveriez fermes ſur les arçons, & que mêmes ils lâchent le coup de piſtolet a propos.

Vous en voulez fort à cette chetive préface des Lettres Grotiennes. Je veux bien que ce ſoit la mienne, puiſque vous le voulez, & il n'y a rien dont je me vouluſſe dédire pour le preſent. Peutêtre mon avis n'eſt il pas bon, mais certes il n'eſt pas ſeul, & j'ai des compagnons de mon erreur en grand nombre, & non pas deux ou trois, comme vous eſtimez. Lorſque celui qui l'a faite a dit nemo fortius diſputat, il ne ſongeoit rien moins qu'à ce qu'a dit Simplicius Verinus. Vous ravallez fort Monſieur Grotius, lequel pluſieurs eſtiment une des plus belles lumieres des lettres, & dont le nom doit être honoré. En mon particulier j'en ai reçu de l'amitié, & j'ai beaucoup appris en ſa converſation, l'aiant connu, & frequenté il y a plus de vingtcinq ans lors qu'étant échappé de priſon

ſon il ſe retira en cette ville. Jai recherché ſon amitié comme j'ai recherché la vôtre, tenant à grand avantage d'être connu, & , ſi je puis l'obtenir, d'être aimé des grands hommes. Et en effet je n'y ai perdu tous mes pas. Vous dites que je le louë de ſa moderation en la religion. C'eſt ce que je n'ai ni dit, ni écrit, ni penſé; dites moi où. Je n'ai garde de toucher cette chorde la, car je n'y trouverois pas ma ſatisfaction: & je ne lui ai pas celé, que quelque bon deſſein qu'il dît avoir, il ne s'y prenoit pas de bonne maniere.

Vous me reprochez de ne lui avoir pas été fidel ami, & d'avoir envoié les feuilles toutes moüillées de ſon Votum *à ſon adverſaire. Si je n'écrivois pas à Monſieur de Saumaiſe, je ne me retiendrois pas en ce lieu, & je m'écrierois contre cet outrage & cette horrible calomnie. Voicy ce que j'ai fait au vrai. Je priai le libraire qui l'imprimoit de m'en donner un exemplaire des premiers, aprés que l'autheur auroit été ſervi des ſiens. Il en porta cinquante un ſamedy matin à Monſieur Grotius, & m'en porta un au retour de chez ſon Excellence, que je mis dans le pacquet que je faiſois pour Monſr. Rivet.* * * * *

Vous dites enſuite que ne lui aïant pas fait un tour d'ami, il eut raiſon de me fermer la porte, & que j'y ai voulu rentrer par des moïens recherchez, qui ne vous ſont pas inconnus. Je me ſuis defendu de ce que vous blaſonnez tour d'ami, dans la pure verité.

Pour la porte qu'il m'a fermée. Il eſt vrai que vers ce tems là il lui prit une humeur de la refuſer à pluſieurs de ſes amis d'une & d'autre religion: & je me trouvai dans le nombre commun, & peut être parce qu'il voioit que je l'avois deſobligé en ce que vous avez marqué cy deſſus. Mais j'y ſuis rentré quand j'ai voulu. Lorſque je ſçus qu'il étoit rappellé, comme j'avois en part depuis long tems à ſon amitié, il me fâchoit de le laiſſer partir ſans le voir. Meſſieurs Dupuy, Bignon, Juſtel & quelques autres ne le voioient point non plus, que moi. Les premiers y furent, & y menerent Monſr. Ménage. Comme je fus averti de leur deſſein, je priai Monſr. Menage de lui faire mes civilitez, & de lui dire que je l'irois voir. Il répondit que je ſerois le tres bien venu. Sur cela j'y allai, & fus avec lui la veille de ſon départ tête à tête plus de trois heures, car il avoit fait dire aux autres qu'il étoit parti, de maniére que j'en ſortis fort content: inceſſum animum inflammavit amore. *Si vous ne ſcavez autre choſe que cela, vous êtes fort mal informé. Vous craignez au reſte, que mon amitié ſe refroidiſſe & puis s'éteigne envers vous. La perte ſeroit grande de ma part, & telle que j'ai peine à concevoir une plus grande affliction que je paſſe recevoir en ma vie, ſi ce n'eſt la perte de ma femme & de mes chers enfans. Mais il me ſemble que vous n'en faites pas la même eſtime, quand vous me pirouettez de la ſorte que vous faites, & m'en donnez à tors & à travers. Pour moi tant que je vivrai, je veux être vôtre ami & vôtre ſerviteur: eſtimant vôtre amitié un precieux threſor, je ferai tout ce que je pourrai au monde pour me la conſerver. Mais je*

* Deſunt octo circiter lineæ.

je ne ſuis pas ſtupide ni inſenſible, quand on me pique juſques au vif, comme vous avez fait. Déſormais s'il faut acheter vos bonnes graces à ce prix là, quand vous me donnerez ſur une jouë, je vous tendrai l'autre, & ſuivant le précepte Euangelique τυπτόμενος ἐμβαλῶ. *Pour cette fois je vous prie de m'excuſer & même de me pardonner; ſi en me défendant j'ai peut-être dit quelque choſe qui vous ait deplu,* nolim dictum, nolim factum. *Et vous ſupplie de m'aimer comme vous avez fait autre fois, & je vous rendrai toute ma vie mes reſpects & ſervices tres humbles, étant*

MONSIEUR,

A Paris.

Votre treshumble & tres obeiſſant Serviteur

SARRAU.

EXTRAIT des Lettres Françoiſes de Monſr. SARRAU à Monſr. de SAUMAISE.

F*Abrot écrivant a Rome au jeune Heins, il lui mandoit que ſon pere étoit* Eruditorum Princeps & Salmaſius Eruditorum tyrannus, *par ce que ce dernier les gourmande & les traite d'étrange ſorte. Que vous ſemble de cette penſée. Pour la premiere partie elle eſt ridicule. Pour la ſeconde, il y a quelque choſe qui approche du vraiſemblable.* A Paris le XIX. Avril. CIↃ IↃC XLVII.

L*Ambecius neveux d'Holſtein me rendit avant hier une lettre, que vous lui aviez donnée de recommandation auprés de moi. Comme vous y parlez de ſon oncle avec honneur, il me l'a demandée: Je deſire, dit il, qu'elle me ſerve étant à Rome pour appaiſer mon oncle, qui eſt irrité de ce que Simplicius Verinus l'a ſi mal traité. Ainſi je la lui ai donné tres volontiers. L'Eloge d'*Eruditorum tyrannus *vous convient, en ce que vous les gourmandez d'étrange façon,* in virga ferrea, *à coups de barre & quelquefois d'étriviére.* A Paris ce X. Mai. CIↃ IↃC XLVII.

P*Our le Naſſa de Céſar* ſe non è vero, è ben trovato. *Les nouveautez plaiſent, & à préſent qu'on raffolle aprés les Généalogies, les plus anciennes ſont toujours les plus belles. Mais de ce Naſſa au dernier Guillaume ſe trouveront quelque fenêtres, comme ils parlent en leur jargon, qu'ils auront peine à remplir. Le Livre de Monſr. Bochart ſe débite icy depuis plus de deux mois. Il eſt en fort grande reputation. Et comme c'eſt un Ecrit extrémement modeſte ne choquant perſonne, chacun le louë. Ceux qui le mettent au plus haut diſent, c'eſt un livre pour faire jalouſie à Monſr. de Saumaiſe. Vous y êtes cité & loué plus de ſoixante fois. Auſſi ai-je bien voulu rompre commerce avec Monſr. Rivet: depuis ſix mois tantôt que je ſuis retour, il a eu deux des miennes, & moi autant des ſiennes. Nous voila quittes & bons amis.* A Paris le XIV. Juin. CIↃ IↃC XLVII.

Je me garderai bien de faire ſçavoir à Mr. Herault la bonne volonté que vous avez pour lui en procurant l'impreſſion de ſon gros livre, car je craindrois qu'il ne vous prît au mot. Ne croiez pas qu'il ſoit ſi mal aviſé de le faire imprimer à ſes depens. Outre que ſa bourſe en pâtiroit, il ſe priveroit des entretiens ordinaires, qu'il a avec ceux qui le vont viſiter, auquels il en lit de grandes piéces, tant qu'on en baille. Tenet occiditque legendo. *Et les auditeurs diſent,* Euge! *Cela eſt merveilleux, il n'y ſçauroit répondre: Voila un homme perdu. Eſt il poſſible que Monſr. de Saumaiſe ait fait tant de fautes? Et c'eſt de quoi ils paient leur hôte, qui eſt ſatisfait de ſon livre ſans le publier autrement. Ni Monſr. Heins, ni Monſr. Grotius ne m'avoient pas ſatisfait ſur cet* ἡγούμενος τοῦ λόγου *des Actes. Vous en approchez de plus prés. Ne ſeroit ce point ce qu'un ancien Hiſtorien a dit,* Princeps Legationis ejus fuit. *Il portoit la parole. Mais il faut que cet* ἡγούμενος τοῦ λόγου *ſe rapporte à Mercure, & à Paul par comparaiſon à lui. Ce ſera une chaſſe pour vous Monſieur, lorſque vous entreprendrez cette belle carriére du Nouveau Teſtament. Mais quand ſera ce? L'Angleterre n'a point de plus beaux livres que Paris; ſoit Manuſcrits ſoit imprimez, nous ne leur envions rien. La Bibliotheque du Roi & celle des deux freres, de Mr. de Thou, des Cardinaux Richelieu & Mazarin, & celle de Monſr. le Chancelier n'ont rien qui les vaile &c.* A Paris, ce XXVIII. Juin. CIↃ IↃC XLVII.

V*Ous aurez appris par mes derniéres les raiſons pour leſquelles vous n'avez pas été ſatisfait du Livre de Monſr. Bochart. Ce que vous avez vû n'eſt pas le meilleur. La ſeconde partie* de Coloniis & ſermone Phœnicum *eſt plus ample & plus divertiſſante: ſans doute vous y pourrez trouver à reprendre, & qui eſt ce qui ne fait point de fautes? Il ſuffit que le gros ſoit épuré pour donner paſſeport au reſte. Toute l'œuvre roule ſur deux principes certains, le dixieme de la Geneſe eſt le premier, & le ſecond eſt le déchaſſement des habitans de Chanaan de devant les enfans d'Iſraël. Et où ſont ilz allez? c'eſt ce qu'il découvre avec un monde de merveille, les ſuivant par tout où ils ont laiſſé quelques traces.* A Paris, ce V. Juillet. CIↃ IↃC XLVII.

O*N n'eſt pas ici ſi degouté des Ecrits de Monſr. Grotius, qu'en vos quartiers. Sa reputation n'eſt en rien diminuée par ſa mort; & ſes livres ſur les Actes & ſur les Epitres ont quelque choſe qui ne merite pas d'être ſi peu eſtimé. Mais de ſcience, comme d'autres choſes chacun a ſon goût; & ce n'eſt pas merveille ſi les Ecrits de Monſr. Daillé ne ſont pas encore fort eſtimez en vos Provinces, c'eſt qu'on ne les connoit pas. Lors qu'on les aura enviſagé de plus prés, j'eſpére du changement.* A Paris ce XII. Juillet CIↃ IↃC XLVII.

MONSIEUR,

V*Ous continuez en vôtre derniere à reprendre Monſr. Bochart, & en ce faiſant à m'apprendre toujours quelque belle choſe. Mais en recompenſe*

vous

vous me traitez fort mal. A vous ouir dire, je foule aux pieds quelques uns de mes amis & reléve les autres: vous vous appercevez que c'eſt ſans grande connoiſſance. Je ne juge que par paſſion, & meſure les autheurs à l'aune de mon affection. Me voila barboüillé d'étrange ſorte, & d'un autre que de vous Monſieur, pour qui j'ai bien du reſpect, je n'endurerois pas cés outrages. Vous voulez que je ſuive vos ſentiments à yeux clos, & quand je les aurois bien grands; je n'y trouverois pas la ſatisfaction que j'y cherche. Je vous prie de me laiſſer la liberté de mon ſuffrage pour Meſſrs. Blondel, Amyrault & Bochart. Vous voulez vaincre par tout, & l'on ſe défend de deça fort vigoureuſement, ce n'eſt pas qu'une forte main comme la vôtre ne puiſſe faire des plaies, & bleſſer dangéreuſement ſon adverſaire, mais pour cela on ne trébuche pas. Traitez moi déſormais s'il vous plait avec plus d'equité: Et ne me croiez pas inſenſible, encore que je ne repouſſe pas toûjours toutes les attaques que vous me portez. Et au ſurplus briſons là deſſus & que chacun croiese qu'il voudra, &c.
A Paris, ce XI. Octobre. CIↃ IↃC XLVII.

MONSIEUR,

JE ſuis ravi que vous ſoyez tout de bon aprés la Papeſſe, & je ſerai bien aiſe quelqu'attachement que j'aie avec Monſr. Blondel, que vous l'étrilliez de ſorte ſur ce ſujet là, que ni lui ni d'autres n'oſent plus jamais y revenir. Ce n'eſt pas que je n'en croie la beſogne difficile & pleine de grandes difficultez: mais puiſque vous l'entreprenez ſi réſolument, je veux croire que vous les avez prévuës, & que vous avez de quoi y remedier. Pour le Latin de Monſr. Blondel, je ne vous puis encore dire s'il trouvera bon qu'on vous l'envoie. Vôtre tâche croitroit de beaucoup, s'il vous le falloit refuter tout du long. Mais la ſubſtance & le principal eſt dans le François. A la huitaine je vous dirai ce que vous en devez eſperer. Cependant on m'avoit dit une choſe que je trouvois probable; c'eſt que vous faiſiez imprimer l'Anaſtaſe entier avec des Notes, qui éclairciſſoient une infinité des mots fâcheux qui y fourmillent. Que vous mettiez la vie de la Papeſſe entre Leon & Benoit d'où vous prétendez que les Jeſuites l'ont arrachée: & que de là vous preniez ſujet de prouver la verité de cette hiſtoire contre ceux qui l'ont impugnée depuis environ un ſiécle &c. A Paris, ce VI. Decembre. CIↃ IↃC XLVII.

MONSIEUR,

VOtre longue hiſtoire de la vocation de Mr. Morus, rompuë par les intrigues & par les fourbes des contraires aux Saumurois, eſt digne de la baſſeſſe & de la fripannerie de l'eſprit de ces Meſſieurs. Toute leur vie n'eſt remplie que de ſemblables artifices, par leſquels ils ont prévalu juſques à préſent ſur pluſieurs infirmes & peu clairvoians. J'avois donné quelques eſpérances à Mr. Morus dont il ſera fâché de ſe voir déchu. Je n'oſerois ſans vôtre ordre exprés lui faire le détail dont vous m'entretenez; il me ſemble que vous le ferez

rez de meilleure grace que moi, qui ne pourrois que copier ce que vous m'en avez mandé. A Paris ce 10. Janvier. CIↃ IↃC XLVIII.

MONSIEUR,

IL eſt fâcheux que vous aïez encore Mr. Sp. pour ennemi. Mais il eſt impoſſible de vivre avec cette ſorte de gens ſans ſe broüiller, ſi on ne ſe gâte avec eux, quod abſit. *Je n'ai pas grand regret de me voir defait de leur communication. La Harangue* de Pace *m'a eſte donnée pour vous la faire tenir par le Sieur Morus le jeune, qui eſt Miniſtre à Orleans, fort gentil perſonnage, auſſi bien que ſon frere &c.* A Paris ce XXIV. Janvier. CIↃ IↃC XLVIII.

MOnſieur Aubertin a publié par force une Anatomie du livre de la Milletiére, de la Tranſſubſtantiation, qui ne vous deplairoit pas, car il eſt de haut goût. Ne croïez pas qu'il ſe taiſe, ni qu'il veuille avoir le dernier. Monſr. Bochart me mande qu'il a des lettres de Hollande, que Mr. Boxhornius écrit contre lui, & que vous lui aidez de vos bons avis, ne croïant pas vous avoir obligé à un tel traitement. Il lui ſeroit plus honorable, ce dit-il, d'avoir à faire à vous directement, & que vous lui fiſſiez une bonne & ouverte guerre, en laquelle ſe deffendant avec honneur & de toute ſa force, il pourroit peut-être vous ſatisfaire &c. A Paris ce XXVIII. Fevrier. CIↃ IↃC XLVIII.

MOnſieur. Par ma premiére lettre perduë je vous promottois que ſi vous vouliez faire appeller Mr. Morus à Amſterdam, il ſuivroit cette honorable vocation de Paſteur en l'Egliſe Françoiſe & de Profeſſeur en Philoſophie; ſeulement que la qualité de Profeſſeur en Philoſophie fût un peu relevée de nom honorable, comme de Philoſophie ſacrée ou de Metaphyſique extraordinaire, en un mot tel qu'il ſera jugé à propos, à fin qu'on ne lui imputât pas d'être d'échu entiérement. Et neanmoins il ne laiſſeroit pas de faire le Commentaire, & même de le dicter s'il eſt néceſſaire, & ſi c'eſt la coutume. Sur cela agiſſez & faites ce qu'il vous plaira. Mais il ne tiendra qu'à vous de l'avoir, & vous y aurez un fidel amy &c. A Paris ce XVII. Avril. CIↃ IↃC XLVIII.

MOnſieur. Pour ce qui eſt de Mr. Morus, vous aurez reçu par une addreſſe que vous avez avec la mienne, une ſeconde Atteſtation de la Seigneurie de Genêve, confirmative de la premiere rumpantur ut ilia Codro. *Les parens de vôtre voiſin s'y ſont oppoſez, demandans acte, que leur parent n'y étoit point compris, à quoi l'on n'a eu aucun égard. C'eſt à dire qu'il eſt au deſſus du vent & plus fort qu'eux.* Utinam *euſſiez vous une ſeconde harangue* in qua ὁ συκοφάντης male habetur. *Un vieux Miniſtre a fait imprimer une Lettre* ad Clariſſ. Virum D. Spanhemium *ſur ſes trois volumes, où il n'eſt pas de ſon ſen-*

ſentiment. Si vous la vouliez faire imprimer, je vous en ferois tenir un exemplaire. Il n'y a que trois feuilles &c. A Paris ce 24. Avril. 1648.

M*Onſieur. Mr. Morus me mande qu'on fait courir le bruit à G. que aviez vous écrit à quelqu'un, qu'il vous avoit importunément & baſſement ſollicite de lui trouver quelque place en Hollande, lors qu'il ne penſoit à rien moins: ce qui le rend tres odieux. Et enſuite m'aſſurant que cela n'eſt point, il a lieu de croire que quand il ſeroit vrai, vous lui auriez garde fidélité, ne lui faiſant pas ce tort de le dire, moins encore de l'écrire. Il me prie donc de vous ſupplier, lorſque vous écrirez à Mr. Godefroy, ou quelqu'autre, de vouloir leur faire entendre, que cela eſt faux: en quoi faiſant vous le déchargez d'un blâme, qui lui eſt preſque univerſellement imputé, & lui fait plus de tort, que tout ce que ſes ennemis ont juſqu'apreſent dit de lui. Vous le pouvez ce me ſemble obliger en cettte occaſion & dire que ce que vous en avez fait, ça été par l'amitié, que vous aviez pour lui, & ſi vous voulez à ma recommandation, je ne vous en dédirai pas &c.* A Paris ce 15. Mai. 1648.

M*Onſieur. Pour ce qui regarde ce que vous devez déſormais écrire, vous ne dependez en cela non plus de moi que de perſonne du monde. Je m'étonne ſeulement que vous changiez tous les jours de deſſeins & cherchiez de nouveaux ſujets, pendant que vous en avez tant de vieux, auquels vous êtes engagé, & que l'on attend de vous avec plus d'impatience que ceux d'Aſtrologie & de Phyſique. Vôtre de* Vitæ Termino *eſt demandé il y a long tems. Vôtre Arnobe, vôtre Anthologie, vos traitez de Tertullien, vos Uſures de Juſtinien, vôtre Pline, vos Homonymes des Plantes, vôtre ſuite de* ſimplicibus, *& celle* de Primatu. *En voula aſſez de quoi choiſir, ſans que je prenne en main le catalogue qui j'ai autrefois fait de ce que vous avez promis il y a dix, vingt & trente ans, que vous avez oublié, & nous non &c.* A Paris ce 26. Juin. 1648.

M*Onſieur. A preſent vous me dites que ce n'eſt pas le dernier, à quoi vous travaillez, & que je ne ſçaurai point ce que c'eſt qu'aprés que l'imprimeur aura commencé à faire rouler ſa preſſe. Je ſuis content que ce ſoit tout ce qu'il vous plaira, & quoi qu'en diſent ces autres, dont vous vous mocquez avec raiſon, je n'ai jamais prétendu manier vôtre plume. Au contraire vos amis ſe plaignent, que vous ne faites rien de ce dont ils vous prient, & que vos ennemis au contraire ont l'avantage de vous faire écrire de ce qu'il leur plait. Ils n'ont qu'à vous harceler, & vous leur repondez ſans vouloir paſſer pour muet, ni avoir le dernier. Il nous ſemble pourtant qu'il ſeroit de meilleure grace, de ſuivre vos anciens deſſeins, que d'entreprendre tous les jours de nouveaux, ſelon que les occaſions ſe preſentent &c.* A Paris ce x. Juillet. CIↃ IↃC XLVIII.

IN EXIMIUM OPUS SUMMI VIRI
SAMUELIS BOCHARTI
De Geographia Sacra.

NUmine placato facies cum reddita terris
  Prima fuit, ſolis octo ſuperſtitibus:
Queis prima emergens regio eſt habitata colonis;
  Traxit & unde ſuos inſula quæque viros:
Priſcorum mendax commenta eſt fabula vatum,
  Sincerumque nihil, nil ſine labe fuit.
Sordibus ex iſtis denſa & caligine lucem
  Eruere, humanæ non fuit artis opus.
Deſperata aliis unus tentare BOCHARTUS
  Auſus, & ignotas primus inire vias.
Huic promunt Arabes, Phœnix, Chaldæus & Indus,
  Quas proprio gazas continuere ſinu.
Purior & ſacris hauritur fontibus unda,
  Divite quam vena nobile fundit opus.

CL. SARRAVIUS
Senator Pariſienſis.

IN CRITICAM SACRAM
Viri Reverendi & doctiſſimi
LUD. CAPPELLI.

ENarratores Antiqui Fœderis, illi
  Clari, *Theudotion*, *Symmachus*, atque *Aquila*;
Et DECIES SEPTEM faciunt queis nomina CELLÆ,
  Helleniſtarum ut fabula nota canit:
In varios abeunt ſenſus, concordia ſæpe
  Exulat, hiſque uno non datur ore loqui.
Scilicet humano captu ſcribuntque leguntque;
  Inde errant variis ille vel ille modis.
Eſt tamen Hebræi certiſſima lectio textus:
  Una eſt, ſincera eſt; intemerata manet.
Hactenus ambigua eſt perverſi erroris origo: &
  Quis velit horrentes explicuiſſe vias,
Quæritur? Ecce tibi CAPPELLUS pellere doctus
  Nubila, quæ mentes obtenebrare ſolent;

Et

Et calami incertos titubantis quærere lapſus;
Et lucem obſcuris addere mille locis.
Convenient omnes, nulla eſt diſcordia: In uno
PRIMÆVO HEBRÆO CODICE certa fides.
Fruſtra es BUXTORFI, nulla eſt hic cauſa timoris,
Eſt hoc pacis Opus, nec nova bella feret.

CL. SARRAVIUS.
Senator Pariſienſis.

EPISTOLA CCLXXIV.

TAN. FABER S. D.

Claudio Sarravio.

Lutetiam.

QUid cauſæ ſit, SARRAVI CLARISSIME, cur, cum infinita prope puerorum multitudo quotidie literarum profeſſoribus in diſciplinam tradatur, tam paucos tamen reperias, qui vel mediocrem aliquam illorum cognitionem poſt incredibilem & temporis & pecuniæ jacturam aſſequantur? Scio eſſe perquam plurimos, qui præpropera parentum ſtudia, nimiamque pervicaciam accuſent, qui videlicet a ſcholarum moderatoribus ea impetrant, quæ & ipſis damnoſa ſunt & liberis pernicioſa. Ubi enim admiſſi in eum ordinem pueri fuerunt, quem ſua ſibi imbecillitate atque imperitia præcluſerant, quid, quæſo, aliud par eſt expectari, quam certiſſimam ſtudiorum calamitatem? Sed alii altiùs repetentes, totum hoc negotium πλατωνικώτερον θεωρεῖν. Delectum enim ingeniorum, rem & privatim & publice ſalutarem, haberi vellent; quod patrum noſtrorum memoria ab egregio ſcriptore tentatum vidimus, irrito conatu. Neque adeo mirum; iis enim opus eſſet principibus, qui ut dignitate, ita & ſapientia & rerum præclararum cognitione cæteris præſtarent hominibus. Quamobrem hujuſmodi delectum optes facilius quam habeas. Alii vero ſuperciliosi, ſed timidiores paulo atque inertiores, corruptos ſæculi mores queruntur, veteris diſciplinæ neglectum deplorant. Alii porro corruiſſe literarum ſtudia prædicant, quod illi quibus Imperia & Reſp. adminiſtrantur, has artes fere plerumque aſpernantur. Verum ſi malum adeo multiplex & varium ſcrutari lubeat, ejuſque cauſſas omnes inveſtigare paremus, tempus nos, uti exiſtimo, quam res, maturius deſeret. Quid enim quæſo de indiligentia atque imperitia plerorumque omnium ſentire debemus, quos erudiendæ puerorum atque adoleſcentum ætati præeſſe videmus? Quam paucos reperias qui literas recte atque liberaliter tractent? Quid quod eorum plerique nihil aliud ſibi videntur quærere, quam ut inconſultis poſſint gratificari parentibus? Quid quod viam illam plane ignorant, qua majores noſtros ad æternæ famæ claritudinem perveniſſe videmus? Quænam illa ſit fortaſſe roges, Vir Clariſſime; nulla certe alia quam veterum ſcriptorum accurata lectio. Ea Budæos, & Scaligeros: Ea Turnebos, Paſſeratios & tot ingentia nomina edidit; Et abſque ea ſit,

 malim

malim equidem liberos meos opiliones eſſe & merum rus, quam iis literis dare operam, quas hodie doceri videmus. Itaque adeo, ſi mihi ſententiæ jus in re tam gravis momenti eſſe, ſic cenſerem: Debere nos a fabellis ſeu Apologis auſpicari, ſtatim atque primulis linguæ Latinæ Elementis informati pueri ſint; cœperintque ſentire quid ſit compoſitio; idque dico ſapientiſſimorum virorum, totiuſque antiquitatis auctoritate adductus. Ea autem re fiet maxime ut teneros puerorum mores & adhuc εὐαγώγους mollire & ſubigere queas facilius: idque ubi rite factum fuerit, & virtutis in iis quædam σκιαγραφία cœperit apparere, tum porro pergendum erit alacrius, neque in his fabellis amplius immorandum: ſed exemplis ea erunt confirmanda atque illuſtranda, quæ legendis Apologis fuerint tradita. Id autem, uti opinor, perfici non poteſt commodius, quam ſi breviſſimos quoſque hiſtoricos prælegamus, eoſque potiſſimum, qui res a primis Græciæ & Urbis Romanæ temporibus perſcripſerint. Et quoniam abſque Terrarum, Maris, Montium, Fluminumque deſcriptione, non eſt ut quiſquam ad veterum librorum, quibus omnis liberalis ſcientia atque humanitas continetur, cognitionem poſſit pervenire; maximum operæ pretium fore judico, ſi ſcriptor aliquis pueris tradatur, qui illa omnia ſi minus εἰς τὸ λεπτομερὲς καὶ δι᾽ ἀκριβείας, ἀλλὰ τύπῳ, ut ajunt, doceat. Ea autem omnia, quinam e veteribus præſtiterunt rectius quam Phædrus, Apollodorus, Eutropius, Cornelius Nepos, & Pomponius Mela? Qui libelli intra unius anni curriculum, ſi qua modo adhibita diligentia fuerit, nullo poterunt negotio perlegi. Quod ubi effectum fuerit, quam lætæ ſegetis ſpes in annum ſequentem erit? Quam facile fuerit, Salluſtium, Suetonium, Ovidii Metamorphoſin & Faſtos legere tam feliciter inſtitutis. Tertio autem anno, quis niſi inertiſſimus, neget legi perquam facile poſſe, Terentium, Virgilium, Horatium? Tam id equidem ſcio perfici poſſe quam me ſcio vivere; re enim ipſa expertus dico: qui amicis aliquot anno ſuperiori per hibernas ἐπιδορπίδας Terentium, Horatium, Lucretium, Juvenalemque iterata lectione explicaverim; cum tamen a literarum humaniorum cognitione & illa προπαιδείᾳ quam in primo & ſequenti anno conſtituimus, eſſent imparati, ideoque longe plus temporis in explicatione ponendum fuiſſe vides, Vir Clariſſime, ac multo plura legi potuiſſe, ſi ipſis ea adfuiſſent ſubſidia, quæ primis annis ſibi parare debuerant. Tot igitur & tanta ſi intra triennium abſoluta fuerint, quis anno ſequenti Ciceronem, atque Homerum non facile legerit? Niſi quod (vera enim fateri cum ſummo noſtro dolore neceſſe eſt) ubi ad eam ſtudiorum partem ventum eſt, quam vulgus (jamdudum enim vera rerum vocabula amiſimus) Philoſophiam vocare ſolet, grave piaculum eſſe ducunt Magiſtri, libros meliores primo tantum digitulo attingi a diſcipulis; Quorſum enim, inquiunt, Philoſophiæ Majeſtatem, puerilium literarum nugis & grammaticæ quiſquiliis (videlicet libri principes quiſquiliæ ſunt) attaminari deceat? Recte ſane, & ut illo hominum genere dignum eſt, qui poſtquam inſulſam barbariem bene ac fideliter combiberunt, novi repente Thaletes prodeunt. Quidni enim? poſtquam per integrum biennium ea dedidicerunt quæ ſibi compara-

re-

verant; gypſati & palliolati in publicum procedunt, ibique tria aut quatuor δύςηνα ῥημάτια poſtquam vix atque ægre balbutierunt, librorum eis omnium arcana extemplo reſerantur, illarumque omnium artium, quæ libero homine dignæ ſunt, profitendarum facultas datur. Atque utinam tam eis facile eſſet doctis fieri, quam impudentibus licet. Næ illa μαμμακύθων εὐφορία non eſſet, quam hodie paſſim videmus; tot pulpitorum crepitacula occurrunt, mundi cymbala, tot ſæcli incommoda, tot peſtes aurium. Hinc itaque eſt quod cum certorum fortaſſe hominum offenſione dicere ſoleo (τί γὰρ ἀγεννοῦς τρόπου ἀξιώτερον ἢ ἀληθεύεσθαι;) dicere inquam, ſoleo, Clariſſime Sarravi, ita comparatum eſſe totum illud ſtudiorum genus, ut quo quiſque in eo perfectior eſt atque conſummatior, eo ſit incommodior omnibus atque moleſtior. At utinam Patrum noſtrorum, qui fœdam hanc & inhumanam ſtudiorum rationem mutare tam feliciter tentaverant, veſtigiis inſiſteremus: Haud dubium quidem eſt, quin deterſo ſitu & ſqualore humaniores literæ excitarentur; & Nobilitas noſtra illarum ornamenta & cultum tam quæreret ſtudioſe, quam hodie obſtinate aſpernatur. Neque ſane injuria. Iis enim literis, quæ hodie traduntur, quid, quæſo, agreſtius, quid minus utile? quid dediſcendum maturius, ſi tibi cum viris liberali præditis ingenio ſit agendum? Verum neſcio quomodo altius proceſſi & liberius paulo, dum me tantæ corruptelæ piget pudetque; cui remedium ſi poterit unquam fieri, vel ea via & ratione fiat neceſſe eſt, quam modo commemorabam, vel nulla. Illos igitur ſcriptores, Clariſſime & doctiſſime Sarravi, (eo enim, unde digreſſa fuit, revocanda oratio eſt) quos meis vel conjecturis vel notis factos meliores habeo, etſi bibliopolis noſtris cupiam tradere, vel, quia ſplendidius multo & luculentius totum illud negotium futurum eſt, Lutetiam tranſmittere, nihil tamen ante moliri decretum eſt, quam me tuo conſilio adjuveris, oſtenderiſque pro tua ſingulari humanitate, quæ tua ſit ſententia. Præfationem ſatis luculentam poſtulare videntur hi libelli; illam itaque adornabimus ſedulo, dabimuſque operam, ut conſilium noſtrum viris bonis probemus. Atque utinam te mihi Deus ille Opt. Max. diu ſervet incolumem. Nam etſi tenuitatem meam ſatis norim, erit tamen fortaſſe olim, ut aliquam ex me utilitatem percipiant ſtudioſi.

Hac mihi certe animo ſpes ſurgit, ſi modo Virtus,
Cujus ſacra fero, noſtro ſub pectore fervet,
Nos & ab ignava certat ſecernere turba.

Vale plurimum, Vir Clariſſime, & me ama. Salmurii Nonis Maiis. CIϽ IϽC LI.

EPISTOLA CCLXXV.

A MADAME SARRAU.

M*ADAME, Je ſuis touchée ſi ſenſiblement de la perte, que vous avés faite de Monſieur Sarrau, que je ne me ſens pas capable de faire apreſent autre choſe pour voſtre conſolation, que de joindre ma douleur a la voſtre, & de plaindre avec vous & tous les gens de bien un perſonnage d'un ſi rare merite.*

Ce regret augmente encore d'avantage lorſque je penſe à l'affection qu'il a touſiours conſervée pour mon ſervice: & que pendant ſa vie je n'ay pas eu l'occaſion de luy teſmoigner, comme j'euſſe ſouhaité, la paſſion que j'ay deu en reſſentir. Et c'eſt ce qui m'oblige à vous convier à me donner lieu de faire connoiſtre à ſes proches la gratitude dont la mort à prevenu les effets; & que j'aye ſubjet de me juſtifier envers la memoire d'un ſi digne homme, de la reconnoiſſance que je devois à ſon zele & à ſon amitié. Vous trouverez en moy une parfaite inclination à vous gratifier, & la volonté de vous eſtre conſtamment,

CHRISTINE.

De Stokolme le premier Juillet.
CIƆ IƆC LI.

IN OBITUM CL. SARRAVII SENATORIS PARISIENSIS CARMINA.

VIRI ILLUSTRIS, CL. SARRAVII SENATORIS PARISIENSIS MEMORIÆ.

CUR immaturo SARRAVIUS occidit ævo?
Maturæ mentis quippe Senator erat.
Sic matura cadunt æſtivo tempore Poma,
Sicque cito repetit mens generoſa polum.
Hic licet ante decem raptus ſit funere luſtra,
Creditus eſt animi dotibus eſſe Senex.
Nullus in exiguo tam multa volumina legit
Tempore: nil, quod non hic didiciſſet, erat.
Jam ſatur a menſa veluti conviva recedit,
Ubere doctrina ſic ſatiatus obit.
Ceſſat, ut extremam tetigit prudentia metam,
Vita nec ulterius quod doceatur, habet.

PHILIPPUS SUBDORIUS PETIVILLÆUS
Senator Rothomagenſis.

SUR LA MORT DE MONSIEUR SARRAU CONSEILLER DU ROY AU PARLEMENT DE PARIS.

STANCES.

PAſſant ne preten pas qu'en ces vers je querelle
Ny les Cieux ny le Sort;
S'il n'ont rendu la vie auſſi longue que belle
De cet Illuſtre Mort.

Trop

Trop & trop chez pluſieurs ces importunes plaintes
Groſſiſſent des eſcrits;
Quand par la nouveauté de pareilles atteintes
Ils ſe treuvent ſurpris.

Ils veulent que le Ciel reſponde des deſaſtres
Qui les vont attaquer,
Comme ſi ſon devoir intereſſoit les aſtres
A ne les pas choquer.

Mais celuy qui de prés conſidere les choſes,
Et ſçait mieux diſcourir,
Void en tout ce qui vit l'enchainement des cauſes
Du naiſtre & du mourir.

Au ſortir du neant eſtoit-il neceſſaire
Que tu viſes le jour?
Et te treuvant icy quel droit as tu d'y faire
Plus ou moins de ſejour?

Tout le monde au ſalut du plus parfait des hommes
Prend-il tant d'intereſt;
Que quand il ceſſeroit d'eſtre ce que nous ſommes,
Luy fuſt moins ce qu'il eſt?

Croy moy, ce nous ſeroit une eſperance vaine
Que SARRAU *bien que tel,*
Eſtant né ſous les loix de la nature humaine
Ne fuſt pas né mortel.

Et quel plaiſir de vivre à cette ame heroique
En un ſiecle de fer,
Où la guerre produit ce que de plus tragique
Peut produire l'enfer?

Luy qui tout plein de zele a fait pour ſa Patrie
Cent belles actions;
Pourroit-il ſans horreur voir ſa gloire fletrie
Par nos diſſentions?

Luy qui fut autrefois des plus dignes Miniſtres
Du Temple de Themis;
Verroit-il ſon pouvoir par des ſuccés ſiniſtres
Indignement ſoumis?

Luy qui fut la candeur & la probité méme,
Auroit-il des humeurs,
Propres à l'impoſture & la malice extremé
Qui corrompent nos mœurs?

Non, non, il a bien fait de chercher ſa retraite
En un lieu plus heureux.
Où ſon ame ſe voit pleinement ſatisfaite,
Et joüit de ſes vœux.

Là dans un doux repos, qu'aucun trouble n'altere,
Il fait ſon entretien,
Des plaiſirs inouys, que l'homme Sage eſpere
Pour ſon ſouverain bien.

Et certes regreter une ſi juſte abſence,
C'eſt ne le pas aymer,
Où bien ne ſçavoir pas que cette joüiſſance
Ne peut trop s'eſtimer.

M. DE LA LUZERNE GARABY.

Subſcribendum Imagini
CLAUDII SARRAVII
Senatoris Pariſienſis.

ROMVLIDÆ COLVERE THEMIN, COLVERE CHARINQVE;
ME COLVITQUE THEMIS, MECOLVITQE CHARIS.

Nobiliſſimo Adoleſcenti,
ISACIO SARRAVIO.

FLos Juvenum, magni defles quid acerba parentis
Funera, non obiit; ſcilicet ille abiit.
Non obiit totum cujus vaga fama per Orbem,
Illuſtre & nomen docta per ora volat.

Non

Non obiit ſimili qui ſeſe in prole reliquit,
Quæque ipſi tritas it generoſa vias.
Denique non obiit, æternis vivere chartis,
Poſt cineres, nati cui pia cura dedit.
Debitor es patri, patri idem es creditor; illi
Tu vitam debes; debet & ille tibi.

EIDEM.

CAndide SARRAVI tantis ne laudibus eſſer,
Quam breve Cadmæi, tam rude vatis opus.
Pace tua illius non poſſunt mira videri
Carmina, cui tardo frigore ſanguis hebet.
Nunc mihi lac ſtolidæ gelidum potatur aſellæ:
Nec volucris bibitur nobilis humor equi.
Hoc dum vena calet dives fluit. Hoc bonus ibat
Ennius, haud vino potus ad arma pater.
Hoc alias vatum madeam ſi nectare, verſu
Teque Patremque tuum fors meliore canam.

ANTONIUS HALLEY,
Regius in Academia Cadomenſi
Eloquentiæ Profeſſor.

SUR LA MORT DE MONSIEUR SARRAU CONSEILLER DU ROY AU PARLEMENT DE PARIS.

SONNET.

APpollon eſt en dueil, les Muſes ſont voilées,
Sur Parnaſſe on n'oit rien que lamentations:
Et ce cri dont il uſe aux exultations,
PEAN, ne s'entend plus dans ces belles valées.

Daulis n'oit plus le cœur de ſes troupes ailées;
Philomele s'y tait, oyant les Halcyons
D'un chant plaintif & propre aux triſtes paſſions,
Crier, Sarrau n'eſt plus, *loin de leurs eaux ſallées.*

L'echo ſur l'Helicon à ces triſtes chanſons
Répond, Sarrau n'eſt plus, *en de lugubres ſons;*
Mais l'Olympe au rebours en fait beaucoup de feſte:

Et

Et dit, le voyant ſeoir à la table des Dieux
Qui de rayons de gloire ont couronné ſa teſte,
Celuy-là n'eſt pas mort qui regne dans les cieux.

M DE GRENTEMESNIL.

SUR LA MORT DE MONSIEUR SARRAU CONSEILLER DU ROY AU PARLEMENT DE PARIS.

EPIGRAMME.

SARRAU, pour qui nos yeux ne devroient point ſécher,
Je croy que qui voudroit ſoigneuſement chercher
Quel fut l'aſpect des Cieux au point de ta naiſſance,
Trouveroit que pour lors le Soleil s'étoit mis
Dans le ſigne de la Balance,
Puiſque tu fus ſi juſte en celle de Themis.

Pour le meſme SONNET.

ILLUSTRES Ornemens du Temple de Memoire,
Vous par qui tant de noms ſont exemts du tombeau:
Muſes, qui ſçavez l'art d'allumer un flambeau
Qui diſſipe l'horreur de la nuit la plus noire.
Si pour m'aider a peindre une fameuſe hiſtoire
Voſtre main quelquefois a conduit mon pinceau,
Preſtez moy des couleurs pour traçer un tableau
Qui du ſçavant SARRAU faſſe briller la gloire.
Contez moy donc les ſoins qu'il eut de cet Eſtat,
Le zele qu'il fiſt voir pour noſtre Potentat,
Et les vertus qu'en luy le Ciel avoit infuſes:
Mais au point que ſa mort nous reduit aujourd'hui
N'eſt-ce pas vainement que j'invoque les Muſes
Puiſque leur Docte Troupe eſt morte avecque luy.

M. BARDOU.

ELEGIDION IN OBITUM CL. SARRAVII SENATORIS PARISIENSIS.

FUnereum mihi pange melos crudelis Erynny,
Quæ tragicos caſus explicuiſſe ſoles.

 Non

Non juvat in luctu Turbam imploraſſe Diſertam,
Planctibus & lacrymis obruta, muta fuit.
Calliope lacerata comis, velataque taxo,
(Tunc aderat Clio) talia verba dedit.
Deliciæ ceſſere tuæ Parnaſſia Rupes,
Heu periit Gemini Gloria Prima Jugi!
Cyrrha! Helicon! hinc jam infauſtas plantate cupreſſos:
Et luctus turbet Caſtalios latices.
Jam citharæ ac arti Phœbeæ nullus honos eſt:
Muſica flebilibus exululato modis.
Hic reſides ceſſant elegi; vox faucibus hæret,
Suſpirium queſtus vixque referre poteſt.
O Parcæ ingratæ! Diri inclementia fati!
Eheu barbaries imperioſa nimis!
Dulces quem Charites curis aluere tenellis;
Cuique Aganippæus proluit ora liquor:
Occidit; Et turbæ EXANIMIS data præda furenti,
Deſerit auguſtum PURPURA Palladium.
Marmoreum Saxum, ſi te mea nænia mollit,
SARRAVI meritis accine id elogium:
Conditur hoc tumulo, multis heu flebilis Heros,
Nais eum in notis Sequana luget aquis.
Buſta Themis ſtruxit; peplum ſumpſere Camœnæ;
Thuſcarum Sirenum immaduere genæ.
Balſamini rores informe cadaver odorant:
Aſt animam condit ſuave AMARANTHUS *olens.*

IDEM
DEFLETUR SUB PERSONA
THYRSIDIS.

Moeris. Amyntas.

M. O Cœli infidas leges! Quid, THYRSIS, Amynta,
Et tuus & meus eſt crudeli funere raptus!
Deploret Mopſus Daphnim, Cytheræaque Adonim:
Paſtorum unus honos THYRSIS mihi flebilis eſto.
A. Flebilis ille mihi quoque: verum, luctus inanis.
Sorte viri ſævo relevemur, Mœri, dolore:
INDIGETES Cyrrhæ, Pindi, Nemorumque Virentum
Gloria ubi alma manet condi juſſere ſacello.

PIIS-

PIIS MANIBUS
ILLUSTRISSIMI VIRI
CL. SARRAVII
Senatoris Pariſienſis.

FErrea nunc vere eſt ætas, nam fuſa per orbem
Ferrea progenies, Marſque ſceluſque ruunt.
Nunc proſtrata jacet veneranda ſcientia, candor,
Et ſimul alma fides, integritaſque jacent;
Ipſaque nunc vere terras Aſtræa reliquit,
Nam jacet; & petijt ſidera SARRAVIUS.

MOSANTIUS DE BRIEUX.

SOPRA LA MORTE
Dell' Illuſtriſſimo Senatore
IL SIGNOR DI SARRAU.

O Che cruda morte! o che fier dolore!
Piangono tutti un ſi gran Senatore;
Perche ſi crede le virtudi in iſcompilio
Eſſer ſalite al Ciel con lui,
Non è da pianger? il Padre è morto per nui,
Ma le virtù reſtan tutte nel Figlio.

SUBSCRIBENDUM IMAGINI
CL. SARRAVII
Senatoris Pariſienſis.

SI quid cana Fides & Honor Doctrinaque poſſent
Adverſus Stygii jura ſevera Dei:
Quem pictum artifici nunc contemplamur in ære,
Quanto debuerat ſerius ille mori.

TAN. FABER.

SUR LA MORT DE MONSIEUR
SARRAU
CONSEILLER DU ROY AU
PARLEMENT DE PARIS.
SONNET.

SARRAU nous a quitté & les Parques cruelles
Qui de ſa belle vie ont retranché le cours;

Viennent en ce moment de ravir a nos jours
D'un Auguſte Senat les Lumieres plus belles.

Themis puiſoit chez luy ſes conſeils plus fidelles,
Et voyoit par ſes yeux les plus cachés detours,
Et comme Elle trouvoit en luy tout ſon ſecours,
Elle verſe pour luy des larmes Eternelles:

Les Muſes, qui le plus perdent en cette mort,
S'arrachant les cheveux, font voir par ce tranſport
Que de mille tourmens leurs ames ſont atteintes;

Apollon en gemit, ſes yeux fondent en eau,
Et le Parnaſſe en deuil tout reſonnant de plaintes
Devient pour ce grand Homme un ſuperbe tombeau.

M. DES RANGEES HAUTON.

IN OBITUM ILLUSTRIS VIRI CL. SARRAVII
Senatoris Pariſienſis
LACRYMÆ.

AH! timeo ne quis me tardius ire queratur,
Et meus ambitio ne videatur amor:
Ibo tamen: ſpargam flores, & floribus addam
Carmina cum lacrymis qualiacunque meis.
Magna licet ſeræ veniant ad buſta Camœnæ,
Nec modus his lacrymis, nec pudor ullus erit.
Cætera damna dies, alias ſapientia curas
Leniat; hic nulla vincitur arte dolor:
Flebilis in longos SARRAVIUS occidit annos,
Et nunquam pietas non habet iſta locum.
Nec ſolum hoc tantis ævum virtutibus orbum eſt,
Fas tibi poſteritas hoc quoque flere caput:
Omnia lugebunt, ſimilem cui nulla videbunt
Secula; non natos hæc pia cura manet:
Nam qui non ullo cecidit reparabilis ævo,
Si qua fides, moritur quolibet ille die.
Invenit omne dolor ſpatium breve: tempore nullo
Nec licet hæc ullo claudere juſta loco.

Gal-

Gallia prima quidem paſſis diſcincta capillis
Planxit in illuſtri pectora ſancta rogo:
Curia tota Patrum, quos ardens purpura veſtit
Tunc bene pullata maluit ire toga.
Quis tibi tunc Aſtræa, animus? pars magna tuorum
Cum propior tumulo diceret, Alma Vale.
Diceris heu! noſtras voluiſſe relinquere terras,
Et prope mutato viſa colore mori:
Nec flores riſere tui: delapſaque cœlo
Lilia ſunt nigris livida facta notis:
Regia magnifico licet invidioſa tumultu
Aula, tamen fidum ſenſit abeſſe caput:
In partem Rex ipſe venit; pluresque miniſtros
Optari ſimiles optima vota putat.
Docta Thuanæo qua gens ſubit undique tecto
Muſarum indoluit ſemper aperta domus.
Oſſa Charentoniæ dilecti corporis Ædes
Accipiunt ſacro contumulata ſinu:
Mœſta jacet magno pietas evicta dolore;
Muſica non lætos reddit ut ante ſonos:
Auditi balare greges, quaſi Pane perempto,
Paſtoreſque ovibus collacrymare ſuis:
Mens quoque LAUNÆI cœleſtis conſcia regni
Auſa eſt hic gemitus non tenuiſſe ſuos.
Et multum ISACIDE fleſti, patre digna propago,
Improbiuſque malis publica damna tuis.
Ante oculos orbæ Aonides, & culmina Pindi
Sola: Aganippæis lux prope nulla jugis.
Præcipue Divæ, Tu quondam eris alter ab illo
Cum tibi dixerunt, fletibus ora rigas:
Et voluere quidem: Tu nunc eris alter ab illo:
Parcere ſed fronti juſſit Apollo tuæ:
Una tuæ dixit convitia multa juventæ,
Nam nos interea quid faciemus! ait.
Cui Phœbus: triſtes Elegos, Epicedia, Leſſos,
Materies nobis hæc ſatis una decem.
Protinus aruerat, ſed enim Permeſſius humor
Largus ad hæc Domini verba repente ſalit.
Aonii exurgunt latices, & quælibet unda
Adjicere officio geſtiit ora pio.
Sequana, non tuus eſt dolor hic: partemque Garunna
Vendicat, & ſua te damna dolere putat.

Nec

Nec tantum Ligeris tot amœnis urbibus oram
  Prætextus querulas in mare volvit aquas:
Ipſe pater qua primum oritur, majorque reſurgit
  Cum latuit, Rhodanus deſiit eſſe ferox:
Funus idem pariter Tiberim, pariterque Lemanum
  Cauſſa duos agitat non tamen una lacus:
Hic dolet amiſſum caſtæ pietatis honorem,
  Ille decus docti præſidiumque chori.
Binaque cui faciunt coeuntia nomina nomen
  Senſit & hoc Tameſis, turbidiorque fluit.
Teutonici plorant amnes, & Rhenus & Albis,
  Et quos præterea longa referre mora eſt:
Denique ſubmittit faſces cui doctior orbis,
  Et totis Helicon cui famulatur aquis;
Ingemuit CHRISTINA altum, decus illa regentum,
  Sydera pro ſceptro digna tenere ſuo.
Quem terræ ereptum Themidis deſiderat Aula
  Illuſtres vatum concinuere chori.
Nos Batavi gens lenta ſumus: mora longa, fatemur
  Ipſe Ego poſt alios ultimus ecce cano.
Sic amor eſt; properent alii: præpoſtera leſſum
  Non tempeſtivum carmina noſtra putas?
Falleris. In medio nam quis non funere plorat?
  Unus poſt alios qui dolet, ille dolet.

ALEXANDER MORUS.

INDEX I.

Eorum qui Epiſtolas, & ad quos ſcripſerunt.

Numerus paginam, litera S. numeris præpoſita Sarravianas notat.

A.

Alciatus Franciſco Calvo. 75 & ſeq.
—— M. Antonio Majoragio. 113
Arnould. (*Bennoit*) Gudio. 68

B.

Balſacus Sarravio. S. 149
Barthius Meurſio. 228
—— Kirchmanno. 228
Beatus Rhenanus Franciſco Calvo. 151
Bigotius Gudio. 69. 71
Bonamicus Romulo Amaſæo. 114
Bongarſius Kirchmanno. 145. & ſeq.
—— Meurſio. 147
Bonifacius (*Balthaſar*) Dominico Molino. 116
Boſius (*Joannes Andreas*) Gudio. 40. 42
Brederodius (*Petrus*) Scipioni Gentili. 365. & ſeq.
Buſſius (*Theodorus*) Kirchmanno. 275

C.

Cœlius (*Ludovicus*) Eraſmo. 117
Calixtus Kirchmanno. 293
Camerarius (*Philippus*) Scipioni Gentili. 374
Camutius (*Andreas*) Cicereio. 118
Canterus (*Theodorus*) Meurſio. 185
Cardanus Cicereio. 119
Caſaubonus Baudio. 160
—— Scipioni Gentili. 161. 162. 357. 358
—— Kirchmanno. 155. & ſeq.
Caſelius Bordingo. 267
—— Kirchmanno. 268. & ſeq.
—— Scipioni Gentili. 373
Ceſſinus (*Franciſcus Maria*) Gudio. 43
Chalcondyla Jano Parrhaſio. 138
Chriſtenius Kirchmanno. 291
Chriſtina Suediæ Regina Sarravio. S. 240. 257. 277
Colerus Kirchmanno. 252. 253
Corradus Majoraggio. 121. 122. 123
Coſta (*Gerhardus*) Majoraggio. 123

D.

Dati (*Carlo*) Gudio. 63. 64

E.

Emmius (*Ubbo*) Meurſio. 279
Eraſmus Petro Curſio. 148
—— Nicolao Everardo. 379. 380

F.

Faber (*Tanaquillus*) Sarravio. S. 257. 275
Fagnani (*Carlo*) Majoraggio. 125
Falconinus Gudio. 72
Ferdinandus Epiſcopus Paterbornenſis Gudio. 17
Ferdinandus Hiſpaniarum infans Deſiderio Eraſmo. 378
Freherus Gudio. 345. & ſeq.

G.

Gebhardus (*Janus*) Kirchmanno. 294. & ſeq.
Gentilis (*Albericus*) Donello. 335. & ſeq.
Gentilis (*Scipio*) Jac. Auguſto Thuano. 375
—— Dionyſio Gothofredo. 376

Gevartius Meurſio. 279
Giphanius Scipioni Gentili. 350. & ſeq.
— Kirchmanno. 230
Goeſius Gudio. 62
Goldaſtus Jungermanno. 229. 230
Gothofredus (*Dionyſius*) Scipioni Gentili. 342. & ſeq.
Grævius (*Jo. Georgius*) Gudio. 47. & ſeq.
Gronovius (*Johannes Fredericus*) Kirchmanno. 320. & ſeq.
— Salmaſio. 325. 327
Grotius (*Hugo*) Frederico Norvegiæ hæredi. 183
— Mullero. 184
— Sarravio. S. 38
Gruterus (*Janus*) Scipioni Gentili. 349. 350
— Jungermanno, 210
— Kirchmanno 200. & ſeq.
Gruterus (*Iſaacus*) Gudio. 55
Gryphius Arluno. 163
Gudius (*Marquardus*) Petro Block. 14
— Chriſtiano Caſſio. 13
— Curatoribus Gymnaſii Daventrienſis. 19
— Michaëli Erminio. 12
— Ferdinando Epiſcopo Paterbornenſi. 14
— Wilhelmo Goeſio. 10
— Joanni Georgio Grævio. 20. & ſeq.
— Nicolao Heinſio. 3. 6
— Mellino. 4
— Menagio. 1. 2
— Alberto Nieropio. 18
— Camillo Peregrino. 3
— Alberto Ruſio. 11
— Joanni Scrieckio. 13. 18
— Ezechieli Spanhemio. 5

H.

Heinſius (*Daniel*) Kirchmanno. 224. & ſeq.
Hoeſchelius Kirchmanno. 187. & ſeq.
— Meurſio. 90
Hofmannus (*Caſpar*) Kirchmanno 306. & ſeq.
Horbius Gudio. 57
Holſtenius Elmenhorſtio. 289. 290
Holſtius Gudio. 58

J.

Iſingrinus Cicerino. 164
Jungermannus Scipioni Gentili. 359. & ſeq.
Junius (*Franciſcus*) Scipioni Gentili. 339. & ſeq.

K.

Kirchmannus Theodoro Buſſio. 284
— Vagetio. 283
Kirſtenius Holſtenio. 288

L.

Lindenbrogius Jano Grutero. 286
— Kirchmanno. 285
— Lambecio. 287. 288
Lingelsheim Jungermanno. 283
Lipſius Adolfo Norvegiæ &c. hæredi. 195
— Chriſtiano Brunningio. 195. 196
— Meurſio. 197
Lubinus Kirchmanno. 273

M.

Magliabecchi Gudio. 65. & ſeq.
Majoragius Cicerino. 125. & ſeq.
Meibomius Gudio. 56
Meliſſus (*Paulus*) Scipioni Gentili. 370. 372
Merula (*Gaudentius*) Jo. Mariæ ex Comitibus. 129
Meurſius Kirchmanno. 280. & ſeq.
— Seefeldio. 282
Minturnus Paulo Jovio. 129

Le

Le Moine (*Stephanus*) Gudio. 45
Molino Meurſio. 130
N.
Nicolaus Nicolai Nicolao Everhardi. 383
--- Everhardo Nicolai. 385. & ſeq.
Nizolius Majoragio. 135
O.
Offredi (*Carlo*) Gudio. 65
Oldenburgus Morhofio. 73. 74
Operinus Cicerino. 164. & ſeq.
P.
Parrhaſius (*Janus*) Chalcondylæ. 137
Pellegrino (*Camillo*) Gudio. 67
Phædrus (*Thomas*) Humiliato. 139
Phlug (*Julius*) Cardinali. 191
Piccartus Kirchmanno. 254. & ſeq.
--- Meurſio. 260
Pollio Scipioni Gentili. 339
Pomeranus Majoragio. 194
R.
Rachelius Gudio. 61
Regienſis (*Antonius*) Majoragio. 140
Reineſius Gudio. 36. & ſeq.
--- Tobiæ Majo. 312. 318
Remus Elſwychio. 219
--- Jungermanno. 211
--- Kirchmanno. 211. & ſeq.
Rhodomannus Kirchmanno. 266
Ritterſhuſius Kirchmanno. 231
Roſweydus Meurſio. 278
Ruarus Kirchmanno. 261. & ſeq.
Rufius Gudio. 55
Rutgerſius Kirchmanno. 220. & ſeq.
S.
Salmaſius Sarravio. S. 52. 63. 82. 114. 145. 186
--- Juſto Kriexio. 377. 378
Sarravius Balſacio. S. 147
--- Blondello S. 240. 241. 244. 246. 249. 251. 261
--- Candalio S. 152
--- Chriſtinæ Sueciæ reginæ. 239. 253. 255
--- Petro Cornelio S. 45
--- Vincentio Fabritio. S. 15. 16. 22. 23. 24. 32. 34. 41, 196.
--- Fabro. S. 261
--- Freinshemio. S. 11
--- Jacobo Gothofredo. S. 43. 44. 131
--- Joanni Frederico Gronovio. S. 17. 20. 23. 25. 26. 27. 30. 36. 37. 39. 46. 59. 146. 178. 245.
--- Grotio. S. 11. 12. 14. 20. 24. 29. 58.
--- Danieli Heinſio. S. 158
--- Nicolao Heinſio. S. 175
--- Lambecio. S. 183
--- Alexandro Moro. S. 18. 36. 39. 40. 43. 45. 48. 49. 68. 107. 215
--- Oldenburgo. S. 209
--- Palmerio a Grenteſmeſnil. S. 13. 15. 19. 22. 28. 31. 33.
--- Samueli Petito. S. 21
--- Joſuæ Placæo. S. 179
--- Jo. Georgio Richtero. S. 72
--- Salmaſio. S. 50 *& paſſim.*
--- Iſaaco Sarravio. S. 260
--- Henrico Valeſio. S. 151
--- Jano Vlitio. S. 62
--- Iſaaco Voſſio. S. 42. 175. 217. 219. 228. 231. 236. 242. 243. 245. 247. 248. 249. 250. 251. 254. 262
--- Jacobo Uſſerio. S. 180. 193
Scaliger (*Joſephus*) Scipioni Gentili. 355. 356
--- Ranzovio. 152. 153
--- Salmaſio. 154
Schefferus Rachelio. 60
Schottus Scriverio. 220
Secundus (*Joannes*) Everardo Nicolai. 381. 382
Spanhemius (*Ezechiel*) Gudio. 44

Stephanus Stephanius Kirchmanno. 308. 309
Sylburgius Scipioni Gentili. 339

T.

Theocrenus (*Benedictus*) Jovio. 142
Thevenot Gudio. 69
Thuanus (*Jac. Auguſtus*) Scipioni Gentili. 162
Torrentius Lipſio. 197
Triultius (*Cæſar*) Pomponio Fratri 143

V.

Velſerus Kirchmanno. 186
— Meurſio. 185
Verrius (*Antonius*) Calvo. 144
Voſſius (*Gerardus Joannes*) Kirchmanno. 319
Voſſius (*Iſaacus*) Salmaſio. 329 & ſeq.

W.

Weſembecius (*Petrus*) Scipioni Gentili. 372
Wouwerius Kirchmanno. 274. & ſeq.
— Lindenbrogio. 277

INDEX II.

Scriptorum qui in his Epiſtolis laudantur, illuſtrantur vel emendantur.

A.

Æcro. 201
Ælianus. 332
Alcimus Avitus. 239
Alcuinus. 312. & ſeq.
Alfredi vita. 30
Ammianus Marcellinus. 50. 85. S. 37
Anaſtaſius Bibliothecarius. S. 143. 145. 176
Anthologia. 154
Apulejus. 201. 363
Ariſtides. S. 95
Ariſtophanes Comicus. S. 75. 81. 91. 192.
Ariſtophanes Grammaticus. S. 186. & ſeq. 190. & ſeq.
Ariſtoteles. 307. 325
Arnobius. S. 64
Athenæus. 1
Auguſtinus. S. 64. 66
Aulus Gellius. 157. S. 212
Aurelius Victor. S. 73

C.

Callimachus. 192
Capitularia Caroli. M. S. 161
Celſus. 58. 59
Chryſoſtomus. S. 69. 74. 75.
Cicero. 230. 286. S. 82.
Codex Theodoſianus. S. 44.
Cyrillus. 39. S. 121

D.

Demoſthenes. S. 13. 19
Diodorus Siculus. 33
Diogenes Laertius. 1. 133
Dionyſius Halicarnaſſenſis. 157
Donatus. 81. 84

E.

Epictetus. 330
Etymologicum Magnum. 229

Eura-

Eunapius. 2
Euſebius. S. 56

F.

Feſtus. 156. 157

G.

Gloſſæ Juvenalis. S. 82

H.

Harpocration. 1. 2. S. 19
Hermogenes. 135
Heſychius. 331. S. 19. 80. 93. 100. 212
Hierocles. S. 78
Hippolytus. 17. 34. 49. 70
Horatius. S. 37
Horatii vita. S. 79

I.

Inſcriptiones antiquæ. 4. 29. 36. 37. 38. 50. 51. S. 60. 83.
Inſcriptio Herodis. 191
Inſtitutiones Juſtiniani. 55
Joſephus. 1. S. 21. 77. 78
Julianus. 38
Juvenalis. S. 94. 96

L.

Livius. 63. 157. S. 46
Lucianus. 190
Lucanus. 201

M.

Marculphus. S. 120
Martialis. 201. 321
Mœris Atticiſta. S. 164

N.

Nehumias Hebræus Magiſter. S. 38

O.

Obſequens. 186
Ovidius. 321. S. 257. 258

P.

Palladius. 279
Pandectæ. 335. 352. 354. 377. S. 58. 92. 129. 189. 200
Paullinus. 321
Phædrus. 8. 64. 65. S. 48.
Phavorinus. 1
Philoſtorgius. S. 40. 44
Philoſtratus. S. 152
Pindarus. 191
Plato. S. 258
Plautus. S. 259
Plinius. 64. 143. 156. 326. S. 163. 206
Plutarchus. 70
Pollux. 2
Prudentius. 38. 229. 230
Ptolomæus. 332
Pythagoræ carmina. 188

S.

Salvianus. 249. S. 75
Scholiaſtes Theocriti. 1
Seneca. 201. S. 236
Servius. 156. 232. 319
Sidonius Apollinaris. 156
Solinus. S. 37
Statius. 321
Suetonius. 47. S. 189
Suidas. 229. S. 190. 192
Symmachus. 186

T.

Tacitus. 326
Tactici auctores. 186
Tertullianus. 255. S. 63. 97
Teſtamentum novum. S. 72. 74. 88. 110. 125. 162. 163. 166. 174. 177. 178. 179. 189. 270
Themiſtius. 211
Theocritus. 329
Theodoretus. 39. S. 112
Theophraſtus. 1
Tibullus. S. 144

V.

Virgilius. S. 75. 145. 192

INDEX III.

Qui exhibet res, & Doctorum & Clariſſimorum Virorum nomina, quorum in his Epiſtolis Mentio fit.

A.

Abbundius Caſtellionæus (*Franciſcus*). 119
Abellio Deus. S. 64
Academia Altorfiana. 162
Adami peccati imputatio. S. 109
Adducere rationes. 136
Adoptio Chriſti in filium. 213
Ægritudo. 136
Ærodius. S. 70
Æſtimium. S. 65
Agathius. 75
Albertinus. S. 186
Albinæus. S. 117
Albutiani, inſcriptum in urnis. S. 143
Alciatus. 120. 151
--- Auditorum frequentia. 76. 77
--- Avenione jus profitetur. 75
--- Biturigas vocatus. 106
--- Vicarius Proviſionis. 99
Alciati Carmina. 110
--- Familiaritas cum ſuis. 79
--- Judicium de Zaſio. 76
--- Oratio ad Mathiam Minoritam. 80. 81. 82
--- Oratio Inauguralis. 83
Alcuinus. 315. & ſeq.
Alexander ab Alexandro. 91
Alexius a Maſſalia, Salmaſius. S. 26
Allatius. S. 71. 190
Aloander. 380
Alpheni JCti ſcripta. 91
Altaſerra. 71
Amerbachius. 76. 110
Amianum Caſtrum. 87
Amphitheatrum Romanum. 4
Amplus ſeſtertius. S. 37
Amſinkius. S. 33
Amyraldus. S. 35. 54. 104. 108. 136. 152. 166
Angelus (*Joannes*). 109
Annuli antiqui. 186. 190
--- Medicorum. 306. 308
--- Pronubi. 247
--- In ſiniſtra geſtati. 255
'Απέχει. S. 96
'Απήγξατο. S. 162
Apoſtoli an ſciverint exitium mundi. S. 29
Aras an Chriſtiani veteres habuerint. 212
Aratus (*Julius*). 92
Ardiſſius. S. 251
Arlunus. 163. 169
Arminius. 90
Arnaldus. S. 53. 61. 67. 69. 70. 71. 76. 80. 107
Artiſius (*Joannes*). S. 169
Attalus imbellis. 149
Auguſtorum numina. S. 65
Aurelius (*Petrus*). S. 171
Axelius. S. 11

B.

Bacchinus. 129
Bachetus (*Gaſpar*). 68. 85
Barchoſcha. S. 27
Barillonius. S. 118. 139
Barthius. 223
Barthòlomæus Veronenſis. 86
Barholinus (*Thomas*). 66
Βασιλεὺς. S. 72
Baſilius. 115
Baudius. 207
Bautruvius. S. 51. 58

Beatus

Beatus Abbas. 317
Beatus Rhenanus. 148
Bebellius. 108
Becellus (*Alexander*). 116
Benevone Cardinalis. 131
Benifacio. 131
Berneccerus. S. 26
Berterius. S. 92.84
Beverovicius. S. 29.30
Beza. S. 17.177
Bibliotheca Amſtelodamenſis. 70
— Cardinalis Benevone. 131
— Thuana. 51
— Ultrajectina. 70
Bignonius. S. 128.155
Binardus. S. 87
Blondellus. S. 12.14.20.33.130. 134.170.173.180.200.205.213. 216.220.267
Bloſius. 139
Bochartus. S. 13. 20. 28. 31. 69. 116. 131. 182. 200. 203. 208. 209. 211. 212. 213
Bochellus. S. 76
Boidonius. 116
Bordingus. 205.215
Bormæus Phryſius. 108
Boſius. 73
Boſtrani. 39
Boucherus. S. 107
Boxhornius. 377. S. 46
Braſſetus. S. 53. 88
Bricquetus. S. 128
Bridieuxius. S. 53
Burzius. 147
Budæus. 86
Buriardus. S. 46
Buſſii fratres. 241

C.

Cælius Calcagninus. 132
Cælius Rhodiginus. 117
Cæſar Cremoninus. 116
Caſus. 113
Cajetanus Cardinalis. 380
Caligula, Vir peccati. S. 27
Calvus (*Andraas*). 143
— *Franciſcus*. 117
— *Julius*. 89
Cambeſis. 70.71
Camerarius (*Joachimus*). 306
— *Philippus*. 218
Camerius. S. 182
Camero. S. 35
Camillus (*Julius*). 109
Campegius. 116
Candalius. S. 40.48
Cantiuncula (*Claudius*). 78.86.92
Capaccius (*Julius Cæſar*). 222
Capellus. S. 22.80.87.125.159
Capoferreus. 42
Capuus (*M. Antonius*). 108
Carolus a Militiis. 380
Caſaubonus. 145. 146. 253. 273. S. 17. 111. 156
Caſelius. 147.205
Caſtellanus (*Bernardus*). 83
Caſtellionæus. S. 53
Caſtratio auctorum. 210
Catanæus (*Joan. Maria*). 79
καταγγέιται. S. 175
Catterius. S. 195
Catus (*Ludovicus*). 107
Cauſſinus. S. 50.51
Caymus. 120
Celanus. 87
Chalcitis. 58.59
Chimentellius. 64
Chouetus, S. 90
Chriſti filiatio. 317
Citereus (*Franciſcus*). 120
Ciceronis paradoxa defenſa a Nizolio. 132
— Officiorum editio. 60
— Oratio in Piſonem integra. 109

Ci-

Κοινῶν λόγων. S. 97.100
Citrarius. 138
Clapmarius. 231.234
Clauſulæ. 138
Cos. 120
Codicum veterum deſtinctiones. 186. & ſeq.
Codurcus (*Philippus*) S. 121
Kockerus (*Auguſtinus*) 216
Colerus. 234
Colignius. S. 53
Coligo. S. 64
Coliſeum. S. 146
Colium pro domicilio. S. 64
Collineus. 109
Collinus (*Jacobus*) 111
Colvius. S. 92
Conchæ marinæ in mediterraneis repertæ. S. 113.114
Conjunctio re & verbis. 335
Conradus Celtes. 219
Conſentinus. 100
Corbeta (*Hilario*) 114
— *Valterius*. 109
Cornari libellus de vita ſobria. S. 25. 26.31
Cornarii (*Jani*) lites cum Fuchſio. 166
Corona Epiſcopis tributa. S. 76
Coſoſus. S. 64
Cratander. 95.108
Crematio cadaverum cur deſierit. 156
Critici. S. 188
Crojus. S. 39. 81. 95. 103. 105. 113.130
Cruceus. S. 16
Cucupha. S. 83
Cujacius. S. 15
Cumontius. S. 106
Cunæus. 325
Curtius. 107
Cuſpinianus. 78
Cyprianus Regneri. S. 25.26.31
Cythatis. S. 37

D.

Dalleus. S. 34
Daniæ Rex. 21
Daniel (*Petrus*) 146
Davila (*Henricus*) 116
Decianus. 354
Decius. 106
Devarennes (*Olivarius*) S. 105
Dialectici. 135
Diceus. 114
Dimidio plus. 58
Diodatus. S. 18
Διορισμὸς & διορισμός. S. 69.74
Diſtinctiones veterum liborum. S. 186.187
Divi quando Imperatores dicti. 38
Divortium. S. 120
Domannus. 207.221
Donellus. 162
Donius. S. 79.127
Douchantius. S. 91
Drelincurtius. S. 214
Ducheſnius (*Andreas*) S. 27
Dumajus (*Paulus*) S. 63
Duncanus. S. 84

E.

Ebenbitare. S. 52
Edoardus Palatinus. S. 134
Egidius. 88
Egnatius. 83
Elipandus. 317
Elminthoſtreæ. S. 184
Eloquentiæ ſtudia in Gallia. 107
Emblemata Alciati. 96
Enthymema. 135
Epiſcopus Monaſterienſis. 53
Eraſmus. 94.117
Etherius Epiſcopus Uxamenſis. 317

Eu-

Euchariſtia. S. 189
Eugubinus. 150
Exemplum. 135
Ἐξουσία. S. 75
Exuviæ. S. 75

F.

Faber (*Tanaquillus*) 7.70
Fabritius (*Vincentius*) S. 17.146
Fabrottus. S. 19.35.47.132
Falcarius. S. 106
Felix & Feliciani. 314. & ſeq.
Feramus (*Carolus*) S. 143
Ferrarius (*Franc. Bernardinus*) 66
Filiatio Chriſti. 312
Flaminius (*M. Antonius*) 121
Florens. S. 35.76.
Follis. S. 37
Formula precandi bona perennia. S. 152
Friccius (*Hieronymus*) 126
Frobenius. 90.108
Fronto Ducæus. S. 194
Fuchſius. 166
Fulmina. 201
Fulmine ictis juſta non fiebant. 155
Funda & Fundatum ornamentum capitis Fœminini. S. 145

G.

Galeatus Vicecomes. 142
Garriſolius. S. 39
Gaulminus. S. 80
Gazenſis Grammaticus. 154
Gebhardus. 222
Gentilis (*Scipio*) 215.253
Super Genua tollere. 156.201.231
Gernerus primus Martialem caſtravit. 210
Gigantum patria. S. 93
Giphanius. 231.356
Glareanus. 148
Gogarinus. 56
Goldaſtus. 208
Gothofredus (*Jacobus*) S. 12.16. 18.41.43.75.129.157.160
Gothofredus (*Theodorus*) S. 42
Gradus Academici. S. 146
Gradus Amphitheatri Romani. 4
Grævius. 41
Grammatici veteres libris diſtinctiones apponebant. S. 87
Gramondus. S. 33
Gratia univerſalis. S. 140.149
Gretſerus. 121
Gronovius (*Joh. Fredericus*) 41. 283. S. 16.19.37.40.49.51.79.
Grotius. 225.290. S. 16.19.27. 28.39.41.49.73.110.116.118. 145.158.160.165.168.174.267.
Grotii epiſtolæ. S. 196
— Liber de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra. S. 108.158. 173.
— Mors. S. 142
Gruterus. 221.260
Grynæus (*Simon*) 109
Gryphius (*Sebaſtianus*) 108
Guidacerius (*Agathius*) 109
Gujetus. S. 57.79
Guiſius Dux. S. 53
Gyraldus (*Joan. Cynthius*) 182

H.

Habertus (*Iſaacus*) S. 47.79.113
Hadrianus VI. Pontifex. 100
Heidanus. S. 216
Heinſius (*Daniel*) 191.305.331. S. 14.16.& ſeq. 26.31.33.49. 57.59.61.65.81.95.103.109. 135.145
Heinſius (*Nicolaus*) 51. S. 17.19. 147.156.218.264
Helleniſtica lingua. S. 33.35.69
Hemeræus. S. 73

Heraldus. 228.273. S. 17.19.33.
58.70.84.91.95.98.101.128.
133.185.189.195.264.270.
Heraldi Mors. S. 308
Herſentius. S. 53
Hevelius. S. 196
Hippolytus a Collibus. 369
Hoeſchelius. 234
Holſtenius (*Lucas*) 71. S. 80.
171
Holſtinius (*Fredericus*) 195
Honorarii Titulus. S. 52.173
Honoratus Faber. 62
Hornejus (*Conradus*) 209
Hubnerus. 235
Huetius. 31.70
Hugenius. S. 18

J.

Janninius. 154
Janſenius. S. 57
Janſeniaiorum diſſidium. S. 67
Jarrigius. S. 186
Jaſon. 90.106
Idem eſſe cum illo. 13
Jeſuitæ. 62,189. S. 107
Imperator (*Conſtantinus L'empereur*).
S. 49.87
Imputatio peccati Adamici. S. 109.
112
Joanna Papiſſa. S. 143.145.151.
180
Joannes Andernacus. 109
Jonſius. 14
Jovius (*Benedictus*) 83.165.167
Junius (*Hadrianus*) S. 87
Jurievius. S. 105
Juſtellus. S. 74.131
Juſtelli mors. S. 208
Juſtinianus (*Antonius*) 78
Juſtinianus (*Sebaſtianus*). 107

L.

Labbæus. 71
Lactantius Ptolomæus. 107
Laetius. S. 49.220
Lætus (*Pomponius*) 92
Lambecius. S. 240
Langelottus. 74
Langius (*Carolus*) 197
Langlæus (*Maximilianus*) S. 38
Languetus. S. 71
Laocoontis ſtatua. 143
Lares. S. 64
Laſcaris (*Janus*) 137.139
Launæus. S. 14
Launoyus (*Joannes*) S. 162
Legere, pro in ſcholis profiteri. S.
146
Leonardus Hiſpanus. 82.97
Leonicenus. 77
Leus Anglus. 380
Libentina. S. 64
Liburnus. S. 64
Lignivermoſthracæ. S. 184
Lindenbrogius. S. 86
Literarum antiquarum formæ. S. 188
Locis. S. 65.67.70
Lubinus. 225
Lupanus (*Ottho*) 114
Luranus. 99
Lutherus. 87.88.90.92.94.151

M.

Mabillonus. 42
Mæcenas. 290
Magius. 123
Magiſtri qui gradum in ſcholis acquiſiverunt. S. 149
Majoragius. 118.120.123.164
Majoragii antiparadoxa. 132

— Li-

— Lites cum Nizolio. 121. 122. 126. 166
Manchaſola. S. 145
Marca (*Petrus de*) S. 33. 43. 104
Marcellinus (*Petrus Ayroldus*) 116
Marcellus Florentinus. 83
Mareſcottus. S. 13
Mareſius (*Rolandus*) 202
Marlianus. 88. 96
Martyrologium. 68
Mauſſacus. 191. S. 41. 81
Maximilianus Imperator. 51
Megalus auctor Etymologici. 229
Meibomius (*Marcus*) 56
Memmius. S. 32. 35. 42
Menagius. S. 51. 54. 56. 63. 70. 93. 264
Menantius. S. 251
Mendozza (*Don diego Hurtado de*) 131
Mentelius. S. 108
Mercerus. S. 85
Mercurius Cenſualis. 50
Merula. 159
Meſtrezatius. S. 106
Meurſius. 290
Mezeriacus (*Claudius*) S. 190
Militia Romana. S. 47. 47
Milleterius. S. 19. 50. 51. 81. 83. 85. 110. 117. 121. 173
Minutianus. 111
Le Moine. 70
Molæus. S. 139
Molinæus (*Petrus*) S. 33. 182. 195. 207
Monachorum tonſura. S. 75
Monetæ Mutatio. S. 177
Morinus. S. 147
Morus (*Alexander*) S. 90. 91. 202. 208. 209. 212
Motta Vaherius. S. 98
Mulierum laudatio ſolennis 157
Mundi exitium an ſciverint Apoſtoli. S. 29
Municipales Dii. S. 63

N.

Nannetes vicus. S. 63
Nardini. 64
Nizolii lites cum Majoragio. 121. 122. 126. 161
Nocumentum. 136
Numina Auguſtorum. S. 64

O.

Operari. 136
Oporinus. 126
Oratores. 135
Oſiander (*Lucas*) 169
Oſius (*Felix*) 116
Oſſa defunctis crematis lecta. 207
— Peregre mortuorum domum reportata. 258
Oſtreæ in mediterraneis repertæ. S. 114
Ὀψιμαθεῖς. S. 192

P.

Pacæus. 99
Pagana relligio. S. 64
Paganinus. 93
Pagorum Dii. S. 64
Palladius. S. 51
Paludanus. S. 59. 66
Papalitra. S. 76
Παρακολουθεῖν. 157
Parentes pro conſanguineis. 91
Pareus. 204. 208. 209. 260
Parpalia Taurinenſis. 98

Parrhaſius (*Janus*) 85.91
Parricidioſe. 136
Paulus Sarpius Venetus. 358. S. 14
Peccatorum remiſſio ſub veteri teſtamento. S. 231.233.235
Peirerius. S. 50.66
Peireſcius. S. 34
Pelſius. 55
Peregre mortuorum oſſa domum reportata. 158
Perizonius. 51
Perronius Cardinalis. S. 12
Petavius. S. 21.35.71.130
Petitus (*Samuel*) S. 13.15.18.30
Petrus Paulus. 140
Peyraredus. S. 12.14
Pflug (*Julius*) 78.82
Phædrus (*Thomas*) 138
Phelypeaux. S. 182
Philelphus. 84
Philoſophorum veterum ſectæ. 133
Pignorius (*Laurentius*) 116
Pileus ſummi ſacerdotis. S. 99
Pithæus (*Franciſcus*) 160
Planta (*Auguſtinus*) 179
Plato. 134
Poëtæ mali. 84
Pontificia auctoritas ab Alciato defenſa. 99
Portenſis. S. 63
Poſtellus (*Guillelmus*) 179
Pricæus. S. 150.162.173
Ptolomæus (*Claudius*) 88.107
Ptolomæus Euergetes. 192
Puccius (*Antonius*) 380
Puteani fratres. S. 70.155
Puteanus (*Petrus*) S. 93
Pyrrhus. 78

Q.

Quæſtorium ſcriptum. S. 79
Quod. 136

R.

Radeſianus Abbas. S. 58
Redi. 64
Regale tacitum. S. 105
Regienſis (*Jo. Maria*) 79
Reges Iſraelis an ſynedrio ſubjecti fuerint. 204.206
Regum jus in ſubjectos. S. 204
Reliquiæ ſanctorum. 37.39
Remonſtrantes. 289
Renæus. S. 207
Reticula. S. 58.92
Richterus (*Jo. Georgius*) S. 52
Rigaltius. 8.272.292. S. 48
Rittershuſius. S. 76
Rittershuſii liberi. 308
--- Mors. 213
Riveti fratres. S. 39.40.45.165
Rivetus (*Andreas*) S. 205
Rivetus (*Guillelmus*) S. 205
Rohanii ducis filius. S. 135.139
--- Vidua. S. 137.139
Ruarus. 248.255.256
Rubeus (*Octavius*) 116
Ruellus. 109
Rulæus. 49
Rutgerſius. 217

S.

Sabinorum ſomnia. S. 116.119
Saccetus (*Franciſcus*) 118
Sadoletus. 143.144
Salamonius. 86 88.113
Salmaſius. S. 12.18.21.26.30.31. 32.35.47.48.49.246
Sanctius. 89
Sandellius. 117
Savoia. 140
Scaliger (*Joſephus*) 40.188.253
Scaligeri mors. 259

Scara-

Scarabellus. 114
Scarlatinus. 89. 112
Schefferus. 65
Schoockius. 329. S. 58. 59
Schotanus. S. 123
Scoppius. 231. 253
Scombergius. S. 58
Scotus. 151
Scribæ. S. 82
Scriptum quæſtorium. S. 79. 82
Seldenus. 57
Seleucus Nicanor. 69
Senarius numerus. S. 27
Seneca. 198
Sengeberus. S. 269
Sepulveda. 150
Seſtertius amplus. S. 37
Simon. 30. 51
Simplicius Verinus (*Salmaſius*) S. 165. 167. 168
Sirmondus. S. 40
Sleidanus. 229
Socrates auctor ſectæ Stoicæ. 133
Sonerus (*Erneſtus*) 255
Sorberius. S. 18. 118
Sortilegia virginum vetularum. S. 192
Spanhemius (*Fredericus*) 333. S. 18. 40. 45. 83. 95. 108. 136. 166. 206. 210
Spanhemius (*Ezechiel*) 51
Sponius. 50. 54
Stoici a Socrate oriundi. 133
Stuartius. S. 83. 84. 85. 100
Stubrockius. 62
Stunica (*Jac. Lopes*) 90. 94
Sturmius (*Joannes*) 177
Subſcriptio teſtamentorum. S. 198
Suburbicariæ regiones. S. 12
Sudorius Petivellæus (*Philippus*) S. 203
Supra genua tollere. 155
Suſpendioſis juſta nefas facere. 156
Swarthius (*Euſtathius*) 221
Swertius (*Franciſcus*) 292

T.

Tacitum regale. S. 105
Tactici ſcriptores. 72
Talæus. S. 70. 79. 88. 89. 139. 156
Tamerus (*Georgius*) 175
Tancredus Rohanii ducis filius. S. 135. 137. 139
Tarſici poetæ. S. 97. 100
Tartaricum itinerarium. 69
Telamon. 319
Templa Gentilium a Chriſtianis occupata. S. 66
Tengnagelius (*Joachimus*) 205
Tennulius. S. 47
Τυρέω. S. 165
Teſtamentorum ſubſcriptio. S. 198
Tetrarcha. S. 66. 71. 77
Thuanus. S. 47
Thuani Bibliotheca. 51
--- Hiſtoria. 158
Thuillius (*Joannes*) 117
Thyſius. S. 21
Tibiæ in funeribus. 157
Tilius (*Joannes*) 44
Tonſura Monachorum. S. 75. 101
--- Servorum. S. 161
Tonſuræ ritus. S. 79
Trachala. S. 73. 80
Trapezitæ. S. 30
Trelſchius. 51
Treſellius. S. 11
Triſcurria. S. 94. 96
Triultius (*Pomponius*) 143
--- (*Renatus*) 142
--- (*Theodorus*) 142
Trivoli antiquitates. 72
τρόχαλα. S. 78. 80
Turcius. 38

V.

Valeſius. S. 129
Varini Lexicon. 104
Vavaſſor. 70
Velſeri Mors. 215
Veneris aureæ ſtatua. 109
Verſus in libris. S. 187
Vetularum Virginum ſortilegia. S. 192
Viæ in veſtibus. S. 145
Vida. 110.111.113
Vignerus. S. 220
Villius (*Gregorius*) S. 207
Vincentius Minutianus. 113
Vicis. 88
Vlitius (*Janus*) S. 96
Vocabula in *men* exeuntia. S. 129
Volianus Deus. S. 60.62.63.66.67
Volium pro voluntate. S. 64
Voſſius (*Gerardus*) S. 49
Voſſius (*Iſaacus*) 41.51.70. S. 20.205
Urſinus (*Laurentius*) 109
Uſſerius. S. 107
Vulpius (*Antonius*) 170

W.

Waakerus. 86
Witrus. 346
Wolfius. 68

Z.

Zazius. 76.78.151
Zinzerlingus. 273

F I N I S.

Graviora Errata in Gudianis.

Pag. 3. lin. 24. *videbat* lege *videbar.*
37. 13. *dacicas* leg. *dacia.*
14. *darias* leg. *darijs.*
27. ὀλόπαργον leg. ὀλόπαυστον.
63. 27. *deſcritto dal ſignor Virgillo antichiſſimo diſcritto da loro* leg. *deſcritto antichiſſimo dal Virgilio.*
72. 20. *Balconinus* leg. *Falconinus.*
115. 23. *& caſte integre* leg. *caſte & integre.*
24. *proprio* leg. *propria.*
32. *referri* leg. *referre.*
121. 14. *fratrum* leg. *fratrem.*
133. 25. *Anthenes* leg. *Antiſthenes.*
145. 7. *noſtre* leg. *noſtri.*
168. 2. *graviſſimum* leg. *gratiſſimum.*
219. 1. *Thuanum* leg. *Thuanus.*
224. 29. ἀίφαντος leg. ἄφαντος.
229. 12. *Goldaſus* leg. *Goldaſtus.*
243. 16. *reliquo* leg. *relinquo.*
254. 8. *Wilobaldi* leg. *Bilibaldi.*
300. 24. *Janus Gebhardus* leg. *Johanni Kirchmanno.*
321. 3. & 29. *Preckhemeri* leg. *Pirckheimeri.*
322. 1. *Alcioum* leg. *Alcinoum.*
353. 10. *certiorum* leg. *certiorem.*
376. 32. *collybis* leg. *collibus.*

In Sarravianis.

17. 13. Ἀντιλοιδόρει leg. Ἀντιλοιδόρει.
52. 3. *invieris* leg. *iniveris.*
75. 34. Προσεκολλήθησαν leg. Προσετκολλήθησαν.
77. 5. Σκολαστικὸν leg. Σχολαστικὸν.
7. ὕνυ leg. ὕπνυ.
Κυρδὺς leg. Κυρδὺς.
78. 36. Κυρλοτάτης leg. Κυρλότητα.
84. 19. *Benterii* leg. *Berterii.*
87. 36. *cadere* leg. *cedere.*
107. 20. CL. *Salmaſius* leg. *Sarravius.*
145. 3. *Lugd. Batavorum* leg. *Lutetiam.*
164. 9. σπρεῖει leg. σπείρει.
19. *Salmaſius Sarravio* leg. *Salmaſio Sarravius.*
174. 37. *improbaliter* leg. *improbabiliter.*
199. 21. *Salmaſius Sarravio* leg. *Sarravius Salmaſio.*
235. *Ult.* ἰσαστικὴ leg. ἰλαστικὴ.

Reliqua benignus Lector emendet.